845

846



14149/1

4 19a 1968

ANTONII

BROICKwy A KONINCKSTEYN,
uiri doctissimi, & Obseruantiæ regularis
Nouimagen Gardiani, eruditissimarum
in quatuor Euangelia enarrationum,
nunc primum ex ipso archetypo excerptarum,
Pars .I.



846

.. Aegy

nnis, i. ar.

6. b. Initio
Apostо-

...26. Vidēs
.p. Nisi abūdaue
...lligite inimicos, s

Eucharius excudebat, impensis p
Anno 1539 mense
Cum Gratia & Pr

Autoris ad lectorem admonitio.

ENARRATIONES IN MONOTES saron Euangeliorum breues & absolutæ, iuxta grauissimorum ac probatissimorum autorum tam priscorum quàm neotericorum, è sacris literis spiritusancto illuminante haustum intellectum, summo studio sic congestæ, ut lector puro, germano ac plano sensu intellectum, & cõcionator in fide ac moribus ædificet populum.

Placuit autem certis rationibus in duas partiri sectiones, tum ob Iohannis euangelium, quod magnæ pro parte ad passionem usq; solitarium ingreditur, tum ob commodiorẽ pro concionatoribus libri partitionem & ordinationem. Siquidem à Sacramẽti festo ad ieiunij usq; tempus, uix unum aut alterum occurrit euangelium ex Iohanne legendum in ecclesia: quare aptissime cum passionis, resurrectionis, ascensionisq; historijs ordinari potest, quum per ieiunium ... tra pascha pentecosten q; maxime legantur.

... omplectitur pars prima textum euangelij inclu ... Matth. usq; caput XXV. Mar. XIII. Luc. XXI. ... secunda Iohannis p totũ cum reliquo Matthæi, ... ci, Lucæ & Iohannis, ad calcem usq;.

419a 196

INDEX.

EVANGELICI TEXTVS, IVXTA

cuiuscũq; euangelistæ & capitum & materiæ ordinem. Textu itaq; uel eius summario posito, numerus cum abcdario litera adiũcitur, certum determinans inueniendi locum. Exempli causa, Matth. 1. Liber generationis, siue de genealogia Christi, 1. ar. 7. i. hoc est, parte prima, articulo (nam unaquæq; partium in articulos diuiditur) septimo, litera i. usque ad literam k. Sin uero litera sine numero ponat, indicat textũ ipsum sub articulo proximo antecedenti contineri, Vt Iohan. 12. Nunc iudicium est mundi, a. hoc est, sub articulo 23. partis secundæ. Item Matth. 28. De manifestatione domini in Galilæa, t. hoc indicat sub articulo 36. partis secundæ reperiendum. Nam primus numerus partem, secundus uero articulum determinat, ar. articulum, litera, initium textus usq; ad proximè sequentem designat.

MATTHAEI TEXTVS.

Cap. I. de Christi genealogia, Liber generatiõis, 1. ar. 7. i. De sponsatione Mariæ, k

Cap. ij. de aduentu Magorũ, 1. ar. 10. o. Fuga in Aegyptum, 1. ar. 12. r. Reuersione ex Aegypto, s

Cap. iij. de prædicatione & baptismo Iohannis, 1. ar. 15. z. Baptizatione Iesu, a

Cap. iiij. de ieiunio & tẽtatione Iesu, 1. ar. 16. b. Initio prædicationis ipsius, 1. ar. 19. f. & ar. 22. k. Apostolorum uocatione, 1. ar. 21. h

Cap. v. de sermone domini in monte, 1. ar. 26. Vidẽs Iesus turbas, o. Vos estis sal terræ, p. Nisi abũdauerit iustitia, q. Esto cõsentiẽs, r. Diligite inimicos, s

Index euangelici textus.

Cap.vi.articulo priori,Attẽdite ne iustitiam,t.Cum oratis,u.Cum autem ieiunatis,x.Nemo potest duobus dominis seruire,z

Cap.vij.articulo superiori,Nolite iudicare,b.Attẽdite à falsis prophetis,d.Oẽis ergo qui audiuit uerba mea hæc,e

Cap.viij.de leproso sanato,i.ar.27.f Seruo cẽturionis,i.ar.28.g. Socru Simonis,i.ar.23.l. Seq uolẽtibus Christum,i.ar. 30.i. Maris quietatione,i.art. 31.k.Dæmoniacis & porcis submersis,i.ar.32.l

Cap.ix.de paralytico sanato,i.ar.33 m.Matthæi uocatione,i.ar.24.m.Discipulorũ Iohannis ieiunio, i.ar.34.n.Puellę suscitatiõe & hæmorrhoissa,i.ar. 35.o.Cæcis & dæmoniaco curatis,i.ar.36.p.Operarijs in messem mittendis,i.ar.38.r

Cap.10.de apostolorũ missione,i.ar.39.s. Ecce ego mitto uos,t. Nihil opertum quod non reueletur, u.Nolite arbitrari quo'd uenerim,x

Cap.xi.de quæstione Iohannis p discipulos,i.ar.40. z.Iohannis commendatione per Iesum,a.Ciuitatum exprobratione,i.ar.48.k.Cõfiteor pater domine cęli,i.ar.52.q

Cap.xij. de spicarum confricatione,i.ar.57.z Manus aridæ sanatione, i.ar.58.a. Dæmoniaco cęco & muto,i.ar.49.l.Signũ petẽtibus,i.ar.51.o. Matre & fratribus Iesu,i.ar.50.n

Cap.xiij.de semine uerbi diuini,i.ar.59.c.Bono semine & zizanijs,e.Grano sinapis,f.Thesauro abscondito,negociatore,& sagena,i.ar.60.g.Admiratione turbę sup doctrina Christi,i.ar.37.q

Cap.xiiij.de Iohannis incarceratione,i.ar.17.c.Occisione,i.ar.42.c.Quinq; panibus,i.ar.45.f.Ambu

latione supra mare,1.ar.46.h
Cap.xv. de Iudaicarum traditionum reprehensione 1.ar.61.h.Muliere Cananæa,1.ar.62.i.Surdo,mutis &alijs sanatis,1.ar.63.k.Septẽ panib⁹,1.ar.64.l
Cap.xvi.de signo è cælo & fermento,1.ar.65.m.Filio hominis,1.ar.67.o.Cruce baiulanda post Christum,1.ar.68.q
Cap.xvij. de transfiguratione domini,1.ar.69.r.Spiritu quem discipuli non potuerunt eijcere,1.ar.70.t.Didrachmæ solutione,1.ar.71.u
Cap.xviij. de scandalo pusillorum uitando,1.ar.72.x.Perditæ ouis inuentione,y.Correptione fraterna,1.ar.73.z.Seruo nequam,1.ar.74.a
Cap.xix.de reditu in Iudæam,1.ar.76.c.Diuortio,1.ar.80.i. Paruulis oblatis, 1.ar.81.k. Via uitæ,1.ar.83.n. Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te,o
Cap.xx. de conductis operarijs in uineam ,1.ar.84.q.Passionis prænũciatione,1.ar.92.d.Filiorum Zebedæi petitione,1.ar.95.g.Duobus cæcis illuminatis,1.ar.97.l
Cap.xxi.de aselli sessione,1.ar.98.m.Eiectione uendentiũ,1.ar.99.p. Arefactione ficulneæ,1.ar.100.q.Baptismi Iohãnis origine,1.ar.101.r. Filio uolũtatem patris facienti,1.ar.102.s. Agricolis malis uineæ collocatæ,1.ar.104.x
Cap.xxij.de ueste nuptiali,1.ar.105.y.Tributo Cæsari pendendo,1.ar.106.z.Resurrectione mortuorũ, 1.ar.107.a.Magno mandato,1.ar.108.b
Cap.xxiij. de doctrina pharisæorum audienda,1.ar.109.c.Væ multiplici,1.ar.110.d. Prophetarum occisione,e

Cap.xxiiij.de templi,ciuitatis & mundi consumma tione,1.ar.112.g.Sedente eo super mõtem,h. Cum ergo uideritis abominationem desolationis,k.Iudicij signis,1.ar.115.l. Incertitudine horæ iudicij & uigilia,1.ar.114.p

Cap.xxv.de decem uirginibus,1.ar.115.q.Quinq; talentis,r.Iudicij forma,s

Cap.xxvi.de Iesu uenditione,2.ar.24.c. Agni manducatione,2.ar.25.d.Sacramẽti institutione,2.art. 27.f.Proditionis Iudæ & negatiõis Petri prænun ciatione,2.ar.28.g.Passio domini,2.ar.30.a

Cap.xxvij.de passione domini, 2.ar.35.d. Sepultura domini,2.ar.36.g

Cap.xxviij.de resurrectione domini & angelica apparitione,2.ar.37.h. Apparitione domini mulieribus occurrentis,& custodum deprauatione,m.Manifestatione Iesu in Galilæa,t

MARCI TEXTVS.

Cap.I. de prædicatione & baptismo Iohannis, 1.art. 15.y.Iesu baptizatione,a.Ieiunio & tentatione Iesu,1.ar.16.b.Prædicatiõis Iesu initio,1.ar.18.d.Apostolor uocatiõe,1.ar.21.h. Expulsiõe dæmonis,1. ar.22.i.Socru Simõis,1.ar.23.l. Leproso,1.ar.27.f

Cap.ij.de paralytico sanato,1.ar.33.m.Matthæi uocatione,1.ar.24.m.Ieiunio discipulorum Iohannis, 1.ar.34.n.Spicarum confricatione,1.ar.57.z

Cap.iij.de manus aridæ sanatione,1.ar.58.a.Apostolorum electione,1.ar.25.n. Dæmoniaco curato,1. ar.49.l.Matre & fratribus Iesu,1.ar.50.n

Cap.iiij.de semine uerbi diuini, 1.ar.59. c.d. Semine iacto ultrò crescente,f.Grano sinapis,f. Quietati-

one maris,1.ar.51.k
Cap.v.de dæmoniacis & porcis,1.ar.32.l.Puellæ ſuſcitatione & hęmorrhoiſſa,1.ar.35.o
Cap.vi. de admiratione turbæ ſuper doctrina eius,1.ar.37.q.Apoſtolorum miſſione,1.ar.39.s.Prædicatione apoſtolorum,y.Herodis opinione de Iohanne & Ieſu,1.ar.45.d.Iohānis incarceratione,1.ar.17.c.Occiſione,1.ar.42.c. Apoſtolorum reditu,1.ar.44.e. Quinq; panibus,1.ar.45.f.Ambulatione ſupra mare,1.ar.46.h
Cap.vij.de Iudaicarum ſuperſtitione traditionum,1.ar.61.h.Muliere Cananæa,1.ar.62.i.Surdo & muto curato,1.ar.63.k
Cap.viij.de ſeptem panibus,1.ar.64.l.Signo è cælo & fermento,1.ar.65.m. Cæco ſucceſſiue curato,1.ar.66.n. Quis filius ſit hominis opiniõe,1.ar.67.o.Cruce baiulanda poſt Chriſtum,1.ar.68.q
Cap.ix. de domini transfiguratione, 1.ar. 69.r. Spiritu quem diſcipuli eĳcere non potuerũt,1.ar.70.t.de maioritate & humilitate, 1.ar.72.x. Non ſequenti & dæmonia eĳcienti, 1.ar.75.b. Scandalo uitando,1.ar.72.x
Cap.x.de reditu in Iudæam, 1.art.76.c. Diuortio,1.ar.80.i. Paruulis oblatis,1.ar.81.k. Via uitæ,1.art.85.n.Ecce nos reliquimus oĩa,o. Paſſionis prænunciatione,1.ar.92.d.Filiorum Zebedæi petitione,1.ar.95.g.Cæci illuminatione,1.ar.97.l
Cap.xi,de ſeſſione aſelli,1.ar.98.m. Arefactiõe ficulneæ,1.ar.100.q.Eiectione uendentium,1.ar.99.p. Baptiſmi Iohannis origine,1.ar.101.r
Cap.xij. de malis uineæ agricolis,1. articul. 104.x. Tributo Cæſari pendendo, 1. art. 106.z. Reſur-

rectione mortuorum,1. ar.107. a. Mandato magno,1.ar.108.b. doctrina phariſæorum, 1.ar.109. c. Viduæ oblatione,1.ar.111.f

Cap.xiij. de templi,ciuitatis & mundi conſummatione,1.ar.112.g,i,k. Iudicij ſignis,1.ar.113.l. Aduĕtus incertitudine,m. Vigilia & oratione,1.ar.114.n

Cap.14. de Chriſti uenditione,2.ar.24.r. Agni manducatione, 2.ar.25.d. Sacramenti euchariſtiæ inſtitutione,2.ar.27.f. Proditionis Iudæ & negationis Petri prænunciatione,2.ar.28.g. paſſione dominica,2.ar.30.a

Cap.xv. de paſſione domini,2.ar.33.d. Sepultura domini,2.ar.36.g

Cap.xvi. de reſurrectione dñi & angelica apparitione,2.ar.36.h. Dñica aſcenſione,2.ar.38.u

LVCAE TEXTVS.

Cap.I. de conceptus Iohannis p̃nunciatione, 1.ar.3. e. Annunciatione conceptus Chriſti,1.ar.4.f. Mariæ uiſitatione,1. ar. 5. g. Iohannis natiuitate, 1. ar. 6.h

Cap.ij. de Chriſti natiuitate,1.ar.8.l. Paſtorum aduĕtu,m. Domini circunciſione,1.ar.9.n. Mariæ purificatione,1.ar.11.p. Pueri Ieſu ,pfectu, 1.ar.12.r. Inuentione in templo,1. ar.13. u. Iohannis habitatione in deſerto,1.ar. 14.x

Cap.iij. de prædicatione & baptiſmo Iohannis,1.ar. 15.y & z. Iohānis incarceratione,1.ar.17.c. Ieſu baptizatione,a. Genealogia Chriſti,a

Cap. iiij. de ieiunio & tentatione Chriſti.1. ar.16.b. Lectione in ſynagoga,1.ar.19.e. Dæmoniaco curato,1.ar.22.i. Socru Simonis,1.ar.23.

Cap.v. de apostolorum piscatione & uocatione,1. ar.20.g. Leproso sanato,1.ar.27.f. Paralytico curato,1.ar.35.m. Matthæi uocatione,1.ar.24.m. Ieiunio discipulorum,1.ar.34.n

Cap.vi. de spicarum confricatione,1.ar.57.z. Manu arida,1.ar.58.a. Apostolorum electiõe,1.ar.25.n. Beati pauperes,1.ar.26.a. Estote misericordes,b. Non est arbor bona,e

Cap.vij. de seruo centurionis,1.ar.28.g Filio uiduæ suscitato,1 ar.29.h. Quæstione per discipulos Iohannis,1.ar.40.z. Iohannis commẽdatione,a. Peccatricis pœnitudine,1.ar.41.b

Cap.viij. de uerbi diuini semine,1.ar.59.b. c. Matre & fratribꝰ Iesu,1.ar.50.n. Maris turbatione,1.art. 31.k. Dæmonibus in porcos missis,1.ar.32.l. Puellæ suscitatione & hæmorrhoissa,1. ar.35.o

Cap.ix. de apostolorum missione,1.ar.39.s. Prædicatione,y. Herodis opiniõe,1. ar.43.d. Apostolorũ reditu,1.ar.44.e. Quinq; panibus,1.ar.45.f. Crucc baiulãda post Christum,1.ar.68.q. Filio hominis,1.ar.67.o. Transfiguratione,1.ar.69.r. Spiriritu quẽ discipuli curare non potuerũt,1.ar.70.t. Maioritate & scandalo uitãdo,1.ar.72.x. Dæmonia eiçiente & nõ sequẽte,1.ar.75.b. Samaritanorum obstinatione,1.ar.94.f. Sequi uolentibꝰ Christum,1.ar.30.i

Cap.x. de discipulorum missione,1.ar.47.i. Ciuitatum exprobratione,1.ar.48.k. Discipulorũ reuersione,1.ar.52.p. Confiteor pater,q. Dei dilectione & Samaritano,1.ar.53.r & s. Marthę ministerio,1. ar.54.t

Cap.xi. de orationis doctrina,1.ar.55.u. Instãtia ora

tionis,x. Dæmonio muto,1.ar.49.l. Beatus uenter,m. Signum petentibus,1.ar.51.o. Nemo accendit lucernã,o. Traditionib⁹ pharisæorum,1.ar.56.y. Væ multiplici scribarum & pharisæorum,1.ar.110.d. Prophetarum occisione,e

Cap. xij. de fermento cauendo & morte non timenda,1.ar.76.c. Auaritia & solicitudine inutili cauẽda,1.ar.77.d. Nolite timere pusillus grex,e. Sint lũbi uestri,1.ar.114.o. Dispensatore fideli,p. Temporum cognitione,1.ar.77.f

Cap. xiij. de Galilæis occisis & ficulnea,1.ar.78.g Muliere incuruata,1.ar.79.h. Grano sinapis & fermento,1.ar.59.f. Porta angusta & dolo Herodis,1.ar.85.r. Hierusalem malitia,1.ar.110.e

Cap. xiiij. de hydropico curato & humilitate,1.ar.86.s. Cœna,1.ar.87.t & u. Odiendis parentibus,1.ar.88.x. Bonum est sal,y

Cap. xv. de oue perdita & drachma,1.ar.82.l. Filio prodigo,m

Cap. xvi. de uillico,1.ar.89.z. Auaritia uitanda,a. Diuortio,1.ar.80.i. Diuite epulone,1.ar.90.b

Cap. xvij. de scandalo uitando,1.ar.72.x. Correptione fraterna,1.ar.73.z. Fidei augmento & seruo humili,1.ar.91.c. Leprosis curatis,1.ar.93.e. Aduentus iudicij claritate,1.ar.112.k. Incertitudine,1.ar.113.m

Cap. xviij. de iudice iniquo,1.ar.103.t. Publicano & Pharisæo,u. Paruulorum oblatione,1.ar.81.k. Via uitę,1.ar.83.n. Ecce nos reliquimus omnia,o. Passionis prænunciatione,1.ar.92.d. Cæci illuminatione,1.art.96.h

Cap. xix. de Zachæo,1.ar.96.i. Decem minis,k. Ses

fione aselli,1.ar.98.m & n.Fletu Iesu,1.ar.99.o
Cap.xx.de Iohannis baptismo,1.ar.101.r.Malis agricolis,1.ar.104.x.Tributo Cæsari pendendo,1.ar.106.z.Resurrectione mortuorum,1.ar.107.a.Vita phariſæorum non ſectanda,1.ar.109.c
Cap.xxi.de uiduæ oblatione,1.ar.111.f.Templi,ciuitatis & mundi conſummatione,1.ar.112.g & h.Cum audieritis prælia,i.Cum uideritis circundari,k.Erunt ſigna,1.ar.113.l.Gula uitanda,m.Populi deuotione ad uerbum Chriſti,1.ar.116.t
Cap.xxij.de Iesu uenditione,2.ar.24.c.Agni manducatione,2.ar.25.d.Sacramenti eucharistiæ inſtitutione,2.ar.27.f.Proditionis Iudę & negationis Petri prænunciatione,2.ar.28.g.Contentione maioritatis,h.Fidei Petri firmitate & gladijs,i.Paſſione dominica,2.ar.30.a
Cap.xxiij.de paſſione dominica,2.ar.33.Sepultura Chriſti,2.ar.36.g
Cap.xxiiij.de reſurrectione domini & apparitione angelorum,2.ar.37.h & i.Apparitiõe in Emaus,n.In Hieruſalem,o.Aſcenſione,2.ar.38.u

IOHANNIS TEXTVS.

Caput I.de æterna Chriſti generatione,2.ar.1.a.Teſtimonio Iohannis de Chriſto,2.ar.2.b.Ad ſacerdotes & Leuitas,c.Ad turbas,d.Ad diſcipulos,e
Cap.ij.de uini mutatione ex aqua,2.ar.3.f.Vendentium & ementium eiectione,2.ar.4.g
Cap.iij.de Nicodemo,2.ar.5.h.Sic deus dilexit mundum,i.Quæſtione ſuper baptiſmo Chriſti,2.art.6.k
Caput iiij.de muliere Samaritana,2.ar.7.l.Filio re-

guli,2.ar.8.o

Cap.v.de probatica piscina,2.ar.9.p.Sicut pater suscitat,q.Amen a.d.quando mortui,q

Cap.vi.de quinque panibus,1.ar.45.f.Ambulatione super mare,1.ar.46.h.Prædicatione eucharistiæ,2.ar.12,u.Omne quod dat mihi,x.Nemo potest uenire,z.Caro mea uere est cib⁹,b &cę.

Cap.vij.de schenopegia,2.ar.13.d.Iam die festo medi.e.Miserunt principes & pharisęi,f

Cap.viij.de muliere adultera,2.art.14.h.Ego sum lux,2.ar.15.i.Ego uado & quæretis me,2.ar.16 k.Dicebat ad eos qui crediderũt,l.Quis ex uobis arguet me de peccato,m

Cap.ix.de cęco nato,2.ar.17.n.Cęcitate phariseoꝝ,n

Cap.x.de ostio ouilis,2.ar.18.o.Pastore,p.Encęniorum festiuitate,2.ar.19.r

Cap.xi.de Lazari suscitatione,2.ar.20.s.Dixit Martha ad Iesum,s.Cõcilio aduersus Iesum,2.ar.21.t

Cap.xij.de alabastro unguenti,2.ar.22.u.Sessione asselli,1.ar.46.h.Gentilium ad Iesum deuotione,2.ar.23.x.Amen a.d.nisi granum,y.Nunc anima mea tur,z.Nunc iudicium est mundi,a

Cap.xiij.de pedũ ablutione,2.ar.26.e.Proditionis Iudæ & negationis Petri prænũciatione,2.ar.28.g

Cap.xiiij.de sermõe dñi post cœnã,2.ar.29.Nõ turbetur cor uestrum,k.Si diligitis me,mandata,l.Si quis diligit me,m

Cap.xv.2.ar.29.Ego sum uitis,n.Hoc ẽ præceptum meum,o.Hæc mando uobis,p.Cum uenerit paracletus,& 16.absq; synagogis facient,q

Cap.xvi.Vado ad eum,2.ar.29.r.Modicum & iam non uidebꝭ.s.Amen a.d.uo,si quid petieritis,t

Index euangeliorum in festis.

Cap. xvij. Subleuatis oculis, 2. ar. 29. u. Conseruatione, sanctificatione & glorificatione discipulorꝝ, x.
Cap. xviij. de passione dominica, 2. ar. 30. a
Cap. xix. de passione, 2. ar. 34. e, Sepultura domini, 2. ar. 36. g
Cap. xx. de resurrectione & apparitione domini, 2. ar. 37. h. Sepulchri uisitatione per Mariam, k. Petrum & Iohannem, k. Iesu apparitione Mariæ, l. Discipulis, p
Cap. xxi. de piscatione discipulorum, 2. ar. 37. q. Petri dilectione, r. Imitatione, s

INDEX EVANGELIORVM ECCLESIastica ordinatione, sacris in ædibus, tam dominicis quàm quadragesimæ & diuorꝝ ferijs, necnon defunctorꝝ memorijs præle gendorum, textus initium finemꝙ complectens, determinatumꝙ locum, & numero & litera ostendens.

¶Dominica prima Aduentus.

Cum appropinquaret, (Matth. 21.) in nomine domini, 1. ar. 98. g
Secunda: Erunt signa, (Luc. 21.) uerba mea nõ transibunt, 1. ar. 113. b
Tertia: Cum audisset Iohannes in uinculis, (Matth. 11.) Viam tuam ante te, 1. ar. 40. a 2.

Quarta: Miserunt Iudęi ab Hierosolymis (Iohan. 1.) erat Iohannes baptizans, 2. ar. 2. c
Natalis domini, Gallicantu: Exijt edictum (Luc. 2.) bonæ uoluntatis, 1. ar. 8. l
Aurora: Pastores loquebātur (Lucæ 2.) sicut dictum est ad illos, 1. ar. 8. m
Die: In principio erat uerbum (Iohan. 1.) gratiæ & ueritatis, 2. ar. 1. a
Stephani: Ecce ego mitto uos (Matth. 23.) domini, 1. ar. 110. e
Iohannis: Dixit Iesus Petro: Sequere me (Iohan. 21.) testimonium eius, 2. ar. 37. s
Innocentium: Angelus dñi appa. (Matth. 2.) qa non sunt, 1. ar. 12. r
Dominica: Erant Ioseph & Maria mirātes (Luc. 2.) erat in illo, 1. ar. 11. q
Circuncisionis: Postquam consummati (Luc. 2.) conciperetur, 1. ar. 9. n
Epiphaniæ: Cum natus esset Iesus (Matth. 2.) regionem suam, 1. ar. 10. g
Dñica: Cūfact'esset Ies. (Lu. 2.) deū & hoīes, 1. ar. 13. u
Octaua: Vidit Iohannes Iesum (Iohan. 1.) hic est filius dei, 2. ar. 2. d.
Dominica secunda: Nuptiæ factæ sunt (Iohan. 2.) discipuli eius, 2. ar. 3. f
Tertia: Cum descendisset Iesus (Matth. 8.) ex illa hora, 1. ar. 27. f
Quarta: Ascendēte Iesu in nau. (Matth. 8.) mare obediunt ei, 1. ar. 31. k
Quinta: Simile est regnum cælor. &c. bonum semen (Matth. 13.) in horreum meum, 1. ar. 59. e
Septuagesimæ: Simile est regnum cælor patrifam.

(Matth.20.)Pauci uero electi,1.ar.84.q

Sexagesimæ:Cum turba plurima(Luc.8.)in patientia,1.ar.59.c

Quinquagesimæ:Assumpsit Iesus(Luc.18.)dedit laudem deo,1. ar.96.h

Cinerum:Cum ieiunatis (Matth.6.) cor tuum erit, 1.ar.26. x

Feria quinta: Cum introisset Iesus Capharnaum, (Matth.8.)ex illa hora,1.ar.28.g.

Sexta: Audistis quia diliges (Matth.5.) reddet tibi,1. ar.26. s

Sabbato.Cum sero esset)Mar.6.)tangebant,salui fiebant,1.ar.46.h

Dominica Quadragesimæ prima: Ductus est Iesus, (Matth.4.)ministrabant ei,1.ar.16. b

Feria secunda:Cum uenerit filius hominis(Mat.25.) uitam æternam,1.ar.115. s

Tertia:Cum intrasset Iesus Hierosolymam(Mat.21) de regno dei,ar.99.p

Quarta: Accesserunt ad Iesum scribæ,(Matth.12.)& mater est,1.ar.51.o

Quinta: Dicebat Iesus ad eos qui in se crediderunt (Iohan.8.)uerba dei audit,2.ar.16.l

Sexta Erat dies festus Iudæorum(Iohan.5.)qui fecit eum sanum,2.ar.9.p.

Sabbato: Assumpsit Iesus Petrum,Iac.(Matth.17.)à mortuis resurgat,1.ar.69.r

Dominica secunda:Egressus Iesus secessit(Matt.15.)filia eius ex illa hora,1.ar 62.i

Feria secunda: Ego uado,& quæretis Iohan.8.)facio semper,2. ar.16.k

Feria tertia: Super cathedram (Matth. 23.) exalta-

bitur,1.ar.109.c
Quarta:Ascendens Iesus Hieroso.(Matth.20.)redẽptionem pro multis,1.ar.91.g
Quinta: Homo quidam erat diues, (Luc. 16.)credent,1.ar.90.b
Sexta: Homo erat paterfa. q plantauit, (Matth.21.) eum habebant,1. ar.104.x
Sabbato:Homo quidam habuit duos(Luc. 15.)& inuentus est,1.ar.82.m
Dominica tertia:Erat Iesus eijciens,(Luc.11.)& custodiunt illud,1.ar.49.b
Feria secunda:Quanta audiuimus,(Luc.4.)per medium illorum ibat,1.ar.19.e
Tertia:Respiciens Iesus in discipulos,d. Simoni Pet. (Matth.18.)septuagies septies,1.ar.13. z
Quarta:Accesserunt ad Iesum Hieroso. (Matth.15.) coinquinant hominem,1.ar.61.h
Quinta: Surgens Iesus de synagoga, intra. (Luc.4.) euangelizare regnũ dei,1.ar. 23.l
Sexta: Venit Iesus in ciuitatem Samariæ,(Iohan.4.) saluator mundi,2.ar.7.m
Sabbato: Perrexit Iesus in montem, (Iohan.8.) noli peccare,2.ar.14.h
Dominica quarta:Abijt Iesus trãs mare,(Iohan. 6.) est in mundum,1. ar.45.f
Feria secunda:Prope erat pascha,(Iohan.2.)quid esset in homine,2.ar.4.g
Tertia:Iam die festo mediante,(Ioh.7.) multi crediderunt in eum,2.ar.13.e
Quarta:Prçteriens Iesus uidit,(Iohan.9.)Procidens adorauit eum,2 .ar.17.n
Quinta:Ibat Iesus in ciuitatẽ,(Lucæ 7.)uisitauit ple

bem suam,1.ar.29.h
Sexta:Erat quidam languens (Iohan.11.) crediderũt in eum,2.ar.20.s
Sabbato: Ego sum lux(Iohan.8.)Venerat hora eius, 2.ar.15.i
Passionis: Quis ex uobis arguet (Iohan.8.) de templo,2.ar.16.m
Feria secunda: Miserunt principes & phar. (Ioh.7.) credentes in eum,2.ar.13.f
Tertia: Ambulabat Iesus in Galilæa (Iohan.7.) metum Iudæorum,2.ar.13.d
Quarta:Facta sunt encænia(Iohan.10.) & ego in patre,2.ar.19.e
Quinta:Rogabat Iesum quidam pharisæus(Luc.7.) uade in pace,1.ar. 41. b
Sexta:Collegerunt pontifices & (Iohan.11.) cum discipulis suis,2.ar.21.t
Sabbato:Subleuatis oculis(Iohã.17.)&ego in ipsis, 2.ar.29.u
Palmarum:Cum appropinquaret (Mat.21.)in nomine domini,1.ar.98.g
Feria secunda:Ante sex dies paschæ(Ioh.12.)abscondit se ab eis,2.ar.23.x
Cœna domini: Ante diem festum (Iohan.13.) ita & uos faciatis,2.ar.26.e
Passio domini, 2.ar.30.a
Dominica resurrectionis:Maria Magdal. (Mar.16.) dixit uobis,2.ar.37.h
Feria secũda:Duo ex discipulis ibant (Luc.24.) in fractione panis,2.ar.37.o
Tertia:Stabat Iesus in medio(Luc.24.)in omẽs gentes,2. ar.37. o

Quarta: Manifestauit se Iesus (Iohan.21) à mortuis, 2.ar.37.q
Quinta: Maria stabat ad monumentum (Iohan.20.) & hæc dixit mihi, 2.ar.37.l
Sexta: Vndecim discipuli (Matth.28.) ad consummationem seculi, 2.ar.37.t
Sab. Vna sabbati Maria (Iohan.20.) 2.ar.37.k
Dominica prima post pascha: Cum sero esset (Iohan. 20.) nomine eius, 2.ar.37.p
Secunda: Ego sum pastor bonus (Iohan.10.) unus pastor, 2.ar.38.p
Tertia: Modicum & (Iohan.16.) Tollet à uobis, 2. ar.29.s
Quarta: Vado ad (Iohan.16.) annũciabit uobis, 2.ar. 29.r
Quinta: Amen amẽ dico uobis, si quid petieritis (Iohan.16) deo exiui, 2.ar.29.t
Rogationum: Quis uestrum hab. (Luc.11.) petentibus se, 2.ar.55.u
Ascensionis: Recumbentibus undecim (Marc.16.) sequentibus signis, 2.ar.38.u
Dominica post Ascensionis: Cum uenerit pa. (Iohã. 15.) dixi uobis, 2.ar.29.q
Pentecostes: Si quis diligit (Iohan.14.) sic facio, 2.ar. 29.m
Feria secunda: Sic deus dilexit mundum (Iohan.3.) in deo sunt facta, 2.ar.5.i
Tertia: Amen amen dico uobis: Qui non intrat (Iohan.10) abundantius habeant, 2.ar.18.o
Quarta: Nemo potest uenire (Iohan.16.) pro mundi uita, 2.ar.12.z
Quinta: Conuocatis Iesus discipulis (Luc.9.) curam

tes ubiq;,1.ar.39.s
Sexta: Factum est in una dierum (Luc.5.) mirabilia hodie,1.ar.33 m
Sabbato: Surgens Iesus de syna, (Luc.4.)regnū dei, 1.ar.23.l
Trinitatis: Erat homo ex pharisæis(Iohan.3.)uitam ęternam,2.ar.5.h
Sacramenti: Caro mea(Iohan.6.) in æternum,2.ar. 12.b
Dñica prima post octauam pētecost. Homo qdam erat diues(Luc.1.)credent,1.ar.90.b
Secunda: Homo quidam fecit(Luc.14.)cœnam magnam,1.ar.87.u
Tertia: Erant appropinquantes ad Iesum (Luc. 15.) pœnitētiam agente, 1.ar.82. l
Quarta: Estote misericordes (Luc.6.) de oculo fratris,1.ar.26.b
Quinta: Cum turbæ irruerent (Luc.5.) secutæ sunt eum,1.ar. 20.g
Sexta: Amen dico uobis: Nisi abūdauerit(Matth.5.) munus tuum,1.ar.26. d
Septima: Cum turba multa (Mar.8.)& dimisit eos, 1.ar.64. l
Octaua: Attendite à falsis prophe. (Matth.7.)in regnum cælorum,1.ar.26.d
Nona: Homo quidam erat diues (Luc.16.)in æterna tabernacula,1.ar.89. z
Decima: Cum appropinquaret Iesus(Luc.19.docens in templo,1.ar.99. o
Vndecima: Dixit Iesus ad quosdam qui in se confidebāt(Luc.18.)exaltabitur,1.ar.103.u
Duodecima: Exiens Iesus de finibus(Mar.7.)& ma

tos loqui,1.ar.65.k
Decimatertia:Beati oculi(Luc.10.)& tu fac similiter, 1.ar.55.s
Decimaquarta:Dum iret Iesus in Hierusalem (Luc. 17)saluum fecit,1.ar.95.e
Decimaquinta:Nemo potest duobus(Matt.6)adijci etur uobis,1.ar.26.z
Decimasexta:Ibat Iesus in ciuitatem (Luc.7.) uisitauit plebem suam.1.ar.29.h
Decimaseptima:Cum intraret Iesus dom. (Luc.14.) se humiliat,exaltabitur,1.ar.86.s
Decimaoctaua: Accesserunt, mandatum magnum, (Matth.22.)amplius interrogare,1.ar.107.a
Decimanona: Ascendens Iesus in nauim (Matht.9.) talem hominibus,1.ar.35.m
Vigesima:Simile factum est regnum cælorum homini regi(Matth.22.)pauci electi,1.ar.105.y
Vigesimaprima:Erat quidam regulus(Iohan.4.) domus eius tota,2.ar.8 o
Vigesima secūda:Assimilatū est regnum (Matth.18.) cordibus uestris,1.ar.74.a
Vigesimatertia:Abeūtes pharisi,con.(Matt.22.) quę sunt dei,deo,1.ar.106.z
Vigesima quarta:Loquēte Iesu ad turbas:Ecce princeps(Matth.9.)uniuersam terram,1.ar.35.o
¶Andreæ: Ambulans Iesus (Matth.4.) secuti sunt eum,1.ar.21.h
Thomæ:Thomas unus ex (Iohan.20.) & crediderūt 2.ar.36.p
Conuersionis Pauli:Dixit Simon Pet.Ecce nos reliquimus(Matth.19.)possidebit,1.ar.85.o
Cathedræ Petri: Venit Iesus in partes (Matth,16.)in

cælis,1.ar.67. o

Philippi & Iacobi: Non turbetur (Iohan.14.) hoc facciam,2.ar.29.k

Inuentionis Crucis, sicut Trinitatis.

Iohannis Baptistæ: Fuit in diebus Herodis (Luc.1.)

Impletum est. Finis, plebis suæ,1.ar.4. s

Petri & Pauli, sicut Cathedræ.

Mariæ Magdalenæ, sicut feria quinta post dominicam passionis.

Iacobi: Accessit ad Iesum mater (Matth.20.) patre meo,1.ar.95.g

Vincula Petri: Dixit Iesus Sim. Pet. Simon (Iohan. 21.) esset deum,2.ar.37. r

Laurentij: Nisi granum frumenti (Iohan.12.) in cælis est,2.ar.25.y

Bartholomæi: Facta est contentio (Lucæ 22.) tribus Israel,2.ar.28.f

Decollationis Iohannis: Misit Herodes (Marc.6.) in monumentum,1.ar.17 & 42.c

Exaltationis Crucis: Nunc iudicium (Iohan.12.) lucis sitis,2.ar.25.a

Matthæi: Præteriens Iesus uidit (Matth.9.) sed peccatores,1.ar.24.m

Michaelis: Accesserunt discipuli ad (Matth.18.) qui in cælis est,1.ar.72. x

Omnium sanctorum: Videns Iesus turb. (Matth.5.) est in cælis,1.ar.26.o

Dedicationis: Ingressus Iesus pambu. (Luc.19.) quod perierat,1.ar.96.i Non est arbor bona (Luc.6.) supra petrā,1.ar.26.e

¶In ferijs diuæ uirginis Mariæ.

Purificationis: Post q̄ impleti sunt (Luc.2.) plebis tuę

Israel,1.ar.11.p
Annunciationis:Missus est angelus(Luc.1.)uerbum tuum,1.ar.4.f
Visitationis:Exurgens Maria abijt (Luc.1.)salutari meo,1.ar.5.g
Assumptionis:Intrauit Iesus in(Luc.10.)non auferetur ab ea,1.ar.54.t
Natiuitatis,Præsentationis,Conceptionis:Liber generationis Iesu Christi filij Dauid (Matth.1.) qui uocatur Christus,1.ar.7.i
Compassionis:Stabat iuxta crucem(Iohan.19.)in suam,2.ar.35.f
Gaudiorum,sicut Assumptionis.
In commemoratione uirginis:Extollens uocē(Luc.11.)& custodiunt illud,1.ar.49.m

¶Placuit & generatim aliqua in communi ponere, quum uarijs in locis,&euangelia in diuorum memorijs uarientur.

¶In ferijs apostolorum.

Misit Iesus duodec.(Mat.10.)gratis date,1.ar.39.s
Hoc est præceptum meum(Iohan.15.)meo det uobis,2.ar.29.o
Hæc mando uobis.(Iohan.15.)me gratis,2.ar.29.p
Ego sum uitis uera(Ioh.15.)fiet uobis,2.ar.29.h
Ecce ego mitto uos(Matth.10.)saluus erit,1.ar.39.t

¶Euangelistarum:

Designauit dñs(Luc.10.)mercede sua,1.ar.47.z

¶Vnius martyris:

Si qs uult uenire(Mat.16.)regno suo,1.ar.68.q
Nihil opertum(Matth.10.)in cælis est,1.ar.39.u
Attendite à fermento(Luc.12.)angelis dei,1.ar.76.e

¶Mart.Pont.

Homo quid.nob.(Luc.19.)ab eo,1.ar.96.k

¶Martyrum:

Descendens Iesus de (Luc.6.) Multa est in cælo, 1.ar. 26.a
Cum audieritis prælia(Luc.21.)animas uestras,1.ar. 112. i
Nolite arbitrari qa (Matt.10.) mercedē suā,1.ar.39.x
Væ uobis qui ædific. (Luc.11.) accusarent eum, 1. ar. 110. d
Respondens Iesus,d.Confiteor(Matth. 11.) onus meum leue,1. ar.52.q
Sedente Iesu super montem(Matth. 24.) saluus erit, 1.ar.112. h
Videns,sicut omnium sanctorum.

¶Confessorum pont.

Vos estis sal(Matth. 5.)in cælis,1.ar.26.p
Homo quidam peregre(Matth.25.)domini tui,1.ar. 115. r

¶Non pont.

Sint lumbi uestri(Luc.12.)filius hominis ueniet, 1.ar. 114. o
Videte, uigilate (Marc.13.) omnibus dico, uigilate, 1.ar.114.n
Nemo accendit lucernā(Luc.11.)illuminabit te, 1.ar. 51.o
Nolite timere pusillus grex (Luc.12.) cor tuū erit,1. ar.77.e
Si quis uenit ad me & non(Luc.14) discipulus, 1. ar. 88.x

¶Virginum:

Simile est regnum cælorum (Matth.25.) neque ho-

ram,1.ar.115.q
Simile est regnum cælorum thesauro (Matth.13.) & uetera,1.ar.60.g

¶Viduæ.

Sedente Iesu contra gazophyl.(Mar.12.) uictum suum,1.ar.111.f

¶Memorijs defunctorum.

Dixit Martha(Iohan.11.mundum uenisti,2.art.20.s
Sicut pater suscitat (Ioh.5.) in uitam æternam,2.ar.9.q
Amen amen dico uobis,quia uenit (Iohan.5.) resurrectionem uitæ,2.ar.9.q
Omne quod dat(Iohan.6.)nouissimo die,2.ar.12.x

¶Tempore angustiæ.

Amen amen dico uobis, quia plorabitis (Iohan.16.) nemo tollet à uobis,2.ar.29.s

INDEX RERVM.

Accusatores nostri,1.ar.89.Z
Adolescentia,1.ar.15.u.2
Adoratio,1.ar.16.b.2,2.ar.7.m.2,2.ar.23.y.3,1.ar.10.a.3
Adulatio,1.ar.26.a.3
Adulterium,1.ar.17.c,2.ar.14.i
Agnus,2.ar.2.d
Amicitia,1.ar.55.x,2.ar.29.o.2
Angelus,1.ar.72.x.3,1.ar.5.g
Apostolus,2.ar.29.o.3
Arbor,1.ar.26.d.2,1.ar.26.e,1.ar.15.Z.3
Auaritia,1.ar.77.d,1.ar.89.a,2.ar.22.u.2

Baptismus multiplex,2.ar.37.t.3
Baptismus Iohannis,2.ar.2.c.3
Baptismꝰ Chri,1.ar.15.a,2.ar.5.h.2, 2.ar.29.n
Baptismus paruulorum,2.ar.38.u
Benedictio multiplex,1.ar.11.q.2
Benedictio sacerdotalis,1.ar.81.k
Benedictio salis,2.ar.9.p,2.ar.17.n
Benedictio parentum,1.ar.29.h
Benedictio mulierum,1.ar.5.g.2
Beatitudo,2.ar.29.k
Blasphemia,1.ar.49.l.3,1.ar.76.c,3
Calix,1.ar.95.g.2
Cæcitas,1.ar.96.h.3,1.ar.97.l.2,2.ar.17.n,3
Cibus multiplex,1.ar.64.l
Ciborum delectus,1.ar.47.i.2,1.ar.61.h.3
Circuncisio,1.ar.9.n
Cogitatio,1.ar.61.h.3
Confessio,1.ar.52.q,2.ar.37.p
Confirmatio,2.ar.29.m.2,1.ar.81.k
Consilium euangelicum,1.ar.83.n.2
Consilium humanum,2.ar.21.t,2.ar.24.c.2
Conuiuium,1.ar.87.t
Correctio,1.ar.17.c,1.ar.26.b.3,1.ar.58.a.3,1.ar.73.Z,1.ar.89.Z,1.ar.94.f.2,1.ar.104.x.3,2.ar.4.g
Crucis uirtus,2.ar.5.h.3,2.ar.23.a
Crucis baiulatio,1.ar.68.q,1.ar.88.x
Dedicatio,2.ar.19.r
Defunctorum memoria,2.ar.9.q.3,2.ar.12.x.3,2.ar.20.s.2
Dęmonũ malitia,1.ar.22.i,1.ar.32.l,1.ar.62.i,1.ar.49,l
Dęmonum pœna,1.ar.32.l
Detractio,1.ar.93.e.3

Dilectio dei, 1.ar. 55.s.2, 1.ar.108.b.2, 2.ar.5.i, 2.ar. 29.m
Dilectio proximi, 1.ar.55.s.2, 1.ar.108.b.2, 2.ar.28.g. 3, 2.ar.29.o
Dispensatio, 1.ar.57.Z.3
Diuitiæ, 1.ar.26.x.3, 1.ar.26.Z, 1.ar.26.a.2, 1.ar.89. Z.3, 1.ar.90.b, 1.ar.77.d, 1.ar.76.c.3
Diuortium, 1.ar.26.r
Dormitio sanctorum, 2.ar.20.s, 2.ar.29.k

Ecclesia, 1.ar. 99.p.2, 2.ar. 18.p.3
Ecclesiæ firmitas, 1.ar.26. e.3, 1.ar.67.o.2, 1. ar.73.Z.3, 2.ar.29.l
Ecclesiæ autoritas, 1.ar. 73. Z.2
Ecclesia domus Christi, 1.ar.23.l
Electio dei, 2.ar.12.c.3, ar.29.o.3
Electio canonica, 1.ar.25.n, 2.ar.18.o.2
Eleemosyna, 1.ar.26.t.3, 1.ar.15.Z.3, 2.ar.22.u.2
Exequiæ defunctorum, 2. ar.20.s.2
Euangelium, 1.ar.1.a, 1.ar.1.c.3, 1. ar.2.d
Eucharistiæ sacramentum, 2.ar.27.f, 2.ar.12.Z.2, 2. ar.12.b &c, 2.ar.26.c.2, 1.ar.57.2
Excæcatio mentis, 1.ar.59.c.2, 2.ar.23.b, 1.ar.52.q.2
Excommunicatio, 2.ar.29.q.2

Festiuitatum obseruatio, 1.ar.13.u, 2.ar.19.r
Fides uera, 1.ar.91.c, 1.ar.1.c
Fidei gradus, 2.ar.8.o.3, 1.ar. 91.c
Filiorum institutio, 1.ar.29.h, 1.ar.13.u.3, 1.ar.12.s.3, 2.ar.16.l.3, 1.ar.12.r.2
Filiorum punitio ob peccata parentum, 1.ar.110.e
Fratres dicuntur, 1.ar.37.q, 1.ar.50.n, 1.ar.109.c.3
Fraternitas, 1.ar.109.c.3
Fructus bonus, 2.ar.29.o.3

Gaudium,1.ar.96.i.2,2.ar.29.n.3,& 8.9
Genealogia Christi,1.ar.7.i,1.ar.15.a.3
Generatio duplex,1.ar.110.e,2.ar.5.h.2
Gloria uana,1.ar.26.t.3,1.ar.45.g.2.ar.9.r.3,2.ar.15.d
Gratiæ plenitudo,1.ar.4.f,2.ar.1.a.3
Gratiæ effectus,2.ar.7.m,2.ar.13.f.3
Gratitudo,1.ar.45.f.3,1.ar.93.e.3
Gula,1.ar.26.a.3,1.ar.90.b,1.ar.113.m

Haeresis,1.ar.26.d,1.ar.93.e
Hypocrisis,1.ar.26.x
Homicidium,1.ar.26.q.2
Honor parentum,1.ar.13.u.3
Hũilitas,1.ar.72.x,1.ar.86.3,1.ar.91.c.2,1.ar.109.e.8

Ieiunium,1.ar.26.x
Induratio,1.ar.52.q.2,1.ar.59.c.3,2.ar.23.b
Infernalis pœna,1.ar.105.y.3
Infirmorum instructio,2.ar.8.o
Infirmitatum occasio,2.ar.9.p.3
Ingratitudo,2.ar.19.r.3
Inimicorum dilectio,1.ar.26.s,1.ar.74.a.3
Inuidia,2.ar.9.q
Iohannis laus,2.ar.37.s
Ira,1.ar.26.q.2
Iudicium diuinum duplex,2.ar.23.a
Iudicium generale,1.ar.68.q.3,1.ar.74.a,1.ar.89.Z,1.ar.115.s,2.ar.9.q.3,2.ar.21.t.3
Iudicandorum diuersitas,1.ar.85.o.2
Iudicium temerarium,2.ar.13.c.2,1.ar.26.b.2,& 3,1.ar.103.t.2

Iudicium politicum,1.ar.26.r,1.ar.26.b.2,1.ar.76.c.
3,2.ar.13.g
Iudex, 1. ar. 103. t.2,2.ar,13.g,2.ar.14.h.2
Iuramentum,1.ar.26.r,2
Iustus,1.ar.3.c

LEpra,1.ar.27.f.3,1.ar.93.c
Lex uaria,2.ar.2.b.2
Lex naturę,1.ar.26.c.3
Lætitia uana,1.ar.26.a.2 Liber triplex,1.ar.7.i
Liberum arbitrium,1.ar.110.c.2,2.ar.12.Z, 2.ar.12.c.
3,2.ar.29.n.2
Libertas euangelica,1.ar.71.u.3,2.ar.16.l
Lingua,1.ar.49.l.2,& 3,1.ar.63.k.2,1.ar.106.Z
Lucȩtus,1.ar.26.o.2,1.ar.26.a.2
Lupus,1.ar.26.d.2,2.ar.18.o.3,2.ar.18.p
Lux duplex,2.ar.15.i Lux Christus,2.ar.1.a.2, 2.ar.
5.i.2,2.ar.15.i.2,2.ar.23.a.3
Lux sanctȩ,2,ar.1.a.2

MAnna,2.ar.12 Z.2,& b 3
Mariæ maternitas,1.ar.49.m,1.ar.54.t
Matrimonium,2.ar.2.f
Mercenarius,1.ar.52.m,2.2.ar.18.p
Miraculorȩ operatio,1.ar.26.a, 2.ar.5.h, 2.ar.8. o.2
Misericordia dei,1.ar.26.b
Misericordia,1.ar.26.b & o.2
Mors triplex,1.ar.29.h,1.ar.90.b.2
Mortis præparatio,1.ar.29.h,1.ar.33.m.3
Mortis deploratio,1.ar.29.h.2,2.ar.20.s.2
Mors non timenda,1.ar.39.u.2,1.ar.76.c.2
Mortuus peccator,1. ar.29.h,2.ar.20.s.3
Mundus,2.ar.5.i,2,2.ar.29.l,2.ar.1.a.2,2.ar.13.d.2

NEgociatio corporalis,1.ar.99.p.2
Negotiatio ſpũalis,1.ar.60.g,1.ar.99.p.2
Nuptiæ corporales,2.ar.3.f
Nuptiæ ſpirituales,2.ar.3.f.3,2.ar.6.k.2
OBlatio,1.ar.10.o.3 Oculꝰ intẽtiõis,1.ar.51.o.3
Odium,1.ar.26.s Opus bonum,2.ar.22.u.2
Oratio,1.ar.26.u,1.ar.26.c.2,1.ar.95.g.2,2.ar.29.k.3
Oratiõis cõditio,1.ar.55.x.2,1.ar.62.i.3,1.ar.100.q,1ar.95.e,2.ar.17.n.3,2.ar.29.n.3.& t,2.ar.7.m.2
Orationis ſuffragium,1.ar.23.l.2,1.ar.28.g.3,1.ar.55.x,1.ar.62.i.3
Ouis,1.ar.115.s,2.ar.18.o & p.3,2.ar.19.r,2
PAtientia,2.ar.4.g
Panis multiplex,1.ar.45.f.3,2.ar.12.b.3
Parabola,1.ar.59.c,1.ar.89.Z.2,2.ar.7.m.2
Paruuli,1.ar.52.q,1.ar.72.x
Pater deus,1.ar.103.c.3
Pauptas,1.ar.26.o.2,1.ar.83.n.2,1.ar.26.a,1.ar.30.i
Paſtor Chriſtus,2.ar.18.p
Paſtor,1.ar.38.r,2.ar.18.o,2.ar.56.r
Pax,1.ar.114.p.3,1.ar.8.l.3,2.ar.29.g.3,2.ar.56.o
Peccatum duplex,2.ar.17.n
Peccati remiſſio,1.ar.33.m.2,1.ar.67.o.3
Pœna peccati,2.ar.17.n,2.ar.9.q.3,2.ar.12.x.3
Pœnitentiæ neceſſitas,1.ar.15.Z.3
Pœnitẽtię gradꝰ,1.ar.82.m.2,1.ar.103.o.2,1.ar.12.r.2
Pœnitentiæ fructus,1.ar.15.Z.3,1.ar.74.a
Pœnitentia damnatorum,1.ar.90.b.2
Peregrinus,2.ar.36.n Perſecutio,1.ar.26.a.3
Piſcatio,1.ar.20.g.2,2.ar.37.q.3
Porta anguſta,1.ar.26.c.3,1.ar.85.r

Portæ inferi,1.ar.26.e.3,1.ar.67.o.2
Præcepta humana,1.ar.61.h.2,2.ar.16.l
Prædestinatio,1.ar.26 u,2 Prælatus,1.ar.72.x
1.ar.95.g.3,1.ar.106.Z.2,2.ar.28.h.1.ar.45.g
Prælati negligentia,1.ar.31.k,1.ar.89.Z, 1.ar.114.p.2
Prophetiæ donum,2.ar.21.t.2
Prophetæ falsi,1.ar.26.d,1.ar. 65.m.3,1.ar.93.e,1.ar.
112.k.2,2.ar.1.a.2,2.ar. 6.k.3
Quærēdus Christ°,1.ar.8. m.2,2.ar.13.f.2,1.ar.13.u.2
Recidiuatio,2.ar.9.p.3
Regeneratio duplex,1.ar.83.o.2
Regnum cælorum,1.ar.1.b.3, 1.ar.26.Z.3,1.
ar.113.l,3,2.ar.29.b (2
Regnor⁹ desolatio,1.ar.45.g,1.ar.49.l.2, 1.ar.99.o.
Resurrectio,1.ar.107.a.2,2.ar.9.q.3,2.ar.20.s.2
Sacerdos,1.ar.57.Z.2 Sapientia,1.ar.52.q
Sanctorum opitulatio,1.ar.26.a,1.ar.23.l.2
Sal,1.ar.26.p,1.ar.72.X. 2,1.ar.88.y
Scandalum,1.ar,72.X.2 Schisma, 2.ar.17.n.2
Scripturę intellect⁹,2.ar.29.m.2.& ar.37.n.2.& o.3
Sepultura,1.ar.29.h,1.ar.42.c 3,2.ar.36.g
Sequela Christi,1.ar.21.h.2.& 3,1.ar.30.i.2, 1.ar.83 o,
2.ar. 23.y.3,2.ar.37.s,1.ar.68.q,1.ar.97.l.2
Seruitus duplex,1.ar.11. p.3,1.ar.16.b.2,1.ar.71.u.3,1.
ar.91.c.2.2.ar.16.l,2.ar.29.o.2
Seruire deo,1.ar.82.m.2 Simonia,1. ar.99.p.2
Sitis uaria,2.ar. 7.m
Solicitudo,1.ar.26.Z.2.& 3,1.ar.77.d.2
Spiritussanctus,2. ar.29.l,2.ar.29.m.2,2.ar.29.q.&
r.2.& 3
Suffragium defunctorum, 2,ar.9.q .3,2.ar.12.x.3,2,
ar.20.s.2

Superbia,1.ar.72.x,1.ar.103.u.3,2.ar.9.t
TEmplum domini,1.ar.111.f
Templum spirituale,2.ar.19.r
Tempus multiplex,1.ar.1.a.3,2.ar.13.d.2.
Tenebræ,2.ar.1.a.2,2.ar.5.i.2.
Tentatio,1.ar.16.b.2 & 3,1.ar.31.k,1.ar.45.f.2.
Thesaurus.1.ar.26.x.3,1.ar 26.e.2,1.ar 60.g,1.ar.77.
Testamentum,1.ar.29.h (c.3
Timor mortis,1.ar.76.c.2.
Tristitia,2.ar.29.s.2,2.ar.30.b
Tribulatio,1.ar.26.o,2.ar.17.n,2.ar.29.n.3,2.ar.
29.p.2
Turbatio duplex,2.ar.29.k
VErbum dei,1.ar.16.b.2,1.ar.17.c,1.ar.69.c,2,
2.ar.16.m
Verbum ociosum,1.ar.49.b.3
Veritas triplex,1.ar.106.z
Vestium ornatus,1.ar.40.a,1.ar.90.b
Via uitæ,2.ar.2.c.2
Vidua,1.ar.29.h.3
Vinea,1.ar.104.x.3,2.ar.29.n.2
Visio dei actiua,1.ar.24.m,1.ar.45.f.2
Passiua,1.ar.52
Visitatio dei,1.ar.29.h.3
Virginitas,1.ar.115.q,1.ar.83.n.2
Voluntas dei,1.ar.52.q.2,1.ar.110.e.2,2.ar.12.x.2,
2.ar.13.e
Vnctio infirmorum,1.ar.39.y
Vnitas multiplex,2.ar.29.x.2
Votum,1.ar.83.n.3 Vsura,1.ar.26.r.3
Zelus triplex,2.ar.4.g

FINIS.

¶ Errata Partis huius prioris.

Meminerit lector, priori in sequentibus numero paginã insinuari, posteriori lineã, inde sequi uel innui ueram lectionem:

Correctis tñ antea in Parte priori numeris istis, 469 472 473 476 477 480 881 ꝛ si q̃ forte sint alij.

8 22 regnũ d 16 34 stiꝫ Ec 28 18 nã et 40 20 dũ gra 55 16 specialia 59 2 ipse 113 13 incũctãter 116 8 Gaudio 117 16 suscepiss ibidẽ 17 ꝛ si sic, 120 13 vt hinc ibidẽ 16 liberat 17 oblig 124 9 adep ibidẽ 18 Alio- 129 2 salutem 136 31 dentes 141 3 esto 144 2 rebitur ibidẽ 14 pitꝫ Q 150 33 quidẽ 193 26 Ambro. 195 26 riculũ 236 26 ducunt 262 23 delitatẽ 281 16 anethũ 288 5 dãtꝫ 302 11 iniq̃tatꝫ 366 6 ꝛerãt 421 13 timeb 467 19 vita 498 14 viderimꝫ 519 4 hendit 530 25 ita vt 552 8 adesse 555 2 cogniti one 578 20 gustꝫ 617 28 ctionis 620 20 vetãtus 644 25 optimo 733 13 incredibili 752 2 via q̃ du 771 11 Dicite 795 31 affectio- 799 27 vos nõ 825 26 erga pec 881 3 Sanauit 955 31 quia vid 967 23 filia hie 991 31 constitu- 992 4 peccan 1008 32 bus ad ob 1016 28 tricibus 1042 27 est vocata 1112 7 appro- 1126 8 fulgore 1129 7 to cęli, 1139 17 laquꝫ ibidẽ 24 laqueo 1168 15 pecunijs

Errata partis secundæ.

55 30 Mulier 59 23 ficat 62 26 ex vo- 63 31 aggredien- 86 24 certat 102 6 oportebat ibidẽ 33 rit te:ar 121 12 infirma- 140 2 nõ placauit 149 11 met, q̃ 168 26 saluus erit 176 12 mãducat 188 2 mãducãt 194 3 vxoris 198 26 in cogna- 247 14 nonnunq̃ 295 32 vitę ꝛ 315 30 tem porario 410 25 Christia- 416 20 lio et 422 3 pro 465 20 tia dei 478 16 ꝛ dixe- 491 24 examinauit 496 11 iustitiã 529 8 cum fidelibus 555 33 vini 558 13 morte 559 31 ancil- 587 20 verorũ reg 632 2 rrectione 664 24 faciendo 692 10 pastio ibidẽ 15 eoꝫ

Erunt forsitã & alia, sed quę tñ sint nobis uel cũ archetypo cõmunia, uel alioq̃ minutiora q̃ de quibus uerba fiant, tametsi nec istorũ quæ hic notata sunt, omniũ ratio haberi debuerat, nisi curioso seruitum hic esset lectori.

ENAR-

ENARRATIONVM IN MATTHAEVM, MARCVM ET LVCAM, PARS .I.

De euangelij promissi exhibitione & energia,

ARTICVLVS .I.



IMpletum est tempus, appropinquauit regnum dei, pœnitemini & credite euangelio, Marci.1. A Sapientia diuina attingens à fine usq; in finem fortiter, omnia disponens suauiter, Sap.8. in numero, mensura, & pondere, Sap.11. nihil unquam inordinatum reliquit. Nam angelum ipsum ab ordine subiectionis deficientem, in locum hunc caliginosum deiecit & inordinatum. Esa.14. Quõ cecidisti lucifer, qui mane oriebaris? Lucæ. 10. Videbam satanam tanquã fulgur de cælo cadentem. 2. Pe. 2. Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudẽtibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari, exemplũ eorum qui impie acturi sunt ponens. Finaliter cum suis deijciet in locum horroris omnis & inordinationis, Iob. 10. Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam quadilexit nos, quum essemus mortui peccatis, conuiuificauit in Christo, Ephes. 2. Naminuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, Sapien. 2. Deus enim

mortem non fecit, nec lætatur in perditione uiuorum, impij autem manibus & uerbis accersierunt illam, Sap. 1. Hinc Adamus primus noster parens, diuinæ non obtemperans ordinationi, è paradiso in huius mundi ergastulum coniectus, Geñ. 3. in æterna finaliter tradendus tormenta seruabatur, nisi diuina benignitas per filiũ subuenisset. Vnde Ose. 13. Perditio tua Israel, tantũmodo in me auxilium tuum. Hoc est quod saluator ait, Impletum est tempus. Vbi tria insinuantur:

Diuini promissi completio.

Regni superni exhibitio, ibi: Appropin.

Sacri euangelij susceptio, Pœnitemini.

¶ Quantum ad primum, tria notanda: Primum, debita prænunciatio. Nam quemadmodum euangelium per discipulos de mandato domini denunciatum, sic per prophetas prænunciatum. Ro. 1. quod antè promiserat per ꝓpheras suos in scripturis sanctis de filio suo. Amos. 3. Non faciet dñs deus uerbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas. Vnde 1. Pe. 1. de qua salute exquisierunt & scrutati sunt ꝓphetæ, qui de futura in uobis gratia ꝓphetauerunt, scrutantes in quod uel quale tempus, significaret in eis spiritus Christi, prænuncians eas quæ in Christo sunt passiões, & posteriores glorias. Nisi eñ calamitosus ille Adamus, morti aliqui per peccatum destinatus, promissione euangelij solatus fuisset Geñ. 3. Ipsum (inquit deus) cõteret caput tuũ, haud dubie perisset ac penitus desperasset. Sic erigitur Abraam, dum promittitur semen, in quo benedicendæ gentes Geñ. 22. Benedicentur in semine tuo oẽs gentes. Galat. 3. In semine tuo, qui est Christus. Sic per Mosen prophetam promisit

Deut.18. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me suscitabit dñs deus tuus, ipsum audies.

¶ Feruida expostulatio. Summo enim studio, 2
Christi patres flagitabant aduentũ, qui unica omnium salus & spes & desideriũ. Hinc Iacob Geñ. 49. Salutare tuum expectabo domine. Quam aliam, nisi euangelicam lucem & ueritatẽ expostulabat Dauid (imò ipsum Christum, qui dicit, Ego sum lux mundi, Ioh.8. Ego sum uia, ueritas, & uita, Ioh.14.) dicens Psalm. 42. Emitte lucem tuam. Matt.4. Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam. Gentes siquidem tenebris habuerunt obscuratum intellectum, Ephes.4. Obscuratum enim est insipiens cor eorum, Roñ.1. Iudæi uero cæci & duces cæcorum, Ro.2. Mat.15. sequitur, Et ueritatem. Ioh.17. Sermo tuus ueritas est. Ipsa (inquit) me deduxerunt. Nam sine ipsa luce, error. Esa.53. Omnes nos quasi oues errauimus, unusquisq; in uiam suam declinauit. Mat.9. Videns Iesus turbas, misertus est eis, quia erant uexati & iacentes sicut oues non habentes pastorem. Tob.4. Omni tempore benedic deum, & pete ab eo ut uias tuas dirigat. Sed quò deduxerũt & adduxerunt? In montẽ, inquit, sanctum tuum, euangelicæ eminentiæ. Esa.2. Venite, ascendamus ad montem domini & ad domum dei Iacob, & docebit nos uias suas, & ambulabimus in semitis eius. Et in tabernacula tua. Hæc sola deducit & adducit in æterna tabernacula, Lu.16. Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cũ defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Ideo Esa.64. Vtinã dirumperes cælos & descenderes, à facie tua montes defluerent.

¶ Grata consummatio. Eccẽs.8. Omni nego- 3

cio tempus est & opportunitas. Hoc ergo erat tempus quod Abraam uidere cupiebat. Iohan. 8. Abraam pater uester exultauit ut uideret diem meum: uidit, & gauisus est. & Luc. 10. Multi reges & prophetæ uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt. Præierat tempus creationis, Gen. 1. In principio creauit deus cęlum & terram. Heb. 1. Per quem fecit & secula. Tempus retributionis erit. Eccēs 12. Cuncta quæ fiunt, adducet dominus in iudicium. Mat. 16. Filius hominis uenturus est in gloria patris cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundum opera sua. Recreationis & restaurationis nunc est. Iac. 1. Voluntarie enim genuit nos uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod creaturæ eius. 1. Co. 4. In Christo IESV per euangelium ego uos genui. De hoc tēpore Gal. 4. At ubi uenit plenitudo temporis, misit deus filium suum, factum ex muliere, factū sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Dicitur plenum, ob plenitudinem iniquitatis & iniustitiæ. Ro. 3. Oīnes peccauerunt & egent gloria dei. Nam gētes deum, etsi cognitum, non glorificauerūt, aut gratias egerunt, sed in idololatriam lapsi, infandis criminibus immersi fuerunt. Ro. 1. Iudæi uero per præuaricationem legis deum inhonorauerunt, Ro. 2. Sic enim primum Christi aduentum abundantia occupauit uitiorum, quemadmodum secundum Ioh. 3. lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras q̄ lucem. erant enim eorum mala opera. Mat. 24. Et quoniam abūdabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Secundo ob legis suppletionem. Heb. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex. Mat. 5. Nō ueni soluere legem, sed adimplere. Euangelium eīm

non solum est promissio gratiæ, alioqui legi non præstaret: sed magis exhibitio, ostensio, reuelatio. Ro.1. Iustitia enim in eo reuelatur ex fide in fidē, quæ ante per legē promittebatur, uarijs adumbrata figuris. Porro oīum illarum pignus atq; impletio est Christus, qui in hoc uenit in mundum, ut legis inopiam sua munificentia adimpleret, & ut consussas ac confusas per legem conscientias (nam lex iram operatur, Ro.4.) erigeret, subleuaret. Ro.10. Finis legis Christus, ad iustitiā omni credenti. Luc. 16. Lex & prophetę usque ad Iohannem. Tertio, ob gratiæ Christi redundantiam. Ioh.1. Vidimus gloriam eius, gloriā quasi unigeniti à patre, plenū gratiæ & ueritatis. de plenitudine eius omnes nos accipimus. Col.2. In ipso sunt omnes thesauri sapientię & scientiæ absconditi: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliť. Hinc ergo nobis hauriēdum. Ioh.7. Qui sitit, ueniat ad me & bibat. Qui enim ex transitoria hac biberit aqua, sitiet iterum, Ioh.4. Quarto, ob gloriæ permanentiam. Iohan.16. Petite, & accipietis, ut gaudium uestrum sit plenum. Esa.35. Lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & exultationem obtinebunt. Matt. 13. Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Fulgebūt nedum anima, sed & corpore. Phil.3. Saluatorem expectamus dominū nostrū Iesum Christum, q reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

¶ Quo ad secundum, dicitur Mich.4. In die illa dicit dominus, congregabo claudicantem, & eam quam eieceram, colligam: & quam afflixeram, consolabor: & ponā claudicantem in reliquias, & eam quæ laborauerat, in gentem robustam: & regnabit B

dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & usq; in æternum. Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion, ad te usq; uenier, & ueniet potestas prima, regnum filiæ Sion. De hoc regno 5. ponuntur:

Exhibitionis certitudo, Appropinquauit. Iam ad est. O uerbum super mel dulce. Si prophetæ super mel dulcia, diuina fuere eloqa in promissione (Psal. 118. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo) quid in exhibitione? Nã patribus promissum, nunc autem exhibitum. Iacob ait Ge. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Abac. 2. Quia adhuc uisus procul, apparebit in finem, & non mẽtietur. Si moram fecerit, expecta illum: qa ueniens ueniet, & non tardabit. Aggei 2. Adhuc unum modicũ est, dicit dominus, & ego commouebo cælum & terram, mare & aridam. & mouebo omnes gentes, & ueniet desideratus cunctis gẽtibus. Sed audiamus Apostolum Hebr. 1. Multifariam multisq; modis olim deus loquens patribus in prophetis, nouissime diebus istis loquutus est nobis in filio, quem constituit hæredem uniuersorum. Sed quid pater Mat. 3.? Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui, ipsum audite, Mat. 17. Appropinquat, inquit. Quid? Regnũ dei, Mat. 11. Regnum cælorũ uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Sequitur ergo secundo

2 Acquisitionis aptitudo. Primo homini dictũ fuerat post prꝫuaricationis culpam. Gen. 3. Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. in sudore uultus tui uescẽris pane tuo, donec reuertaris in terrã de qua

sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. O q̄ graue iugum super filios Adæ à die exitus de uentre matris eorum, usq; in diem sepulturæ in matrem omnium, Eccl 40. Nūc autem ait, Appropinquauit regnum. Quis unquam tātam erga nos dei pietatem credere potuisset aut sperare? qua ex iræ filiis (Ephe. 2. Eramus natura iræ filij, sicut & ceteri) filios fecit dei & hęredes regni. Ro. 8. Quod si filij, & hæredes. Ex exulibus, ciues & domesticos dei. Ephe. 2. Non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorū & domestici dei. Ex captiuis & seruis, liberos. Ioh. 8. Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Et quod oīmium maximum, ex mortuis uiuos. Ioh. 5. Amen amen dico uobis, quia uenit hora & nunc est, quando mortui audient uocem filij dei, & qui audierint, uiuent. Imò Ioh. 8. Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Sed quis est qui tanta promittit? Ipsa ueritas Ioh. 14. Ego sum uia, ueritas & uita. Sed quibus? Num iustis tantum? Absit. Rom. 3. Causati sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est Psal. 15. Quia nō est iustus quisquā, non est intelligens, non est requirens deum. Oīnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Hinc dominus Mat. 9. Non ueni uocare iustos, sed peccatores. & 15. Non sum missus nisi ad oues quæ perierūt domus Israel. Luc. 19. Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. 1. Tim. 1. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus uenit in hunc mundū peccatores saluos facere, quorum ego primus sum. Venit eīm peccatores uocare ad pœnitentiam Luc. 5. Tertium

Possessionis pulchritudo, Cælorū, inquit, non ter

renorum. Esa.32. Sedebit populus meus in pulchri tudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opu lenta. O uere euangelicum præconium, quale nec ipsis intimis dei amicis contigit. Abraæ dictū erat Gen.13. Omnem terram quam conspicis, tibi dabo & semini tuo. Itidem Iacob Gen.28. Terram in qua dormis, tibi dabo & semini tuo, eritq; semen tuum quasi puluis terræ. Sic legem obseruantibus terreno rum promittitur abundantia. Leu.26. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo uobis pluuias temporibꝰ suis, & terra gignet germē suum, & pomis arbores replebūtur. dabo pacem in finibus uestris. auferam malas bestias. & gladius non transibit terminos uestros. respiciam uos, & crescere uos faciā, & firmabo pactum meum uobiscum. Esa.1. Si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Nusquam audis regni cælorum fieri mentionem, taceo quod ap propinquauerit. Nunc uero cum regni cælestis acceptione adijciuntur & cætera, tanquam minutiora. Matt.6. Quærite primum regni dei & iustitiam eius, & hæc omnia (quæ præmiserat adiectum uestitumq; spectantia) adijcientur uobis. Erat hic in mūdo regnum tyrannicum, nō iuridicum, sed usurpatum. Luc.4. Dixit autem illi diabolus: Tibi dabo potestatem hanc uniuersam, et gloriam illorum, qa mihi tradita sunt: & cui uolo, do illa. Iob 41. Ipse est rex super omnes filios superbiæ. Hinc principes & rectores dicuntur tenebrarum harum. Eph.6. Sed per Christum subuersum. Ioh.12. Nūc iudicium est mundi, nunc princeps mundi huius ejicietur foras. & 16. Princeps mundi huius iam iudicatus est. Luc. 11. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pa

ce sunt omnia: si autem fortior eo superueniens, uicerit eum, uniuersa arma eius auferet in quibus fidebat, & spolia eius distribuet. Erat & per hunc inductum regnum peccati & mortis. Ro. 5. Regnauit mors ab Adam usq; ad Mosen, etiam in eos qui nõ peccauerunt (actualiter scilicet) in similitudinẽ præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. & 6. An nescitis quoniam cui exhibetis uos seruos ad obedien dũ, serui estis eius cui obedistis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Ioh 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. Vtroq; hoc regno destructo ac debilitato, Christus suum induxit, Rom. 5. Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia, ut sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia in uitam æternam, per IESVM CHRISTVM dominum nostrum. Rom. 6. Non ergo regnet peccatum in uestro mortali corpore, ut obedi atis concupiscentijs eius. Sed neq; exhibeatis membra uestra arma iniqtatis peccato, sed exhibete uos deo tanquam ex mortuis uiuentes, & mẽbra uestra arma iustitiæ deo. Accipitur regnum cælorum siue dei (quod idem est, ut patet Matt. 10. Mar. 6. & Lucæ 9. Nam quod Matthæus & Marcus regnum nominant cælorum, id Lucas regnum dei) quandoq; pro Christo. Luc. 17. Regnum dei intra uos est. Ali quando pro euangelio. Matt. 13. Simile est regnum cælorum sagenæ. Item fermẽto. Nonnunq; pro ecclesia. Mat. 22. Simile est regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio suo. 25. decem uirginib⁹. Vltimo pro regno superno. Mat. 8. Luc. 13. Dico aũt uobis, quod multi ab oriente & occidente uenient, & recumbẽt cum Abraam, Isaac & Iacob in regno cælorum, filij autem regni eijcientur in tenebras ex

teriores. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Mat. 25. Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum uobis regnum à conſtitutione mundi. Iam ergo inſtat regnum cælorum, quod quum nulli ſit claudendū, nullis tamen patebit, niſi puris & cæleſtia quærentibus, & quicquid eſt terrenarum cupiditatum ampu tantibus. Vnde ſequitur: Pœnitemini &c.

¶ Quo ad tertium, dicit Apoſtolus 1. Cor. 15. Notum uobis facio fratres euangelium, quod prædicaui uobis, quod & accepiſtis, in quo ſtatis, per quod C & ſaluamini. Notāter dicit, quod accepiſtis, in quo ſtatis. Si enim ſalutem quærimus, non ſufficit audire euangelium, ſed accipiendū per fidem, & in ipſo ſtandum per operationem. Non enim auditores legis iuſti ſunt apud deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Tria ergo exiguntur.

Primum, Iniquitatis reiectio. Credite, inquit, euangelio, ſed prius reſipiſcendum iuſſit, d. Pœnitemini. Et merito quidem: nam omnes prius carnem ſapiunt q̄ ſpiritum: & ea quæ hominum ſunt, auidius amplectuntur quām quæ dei. Nec forſan nulla cauſa, quum hæc ſint ſupra hominem, illa ſecūdum hominem. Ergo ab illis reſipiſcendum, & caro & ea quę hominum ſunt, reijcienda, ut credere poſſimus euangelio. Malitia ſiquidem excęcat Sap. 2. Hinc 2. Cor. 4. Quod ſi etiam opertum eſt euangelium noſtrum, in his qui pereunt eſt opertum, in quibus deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio euangelij gloriæ Chriſti. Et dominus Iohan. 5. Quomodo uos poteſtis credere, q̄ gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo deo eſt, non quæritis? & 7. Si qs uoluerit uoluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina utrum ex

deo sit. Vnde de Iudæis dicit Apostolus 2. Co. 3. Vsq; in hodiernum diem uelamen in lectione ueteris testamenti manet non reuelatum, quod in Christo euacuatur: sed usque in hodiernum diem cum legitur Moses, uelamen positum est super cor eorum, cum autem conuersus fuerit ad deum, auferetur uelamen. Sic & de gentibus Ro. 1. Qui cum cognouissent deum, non sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiēs cor eorum. Ideo Esa. 28. Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulsos ab uberibus. 1. Co. 2. Animalis autem homo nō percipit ea quæ sunt spiritus dei. Stultitia enim est illi, & nō potest intelligere, quoniā spiritualiter examinatur. spiritualis autem dijudicat omnia.

Secūdum, Voluntatis subiectio. Credite, inquit. Non proponit Christus dux uitæ, & eiusdem largitor æternæ, intelligendum euangelium, sed credendum, cum pleraq; contineat, & hæc non pauca, quę transcendunt intelligentiæ non modo nostræ, sed & omnis quę deo coniuncta nō est, captum. Esa. 7. Nisi credideritis, non intelligetis. 2. Co. 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Hinc consequitur 2

Tertiū, Veritatis affectio. Ioh. 18. Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimoniū perhibeam ueritati. Omis qui est ex ueritate, audit uocem meā. Haud ergo parum profuerit nosse quale & quid sit euangelium, quęve eius energia & uirtus. Ro. 1. Non erubesco euangeliū. uirtus enim dei est in salutem omni credenti. Nam ut incredulis & impijs res est ridicula et friuola, ita quisquis credide 3

rit, huic uirtus dei est efficax ad consequendam salutem, quam nec Iudæorum leges, nec philosophorũ sapientia, nec opes conferre queant. 1. Co. 1. Verbũ enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salui fiũt, id est nobis, dei uirtus est. Audis euangelium dei esse potentiam qua salutem efficit, qua iam sibi non unam gentem, sed omnes porro subdidit, potissimum duas ex diametro pugnãtes. Ephe. 2. Veniens euangelizauit pacem uobis q̃ longe fuistis, & pacẽ his qui prope: quoniã per ipsum habem⁹ accessum ambo in uno spiritu ad patrem. Nullum enim excludit, modo credat, modo fide accedat. Heb. 11. Accedentem enim ad deum, credere oportet quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Sed q̃niam procul est à salute, qui morbum non agnoscit, aut unde petendum sit auxilium & remedium ignorat, ostendit nobis euãgelium, per Christum, obtingere peccatorum remissionẽ. Ioh. 1. Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Gratiæ collationem. Ioh. 1. De plenitudine eius oẽs nos accipimus. Gloriæ cõsequutionem. Ioh. 3. Qui credit in filium, habet uitam æternam. Hinc Apostolus scribit dei iustitiam, id est, fauorem & gratiam, in ipso reuelari ex fide in fidem: hoc est, ex patribus qui sub umbra fuere, qui in Mose in nube baptizati. 1. Cor. 10. qui in typo præcessere, in eos quibus iam uita manifestata est, qui in nouo testamento Christo credidere. In hoc enim cõsequimur dulcissimas simul ac sanctissimas benedictiones. Eph. 1. Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, q̃ benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in con-

ſpectu eius in charitate. Eramus caſu primi hominis ſpoliati innocentia, qua per inobediẽtiam ſublata, ſe nudos erubuerunt Gen. 3. uulnerati in natura. Nanq; rationalis per ignorantiam, concupiſcibilis per malitiam, iraſcibilis per infirmitatẽ ſauciata. Samaritanus autem noſter, reddita innocentia, (Ro. 5. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores cõſtituti ſunt multi, ita per unius obeditionẽ iuſti conſtituentur multi. Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim uni⁹ delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia dei & donũ in gratia unius hominis Ieſu Chriſti in plures abundabit) uulnera noſtra gratiæ ſuæ oleo curauit. Luc. 10. Hinc (Luc. 4.) ingreſſus ſynagogam, legit illud Eſa. 61. Spiritus domini ſuper me, ac in ſe completum dixit. In quo graphice depinxit euãgelicæ doctrinæ energiam. [Spiritus, inquit, domini ſuper me.] Eſai. 11. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eũ ſpiritus timoris domini. Ioh. 1. Vidi ſpiritũ deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum. [Eo quod unxerit me] non terrena, ſed cæleſti unctione. Pſal. 44. Vnxit te deus deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Act. 10. Quomodo unxit eũ deus ſpiritu ſancto & uirtute. Col. 2. Quia in ipſo inhabitat oĩs plenitudo diuinitatis corporaliter. Hinc Chriſtus, id eſt unctus, dictus: de cuius plenitudine oẽs nos accipimus, Iohan. 1. Audiuimus gratiam Chriſti, uideamus eius operationem. [Euangelizare mihi ſit me.] Luc. 4. Quia & aliis ciuitatib⁹ oportet me euangelizare regnum dei, quia ideo miſſus ſum. Sed quibus? [Pauperibus] id eſt, humilibus. Non enim

excludũtur diuites ſubſtantia, ſed arrogantia. Apoc. 3. Dicis quia diues ſum & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis qa tu es miſer & miſerabilis, pauper, cæcus & nudus. Origenes de gẽtilibus, qui nec legem, nec prophetas, nec iuſtitiam, nec deum poſſidebant, intelligit. Iudæi enim de lege, uelut diuites gloriabantur, ſed per præuaricationem legis deum inhonorabant. Ro. 2. Vnde & ipſi peccatores gloria dei egebãt. Ro. 3. Cauſati ſumus Iudęos & græcos omnes ſub peccato eſſe: omnes enim peccauerunt, & egent gloria dei. Hieronymus tranſtulit, manſuetis. Mat. 5. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. [Sanare contritos corde] Quæ maior contritio, quàm habere intellectum obcæcatum, affectum deprauatum, effectum infirmatum adeò, ut inſultibus tentationũ proprĩs uiribus reſiſtere non poſſimus? Gal. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnẽ. hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, ut non quæcunque uultis, illa faciatis. Quis inde nõ gemat? Ro. 3. Arbitramur enim hominem iuſtificari per fidem. & 5. Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad deum per dominum Ieſum Chriſtum. Pſal. 50. Cor contritum & humiliatum deus nõ deſpicies. [Prædicare captiuis redemptionem.] Tenebãtur enim captiui diaboli laqueis ad ipſius uoluntatem. 2. Timo. 2. Pro. 5. Iniquitates ſuæ capient impium, & funibus peccatorũ ſuorum conſtringetur. Ioh. 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. O infelicem ſeruitutem. Ro. 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Non enim quod uolo bonum, hoc facio: ſed quod nolo

malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum. Ioh. 8. Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Erant & in limbo captiui. Zach. 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti uinctos tuos de lacu in quo nõ erat aqua. Mat. 26. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorꝝ. Non erat illic fluuius aquæ uiuæ, splendidus tanquam crystallus, procedens de sede dei & agni. Apo. 22. Eph. 4. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Iohan. 12. Nunc princeps huius mũdi eijciet foras. [Cæcis uisum.] Gratiæ suæ lumine illustrando. Iohã. 1. Erat lux uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Iohan. 8. Ego sum lux mũdi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Esai. 42. Dedi te in fœdus populi, in lucẽ gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione uinctum, de domo carceris sedẽtes in tenebris. Luc. 1. Illuminare ijs q in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis. Luc. 2. Lumen ad reuelationem gentium. Hinc Matt. 4. Venit Iesus & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Neptalim, ut adimpleretur quod dictũ est per Esaiam prophetam 9. Terra Zabulon & terra Neptalim, uia maris trans Iordanem Galilææ gentiũ, Popul' qui habitabat in tenebris, uidit lucem magnã: sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælo-

rum. [Dimittere confractos in remissionẽ.] Gen. 8. Sensus & cogitatio cordis humani prona sunt in malum ab adolescentia sua. Sap. 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Ro. 8. Ipse autem spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Phi. 2. Deus est enim qui operatur in nobis & uelle & perficere, pro bona uoluntate. 2. Cor. 3. Non q̃d sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, tanquã ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est. Ioh. 15. Sine me nihil potestis facere. Sic onere legis depressi ludæi iacebant. Act. 15. Quid tentatis deum (ait Petr⁹) imponere iugum super ceruices discipulorũ, quod neq; nos, neque patres nostri portare potuerunt? Mat. 23. Alligant onera grauia & importabilia, & ponunt ea in humeros hominum. Sed ubi uenit plenitudo temporis, misit deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum recipe remus. Gal. 4. [Prædicare annũ domini acceptũ.] 2. Co. 6. Hortamur uos, ne in uacuum gratiam dei recipiatis. ait enim: (Esai. 49.) Tẽpore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Vnde dominus Marc. 1. Impletum est tempus, appropinquauit regnum cælorum. [Et diem retributionis.] iis q̃ nõ obediunt euangelio, qui pœnas dabũt in interitum æternas. 2. Thes. 1. Idem enim tempus clementissimæ uocationis gentium, & iustissimæ retributionis Iudæorum arq; uastationis. Matt. 23. Hierusalẽ Hierusalem, quoties uolui congregare filios tuos, quẽadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Ecce reliquet uobis domus uestra de-

ferta, Nec immerito. Iohā.5. Si credidissetis Mosi, credidissetis utiq; & mihi. De me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, nec mihi credetis. Rom.10. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Omni dicit credenti: quia quemadmodum annus modo acceptus offertur, ita post dies retributionis futurus prædicitur. Esa.63. Dies ultionis in corde meo, dies retributionis meæ uenit. Ideo Apostolus Hebræ.2. Propterea abundantius oportet nos seruare ea quę audiuimus, ne forte pefluamus. Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Beda: Impletum est tempus illud, de q̃ Apostol⁹ Gal.4. At ubi uenit, ut suprà. Quàm olim est q̃ hoc clamatur, & utinam aliquãdo audiatur, quoniam impleta sunt tempora: appropinquat regnũ dei: pœnitemini, & credite euãgelio: renũciate operibus mortuis: credite in deum uiuum. Quid prodest credere sine operibus bonis? Non te bonorum operum meritum adduxit ad fidem, sed fides incipit ut bona opera consequantur. Phi.1. Tantum digne euangelio conuersamini. Mat.16. Quid enim prodest homini si mũdum uniuersum lucretur, animæ uero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis uenturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundum opera sua.

Præfatio Lucæ euangelistæ.

ARTICVLVS II.

LVCAS

Quoniamquidē multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum.

Dominus deus oīa ordinatissime producta, (uidit eī cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona, Gen. 1.) cum magna reuerentia disponens, Sap. 12. ordinatissime & sapientissime nostrā compleuit salutem. Præmisit aduentus sui prēcones, sanctos prophetas, qui omnes super dies regis Messiæ loquuti sunt, Luc. 16. Lex & prophetæ usque ad Iohannem, ex eo regnum dei euāgelizatur. Deinde in propria uenit persona. Heb. 1. Multifariā multisq; modis olim deus loquēs patribus in prophetis, nouissime diebus istis loquutus est nobis in filio, quē cōstituit hęredē uniuersorū, per quē fecit & seculanā quasi colonus & quasi uiator ad manendū declinans aduenit, Hier. 14. Propter nos egenus factus est, 2. Co. 8. & Za. 9. Ecce rex tuus ueniet tibi iust⁹ & saluator, ipse pauper, Baruc. 3. In terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est. Docens uias suas. Esa. 2. Venite, ascēdamus ad mōtem domini, & ad domū dei Iacob, & docebit nos uias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & uerbū domini de Hierusalē. Hinc Ose. 10. Tempus requirendi dominum, quum uenerit qui docebit uos iustitiam. Verū quoniam necesse fuit ad posterorum informatiōem, per discipulos scriptis ea quę docuerat relinqui, ecclesia quatuor ex omnib⁹ (quæ tunc multa fuere cōscripta) spiritusancto edocta elegit. Ambrosius: Pleraq; nostrorum, quemadmodum ueterum Iudæorum paribus et generibus formantur & causis, atq; exemplorum similium pa

ri usu exituq; cõueniunt, principioq; rerum & fine concordant. Nam sicut multi in populo illo, diuino infusi spiritu prophetarunt, alij autem se prophetare pollicebantur, professionem destituebant mendacio: erant enim pseudoprophetæ potius q̃ prophetæ: erat autem populi gratia discernere spiritũ, ut cognosceret quos referre deberet in numerum prophetarum, quos ut bonus nũmularius improbare, in quibus materia magis corrupta sorderet, q̃ ueri splendor luminis resultaret: Sic & in nouo testamento multi euangelia scribere conati sunt, quę boni nummularij non probauerũt. Vnum autem tantum, in quatuor libris digestum, ex omnibus arbitrati sunt eligendum. Fertur euangeliũ quod duodecim scripsisse dicuntur. Et Basilides euãgelium scribere conatus est. Fertur & secũdum Thomam. Noui alibi scriptum secundum Matthiam. Sed ecclesia quũ quatuor euangelij libros habeat, per uniuersum mundũ euangelistis redundat: hæresis quũ multa habeat, unum non habet. Hæc ille. Beda: Lucas de omnibus quæ fecit Iesus & docuit, usq; in diem qua assumptus est, Act. 1. scripturus, primo eorum qui de eo falsa scripserunt, redarguit audaciã, d. Quandoquidem multi, non tam numerositate q̃ hæresum diuersitate, qui nõ spiritussancti munere donati, sed uano labore conati, magis ordinarẽt narrationem, quàm historię texerent ueritatẽ. Ambrosius: Conati sunt sine dei munere, quare nõ impleuerunt. Qui enim conatus est ordinare, suo labore conatus est, nec impleuit. Sine conatu enim sunt donationes & gratia dei, quæ ubi se infuderit, rigare consuevit, ut non egeat, sed redundet scriptoris ingenium. Non conatus est Matthæus, nõ Mar-

cus,&c.sed diuino spiritu hubertatē dictorū,rerūq; omniū ministrāte,sine ullo molimine cœpta compleuerunt.Sic quidam peruersi, sub nomine Apostoli epistolas scripserunt. Hinc hortatur 2. Thess. 2.Ne quis uos seducat,neq; terreamini, neq; per spiritum,(propheticum)neq; per epistolam tanquam p nos missam.Ideo subscribebat manu sua.2.Thes. 3. Salutatio mea manu Pauli, qđ est signum in oñi epistola &c. Sic in ueteri testamēto cōqueritur dominus Hier.23.Non mittebā prophetas, & ipsi current:non loquebar ad eos,& ipsi prophetabant. Ezec.13. Vę prophetis insipientibus,qui sequuntur spiritum suum,& nihil uident. De quibus 2.Pet.2. Fuerunt uero & pseudoprophetæ in populo, sicut & in uobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos,deum negant,superinducētes sibi celerem perditionem. Et multi sequētur eorum luxurias,per quos uia ueritatis blasphemabitur,& in auaritia fictis uerbis de uobis negociabuntur. Vnde Iohā.10. Omnes qt-quot uenerunt,fures sunt & latrones.

[Quæ in nobis completæ sunt,rerum.]Operum, documentorum, mysteriorum Christi. Origenes: Quia non phantastice,ut hæretici somniabāt, Christus corporalem suum exercuit aduentum: sed quū ueritas esset,re uera negociū prosequutus est. Certa ergo fide cognouerat ea, nec in aliquo fluctuabat: didicit enim ab ijs, qui non solum testes ac spectatores fuerant eorum quæ commemorabāt,uerū etiam pars aliqua rerum gestarum.

Sicut tradiderunt nobis qui ab initio uiderunt, & ministri fuerunt sermonis.

Theoph. Res Christi nõ simpliciter & nude sunt traditæ, sed solida & uera fide, & multorum argumentorum certitudine. Hinc Act. 4. Non em̃ possumus, quæ audiuimus & uidimus, non loqui. 1. Iohan. 1. Quod audiuimus & uidimus, annunciamus uobis. Ambrosius: Vides quod uerbum dei uisum est & auditum apostolis. Non enim secundum corpus solum uiderunt dominum, sed etiam secũdum uerbum Ioh. 1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et uidimus gloriam eius, gloriã quasi unigeniti à patre. Luc. 10. Beati oculi qui uident q̃ uos uideris. Non enim corporalibus oculis, sed spiritualibus Iesus uidetur. Iohã. 8. Abraã pater uester exultauit ut uideret diem meum: uidit, & gauisus est. In operibus Iesus uidetur, in operibus cernitur pater. Ioh. 14. Alioqui propter opera ipsa credite.

Visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere optime Theophile.

Deo in me operãte, Phil. 2. Qui operatur in nobis uelle & perficere, uniuersorum operum, documentorumq; Christi cognitionem adepto, tam per illuminationem quàm per apostolorum informationem. Beda: Non solum Lucas & Marcus auditu didicerunt q̃ scriberent, sed etiam Iohannes & Matthæus multa de infantia, pueritia & genealogia saluatoris, aliis narrantibus didicerunt. [Ex ordine] hoc est, ordinatè uel secundum processum rei gestę, quod confert ad prolixitatem uitandam, & intelligentiam clariorem habendam.

Vt agnoscas eorum uerborum, de quibus eruditus es, ueritatem.

Certius pleniusq; de Christi factis, uerbis ac my-

sterijs instruaris scripto, quę olim catechumenus uiua uoce didicisti. Ambrosius: Theophilus, diligens deum interpretatur. Quisquis ergo amat deum, uel ab eo amari cupit, sibi putet euangelium scriptum, & tanquam munus sibi à deo donatum accipiat, sibiq; commendatum pignus conseruet, frequenter aspiciat, sæpius discutiat. Hæc ille. Sed heu sunt qui nullas literas uel assis faciunt, nisi inde nonnihil accrescat arcæ nummarię, de quibus Hier. 2. Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quę continere nõ ualent aquas. Hinc Petrus Ioh. 6. Domine, ad quẽ ibimus? uerba uitæ æternæ habes.

de ęterna Chrĩgñatiõe, Joh. 1. par. 2. artic. 1. A

De conceptione Iohannis, Luc. I.

ARTICVLVS .III.

Lucæ 1. E

Fvit in diebus Herodis regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias.

Quoniam totum quod gerendum erat, nouũ fuit, nec ullis auditum seculis, diuina sapientia rationibus arcanis omnia moderante, quæ rei per se incredibili, fidem apud homines conciliarent: quis unquam audiuit, uirginem citra uirilem operam peperisse? erat autem nostræ salutis caput, illud esse persuasum omnibus, Iesum esse Messiam, cuius aduentum omnia prophetarum uaticinia promiserant, quem tota Mosi lex adũbrarat, à quo uno salus esset omnibus speranda: proinde diuino consilio paratus est, qui cælestem uirginis partum, & ipse mirabili modo natus pręcurreret, qui nobilitate generis, qui inaudita uitæ sanctimonia, q'q; raris dotibus parta apud omnes autoritate, Iesu nondum noto,

primam notitiam ac fidem conciliaret apud Iudæ-
os incredulos. Iohannes suum exorsus euãgelium à
diuinis, non dixit: Fuit, sed, In principio erat uerbũ,
Ioh. I. propter rerum diuinarum permanẽtiam. Lu
cas à rebus humanis exorsus, Fuit, ponit, ob earum
transitum & deficientiam. Psal. 101. Ipsi peribunt, tu
autem permanes, & omnes sicut uestimentum ue-
terascent. Mentionem facit regni Herodis, tum ut
narrando prophetarũ formam seruet, qui dicebãt:
In diebus Ioacham et Ezechiæ etc. et cuiuspiam, fa
cta sunt hæc, tum quia de Christo dicturus erat, os-
tendit iuxta Iacob uaticinium tempus adesse Gen.
49. Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de fe
more eius, donec ueniat qui mittendus est. Indicat
& euangelicam gratiam à Iudæis spretam, ad gen
tes demigraturam. Prædixerat & spiritussanctus sa
cerdotium, quod summũ & admirabile erat apud
omnes, sub aduentum Messiæ abrogandum, Dan.
9. Erat sub rege impio sacerdos pius necessari⁹, qui
populum à malitia reuocaret. Eccl. 44. In tempo-
re iracundiæ factus est recõciliatio. Zacharias deo
notus, & hominib⁹ famosus, ut ex nomine eius bo
nitas designetur, quod memor domini dicitur. Sic
autem Dauid uniuersum sacerdotum genus in du-
as principales familias digesserat, Eleazar & Itha-
mar. His subiectas familias reliquas distinxit in ui-
gintiquatuor sortes, ut ordine singulæ p suas uices
sacris operarentur dies octonos, abstinẽtes interim
ab omnibus, quæ iuxta legem impurum reddebãt,
& uxorum cõgressu, ædium⁹q; suarum ingressu, sed
assidue uersantes in templo, quo castius ac purius
tractarent rem diuinam. Porro dum hic ordo sor-
tibus digerit inter xxiiij. familias, octauus locus ob-

tigit Abiæ,unde Zacharias ducebat originem,& in cuius uices succesſerat.Beda: Redemptor noſter in carne apparens,ſicut rex nobis fieri dignatus eſt, regnum cæleſte tribuendo, ita etiam pontifex factus eſt,ſemetipſum deo offerendo hoſtiam in odorem ſuauitatis.Eph.5. Vnde ſcriptum eſt Pſal.109.Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Hic ſummi dei ſacerdos, lõge legalis ſacerdotij tempora præceſſit,offerẽs deo panem & uinum Gen. 14.Ideo redemptor noſter ſacerdos ſecũdum ordinem Melchiſedech dicitur,Heb.7.quia ablatis uictimis legalibus, idem ſacrificij genus in myſterium ſui corporis & ſanguinis, in nouo teſtamento offerendum inſtituit. Quis ergo congruentius trãſlationem legalis,& ſubſtitutionem euãgelici ſacerdotij,quàm ſummi iuxta legẽ ſacerdotis filius prophetaret? Maluit enim, docente int° ſpiritu ſancto, noui ſacerdotis præco,quàm ſucceſſor & hæres exiſtere ueteris.

Et uxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth.

Non tam generis nobilitate, quàm morum integritate uenerabilis,quæ Dei mei ſaturitas interpretatur,quia ſpiritu ſancto repleta, Luc.1. Fuerat autẽ mater ipſius,ſoror Annę matris Mariæ,ſed natu minor,quæ uirum habuit Aaronitem, ex qua nata eſt Elizabeth,& ſic cognata fuit uirginis.

Erant autem ambo iuſti ante deum.

Non ſicut phariſæi, qui ſe falſa quadã iuſtitia uendicabant, Luc.16. Vos eſtis qui iuſtificatis uos corã hominibus,deus aũt nouit corda ueſtra.Mat.6.Receperunt mercedem ſuam.& 23. Sic uos à foris qui

dem paretis hominibus iusti, intus autē pleni estis hypocrisi et iniquitate. Iustificari hominem ante deum, quo ad æquitatem diuinæ iustitiæ, est impossibile. Iob. 4. Nunquid homo dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit uir? & 9. Vere scio q̄ non iustificetur homo cōpositus deo. Sed neq̄ per omnimodam puritatem absq̄ omni macula culpę admixta. Iaco. 3. In multis offendimus oēs. Psal. 142. Non iustificabitur in conspectu tuo oīs uiuens. Sed conditionis humanæ modum. sic electi iusti sunt ante deum. Ro. 4. Credidit Abraam deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus domini sine querela.

Sic synceris animis seruabant omnia mādata, quo ad præcepta moralia & iustificationes, (habuit em̄ primum. i. testamentum, iustificationes suas, Hebr. 9.) ut nec hominibus darent ansam offensionis. Beda: Plerunq̄ durior iustitia querelam prouocat. Eccle. 7. Noli esse iustus multum. Origenes: Potest aliquid iustū iniuste fieri, ut quū eleemosyna datur iactantiæ causa, quod non est sine querela. Ambrosius: Quū mandatis cælestibus obedimus, in eis incedimus: dum autem congrue iudicamus, iustificationes domini tenere uidemur: nulla quoq̄ querela est, ubi et mentis bonitas concordat, & facti. Ro. 12. Prouidētes bona non tantum coram deo, sed etiam coram omnibus hominibus. 2. Cor. 6. Nemini dantes ullam offensionem. Phil. 2. Omnia autem facite sine murmurationibus & hæsitationibus, ut sitis sine querela, & simplices filij dei, sine reprehensione, in medio nationis prauæ atq̄ peruersæ, inter

quos lucetis sicut luminaria in mundo, uerbum uitę continẽtes. Procurauit nimirum hoc diuinum consilium, ut is qui Christo uenienti perhibiturus esset testimonium, esset ipse numeris om̃ibus populo Iudæorum commẽdatus. Quin & illud diuina prouidentia procuratum est, ut natiuitatis nouitas, excitaret hominum animos in admirationẽ Iohannis, nihilq; plebeium expectarent ab eo, qui non iuxta uulgarẽ morem, sed cælesti beneficio natus esset.

Et non erat illis filius, eo quòd esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.

Ponit duo impedimenta: unum naturæ, quia sterilis: alterum ex accidenti, quia prouectæ ætatis. Quanquam enim probatissima apud omnes ipsorum esset uita, tamẽ in hoc parum felix uidebatur illorum pietas, quòd ambo cõsenuissent orbi. Nam apud Iudæos ut magnifica quædam res habebatur matrimonij fœcunditas, ita sterilitas cũ primis erat in probro, & inter præcipua uitæ mala numerabatur. Nondum enim didicerant carnales Iudæi, spiritualem populum esse, quem deus cælesti generatione uellet semper in maius propagari: nondum audierãt esse beatos, qui se castrassent propter regnũ cælorum. Ea res grauiter discruciabat animos eorum, sed præcipue Elizabeth, quę iam probroso cognomine uulgo Sterilis uocabatur. Auxerat prolis desperationem utriusq; senectus. Prouectæ ætatis erant ambo tam corpore quàm anima. Beda: Diuinitus factum est, ut sterili matre, & utroque parente prouectioris ætatis, Iohannes nasceretur, quatenus & iam ipse ortus miraculo patesceret, uirũ magnæ uirtutis futurum qui nasceretur.

Factum est autem quũ sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine uicis suæ. 8

Contra eos qui sacerdotes nomine, Mat. 9. Messis multa, operarij autem pauci. *Ante deum*] per rectam intentionem.

Secundum consuetudinem sacerdotij sorte exijt. Nam per sortes istæ uices fuerunt distributæ 1. Paral. 24. unde ipsi sorte obtigit.

Vt incensum poneret, ingressus in tẽplum domini. Ambrosius: Solus intrat, quia illum signat, cuius sacrificium non est commune cum cæteris. Incensum quo deuotio significabatur, adoleret super altari incensi, ad cõsummationem sacrificij, ubi & angelus apparuit.

Et erat omnis multitudo populi foris orans hora incensi. Nam Leui .16. dicitur: Nullus hominum sit in tabernaculo quando pontifex ingreditur sanctuariũ, ut roget pro se, & pro domo sua, & ꝓ uniuerso cœtu filiorum Israel, donec egrediatur.

Apparuit autem illi angelus domini, stãs à dextris altaris incensi.

Cæterum pij pontificis uotum usq; ad deum penetrabat, angelis nimirum perferẽtibus, quorum illæ partes sunt, piorum preces ad cęleste numen perferre, & rursus illius munificentiam ad nos deferre. Vnde Tob. 12. Quãdo orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam domino. Sacrum põtificale officium, unde & Caiphæ prophetiæ datum donum, Ioh. 11. Heb. 5. Oĩs pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus con

ſtituitur in his quæ ſunt ad deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Sed multi relinquunt officium offerendi, quia aſſumpſerunt beneficium aufe rẽdi. Beda: Bene in templo & iuxta altare à dextris apparuit: quia & ueri ſacerdotis aduẽtum, & myſterium ſacrificij, & cæleſtis doni gaudiũ, quod per dexteram ſignatur, prædicabat. Ambroſius: Quia ſignũ diuinæ clementiæ & miſericordiæ pręferebat, proſpera nunciãdo. Sic angelus reſurrectionem domini annunciando Mat. 28. Mar. 16.

Et Zacharias turbatus eſt uidens, & timor irruit ſuper eum.

Non quod quicquam formidabile præ ſe ferret angelus, ſed quod humani corporis infirmitas non ſuſtinet cæleſtium ſpirituum maieſtatem. Cõnaturale enim eſt homini, ad ſubitam ſpirituum apparitionem immutari. uam & ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis, 2. Cor. 11.

Ait autem ad illum angelus: Ne timeas Zacharia.

Non eſt quod expaueſcas, ſed quod gaudeas. Vbi & hoc indicio diſcernuntur uiſiones. Nam ſi mens primum turbetur, & ſtatim timor ſoluatur, & iterũ quieſcat, reuera diuina eſt uiſio. ſi autem timor atq; turbatio magis atq; magis creſcat, diabolica eſt. Beda: Sicut humanæ defectiõis eſt terreri, ita angelicæ dignitatis, pauentem conſolari.

Quoniam exaudita eſt deprecatio tua.

Beda: Non eſt putandum, quod pro populo oraturus, pro priuatis cœperit negocijs orare, maxime pro liberis, à quorũ generatione homo ſenex & decrepitus tantum ſpem auerterat, ut nec angelo nun

cianti & promittenti crederet nasci filium sibi, sed pro populi saluatione rogabat: unde & per angelū audiuit, filium uiam præparaturum & plebem perfectam.

Et uxor tua pariet tibi filium.

Ad Ioseph angelus ait Matth. 1. Pariet filium, quia non de Ioseph, sed operatione spiritus sancti in utero uirginis cōceptus dominus. hic autem addidit, Tibi. q. d. Petisti redemptorem, accipies & redemptoris præcursorem.

& uocabis nomen eius Iohannem.

Quia ad tam eximium munus gratuito dei munere electus, ut Christum per quē gratia & ueritas facta est, annūciaret futurum, & monstraret præsentem, Iohā. 1. Beda: Singularis meriti indiciū est, quoties à deo nomen imponitur uel mutatur. Sic Abram, Abraam: Sarai, Sara Gen. 17. Iacob, Israel Gen. 32. Simon, Cephas & Petrus Ioh. 1.

Et erit gaudium tibi & exultatio, & multi in nativitate eius gaudebunt.

Beda: Quia per eū suæ regenerationis autor ostēditur. Nō ergo sine euangelica autoritate natiuitas præcursoris domini celebrari contingit. Nam sicut angelus dixit, Euangelizo uobis gaudiū magnum, domino nato, Luc. 2. ita nasciturum Zachariæ filiū prędicens angelus, multis gaudium fore dixit. Iure ergo utriusq; natiuitas recolitur, sed illius tanquam domini, istius tanquam præcursoris domini. Prou. 23. Exultat gaudio pater iusti: qui sapientem genuit filium, lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus & mater tua, & exultet qui te genuit. Ecōtra Pro. 19. Dolor patris filius stultus, & 17. Ira patris filius stul-

tus,& dolor matris quę genuit eum. Hinc Eccī 16. Ne iucunderis in filijs impijs si multiplicentur, nec oblecteris super ipsos si nō est timor dei in illis. Melior est enim unus timens deum, quàm mille filij impij. Et utile est magis mori sine filijs, quàm relinquere filios impios.

Erit *enim magnus coram domino.*

Nō solum hominū opinione, uerum etiam in oculis domini, cui nemo magnus nisi dotibus quas ipse largit. Ambrosius: Sicut corporis, ita & animæ numeramus ætates, non ratione temporis, sed qualitate & gradu uirtutis, ut uir perfectus ille dicatur, qui pueritiæ caret errore, & lubricum adolescentiæ animi maturitate transcendit: pusillus autem, qui nullū adhuc uirtutis habet processum. Multi magni corā hominibus, sed non coram deo: Iohannes magnus uirtute, sanctitate & dignitate, quod dominus, qui solus uirtutem magnitudinis eius nouit et donauit, insinuauit, d. Mat. 11. Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista. Sed & angelus multifariam eius magnitudinem exponit, d.

Vinum & siceram non bibet.

Quicquid sobrietatem adimere potest homini. Beda: Sicera, omnis potus inebriatiuus confectus. Nō autem decet uino in quo est luxuria, Eph. 5. inebriari eum, qui musto spiritussancti desiderat impleri. Vnde recte cui uini ebrietas tollitur, spiritussancti gratia cumulatur. Sic nazareis uinum & omnis potus inebriatiuus, p oīe tempus separationis suæ interdicitur Num. 6. Sic Samson omnibus diebus uitæ suæ consecratus domino Iudic. 13.

Et *spū̄sancto replebitur adhuc ex utero matris suę.*

Qua gratia à peccato purgabitur, & anima donis ornabitur, & ad operandum meritorie disponetur. nam filij tui mentem inter ipsos etiamnum uteri materni finus latitantis replebit, ut gestu prophetam agat, priusq̃ effari liceat.

Et multos filiorum Israel conuertet ad dominum deum ipsorum.

Ostẽdit operationem qua spiritussanctus ipsum in uirtutũ fructibus crescere fecit. Multos (non oẽs, Pharisæi enim consilium dei spreuerũt. Luc. 7. Vn de ueritatem de baptismi ipsius autoritate Christo respondere nolebant Mat. 21. Luc. 20.) filiorum Israel: nam in Iudæa tantum prædicauit Luc. 3. alienatos à deo, dum freti carnali lege, negligunt quæ legis figuræ designant, cõuertet ad dominum deum ipsorum, magna libertate prædicãs instare regnum dei, ad uitæ prioris pœnitentiam adhortans, baptismo præludens abolitioni peccatorũ, quæ per Messiam erit futura. Act. 19. Iohãnes baptizabat baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eũ qui uenturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum.

Et ipse præcedet ante illum in spiritu & uirtute Heliæ.

Malac. 3. & Matt. 11. Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit uiam ante faciem meam. Sic Helias secundum præcedet aduentum, quemadmodũ Iohannes primum. Mat. 17. Helias quidem uenturus est, & restituet oẽia. Mal. 4. Ecce ego mittam uobis Heliam prophetam, anteq̃ ueniat dies domini magnus & horribilis, & conuertet corda patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Et sic nõ miraculorum operatione, quia Iohannes nullum fe

cit ſignum Ioh.10.ſed officij ſimilatione. Secundo, uictus auſteritate. Nam utercq; eremi cultor, 3.Reg. 17.Luc.1.Heliam corui paſcebant, deferentes panẽ & carnes,3.Re.17.& bibit de torrẽte.Matt.3.Eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſylueſtre, & habebat ueſtimẽtum de pilis camelorum, & zonam pel liceã circa lumbos ſuos.Luc.7. Venit Iohannes Baptiſta non manducans panem,neq; bibens uinum. Tertio,in ueritate doctrinæ.Nam uterque conſtanter uitia redarguit.Eccĩ 48. Surrexit Helias ,pphe ta quaſi ignis, & uerbũ ipſius quaſi facula ardebat, 3.Re.18.& 4.Re.1.Sic Iohannes phariſæos Mat.3. Herodem Mat.14.Marc.6.

Vt conuertat corda patrum in filios.

Beda: Quum ſpiritualem ſanctorum patrum ſcientiam populis prædicando infundet,quo Iudæi Abraæ credulitatem imitantes, uere promereantur dici filij Abraæ.

& incredulos ad prudentiam iuſtorum.

Quo ad fidei obedientiam. Gloſ.Prudentia iuſtorũ eſt,non de legis operibus præſumere, ſed ex fide ſalutem credere.Ro.3. Arbitramur eñ iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.& 8. Prudẽtia carnis,mors eſt: prudẽtia autẽ ſpiritus,uita & pax.

parare domino plebem perfectam.

Prædicatione & baptizatiõe animos hominũ præparando,ut tradat domino aduenięti populum nõ omnino rudem,ſed iam agnitione peccatorum ſuorum,expectatione regni cæleſtis,ac deſiderio uentu ri Meſſiæ,præparatum atq; inſtructum. Beda: Hæc pulchertima plebis dominicæ perfectio eſt, quam & Iohãnes ſuo tẽpore pdicando parabat,& nũc do

minus ipse donando per orbē latius implet, quum nos euāgelicis uerbis instituti, & imbuti mysterijs, eādem fidem ac dilectionē habere discimus, quam patres habuisse probantur. Optimam uiuendi uitā demonstrat. Quę enim inter homines sublimior & deo gratior esse conuersatio potest, quàm eorum q se castigant à uitijs, qui uirtutum studijs animū sub iugant, insuper etiam alios quotidiano exercitio ad autoris sui gratiam student cōuertere, & crebra animarum fidelium acquisitione, gaudium semper patriæ cælestis augere?

Et dixit Zacharias ad angelū: Vnde hoc sciā? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. 3

Signum nō ut credulus, petit: nam causam suæ incredulitatis annectit, non ad dei potentiam, sed naturæ cursum respiciens. Econtra Abraam Ro. 4. non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam ferè centum esset annorū, nec emortuam uuluam Sarę. In repromissione etiam dei non hæsitauit, sed confortatus est fide, dans honorem deo, plenissime sciens quia quæcunq; promisit deus, potens est & facere. Ideo reputatum est illi ad iustitiam. Hinc Iohan. 4. Nisi signa & prodigia uideritis, nō creditis. 1. Co. 1. Iudæi signa petūt.

Et respondens angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel qui asto ante deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.

Licet mittantur ad ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, Hebr. 1. semper tamen uident faciem patris qui in cælis est, Matth. 18. Daniel. 7. Millia millium ministrabāt ei, & decies mil-

lies centena millia assistebant ei. De hoc angelo Daniel. 9. Adhuc loquēte me in oratione mea, ecce uir Gabriel cito uolans, tetigit me in tempore sacrificij uespertini, & docuit me. Beda: Si homo talia promitteret, impune signum flagitare liceret: sed cum angelus promittat, qui mentiri non potest, iam dubitare non decet, maxime cum à summa ueritate sit missus, quæ præstare potest quicquid promittit. Angelus, nomen officij, nō naturæ, Psal. 103. Qui facit angelos suos spiritus. Qui non terribilia aut increpatoria, sed consolatoria euangelizabat. Dat ergo signum, ut petit, sed non quale desiderauit.

Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, usq; in diē quo hæc fient, pro eo quod non credidisti uerbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.

Dabitur ergo, quando id postulas, quod simul erit & in posterum præstandi promissi argumentū, & præsentis diffidentiæ pœna. Esa. 55. Verbum meum quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me uacuum. Eccēs. 8. Omni negocio tempus est & opportunitas. Quia non obedierat, condemnatur ut surdus sit: & quia contradixerat, ut sileat.

Et erat plebs expectans Zachariam.

Vt prodiret ex more sacerdos, reliqua peracturus apud multitudinem, Leuit. 16. Vides quomodo Iudæi expectabant & permanebant donec exiret sacerdos? At nos Christiani, nisi mox ut ingressi fuerimus templum egrediamur, existimamus male nobiscum agi.

& mirabātur quòd tardaret ipse in tēplo. Egressus autem, non poterat loqui ad illos: & cognouerūt

quòd uisionẽ uidisset in tẽplo. Et ipse erat innuẽs illis,

Nimirũ feliciter esse litatum, gratias agerent deo, qui uota suorum exaudisset.

& permansit mutus. Et factum est ut impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam.

Quia tempore ministerij apud templum manere tenebatur Leu. 8.

Post hos aũt dies cõcepit Elizabeth uxor eius, & occultabat se mẽsibus quinq;, dicẽs: Quia sic fecit mihi dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

Ambrosius: Pudor est fœminis nuptiarum præmia non habere, quibus hęc sola est causa nubendi. Exo. 23. Non erit infœcũda nec sterilis in terra tua. Deut. 7. Nõ erit sterilis utriusq; sexus in Israel. Ambrosius: Occultat se, quia partus sui erubescebat ętatem, ne in senectute libidini uacasse uideret. Sic erubescebat quæ dicebat Gen. 18. Postquam consenui, & dominus meus uetulus est, uoluptati operã dabo? Non enim ignorabat quàm sit pronum ad malum suspicandum, simul & male loquẽdum, uulgus hominum, quod nondum nouerat hęc autore deo geri. Commendantur filij ob parentum probitatẽ. Tob. 7. Benedictio sit tibi fili, quia optimi uiri filius es. Sic hic Iohannes, ex utroq; parente spiritusancto & prophetia plenis natus, dominum uẽturum prænunciauit, & adesse demonstrauit.

De annunciatione Christi, Luc. I.

ARTICVLVS IIII.

Luc. 1. F

IN *mense autem sexto,*

Immensam diuinæ dignationis & sapientiæ abyssum, in dominicæ annunciationis mysterio ostendit, cum appeteret tempus illud ab æterno ordinatum, ut deus per filium suum, mundũ uniuersum à mortis ac peccati tyrannide liberaret. Summum ac dignissimum descripturus mysterium incarnationis, omia ordinatissime & distincte prosequitur, quatenus singula audientes, ad deuotionem & gratiarum actionem accendamur. In mense sexto conceptionis præcursoris,

Missus est angelus Gabriel à deo in ciuitatẽ Galilææ, cui nomen Nazareth.

Ad primam mulierem uenit diabolus non missus Gen. 3. ideo ad secundam iniungitur noua legatio archangelo, ut (secũdum Chrysostomum) nunciet regis secretum, quod quidem fide cognoscitur, sed non requiritur discussione. Et bene Gabriel, qui fortitudo dei dicitur, quia illum annũciabat, de quo Psal. 23. Dominus fortis & potens, dominus potẽs in prælio: illo nimirum prælio, quo potestates aëreas debellare, & ab earum tyrannide mundum uenebat eripere. Luc. 11. Cum fortis armatus. Ioh. 12. Nunc iudiciũ est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. [A deo] immediate, non ab alio angelo, quemadmodum Zac. 2. Curre, inquit angelus alteri angelo, loquere ad puerum istum. Sic Daniel. 8. Audiui uocem uiri in uia: Gabriel, fac istum intelligere uisionem. Post florem autẽ speratur fructus: sic ex Nazareth quę flos dicitur, benedictus fructus uentris Mariæ prodijt. Mat. 2. Quoniam Nazaræus uocabitur, Esa. 11. Nazaræus de radice eius

conscendet. Sic habet Hebraica ueritas.

Ad uirginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid.

Bernardus: Virginem carne, uirginem mente & professione, uirginem qualem describit Apostolus 1.Cor.7. Mulier innupta & uirgo cogitat quæ domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Hieronymus: Cum desponsatam uiro audis, suspicio tibi nõ subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis scripturarum, qua sponsæ dicuntur uirgines, & sponsi uiri. Beda: Oportebat Mariam habere uirum, q testis esset integritatis ipsius certissimus, & nati ex ea domini & saluatoris nostri esset nutritius fidelissimus, quiq pro eo paruulo secundum legem hostias ad templum deferret, & eum instante persecutionis articulo, in Aegyptum cum matre deferret ac referret, aliaq illi plura quæ assumptæ hũanitatis fragilitas poscebat, necessaria ministraret, & contra legis transgressionem testimonium ferret. Ambrosius: Non decuit uirginibus siniſtra opinione uiuentibus uelamen excusationis relinqui, quod infamata mater dñi fuisset: & ut per Ioseph generatiõis Christi series texeretur, ut dicit Hieronymus, qui fuit de domo Dauid quemadmodũ uirgo. nã uiri suæ tribus fœminis iungebant, pſertim in hæreditate paterna succedẽtibus, Nu.36. Et né res nõ cõgrueret ꝓphetię, quæ Messiã ꝓmiserat ex gñe Dauid regis, Ro.1.q fact' est ei ex semine Dauid secundũ carnẽ.

& nomen uirginis, Maria.

Quæ maris stella dicitur, quia luce à se prodeunte mundum illustrauit. Dicitur & amarum mare, qa suam ipsius animam gladius doloris pertrãsiuit, Lu

cæ 2. Sic & domina, quia regē regum & dñm dominantiū nobis peperit, Apo. 19. Hūiles delegerat deus, ne quid in hoc cælesti negocio sibi mundus uindicaret. Moribus inculpatissimis delegit, ne qd in hos criminis posset impingi. Casto coniugio delegerat, ut uirginei partus arcanū, in suum usque tempus celaretur.

Et ingressus angelus ad eam,

Vbi secreto patrem orabat, clauso (ut dicit Bernardus) ostio. Solent enim angeli astare orantibus, & delectari in ijs, quos uident puras manus leuare in oratione. Quantum autem Mariæ placuerint orationes domino, angelus indicat, qui tā reuerēter eam salutauit. Vbi nos habemus Esa. 7. Ecce uirgo, Hebræi habent Haalma, quod abscōditum sonat. Ipsa autem abscondita hominibus, non deo.

dixit: Aue gratia plena.

Curialiter ante legationis explicationem, salutans, rem cum nomine primæ præuaricationis mutauit. Plena dicitur gratia, non ex parte ipsius gratię, quā non habuit in summa excellentia qua potest haberi, nec ad omnes gratiæ effectus, sed per comparationem ad ipsam, quia sufficientem habuit ad illum statum ad quem fuit electa, s. ut esset mater dei. Sic Stephanus plenus (Act. 6.) dicitur gratia, quā sufficientem habuit, ut esset testis idoneus Christi. Sic & apostoli, Act. 2. Christus super omnes, quia de plenitudine eius omnes nos accipimus, Ioh. 1. Hieronymus: Cæteris datur per partes, Mariæ aūt tota se plenitudo gratię infudit. Aptissimum erat ut gaudij uocabulo salutaretur, q̄ uerę uoluptatis autorē erat cōceptura: & gratię uocabulo cōpellaretur, q̄ Iesum

erat paritura salutaris gratiæ principem & autorē.

Dominus tecum.

Bernardus: Non tantum filius tecum quem concipis, sed & dominus spiritussanctus de quo cōcipis, & dominus pater recū qui genuit quē concipis. Vere singulariter dominus tecum, qui nouo castitatis amore prius à terrenis ad cælestia eleuauit, & postmodum mediante humana natura, omni plenitudine diuinitatis consecrauit.

Benedicta tu in mulieribus.

Laudata & præclara fama inter mulieres, & plus q̄ oīes mulieres, ac per hoc quicquid maledictionis infusum est per Euam, totū abstulit benedictio Mariæ. Quum benedictio dei sit collatio munerum eius, & multiplicatio eorundem, tanto magis benedicta Maria, quanto maiora & singulariora diuinitus sortita est dona. Bernardus: Benedicta tu inter mulieres, quæ sola illam generalem maledictionē euasisti Gen. 3. In tristitia paries filios tuos, et nihilo minus illam Exod. 23. Non erit infœcunda nec sterilis in Israel, ac singularem consecuta es benedictionē, ut nec sterilis maneas, nec cū dolore parturias. Vere benedicta, quæ sine exemplo muliebris conditionis, cū decore uirginitatis, gauisa est honore parentis: quodq̄ uirginem matrem decebat, deum filium procreauit.

Quæ quū audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.

Tam excellēs, inopinata, & nusquam audita. Claret uirginis uerecundia. Ambrosius: Trepidare uirginū est, & ad omnes uiri ingressus pauere, & oīes

uiri affatus uereri. Modestia, quia tacuit & audiuit. Prudentia, quia cogitabat quanta esset salutatio, spiritu discretionis ruminans, quid p̃tenderet, quo tenderet, & cui esset exhibita. Quum enim minima esset in oculis suis, ac laudabiliter pudorata, uehementissime de tanto suo præconio mirabatur, seq; laudari ac cunctis præferri mulieribus erubuit atq; obstupuit, eo utiq; amplius, quo minus tale quid suspicabatur, aut sentiebat. Sanctę enim mentes quanto magis laudibus extolluntur, tanto magis timent et humilius de se sentiunt. Sic Apostolus 1. Cor. 15. Nõ sum dignus uocari apostolus.

Et ait angelus ei: Ne timeas Maria. inuenisti enim gratiam apud dominum.

Turbatam familiariter consolatur, ut moris bonorum est angelorum, uocans ex nomine. Bernardus: Dei & hominum pacem, mortis destructionẽ, uitæ reparationem: hæc est, inquit, gratia quam inuenisti, sed apud deum: nam apud mundum oratio fallax. Pro. 31. Fallax gratia & uana est pulchritudo. mulier timens deum, ipsa laudabitur.

Ecce concipies in utero,

Non à uiro, Mat. 1. Inuẽta est in utero habens de spiritu sancto.

& paries filium, & uocabis nomen eius Iesum.

Non impones. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum, Matt. 1. Esai. 49. Dñs ab utero uocauit me, de uentre matris meę recordatus est nominis mei. Iure ergo suum nuncupat filium Ioh. 2. Fili, uinum non habent. Esa. 7. Ecce uirgo concipiet & pariet filium, & uocabitur nomẽ eius Ema-

nuel. Hier. 31. Nouum faciet dominus super terram, Fœmina circundabit uirum. Verè nouum. Olim homo fieri uoluit deus. Gen. 3. Eritis sicut dij, scientes bonum & malum, ait serpens mulieri, nunc deus factus est homo. Olim de uiro facta est mulier, Gen. 2. Aedificauit dominus deus costã quam tulerat de Adam in mulierem, nunc de sola muliere factus est uir. Olim uirga floruit sicca & arida Num. 17. nunc uirgo intacta peperit.

Hic erit magnus, & filius altissimi uocabitur.

Quanquam ex humili loco, ex humili puella natus, tamẽ diuinis uirtutib⁹ erit maximus, adeo, ut posteaq̃ innotuerit mũdo, uocandus sit, non propheta, sed filius altissimi. Nihil enim maius, quàm esse filium omnipotentis dei, non per adoptionis gratiã, sicut alij, sed per naturam, ut una in duabus naturis persona esset redemptoris & mediatoris nostri: & quia una erat hypostasis, reuerà filius altissimi erat filius uirginis.

Et dabit illi dominus deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

Non occupabit sibi mundi præsidijs regnũ mundi temporarium, sed pater cælestis dabit illi regnũ Dauid cæleste. Psal. 131. Iurauit dominus Dauid ueritatem, & non frustrabitur eum: de fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Dedit enim redemptori sedem Dauid, quando hunc de genere Dauid incarnari disposuit. Ro. 1. Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, ut populum quẽ Dauid tẽporali rexit imperio, ipse gratia spirituali ad æternum pueheret regnum. Col. 1. Qui eripuit nos

de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectiõis suæ. Ioh. 12. Benedictus qui uenit in nomine domini rex Israel. Marc. 11. Benedictum quod uenit regnum patris nostri Dauid. Regnat modo quum electorum corda per fidem & dilectionẽ suam inhabitans regit, atq; ad percipiẽda supernæ retributionis dona, continua protectione gubernat: & in futuro, quum eosdem finito statu temporalis exilij, ad habitationem patriæ cælestis introducit, in qua præsenti eius uisione semper adiuncti, nihil aliud agere quàm eius uacare laudibus gaudent. Non ergo temporale, quia quæsitus in regem, fugit Ioh. 6. sed spirituale est regnum. Mat. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Dan. 7. Potestas eius potestas æterna, & regnum eius quod non corrumpetur. Esa. 9. Super solium Dauid & super regnum eius sedebit, ut cõfirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, amodò & usque in sempiternum. Domus autem Iacob sunt ij, qui ex Iudæis & gentibus crediderunt. Ro. 9. Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ: neq; qui semen sunt Abraæ, hi filij: sed qui filij sunt promissionis, æstimãtur in semine.

2 *Dixit autem Maria: Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco?*

Ex his quæ audiuit, tã magnificis angeli promissis, nihilo factus est insolẽtior animus uirginis, nec ex rerum sublimitate concepit diffidẽtiam, nõ ignorans, nihil esse tam arduum, quod nutu non posset deus. Tantum de uirginitatis adamato thesauro solicita fuit, nõ signum rei ut Zacharias, sed modum requirens. Non ergo dubitat faciẽdum, quod quo

modo fiat, inquirit. legerat, Ecce uirgo concipiet. Esa.7. quod credidit futurum, sed quomodo id fieret, non legit. non enim quemadmodum fieret, uel prophetæ fuerat reuelatum. unde & audire meruit: Beata quæ credidisti Luc.1. & 1.Co.7. Virgo cogitat q̃ domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu.

Et respondens angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi.

Beda: Quum Christus dicatur sol, Mal.4. Vobis timẽtibus nomen meum, orietur sol iustitiæ, huius solis radios uirgo concipiendo suscepit. Sed idẽ sol, id est, diuinitas redemptoris nostri, tegmine humanæ naturæ quasi obumbraculo quodam obtexit, q̃ mediante, uirginis eam uiscera ferre sufficerẽt. Inno tescũt plenitudinis gradus: nam gratia plena, adhuc spiritum sanctum superuẽturum audiuit, qui sua uirtute ipsam fœcũdaret. Attende quomodo sanctam triniratem declarauit, dicens spiritum sanctum, uirtutem filium 1.Co.1. altissimum patrem.

Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius dei.

Bernardus: Non solum qui de sinu patris in uterũ tuum ueniet, obumbrabit tibi: sed & quod de substãtia tua nascetur, ex hoc iam uocabitur filius dei. Claret naturæ ueritas, quia ex te: gratiæ immensitas, quia sanctum, imó sanctum sanctorum, à quo & per quem omnis sanctitas. Exo.31. Ego dominus q̃ sanctifico uos. Heb.13. Propter quod et Iesus, ut sanctificaret populum suum per suũ sanguinem, extra portam passus est.

Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit

filium in senectute sua: & hic mẽsis est sextus illi quæ uocatur sterilis: quia nõ erit impoßibile apud deum omne uerbum.

Beda: Non quasi incredulam uerbis hortatur ad fidẽ, sed ut beneiam credenti quę audierat, amplio ra supernæ dispensationis miracula replicat, ut quę deum erat paritura, præcursorem quoq; domini de anu & diu sterili parente cognosceret esse nascitu rum, ad maiorem cumulum gaudiorum, & ut dum nunc saluatoris, nunc præcursoris edocetur aduen tum, rerum ordinem & tempus tenẽs, ipsa postmo dum melius scriptoribus & prædicatoribus euange lij referet ueritatem. Nihil enim potest à deo pro mitti tam nouum aut magnum, quod ipse nõ que at præstare. Hier. 32. Non erit tibi difficile omẽ uer bum. Quale enim uerbum illi impossibile, qui p uer bum fecit omnia? Psal. 148. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.

5 *Dixit autẽ Maria: Ecce ancilla domini, fiat mihi se cundum uerbum tuum.*

Bernardus: Humiliter respondet, ut gratiæ sedes pręparetur. Ecce mater dei eligitur, & ancillã se no minat. Non mediocris reuera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria, obliuiscitur humilitatem. Nõ magnũ est esse humilem in abiectione, magna pror sus & rara uirtus humilitas honorata. Prima muli er audiens, Eritis sicut dij, statim in superbiam ela ta, contra creatoris imperium manum extendit ad ligni prohibiti fructum: hæc audiens se matrem fi lij dei, regnãtis in domo Iacob in æternum, paucis, sed quæ summam animi modestiam cum summa fi dutia pietatęq; coniunctam testarentur, respondit:

Ecce ancilla domini, cui semel dicata sum, parata ad omne obsequium, fiat mihi secũdum uerbum tuum, ut spiritusancto concipiam. Simulq; cum dicto peractus est insensibiliter cælestis ille conceptus, habebat in utero filium dei, replera est spiritusancto. Precemur & nos, ut fiat nobis secũdum uerbum suum, illud scilicet, quo rationem suæ incarnationis ipse disposuit. Ioh. 3. Sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitũ daret, ut oñis qui credit in illum, nõ pereat, sed habeat uitam æternam. Nec dubium quin nos de profundis clamantes ad se, citius exaudire dignabitur, propter quos necdũ se cognoscentes, ipse ad profundam hanc lachrymarum uallem descẽdere dignatus est. Ab hocsancto uirginis cum angelo colloquio, deus auspicari uoluit restituendi generis humani negocium, quãdo primum illud pestiferum uirginis cum serpente colloquium, exitũ seminarium inuexerat mũdo. Ad lapsum hominis concurrebat angelus malum suggerens, mulier incõsultè suggestioni cõsentiens, & uir transgressionem diuini præcepti perficiens. Sic in reparatione angelus nuncians, uirgo consentiens, & Christus perficiens. Bernardus: Redditur fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis ,p supba, q̃ pro ligno mortis, gustũ tibi porrigit uirę, & ,p uenenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinẽ parit fructus æterni.

Et discessit angelus ab illa.

Nimirum cum reuerentia peracto negocio, rediẽs ad eum qui miserat, lætum cæli ciuibus referẽs nuncium, ruinam in proximo fore restaurandam.

De uisitatione Mariæ, Luc. I.

ARTICVLVS .V.

Luc. 1. G

EXurgens autem Maria, abijt in montana cum festinatione, in ciuitatē Iuda, & intrauit in domum Zachariæ.

Mirabilem diuinæ gratiæ operationem declarat deus, qui in oīibus suis mirabilis est operibus, maxime mirabilia & imperscrutabilia in humanæ redemptionis operatus est mysterio. Quum ergo euangelista occultum Christi aduentum ostēdisset, angelico testimonio ut futurum, nunc humano ostendit, ut iam factum. Vidēs ergo se concepisse, nō remorata tanta dignitate, exurgens à quiete contemplatiōis, ad opera charitatis festinauit. Ambrosius: Non quasi incerta de nuncio, non dubitans de exemplo, sed læta pro uoto, religiosa pro officio, festina præ gaudio, in mōtana perrexit, quatenus grandæuæ seruiret iuuencula, quemadmodum filius nō uenit ministrari, sed ministrare, Matt. 20. Siquidem uera pietas potius gaudet de felicitate aliena, quàm studet iactare propriam. Congaudet enim charitas ueritati, 1. Cor. 13. & 12. Si gaudet unum membrum, congaudent omnia membra. Si enim uicini cōgratulabantur, quanto magis Maria cognata? Ro. 12. Gaudere cum gaudentibus. Ascendit in montana Iudææ, quæ mente in cælestibus habitauit, ubi pastor nonagintanouē oues reliquerat, Mat. 18. Mat. 6. Vbi thesaurus tuus est, ibi & cor tuum erit. Sed q̄ bus comitantibus? Nimirum angelis, quibus cognata uirginitas. Exo. 32. Angelus meus præcedet te, ait dominus Mosi. & 14. Tollens se angelus domini q̄ præcedebat castra Israel, abijt post eos, & cū eo pariter columna nubis priora dimittens, post tergum stetit inter castra Aegyptiorum & Israel. Sic Heli-

seus montem uidit plenum equorum & curruum igneorum, 4. Reg. 6. Sic ergo bonis ad custodiam adsunt angeli, imo ipse dominus Exo. 15. Dominus præcedebat eos ad ostendendam uiam. Amat autē secretum uirginitas, non euocatur ab ædium intimis, nisi prouocet officium: in publico properat, in officio lentior est. Dina tardans ad uidendum mulieres regionis, per Sichem filium Emor Euei corrupta fuit Gen. 34. Ad opera pietatis festinādum. Ne scit enim tarda molimina spiritussancti gratia, ut dicit Ambrosius. Sic pastores festinantes uenerunt in Bethlehem Luc. 2. Zachæus festinans descendit, & excepit Iesum gaudens Lu. 19. Væ acediosis.

& salutauit Elizabeth. *Et factū est ut audiuit salutationē* Elizabeth, *exultauit infans in utero eius.* 2

Eandē quam angelo exhibuerat, hominibus quoq; curauit exhibere humilitatem, & quod maioris est meriti & uirtutis, etiā minoribus. Eccl. 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram deo inuenies gratiam. Gestās in utero deum, seruorum dei habitacula petit & requirit alloquia. Prior salutauit, sic angelus ipsam, Christus mulieres Mat. 28. Væ ergo inuidis & insidiosis, qui ut Iudas salutāt, Mat. 26. Aue rabbi. Psal. 54. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos. Ambrosius: Cito quoque aduētus Mariæ & dominicæ præsentiæ beneficia declarantur. Neq; uero uulgaris fuit ista salutatio, creuit utrisque ex mutua gratulatione felicitas, exhuberauit spiritus diuinis. Maria secū fontem oīmium dotium spiritualium ferebat in utero, suiq; fœtus afflatu iam tota spirabat deum. Sēsit Iohannes nondum natus, domini sui modò concepti

diuinam uirtutem, & intra materni uteri fin⁹ gestu prædicat eum, quem olim erat sua uoce prædicaturus, & susceptо singulari supra reliquos gaudio exultat in utero. Ioh. 3. Amicus spōsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi. Aderat enim tēpus, quo impleretur angeli sermo, quo spiritu sancto ex utero ipsum replendum p̄dixerat Lu. 1. Visitent sacra prægnātes, sancta quærant alloquia.

Et repleta est spiritu sancto Elizabeth, & exclamauit uoce magna.

Beda: Recte uoce magna, quia magna dei dona cognouit, quæ illum quem ubiq; præsentem nouerat, etiam corporaliter adesse sentiebat. Magna uoce non tam clamosa, quàm deuota, quia uocem uerbi habuit in utero. Ioh. 1. Ego uox clamantis in deserto. Deuotio, magn⁹ clamor in auribus dei. Hinc Mosi tacenti dicitur Exo. 14. Quid clamas ad me? Si dominus ad præsentiam arcæ benedixit domui Obededom 2. Re. 6. quanto magis ad præsentiam domini realem? Hinc spiritu sancto repleta Elizabeth, non iam cōtinet animi sui gaudia, quę prius tacita latuerat, cōceptum pudore dissimulans: sed ingenti uoce, quam ingens affectus suppeditabat, exclamauit, ea promēs afflatu spiritus, quæ nec ex uteri tumore suspicari poterat, nec ex hoīe didicerat, et perinde quasi angelū audisset cū Maria loquētem, ita uerbis angelicis suam gratulationē auspicatur,

& dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus uentris tui.

Beda: Eadē uoce ab Elizabeth, qua à Gabriele benedicitur, quatenus angelis & hominibus ueneran-

da demõstretur. Et uerè benedicta inter omnes laudatas mulieres, quia à maledictiõibus mulierũ libera. Ge. 3. Multiplicabo ærumnas & cõceptus tuos, In dolore paries filios. & per eius partũ à natis mulierum maledictio excluſa, in quo benedicẽdę omes gentes, Gen. 22. et Gal. 3. In ſemine tuo (ait dominus Abraæ) benedicentur omnes gentes. Benedicta ergo incomparabiliter, quæ & diuini germinis ſuſcepit gloriam, & integritatis ſeruauit coronam. Triplici ex cauſa legimus ſanctas mulieres benedictas ab hominibus. Propter decus uirginitatis & continentiæ, quod triplicem habet gradum. Primus, continentia coniugalis. ſic Ruth à Booz fuit benedicta Ruth. 3. Benedicta es à domino filia. Secũdus, uidualis. ſic Iudith. ibidem 15. Benedixerunt illam oẽs una uoce, dicentes: Tu gloria Iſrael, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti uiriliter, & confortatũ eſt cor tuum, eo quòd caſtitatem amaueris, & poſt uirum tuum, alterũ neſcieris. Tertius, uirginalis. ſic Maria ab angelo Lu. 1. Secũdo, ob munus fœcundi tatis. Cuius tres gradus. Primꝰ, naturæ per ſeipſam. ſic Sara uxor Tob. 9. Dicatur benedictio ſuper uxore tua. Secũdus, naturæ adiutæ gratia. ſic Anna mater Samuelis. 1. Reg. 1. Vade in pace, dominus det tibi petitionẽ tuam quam rogaſti eum. Tertius, gratiæ operantis ſupra naturã. ſic Maria ab Elizabeth Lu. 1. Tertio, propter opus uirilitatis. cuius primus gradus, uincere hoſtem fugiẽtem. ſic Iahel Iudic. 5. Benedicta inter mulieres Iahel, quæ clauo ferreo pforauit caput Siſaræ. Secũdus, uincere aduerſarium inuadentem. ſic Iudith. ibidem 13. Benedixit te dominus in uirtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros. Tertius, uincere dominantem, ſic

Tres bñdicendarum mulierum cauſę.

Tres cõtinẽtię gradus.

Fœcũditatis gradus tres.

Uirilitatis gradus 3

Maria à Simeone. Luc.2. Benedixit illis Simeon, & ait: Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionẽ multorum in Israel. Bernardus: Non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus uentris tui: sed quia ille te p̃uenit in benedictionibus, ideo tu benedicta, sed inter mulieres: ille uerè benedictus, nõ in hominib⁹ uel angelis, sed ut ait Apostolus, est deus benedictus in secula super omnia, Ro. 9. Luc. 11. Beatus uenter qui te portauit. Oẽs enim in peccato concipimur. Psal. 50. Ecce enim in iniquitatibus concepti sum. Et natura sumus filij iræ, Eph. 2. Nã per fructum ligni uetiti mortem incurrimus, Ge. 3. per hunc uitam cõsequimur, Prou. 3. Lignũ uitæ est his q̃ apprehenderint eã. Hic est em̃ fructus terræ sublimis, Esai. 4. de quo Cant. 2. Et fructus eius dulcis gutturi meo. 1. Pe. 2. Si tamen gustastis quoniã suauis est dominus. Alij filij fructus sunt parentũ, hic uentris Mariæ fructus.

Et unde hoc mihi, ut ueniat mater domini mei ad me?

Ambrosius: Non quasi ignorãs hoc dicit. scit em̃ esse spiritussancti gratiam & operationem, ut mater prophetæ à matre domini ad profectum sui pignoris salutetur: sed quasi humani non sit hoc meriti, sed diuinę gratię hoc munus esse cognoscat. Ipse enim spiritus qui ei donum prophetiæ, quo matrẽ dñi cognouit, cõtulit, munus pariter humilitatis, q̃ se minus dignã eius aductu iudicauit, prętitit. quasi d. Qua mea iustitia, qbus meis meritis accidit hoc mihi sterili & seni, & hominum iudicio maledictæ, ut ueniat tam humiliter & reuerenter, non in curribus & equis, non in auro & gemmis preciosis, mater domini mei ad me contemptam? Sic & filius

Mat.3.Ego à te debeo baptizari,& tu uenis ad me? Ioh.1. Cuius non sum dignus ut soluam eius corrigiam calceamenti. Sed quod Elizabeth non debebatur,erat uirginis: quæ quanto maior,eo se humilius gerebat,sequens odorem & sentiēs fructū uentris sui,qui ait Luc.22. Ego in medio uestrum sum sicut qui ministrat. Sed q̄bus sericis gemmisve ornata uenit? Acceptissimis quidem deo. Psalm.44. Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato, circundata uarietate.1.Pe.3. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circūdatio auri, aut indumenti uestimentorum cultus, sed qui absconditus est cor dis homo,in incorruptibilitate q̄ti & modesti spiritus,qui est in conspectu dei locuples.

Ecce enim ut facta est uox salutationis tuæ in auribus meis,exultauit in gaudio infans in utero meo.

Siquidem argumento indubitato sensi domini mei aduentum. O quàm mira & cita spiritussancti operatio. nulla in discendo mora est, ubi spiritussanctus doctor adest. En uno eodemq̄ momento cum uoce salutātis, nascitur gaudium infantis: quia cum uox intrauit aures corporis, uirtus spiritualis cor intrauit audientis: nec solam genitricem, sed & sobolem amore dei aduenientis accendit. Subsiliit uelut occurrere gestiens domino suo,ac debitū honoris officium exhibere, & applaudens uoci quam Adam in paradiso timuit audire, & à facie domini fugit,sed non aufugit. Gen.3. Domine,audiui uocē tuam,& timui eo quòd nudus essem. Adam de publico in absconditum fugit, Iohannes de abscondito in lucem gestit omnibus indicare agnum q̄ tollit peccata mundi,Ioh.1.

Et beata quæ credidisti, quoniã perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à domino.

Hoc certe nomine felix es, quod non sis diffisa q̃libet incredibilibus angeli uerbis. Mirum in modũ idem spiritus cum eam impleuit, præsentium simul & præteritorum ac futurorum sciẽtiam instruxit. De præsentibus, quia matrẽ domini agnouit, & prę sentem redemptorem in utero eius: de præteritis, quia uerba angeli ad Mariam, & consensum Marię prodidit, d. Beata quæ credidisti. De futuris, cũ perficienda à domino, quæ ei dicta essent, aperuit. Sed quæ? Nam gratia plena, dominus secum & in mente & in utero, benedicta inter mulieres, benedictum fructum uẽtris baiulat, quid igitur restat? Certe q̃d ex te nascetur sanctum, uocabitur filius dei, et dabit illi dominus deus sedem Dauid. Heb. 2. Necdum uidemus ei subiecta omnia. Ecce quanta est uirtus fidei, quæ etiam in matre domini cõmendatur, Heb. 11. Sine fide impossibile est placere deo. Demus ergo magnificentiã deo nostro, quia dei perfecta sunt opera (Deu. 32.) redemptiõis, sicut & creationis: & speremus quod & perficientur in nobis glorificationis, ut occurramus omnes in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, Eph. 4.

Et ait Maria.

5 Vidẽs per alios spiritu dei afflatos, arcana in se peracta mysteria reuelari, q̃ hactenus uirginali pudore texerat animi sui gaudia, spiritusancto correpta, q̃ iamdudum erat plena, non sibi temperat, quin hymno gratulabundo prorumpat in laudem dei, cuius bonitati tribuendum, quicquid præclari contingit hominibus. Ambrosius: Sicut peccatum à muli-

eribus cœpit, ita & bona à mulieribus inchoant: un de non ociosum uidetur, quod ante Iohannem Elizabeth prophetauit, & Maria ante domini generationē. sequitur: Mariæ persona quo melior, eo prophetia sit plenior. Cōcinuit Maria soror Aaron canticum, quum transissent filij Israel mare rubrū, submerso Pharaone, Exo. 15. Delbora, deuicto Sisara, Iudic. 5. Merito hæc, quæ liberatorem gestabat per baptismum de manu diaboli saluantem. Cātauit et Moses legem donans, per canticū populum ad obseruandum contestans. Cecinit & Anna, prophetā enixa fidelē, 1. Reg. 2. Dignius Maria, quæ & ipsum legislatorem, & dominum prophetarum protulit. Excedit quidem omnia cantica ex parte concinentis, quæ superuētione spiritussancti illuminatissima, lucem ipsam gestabat in utero totius mundi: & ex parte ipsius cantici, præterita, psentia & futura complectentis, nō umbræ & figuræ, sed ueritatis & exhibitionis, nedum gentis Iudaicæ salutem, sed & gentium fidissime promittentis.

Magnificat anima mea dominum.

O Elizabeth, tu magnificas in me q̄d uides: sed hoc totum diuini muneris est, unde nihil est quod meis arrogem meritis. Iac. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Et ideo non lingua tantum, sed & ex intimis præcordijs, anima mea dominum extollit laudibus. Esai. 29. Matth. 15. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Ideo Psal. 68. Laudabo nomen dei cum cantico, & magnificabo eum cum laude. Ecci. 43. Exaltate illum quantum potestis, maior est enim omni laude.

Ambrosius: Quis plus magnificare potest deum, q̃ anima Mariæ, quę & deum secum, quem cæli & terræ capere non possunt, habebat? Psal. 33. Magnificate dominum mecum, & exaltemus nomẽ eius in idipsum. Quemadmodum nomen domini blasphematur mala uita, Ro. 3. Quotidie nomẽ meum per uos blasphematur inter gentes, sic bonis operibus magnificatur. Phi. 1. Nũc magnificabitur Christꝰ in corpore meo, siue per uitam, siue per mortem. Et quia dei laudem sequitur exultatio mentis, subdit:

Et exultauit spiritus meus in deo salutari meo.

Basilius: Primus fructus spiritus, est pax & gaudiũ. & quia beata uirgo totam spiritusſancti hauserat gratiã, merito exultauit. Gaudio ineffabili gestit spiritus meus, cælesti afflatus spiritu, non in sese, sed in deo, qui mihi cunctis q̃ salutis est autor. Beda: Eius anima dominum magnificat, qui omnes interioris hominis affectus, diuinis laudibus ac seruitijs mancipat, qui obseruantia mandatorum dei, semper potentiã eius maiestatis se cogitare demonstrat. Eius spiritus exultat in deo, quem nihil in terrenis liber, nulla caducarum rerum affluentia emollit, nulla aduersitas frangit, sed sola illius à quo salus sperat ęterna, sui cõditoris memoria delectat. Psal. 76. Renuit cõsolari anima mea: memor fui dei, & delectatus sum. Theoph. Ille deum magnificat, qui digne sequitur Christum: & dum Christianus uocatur, Christi non minuit dignitatem, magna & cælestia operando. Ioh. 15. In hoc clarificatus est pater meus, ut fructum plurimũ afferatis, & efficiamini mei discipuli. Et tunc spiritus eius, id est, spirituale charisma: exultabit, id est, proficiet. Spiritus, pars mentis nostrę

est superior, qua ad superna conuertimur: Anima, inferior, quæ animat corpus, uegetãdo & sensificando, à quo dicitur anima litas. Hinc 1. Thessa. 5. Ipse autem deus pacis sanctificet uos per omnia, ut integer spiritus uester & anima & corpus, sine querela in aduẽtu domini nostri Iesu Christi seruetur. Sunt qui lætantur cum malefecerint, & exultãt in rebus pessimis, Prou. 2. de quibus Iaco. 4. Nũc autem exultatis in superbijs uestris. Omis exultatio talis maligna est. ideo Esa. 61. Gaudens gaudebo in domino, & exultabit anima mea in deo meo. Phi. 4. Gaudete in domino semper. Hoc prædixit Aba. 3. Ego autem gaudebo in domino, & exultabo in deo Iesu meo. Præmissa laude, subiungit beneficia, primo peci alia sibi impensa.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Beda: Humilẽ se suo iudicio Christi ancillam fuisse demonstrat, sed respectu gratiæ cælestis repente sublimatam, atq; intãtum glorificatam, ut sua beatitudo præcipua, merito cunctarum gentium uoce miretur, quibus ex ea contigerit seruator. Augustinus: Plus humilitas uirginis quàm castitas placuit, quia castitas sine humilitate nunquam placere potest. Matt. 25. fatuis dicitur: Amẽ dico uobis, nescio uos. Gen. 4. Respexit dominus ad Abel & ad munera eius. Hinc Mat. 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Sic Dauid ait 2. Re. 6. Ludam ante dominum qui elegit me, & uilior fiam plus q̃ factus sum, & ero humilis in oculis meis. Nihil ergo suis meritis tribuit, sed totam suã magnitudinẽ ad illius donum refert, qui essentialiter magnus & po-

tens existẽs, fideles suos de paruis atq; infirmis, fortes facere consueuit & magnos.

Quia fecit mihi magna qui potẽs est, & sanctum nomen eius.

In spiritussancti superuẽtione, filij altissimi incarnatione, uirginitatis meæ conseruatione, ut mater sim & uirgo, & filij dei mater, unũ cum patre habẽs filium. Immẽsa enim uirtute sua nihil non potest. Psal. 113. Omnia quæcunque uoluit dominus, fecit. Sap. 12. Subest enim tibi, cum uolueris, posse. Et idcirco nomen meum inter felices numerabitur, cæterum illius nomen erit ubiq; sanctum & adorandũ. Hier. 14. Nomẽ tuum inuocatum est super nos, ad quod se flectet omne genu, Phil. 2. per quod unum contingit salus uniuerso orbi. Act. 4. Non enim est aliud nomẽ sub cælo datum hominibus, in q̊ oporteat nos saluos fieri. Ad hoc nomẽ inuocatum pellentur morbi, torpescent uenena, fugient dęmones, reuiuiscent mortui. Mar. 16. In nomine meo dæmonia eijcient. Ioel. 2. Ro. 10. Omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Quicunq; ergo sanctitatis & æternę salutis uolunt esse participes, ad huius nominis aduolare inuocationem necesse est. Mat. 6. Sanctificetur nomen tuum. Consequenter ponit beneficia communia.

Et misericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum.

Gratuitũ hoc erit, quod nominis huius professio salutem & sanctimoniam conferet uniuersis, nõ debitum: misericordiæ erit, non meriti: quam largissimè profundet non solum Iudęis, qui illum expecta-

runt,quibus & missus, (Mat.15. Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.Ioh.4.Salus ex Iudæis)sed quicunq; relictis uitijs,timere cœperit deũ,is Israelitico consortio censebitur dignus.Act. 10.In ueritate comperi, quia non est personarũ acceptor deus,sed in omni gente qui timet eũ, & operatur iustitiã,acceptus est illi.Ro.15. Dico enim Christum Iesum ministrũ fuisse circuncisionis propter ueritatẽ dei,ad cõfirmandas promissiones patrum, gentes autem super misericordia honorare deum. Acto.11. Ergo & gentibus pœnitentiam dedit deus ad uitam.Notanter dicit,timẽtibus eum. Qui enim sine timore est,non poterit iustificari, Eccl. 2. Mal. 4.Vobis timentibus nomen meũ, orietur sol iustitiæ.

Fecit potẽtiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

Deus enim uolens deijcere supercilium sapientiæ potentiæq; mundanæ, per filium suum factum humilem,exeruit robur sui brachij,(Esa.53.Brachium domini cui reuelatũ est:)ac stultam fecit huius mundi sapientiam. 1.Cor.1. deiecit ac fregit potentiam. Ioh.12. Nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Luc.11. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt oñia:si autem fortior superueniens,uicerit eum,uniuersa arma eius auferet in quibus confidebat,& spolia eius distribuet.Sic Iudæi per crucem & mortem, domini memoriam extinguere conantes,illud magnificarunt:& dispersionem quam timebant,incurrerũt.Foderunt enim foueam,& inciderunt in eam,Psal.56.Iob.5. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant. Qui apprehendit sapientes in

astutia eorum,& consilium prauorũ dissipat. Hinc Esai.8.Inite consilium,& dissipabitur. & 19.Dominus miscuit in eis spiritum uertiginis, & errare fecerunt Aegyptum in omi opere suo.Beda: Quia initium omnis peccati superbia, Eccl 10. ob cuius demeritum dominus genus humanum à stabili habitatione patriæ cælestis eijciens,in huius peregrinationem exilij longe lateq; dispulit: sed & his,qui in peccatis perdurare non timent, grauiorem futuræ dispersionis uindictam reseruauit.

Deposuit potentes de sede,& exaltauit humiles.

Beda:Non qa uere potentes, sed quia in uirtute sua confidebant,sublimes in thronis,sapientia turgidi, potentia formidabiles, conditoris auxilium quære re detrectabant,de rerum fastigio deposuit.Sap.2. Sit autem fortitudo nostra lex iniustitię. Quod eñ infirmũ est,inutile inuenitur. Quid autem? Sap.6. Quoniam quum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ,neq; secundum uoluntatem dei ambulastis. Horrendè & cito apparebit uobis, quoniam iudicium durissimũ in his qui præsunt,fiet. Eccl 10.Sedes ducum superborum destruxit dominus,et sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit deus, & plantauit hnmiles ex ipsis gentibus.Claret Esa.14. Quomodo cecidisti Lucifer qui mane oriebaris? 1. Reg.15.Cũ esses humilis in oculis tuis,caput in tribubus Israel factus es.Sic superbus Antiochus uermibus consumptus,2.Mach.9.sic & Herodes Act. 12. Illi autem uerè potentes sunt, qui dicere cũ Apo
dissip 4. stolo possunt:Omnia possum in eo qui me confortat.de qbus Iob 36,Deus potentes non abijcit,cũ &

pse sit potens, sed non saluat impios. Pro. 29. Humilem spiritu suscipiet gloria. Sic humilibus uirtutem dedit calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem potestatem inimici, Luc. 10. adoptatis in filios.

Esuriētes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

Qui suam agnoscētes iniustitiam, iustitiam dei esuriebant, hos deus suis expleuit bonis. Contrà qui sibi uidebantur prædiuites, ac bonis operibus abundantes, & ideo non esuriebant gratiam euangelicā, hos reiecit à se famelicos. Apoc. 3. Dicis quia diues sum & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper & cæc⁹ & nudus. Non fecit, sed dimisit inanes, quales erant. Basilius: Genus sitiebat humanum, exceptis Iudæis. hos nanque ditauerat legis traditiõe, sanctorum dogmate prophetarum, alijsq; charismatibus, ut pane uescerentur. Matt. 15. Non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus. Quia uero non humiliter adhæserunt uerbo humanato, dimissi sunt inanes, nihil deferentes, non fidem, non sciētiam, & spe bonorum priuati sunt, & ab æterna Hierusalem, & à uita futura excluſi. Matt. 21. Auferet à uobis regnũ, & dabitur genti facienti fructus eius. Act. 13. Vobis oportebat primum loqui uerbum dei: sed quoniã repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. sic em̃ præcepit nobis deus. Audientes autẽ gentes, gauisæ sunt. Quos enim de gentibus fames & sitis contriuerat, quũ hę fissent domino, repleti sunt spiritualibus bonis. Beda: Qui æterna perfecte nunc esuriunt, ad hæc appetenda, infatigabili operum iustorum iactantia cer-

tare non desistunt, satiabuntur utiq; quũ sui redemptoris gloria, quam desiderabant, apparuerit. Psal. 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Lu. 22. Ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam. At qcunq; cælestibus diuitijs terrenas præponere gaudent, hi nimirum tempore ultimæ districtionis inanes totius beatitudinis dimittuntur à domino, ideo cum diabolo perennis miseriæ pœna plectuntur, quemadmodum diues ille epulo Luc. 16. Quod etiam in hac uita ex parte non minima uidemus impleri, ut & humiles supernæ bonitatis alimonijs repleantur, uirtutumq; cælestium hubertate ditescãt, & qui uel terrenis diuitijs gloriãtes superbiunt, uel de opibus se bonorum operum, quasi hæc à se haberẽt, extollunt, intus à lumine ueritatis inanescũt. Beati ergo qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Matt. 5.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

Beda: Post generalem diuinæ pietatis ac iustitiæ commendationem, ad specialem nouæ incarnationis dispensationem, qua mũdum deus redimere dignatus est, confessionis uerba cõuertit. Israel, uir uidens deum, dicitur: quo omnis redemptorum cœtus designatur, propter quos, ut deum uidere ualeant ipse deus homo uisibilis inter homines apparuit. Suscepit quasi medicus ægrotum quem curet, rex populum quem ab hostiũ incursiõe defenderet, ac secũ perpetuo regnare donaret. Et bene addit, Puerum suũ, quasi peculiarius adamatũ, humilẽ & obedientem significans: quia nõ nisi per uirtutem hu-

militatis, potest quis ad cõsortium redemptoris attingere. Mat. 18. Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, nõ intrabitis in regnum cælorum. Non erat oblitus promissi sui, sed ob longam moram, perinde quasi fuisset oblitus, obrepserat despe ratio. sed nũc declarauit sese nequaquam immemorem sui populi, exhibens quod olim promiserat. Bene addit, [misericordiæ:] qa q̃d hoiem (ut nos redimeret) assumpsit, non humanæ meritum conditionis, sed diuinæ donũ pietatis extitit, suscipiens eos qui uident per fidem, in cælestem hæreditatem.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraã & semini eius in secula.

Gen. 22. Benedicent in semine tuo omnes gẽtes. Gal. 3. Abraæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit in seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno: & semini tuo qui est Christus. Beda: Semẽ Abraæ non tantũ illos dicit electos, qui ex Abraæ progenie sunt corporaliter editi, uerumetiam nos qui de gentibus ad Christum congregati, illis fidei societate patribus sociamur. Gal. 3. Si autẽ uos Christi, ergo & semen Abraæ estis, secundum promissionẽ hæredes. Recte in cõclusione subiungitur, [in secula:] quia nimirum præfata promissio hæreditatis supernæ, nullo unquam fine claudetur. Nam usq; in finẽ seculi huius nõ deerũt, q̃ in Christũ credendo, semen fiant Abraæ, & futuræ beatitudinis eidẽ semini manebit gloria pennis. Vnde oportet nos q̃ bus æterna merces promittitur, sine ulla intermissi one, donec accipiamus, certare curemus.

Mansit autem Maria cum illa quasi tribus mensi

bus, & reuersa est in domum suam.

Ambrosius: Non sola familiaritas est causa quòd diu mansit, sed etiam tanti uatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, quantum putamus usu tanti temporis sanctæ Mariæ addidisse præsentiam? Mansit fermè tribus mensibus, sanctis colloquijs & amicis obsequijs subleuãs anum: & quia paritura Elizabeth, discedit propter multitudinem qui ad partum conuenturi erant.

De ortu Iohannis, Luc. I.

ARTICVLVS VI.

Lucæ. 1. H

Elizabeth autem impletum est tempus pariẽdi, & peperit filium: & audierũt uicini & cognati, quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.

Futurorum præscius deus, quæ de ortu præcursoris per angelum mirabiliter prænunciauit, multo mirabilius & clarius impleuit. Hominum eñ natiuitas culpabilis. Eph. 2. Eramꝰ natura filij iræ. Iob 15. Nemo mundus à sorde, neq; infans cuius est unius diei uita super terram. Est & tristis. Sapi. 7. Primam uocem emisi similem omnibus plorãs. Econtra Iohannis describitur sancta. Verbo enim plenitudinis nõ utitur scriptura, nisi in ortu, actu uel obitu iustorum, quorum uitã operis plenitudinem habere signat. Secũdo magnifica. Valde enim clementer & magnifice egit deus cum illa. Tertio iucunda. Res enim rumore sparsa est per uicinos & cognatos, quibus ut ante dolserat Elizabeth sterilitas, ita noluptati fuit, & ex ingenti misericordia diuina edi

ta prole masculà, contigisset anui deploratæ sterilitatis, matris nomen, cui felix fuerat futurum genuisse puellam, sed multo felicius erat genuisse filium. Aequũ autem erat, ut in eius natiuitate multi gauderẽt, qui plurimorum bono natus fuerat, prænunciaturus & oste̅surus seruatorem. Eo magis cõgaudebant, quo ambo iusti, incedẽtes in omnibus mandatis & iustificationibus domini sine reprehensione. 1. Co. 13. Charitas cõgaudet ueritati. Ro. 12. Gaudere cum gaudentibus.

Et factum est in die octauo uenerunt circuncidere puerũ, & uocabant eum noĩe patris sui Zachariã.

Quoniam pater erat elinguis, qui solet esse autor imponendi nominis, & tempus aderat quo iuxta legis præscriptum circuncidendus erat, & indendum nomen, quemadmodum modo in baptismo. Gen. 17. Infans octo dierum circuncidetur, cognati suspicantes id patrem uelle, quod uulgo solet esse gratissimum, nomen patris imponendũ putarunt. Sic Tobias nomen suum filio imposuit Tob. 1.

Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed uocabitur Iohannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui uocetur hoc nomine.

Mater ergo quod à marito discere non poterat, spiritu sancti afflatu docta contendit imponendũ. Econtra cognati, eo quod in prole soleat per inditum nomen uel patris, uel proaui, aut patrui, uel alicuius cognati memoria renouari.

Innuebant autem patri eius, quem uellet uocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit dicens: Iohannes est nomen eius.

Claret ipsum nedum mutum, sed & surdum fuisse: quia nutibus uisibilibus innuebant, quo nomine uellet uocari eum. At ille postulata tabella & allatis pugillaribus, scripsit nomen sibi inditum.

2 *Et mirati sunt uniuersi.*

Quòd placeret nomẽ nouum, & q̃ inter patrẽ mutum & matrem de nomine conuenirent, uidentes in processu negocij miracula miraculis iungi, totq; insolita fieri. Merito Iohannes dictus, quia gratia singulari natus, gratia spiritusancti plenus, & eum qui plenus gratia, de cuius plenitudine omnes accepturi, Ioh. 1. ostensurus Ioh. 1. Ecce agnus dei. Nominis impositio, uel immutatio à deo, singularis gratię indicium. Sic Abram, Abraam dictus, quia pater multarum gentium constitutus. Gen. 17. Sic Iacob Israel, quia uidit deum Ge. 32. & Simon Cephas, id est, capitaneus Ioh. 1. item Petrus, id est, saxum siue fundamẽtum, Mat. 16. Et dominus seruator Iesus, quia saluum fecit populum suũ à peccatis eorum, Mat. 1.

Apertum est autem ilico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens deum.

Ambrosius: Soluit fides linguam, quam incredulitas ligauerat.

Et factus est timor super omnes uicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur oia uerba hæc.

Hæc omnia rumore sparsa sunt, non iam per cognatos tantum & uicinos, uerumetiam per uniuersam illam Iudææ regionem, quæ montana dicitur, adeò ut nõ solum admiratio, sed stupor quidam & horror, ex tot tam insolitis miraculis occuparet ani

mos omnium, uidẽtes uirum tam iustum, ob incredulitatem percussum, & miracula circa puerum.

Et posuerunt omnes qui audierant, in corde suo, dicẽtes: Quisputas puer iste erit? Etenim manus domini erat cum illo.

Siquidem ex his præludijs colligebant, natum puerum olim magna & inaudita patraturũ, cuius conceptus & natiuitas iam tum insigniretur prodigijs. nam sterilis ex sene concepit: mutus factus, loqtur: mater, pphetat de noïe, pater de deo & ple. & uolutãtes animo, qs tantorũ prodigiorũ esset exitus futurus, dicebãt: Quisnã futurus est iste puer? Nemo prophetarũ tam pdigiose natus est. siquidẽ ipsa rerum miracula declarãt, hęc geri uirtute dei, q̃ puero adsit ad res summas delecto. Hier. 10. Non est simi lis tui dñe. magnus es tu, & magnũ nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te ò rex gentium? tuum est enim decus. Tob. 12. Opa dei reuelari & confiteri honorificũ. Facta sunt eñ omia hæc singulari dispẽsatione, ut q de Christo, pphetizaturus esset, si de dignus haberet, & oñes ex ipsa natiuitate Iohannis certiores redderẽtur, ꝙ multis maior esset. Aduertendũ quod Zacharias gratia dei iuxta angeli dictum restitutus, in gratiarum actionem prorupit, membrum per quod peccauerat, deo cõsecrans, iuxta illud 1. Thess. 5. In oñibus gratias agite. & Ro. 6. Sicut exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nũc exhibete membra uestra seruire iustitię in sanctificationem.

Et Zacharias pater eius repletus est spiritu sancto, & prophetauit dicens. 3

Beda: Magna largitas diuinæ pietatis, ecce loque la quæ ablata est diffidenti, cum spiritu prophetiæ reddita est credenti. Hic rectus est ordo, ut prius re pleatur spiritusancto, & pòst, pphetizet. Act. 2. Repleti sunt spirituſancto, & cœperunt loqui uarijs linguis, prout spirituſſanctus dabat eloqui illis. 2. Pet. 1. Non enim uolũtate humana allata est aliquando prophetia, sed spirituſancto inspirati, loquuti sunt sancti dei hoïes. Vt ergo oïa redũdarent miraculis, & gaudijs affluerẽt, Zacharias totus afflatus spiritu ſancto, prorupit in hunc hymnũ. In quo duo generaliter denunciat, ut dicit Origenes: Alterũ de Christo, ſecundum de Iohanne, [Et tu puer.] Primo benedicit deum:

Benedictus dominus deus Iſrael, quia uiſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Laudandus deus, qui tandem dignatus est nouo more inuisere populum suũ, iam miseræ diutinæq; seruitutis tædio laborantem, ac desperationi proximum, aduersus quem satanas, peccatum et mundus inualuerant, sic, ut nec spes esset in phariſæis, nec in philoſophis, nec in Moſaicæ legis cęremonijs. Benedictus ergo dominus oũium iure poſſeſſionis. Hester 13. Domine domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui tuæ possit resistere uoluntati. Sap. 12. Tu autem dominator uirtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerẽtia disponis nos. [Deus,] iure creatiõis. Ge. 1. In principio creauit deus cælum & terram. Iob 34. Quem constituit alium super terram, aut quem posuit aliũ super orbẽ quẽ fabricatus est? Esa. 48. Ego ipse, ego ipse primus & nouiſſimus. [Iſrael,] spe-

cialiter, gratia speciali plura beneficia donãdo. Psal. 147. Qui annũciat uerbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi. & Psal. 75. Notꝰ in Iudæa deus, in Israel magnum nomen eius. De his Deut. 32. Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit, fecit, et creauit te? Esa. 48. Hęc dicit dominus deus redemptor tuus, sanctus Israel: Ego dominus deus tuus, docens te utilia, gubernãs te in uia qua ambulas. Causam subnectit, recolens multiplex beneficiũ generi humano collatũ: [quia uisitauit,] tanquam medicus ægrotum. Mat. 9. Nõ est opus ualentibus medico. Beda: Visitauit dominus plebem suam, longa infirmitate tabescẽtem, & quasi sub peccato uenditam, unici filij sui sanguine redemit. Esa. 33. Dominꝰ iudex noster, dominus legifer noster, dominus rex noster: ipse ueniet & saluabit nos. Augustinus: Magnꝰ uenit medicus, quia magnus ubiq; iacebat ægrotus. Visitauit carnẽ assumendo, quasi longius à se recedẽtes, quos in peccatis positos, quærere & iustificare curauit. Baruch 3. Hic est deus noster, & non æstimabitur alius ab eo: hic adinuenit omnem scientiam & oñem uiam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hęc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est. [Fecit redemptionẽ] in passione, quia nos uenundatos sub peccato, & antiqui hostis seruituti addictos, sui sanguinis dato precio liberauit. Psal. 110. Redemptionem misit dominus populo suo. Apo. 5. Redemisti nos deo in sanguine tuo. 1. Pe. 1. Non eñ corruptibilibus auro uel argento redempti estis de uana uestra conuersatione paternę traditiõis, sed precioso sanguine quasi agni immaculati Christi. Hinc Apostolus hortat 1. Cor.

6. Empti estis precio magno. glorificate & portate deum in corpore uestro. [Plebis suæ,] non utiq; quam ueniens suam inuenit, sed quam uisitando & redimendo suam fecit.

Et erexit cornu salutis nobis, ĩ domo Dauid pueri sui.

Potens erat tyrannus, qui multo satellitio stipatus, regnabat per omne genus hominum, à quo uiribus humanis non poterat uindicari libertas Israelitarum. Solum deus hoste potẽtior, addidit infirmis robur, misso duce inuicto, qui cornu diuinę uirtutis deijceret aduersarios opes, quiq; deuicta morte, gratis cõferret salutem per fidem. Habẽt animalia cornuta, in cornu robur: solebãt & reges ex cornu inungi. Sic Christus dei uirtus & dei sapientia 1. Cor. 1. unctus est oleo lætitiæ præ participibus suis Psalm. 44. Heb. 1. Non enim est in alio aliquo salus Act. 4. Hoc salutis præsidium erexit nobis in gente Dauid cultoris sui, cui promiserat hoc beneficium Psal. 131. De fructu uẽtris tui ponam super sedem tuam, peruenturum hinc ad omẽs qui iuxta spiritum promerentur esse filij Dauid, nõ degenerantes à pietate patris.

Sicut locutus est per os sanctorũ, qui à seculo sunt, prophetarum eius.

Sic enim olim promiserat per ora omnium prophetarum, quos suo spiritu afflauerat, qui ab orbe condito uaticinati sunt. Nulla siquidem ætate defuit prophetia de CHRISTO. Actor. 3. Deus qui prænunciauit per os omnium prophetarum pati CHRISTVM suum, impleuit sic. & 10. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius.

Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.

Diabolo, mundo, & carne. 1. Ioh. 3. In hoc apparuit filius dei, ut dissoluat opa diaboli. Ioh. 16. Confidite quia ego uici mundum. 1. Ioh. 5. Oñe quod natum est deo, uincit mundum. Et hæc est uictoria q̃ uincit mundum, fides uestra.

Ad faciendã misericordiã cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti. Iusiurandũ quod iurauit ad Abraam patrem nostrũ, daturũ se nobis.

Sic illius bonitati uisum est, ut rem tantam largiretur immerentibus. Tit. 3. Apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri dei, nõ ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Fecit misericordiam non solum cum uiuentibus, sed & cum patribus. Christi enim gratia, etiam in illos qui olim mortui, pertingit. Zac. 9. Tu quoq; in sanguine testamenti tui emisisti uinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Sic illius iustitiæ uisum est, ut quod promiserat, prçstaret suo tempore, ut ab omnibus intelligeretur non solum misericors ac beneficus, uerum etiam uerax ac promissi tenax. Gen. 22. Per memetipsum iuraui, dicit dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & benedicentur in semine tuo omnes gentes.

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi In sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

Non ergo carnis cura in desiderijs agenda, Ro. 13, quia ad hoc liberati de manu inimicorum, uisibi

lium & inuisibilium, [ut sine timore] inordinato, carnali & seruili. 1.Iohan. 4. Perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. [Seruiamus illi,] Mat. 4. Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Sed quomodo? [In sanctitate,] reuerentia erga deum. Leu. 20. Sanctificamini & estote sancti, quia ego sanctus sum dominus deus uester. Deut. 18. Perfectus eris & absq; macula coram domino deo tuo. 1. Thes. 4. Hæc est uoluntas dei sanctificatio uestra, ut sciat unusquisq; uestrum, uas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant deum. [Et iustitia,] quæ cõmunis est uirtus, omnem complectẽs uirtutem. Fide enim & spe colitur deus, tanquam immediatũ & proprium illarum obiectum. Sic & laudata in rebus humanis uita. Rom. 12. Prouidentes bona, non tantum coram deo, sed etiam coram omnibus hominibus. [Corã ipso,] non coram hominibus tantum, ut hypocritæ, recta scilicet intentione & attentione. Psal. 118. Seruaui mandata tua et testimonia tua, quia omnes uiæ meæ in conspectu tuo. Et hoc [oñibus diebus uitæ nostræ.] Qui enim perseuerauerit usq; in finẽ, hic saluus erit, Mat. 10. & 24. Gal. 6. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.

Et tu puer propheta altißimi uocaberis, præibis enim ante faciem domini parare uias eius.

Ad puerum uerba conuertit. Ambrosius: Potuit Iohannes uocem patris sui natus audire, qui Mariæ nondum natus salutationem audiuit. Sciebat enim Zacharias alias esse aures prophetæ, q̃ spiritus dei, nõ

corporis ętate reserantur. Mat.21. Omnes habebāt Iohannem sicut prophetam. Quia uenit ad parandum uiam, præparando animos hominum ad tantæ salutis susceptionē, ne si aduentus ille mentes hominum oscitantes & auersas inuenerit, oblata salus uertatur in cumulum exitij.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum. Per uiscera misericordiæ dei nostri, in quibus uisitauit nos oriens ex alto.

Iohannis prædicatio fecit ut intelligerent instare salutem, idq; in remissionem, id est, per remissionem peccatorum. Sic ostendit quomodo præparauit uias. Non ergo ait, [ad dandam] salutē, sed [scientiam salutis.] Ioh.1. Non erat ille lux, sed ut testimoniū perhiberet de lumine. Suo enim baptismo, suaq; prædicatione effecit, ut intelligerent sese peccatores, & scirent sibi opus medico, ac cognoscerēt iam adesse eum, qui solus omnium, omnibus per fidem euangelicam largiturus sit salutem ęternam, ui delicet gratuito condonatis peccatis. Acto.15. Fide purificans corda eorum. Apo.1. Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, quę mortem adferunt animæ, & gratis collata nobis sit sua iustitia. Idq; continget omnibus credentibus, nullis omino meritis hominū, sed propter exhuberantem dei nostri misericordiam, qui quos condidit, perire noluit. Gal.2. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Perieramus, nisi ille pro sua genuina bonitate misertus esset nostri, nisi ille ueluti sol quidam cælitus nobis exortus, dispulisset tenebras ignorantiæ nostræ, profligasset peccatorum caliginē, ac frigida corda suæ charitatis accendisset igne. Ioh.16.

Exiui à patre,& ueni in mũdum. Psal.18.A summo cælo egressio eius. Quare oriens iste(siquidem nomen est,& non participium. Zac.6.Ecce uir,oriens nomen illi)nos uisitarit,subiungit:

Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent,ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis.

Iacebamus in tenebris ignorantiæ,erroris & infidelitatis.Eph.4.Tenebris obscuratum habentes intellectum,alienati à uita dei per ignorãtiam quæ est in illis,propter cæcitatẽ cordis eorum. [Et umbra mortis,]hoc est,peccato.Esai.59. Iniqtates uestræ diuiserunt inter uos & deum.Non poteramus oculos attollere ad illũ,ille se demisit ad nos,suisq; radijs in animos nostros immissis,serenus ac salutifer illuxit nobis.Esa.9.Populus qui ambulabat in tenebris,uidit lucem magnam:sedẽtibus in regione umbræ mortis,lux orta est eis.& 42.Dedi te in fœdus populi,& in lucem gentium,ut aperires oculos cærum,& educeres de conclusione uinctum,de domo carceris sedẽtes in tenebris.Ioh.1.Erat lux uera quæ illuminat oẽm hominem uenientẽ in hunc mundum.Non sufficit autem illuxisse tantum,nisi & dirigantur pedes nostri in uiam pacis.Sicut enim peccatum inimicitiæ cum deo,sic iustitia pax.Exortus est itaq; nobis sol ille ęternus,ut animi nostri pedes, hoc est,affectus,dirigat in uiam euangelicam,q̃ uia est pacis,quæ per fidem & charitatem humana diuinis conciliat,dirimens inimicitiam quę erat inter deum & hominẽ. Ro.5.Iustificati ergo ex fide,pacem habeamus ad deum,omnes nationes orbis in unius nominis fidei professione conglutinans,denig; sedatis tumultuosis affectibus,unumquenq; ho

minẽ concilians sibi. Nam per pacem pectoris, pue nitur ad pacẽ æternitatis. Ioh. 14. Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis. Eph. 2. Veniẽs euangelizauit pacem his qui longe, & pacem his q propẽ. Cum ergo pax uera & spiritualis, fructus sit spiritus, Gal. 5. ideo à charitate procedit quasi efficienter. Charitas nanq; unionem & concordiam parit, quietem quoq; & gaudium in amato dum ei cõiungitur. Psal. 118. Pax multa diligentibus legem tuam. Dicitur etiam procedere ex iustitia, quasi prohibẽs à remouente, qa iustitia impedimenta pacis aufert. Esa. 32. Et erit opus iustitiæ pax. Rursus ponitur effectus prudentiæ, tanquam uirtutis dirigentis ad pacem per ueram discretionem, qua quis ordinatè se habet, unde nec perturbatur. Ro. 8. Prudentia spiritus, gaudium & pax. Beati ergo pacifici, quoniam filij dei uocabuntur. Beda: Direxit gressus operũ nostrorum, quatenus per uiã ueritatis quam monstrauit, incedere, atq; ad mansionẽ perpetuæ pacis possimus intrare, quam promisit. Esai. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fidutiæ, in requie opulenta.

De genealogia Christi,

ARTICVLVS VII.

Mat. 1. 1

Liber generationis IESV *Christi, filij Dauid, filij Abraam.*

Intentio euangelistæ Matthæi, ostẽdere IESVM uerum Messiam, hoc est, Christũ patribus promissum, iuxta prophetarum oracula in Bethlehem natum. Quia eñ in Nazareth conceptus, Luc. 1. & ibidem nutritus post reuersionem ex Aegypto Matt.

2.à multis nõ Christus ob id dicebatur. Iohã. 7. Hic est Christus. Quidam aũt dicebant: Nunquid à Galilæa uenit Christus? Nonne scriptura dicit, quia ex semine Dauid & de Bethlehem castello, ubi erat Dauid, uenit Christus? & infra: Scrutare scripturas & uide, quia à Galilæa propheta non surgit. Matthæus & Marcus prophetico more ingressi sunt euangelicam historiam. Siquidem prophetæ à titulo solent exordiri, Visio Esaiæ &c. [Liber generationis Iesu Christi.] O uerbum omni dulcedine refertum, plenum salutis & gratiæ. Si mortales tam ardenti studio amplectuntur librum humana proditum industria, qui uel tuendæ sarciendæve ualetudinis rationem, uel augẽdæ rei familiaris uiam, uel aliquam disciplinam ad terrena modò commoda conducibilẽ pollicetur, quanto flagrantioribus studijs hic liber est ab omnibus excipiendus, cuius utilitas ex æquo pertinet ad omnes? nec humana cõmoda mox peritura promittit, sed cælestem philosophiam, à cęlesti doctore Iesu Christo mortaliũ generi traditam docet, & huius admirabile præmium pollicetur, non opes, non regnum, non uoluptates, sed ueram atq; æternam felicitatem: atq; ad hanc expeditam ac facilem omnibus uiam commonstrat, & autorem indicat per quem sperãda salus. Quis hominum, quẽ non exciret tãti boni certa spes? Verè hic liber apotheca est gratiæ, in qua omnis anima quod necesse habet, inueniat. Inuenimus librum prædestinatiõis æternę, de quo Apostolus Heb. 10. inducẽs psalmistam in persona Christi loquentem: In capite libri scriptũ est de me, ut faciã uoluntatẽ tuam deus meus. Hinc Apo. 20. Qui non est inuẽtus scriptus in libro uitæ, missus est in stagnum ignis. Ideo domin⁹

ait discipulis Luc.10. Gaudete quod nomina uestra scripta sunt in cælis. Sed heu per primum Adam deleti ex hoc fuimus. Psal.68. Deleãtur de libro uiuentium, & cum iustis nõ scribantur. Sed ubi? Hier.17. Domine, omnes qui te derelinquunt, cõfundentur: recedentes à te, in terra scribentur, quoniam dereliquerunt uenam aquarum uiuẽtium dominũ. Exo. 32. Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo. Sed per secundum Adam iterum inscripti. Esa.49. Ecce in manibus meis descripsi te. Secundo, accusationis internæ. Apo.20. Vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est uitæ, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erãt in libris secundum opera ipsorum. Ro.2. Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & cogitationum inuicẽ accusantium, aut etiam defendentium. O quàm graviter inscripti fuimus in hoc libro mortis, sed per Christum releuati. Colos.2. Delẽs quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigẽs illud cruci. Tertio, generationis terrenæ. Gen.5. Hæ sunt generationes cæli & terræ. De hac, hic & Luc.1. & 3. iuxta corpus humanum, quod nostra causa assumpserat. Per eum exoritura erat noua natio, non carnalis, sed spiritualis, quæ nõ tam terras impleret, q̃ cælum, quæq; non humano semine, sed euangelica fide propagaretur, cęlesti semine sermonis diuini. nã per Adam nascimur filij iræ. Eph.2. Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. sed per Christum renascimur ad salutẽ, ut simus filij dei. Ioh.1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius: qui non ex san-

guinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt. Iaco. 1. Volũtarie enim nos genuit uerbo ꝟitatis, ut simus initium aliquod creaturæ eius. 1. Co. 4. In Christo Iesu per euangelium ego uos genui. Item hæredes regni. 1. Pe. 1. Qui regenerauit nos in spem uiuam per resurrectionẽ Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem & incõtaminatam & immarcescibilem, conseruatam in cælis, in uobis q̃ in uirtute dei custodimini, per fidem in salutem, paratam reuelari in nouissimo. Ioh. 3. Nisi qs renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, nõ potest introire in regnum dei. Hinc sequitur, [Iesu,] hoc est, seruatoris, non Adæ perditoris. Nam posteaq̃ in Adã excidimus à gratia, successit sapiẽtiæ ignorantia. Psal. 48. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sap. 13. Vani sunt omnes homines, quibus non subest scientia dei, & de his quæ uidentur bona, non potuerunt intelligere eum qui est. Ro. 1. Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. dicentes enim se esse sapiẽtes, stulti facti sunt. Item ueritati mendacium. Ro. 1. Commutauerunt ueritatem dei in mendacium, & seruierunt creaturæ potius quàm creatori. Ose. 4. Non est ueritas, non est misericordia, nõ est scientia dei in terra. Maledictũ, mendacium & homicidium, furtum & adulterium inundauerunt. Item iustitiæ iniustitia. Ro. 3. Causati enim sumus omnes sub peccato esse, sicut scriptũ est: Quia nõ est iustus quisquam, non est intelligẽs, non est requirẽs deum. Sic uitæ, mors. Sapi. 1. Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione uiuorum. Iustitia enim perpetua est & immortalis, iniu

stitia autem mortis acquisitio. Ro.5. Per unum ho minem in hunc mũdum peccatũ intrauit, & per pec catum mors: & ita in oẽs homines mors ptransi- it, in quo omnes peccauerunt. Sed nõ sicut delictũ, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia dei & donũ, in gratia uni- us hominis Iesu Christi, in plures abundauit. Vnde contra ignorantiam, sapiẽtiæ lumen dedit. Ipse eñ lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenien- tem in hunc mundum, Ioh. 1. Cõtra mendacium ue ritatem, Ioh. 14. Ego sum uia, ueritas & uita. & 18. Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundũ, ut testimonium perhibeam ueritati. Contra iniustiti- am, iustitiam. 1. Co. 1. Qui factus est nobis sapientia & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Ro. 5. Iu- stitia dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum. Gal. 2. Sciẽtes quòd nõ iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidẽ Ie- su Christi: & nos in Christũ Iesum credimus, ut iu- stificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Sic cõtra amorem creaturarum, amorem dei. Ro. 5. Charitas dei diffusa est in cordibus nostris p spiri tum sanctum, qui datus est nobis. 1. Ioh. 4. Deus cha ritas est: & qui manet in charitate, in deo manet, et deus in eo. Item finaliter contra mortem uitam. nã contra mortem naturæ, resurrectionem. 1. Cor. 15. Per hominẽ mors, & per hominẽ resurrectio mor- tuorum. & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Ioh. 11. Ego sum resurrectio & uita. & 5. Venit hora in qua omnes q in monumentis sunt, audiẽt uocem filij dei: & pro- cedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem uitę: q uero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Con-

tra mortem culpæ, Ezech. 18. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Sap. 16. Homo per malitiam occidit animam suam. Hinc infideles, mortuos dominus noïat. Mat. 8. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Vitã attulit gratiæ, Ioh. 10. Ego ueni ut uitam habeant. Col. 3. Quum Christus apparuerit uita uestra, tũc & uos apparebitis cum ipso in gloria. Sic cõtra mortem gehennæ, Apo. 20. Et mors & infernus missi sunt in stagnum ignis. hæc est mors secunda. Vitam contulit gloriæ. Iohã. 10. Ego uitam æternam do eis. Ro. 5. Sicut peccatum regnauit in mortem, ita & gratia regnet in uitam æternam, per Iesum Christum dominum nostrum. [Christi,] id est, Messiæ. Ioh. 4. Scio quia Messias uenit qui dicit Christus. Vnctus enim fuit spiritusancto, Acto. 10. Heb. 1. & Psal. 44. Vnxit te deus deus tuus oleo exultationis, præ participibus tuis. Ioh. 1. De plenitudine eius omnes nos accipimus. Exorditur autem
2 ab his duobus, Abraamo & Dauide, uel quod horum memoria celeberrima sit, pariter & gratiosissima apud Iudæos, uel quod his duobus potissimum promissus sit ille tot seculis expectatus Christus in Hebræorum oraculis, quibus summam habent fidem, etiam illi qui Christo repugnant. Ge. 22. Bene dicentur in semine tuo omnes gentes. Gal. 3. Non dicit, in seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno, in semine tuo qui est Christus. Luc. 1. Iusiurandum quod iurauit ad Abraam patrem nostrũ, daturũ se nobis. Psal. 131. Iurauit dñs Dauid ueritatẽ, & nõ frustrabitur eum: de fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Luc. 1. Dabit illi dominus deus sedẽ Dauid patris sui. Hinc pharisæi requisiti cuius filius foret Christus, responderunt, Dauid. Mat. 22. Vbi sct

uator duplicem per scripturā ostendit in se substantiam, diuinam, & humanam secundum quam filius est Dauid. Ro. 1. Qui factus est ei ex semine Dauid secūdum carnem. De hac generatione, hic: nam de æterna, Esa. 53. Generationem eius quis enarrabit? Ioh. 16. Exiui à patre, & ueni in mundū. Nota Matthæum genealogiæ recensionem accommodasse ijs quibus scripsit euangelium. Scripsit enim Hebræis, nimirum (ut creditur) hebraice, quorum affectibus sciebat fore gratissimum, si perspexissent Christum esse filium Abraam & Dauid. Contrà Lucas, qa gentibus scripsit, ab Adam ad ipsum usq; deum porrigit genealogiæ seriem, ut intelligerent Christi gratiam, non ad Iudæos solum, sed ad uniuersum quoq; mortalium genus pertinere. Ostendit igitur Matthæus promissionē patribus factam, & summo desiderio expectatam (Ioh. 8. Abraam pater uester exultauit ut uideret diem meum: uidit, & gauisus est. Lu. 10. Multi reges & ꝓphetæ desiderauerunt uidere q̄ uos uidetis, & non uiderūt) p Christū impletā.

Abraam genuit Isaac.

Iam ob senīū defecto corpore, ex effœta iam uxore genuit ꝓmissum Isaac Ge. 21. Is typū Christi gessit, ligna baiulans ad sacrificium, cui erat ipse destinatus, Gen. 22.

Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram ex Thamar. Phares genuit Esrom. Esrom genuit Arā. Aram genuit Aminadab. Aminadab genuit Naasson. Naasson genuit Salmon. Salmon genuit Booz ex Rachab. Booz genuit Obeth ex Ruth. Obeth

genuit Ieſſe. Ieſſe genuit Dauid regem. Dauid rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon genuit Roboam. Roboã genuit Abiam. Abias genuit Aſa. Aſa genuit Ioſaphat. Ioſaphat genuit Ioram. Ioram genuit Oziam. Ozias genuit Ioatham. Ioatham genuit Achaz. Achaz genuit Ezechiam. Ezechias genuit Manaſſen. Manaſſes genuit Amon. Amon genuit Ioſiam. Ioſias genuit Iechoniã et fratres eius in trãſmigratione Babylonis. Et poſt tranſmigrationẽ Babylonis Iechonias genuit Salathiel. Salathiel genuit Zorobabel. Zorobabel genuit Abiud. Abiud genuit Eliachim. Eliachim genuit Azor. Azor genuit Sadoch. Sadoch genuit Achim. Achim genuit Eliud. Eliud genuit Eleazar. Eleazar genuit Mathan. Mathan genuit Iacob. Iacob genuit Ioſeph uirum Mariæ.

Hieronymus: Cum uirum audieris, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum, ſed recordare cõſuetudinis ſcripturarum, qua ſponſæ uocantur uxores, & ſponſi, uiri. Hinc Lu. 3. Vt putabatur filius Ioſeph. Quo enim caſto coniugio et illibato, eunti in Aegyptum & redeunti obſequeretur, uirginem habuit ſpõſam, caſtum illum referens Ioſeph, qui domini ſui uxori noluit commiſceri Ge. 39. & populo frumenta ſeruauit. ſic iſte ſacrarium ſpũſſanc̃ti, uirgo uirginẽ ſeruans, uerum nobis frumẽtum ſeruauit. Ioh. 6. Ego ſum panis uiuus qui de cælo deſcendi. Et quoniam non eſt mos ſcripturarum, ut mulierum ſeries texatur generationis, ſic Ioſeph (q̃ de domo & familia erat Dauid, quemadmodum Maria Luc. 1. & 2.) beata uirgo habuit ſponſum, quo dominus oſtenderetur de ſtirpe Dauid.

De qua natus est Iesus, qui uocatur Christus. 3

Quoniam apud Hebræos plures fuerunt huius nominis, ut Iesus filiꝰ Naue, Iesus sacerdos, idcirco cognomine addito discreuit à cæteris. Porrò Christus græce unctum significat: quo uocabulo Hebræi sonant regem, atq; suum illum nimium iam diu expectatum Messiah, uno uocabulo simul & regis & sacerdotis dignitatem explicantes, quum uterq; ungeretur. & utraq; dignitas uni cõpetit Christo, quod omnium rex, & idem summus sacerdos, solus deũ patrem peccatis offensum, sui corporis uictima placarit, ac depulsa mortis tyrannide, & peccati regno destructo, cęleste regnum omnibus aperuerit. Ideo Apoc. 19. Habet in uestimẽto & in femore suo scriptum, Rex regũ & dominus dominantium. Matt. 28. Data est mihi omnis potestas in cęlo & in terra. De qua, ait: non, De quibus. Ipsa sola hoc honore p̃ omnibus creaturis apud deum digna habita. Heb. 2. Nusquã angelos, sed semen Abraę apprehẽdit: ut unica, unici filij dei esset mater et uirgo.

Omnes ergo generationes ab Abraam usq; ad Dauid, quatuordecim: & à Dauid usq; ad transmigrationem Babylonis, quatuordecim: & à transmigratione Babylonis usq; ad Christum, quatuordecim.

Distinguit p tres generationes, mystice designãs fidem trinitatis, quam concorditer astruit doctrina legalis & euangelicæ institutionis. Ponit XLII. generationes per tres tesseradecades: quia sicut populus ille uetus, sub spe intrãdi requiẽ, p septies sex, id est, q̃dragintaduas mãsiones castra metabat, in quarum ultima Iesu duce, patefacto Iordane, requiẽ in

trauit, sic noster Iesus quadragesimasecũda generatiõe ab Abraã credente, lauacra baptismi & cæli ianuas patefecit. Sub eiusdẽ numeri sacramento nos cursu uirtutũ ad patriã tendimus, dum q̃tidie præli bãdo gustu cælestiũ fruimur, & patiẽter ꝓmissum expectamus. Nam per obseruantiã decem p̃ceptorum, Mat. 19. Si uis ad uitã ingredi, serua mandata. & quatuor euangeliorũ, Mat. 28. Docentes eos seruare oĩa quæ mãdaui uobis. in fide trinitatis, Sine fide eñ impossibile est placere deo, Heb. 11. p desertum huius mundi, per uerum Iesum, non typicũ, in æternam ducimur ꝓmissionis terram. Quod aũt Matthæus descẽdendo numerat, humanitatẽ Christi per quã ad nos descendit, demõstrat. Ecõtra Lucas formã sacramenti aperiens, à baptismo usq; ad deum ascendit, ostendens baptizatos ascendere ad hoc, ut sint filij dei. Sic Matthæus naturæ ordinem seruans, Genuit, posuit: Lucas autẽ legales filios interserẽs, Qui fuit, ait: sicut Ioseph filium Heli, quem Matthæus filiũ dicit Iacob. Isti enim duo fratres fuerunt: sed Heli sine liberis mortuo, Iacob semen fratris iuxta sanctionem legis suscitauit: & sic naturalis pater Ioseph, Heli autẽ secundum legem.

Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirẽt, inuenta est habens in utero de spiritu sancto.

Mat. 1. K

Eleganter excitat animum legentis hac ceu præfatiuncula, Christi natiuitas sic habebat, rem prodigiosam & inauditã narraturꝰ. Quum enim è parentum arbitrio, sed horum animos moderante numine, sanctissima uirgo huic tanto mysterio ab ęterno

destinata,futura mater Iesu, suæ tribus uiro probato desponsata esset, inuenta est grauida, antequam conuenirent nuptiarũ solennia celebrando,ut dicit Rabanus.Nec enim ipsa fugitabat sponsi sui cõspectum,quasi sibi mali cõscia, nec aperiebat arcanum quod ab angelo didicerat:siue quia desperabat adhuc posse persuaderi,siue qa seruabat hoc deo suo tempore patefaciendum. Cæterũ ut res gesta est,ita enarrat euangelista, non ut ipse nouerat. Nondum enim intelligebat Ioseph mysterium:grauidam uidit, congressum non intercessisse nouit: & idcirco euangelista nondum pronunciat uirgineum esse conceptũ,donec angelum id aperientẽ producit.

Ioseph autẽ uir eius,cum esset iustus, & nollet traducere eam,uoluit occulte dimittere eam. 2

Iustus,non ob unam uirtutem,quæ prima est inter uirtutes quatuor morales,sed ob absolutam numeris omnibus probitatem. Erat enim raræ cuiusdam probitatis, cum sponsæ tumentem uterum & indubitata conceptus signa uideret, nec expostulare cum uxore,nec queri apud affines,nec zelotypia discruciari, nec in ius ire, & ad pœnam rapere, sed suos æstus tantum in animo premere, & de secreto diuortio cogitare,cum mores eius non paterentur,ut posset adulterium credere. Chrysostomus: Omnibus argumentis deficientibus, quibus fornicatio mulieris argui soler, sola remanebat apud Ioseph suspicio gratiæ dei:unde magis credebat castitati eius quàm uentri, gratiæ q̃ naturæ. Hinc indignum se eius iudicans consortio, clanculum uoluit eam à se amittere,qa palã nõ posset citra periculũ si

mul & infamiam uxoris. Sic Petrus indignum Christi consortio se iudicãs, ait: Exi à me domine, qa homo peccator sum, Luc. 5. & centurio Matth. 8. Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Sic Elizabeth Luc. 1. Vnde hoc mihi, ut ueniat mater domini mei ad me? Videtur tamen quid humanum passus, quum ad plenum certificatus non esset, quo plenius per angelum certificaretur, ne quis causari posset, Marię partum aut supposititicium, aut adulterinum esse. Sic & Thomas dubitare permissus de resurrectione. Gregorius: Dubitatum est ab illis, ne dubitaretur à nobis.

3 *Hæc autem eo cogitante, ecce angelus domini in somnis apparuit ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. quod enim in ea natum est, è spiritu sancto est.*

Fili Dauid, nõ solum carnis propagatione, sed fidei & iustitiæ imitatione. Agnosce Dauid autorem tui generis, cui promissum est olim, quod nunc incipit exhiberi. Noli timere, iam enim cogitatione & animo eam amandauerat. In ea, ait, nasci em̃ in ea, est concipi: nasci ex ea, est prodire in lucẽ. Felix conceptio, ubi mater concipiens, uirgo: filius cõceptus, deus & homo: conceptionis opus, è spiritu sancto. Hier. 31. Nouum faciet dominus super terram: fœmina circundabit uirum.

Pariet autem filium, & uocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluũ faciet populum suũ à peccatis eorũ.

Bonauent. Si recte uelimus loq & sentire, maiori modo uirgo beatissima fuit & est mater seruatoris,

q̃ aliqua mater filij sui. nõ em̃ ait, Pariet tibi, quẽad modũ Zacharię Lu. 1. sed nec dixit, Pariet sibi, quia oĩbus. Esa. 9. Paruulus em̃ natus est nobis, & filius datus est nobis. Hic em̃ est ille tot seculis exoptat⁹ & expectatus Messias, q̃ iuxta oracula ꝓphetarũ, liberatur⁹ erat populũ suũ uniuersum à peccatis suis, nõ uictimis pecudũ, sed suo ipsi⁹ sanguine. Act. 10. Huic oẽs ꝓpheræ testimoniũ perhibẽt, remissionẽ peccatorũ accipe per nomen eius, oẽs q̃ credunt in eũ. Quod ergo nõ oẽs saluant, nõ est ex insufficiẽtia Christi, sed ob defectũ Christo nõ adhęrentiũ. Ioh. 3. Lux uenit in mundũ, & dilexerũt hoĩes magis tenebras q̃ lucẽ. Oportet em̃ ut meritũ Christi nobis applicet per sacramẽta ecclesiæ & fidẽ per dilectionem operantẽ. Gal. 5. In Christo em̃ Iesu neq; circũcisio aliquid ualet, neq; ꝓputium, sed fides q̃ per charitatẽ operat. Dedit em̃ potestatẽ, filios dei fieri, ĩs qui credũt in nomine eius, Ioh. 1. Sed Luc. 6. Quid autem uocatis me, domine dñe, & non facitis quæ dico? Si ergo fidem operibus probamus, erimus de populo Iesu, quem saluat à peccatis suis.

Hoc autem totum factũ est. ut adimpleretur quod dictum est à domino per prophetã: Ecce uirgo *in utero habebit, & pariet filium, & uocabitur nomẽ eius Emanuel, quod est interpretatũ, Nobiscũ deus.* Esa. 7.

Hieronymus: Prophera nõ ponit, habebit, sed accipiet, significãs quid futurũ sit: Euãgelista nõ de futuro, sed de ꝑterito narrans historiã, mutando accipiet, ponit habebit. Qui em̃ habet, nequaquã acceꝑturus est. Tale qd psal. 67. Ascẽdens in altũ, cepisti captiuitatẽ: accepisti dona in hominibus. Paulus

Eph.4.Dediſti dona,ponit:qa ibi de futuro ſignifi catũ eſt, q̃ acceptur⁹ eſſet:hic de eo narrat hiſtoriã, qui iam dederit q̃d acceperat. Alma autẽ uocabulũ non cõpetit in quãuis uirginem, poteſt eñ & anus eſſe:ſed in eã uirginẽ dũtaxat,q̃ puella ſit & iam nubilis,ac nõdum nupta,id eſt,cognita uiro. Ecce uirgo illa cõcipiet. Pſal.71.Deſcẽdet ſicut pluuia in uellus,& ſicut ſtillicidia ſtillãtia ſuper terram. Eſa.53. Aſcendet ſicut uirgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitiẽti, nõ ab hoĩbus culta, ſed cæleſti influentia fœcundata. Vocabunt nomen eius Emanuel.Baruc.3.Poſt hæc in terris uiſus eſt,& cum homĩnibus conuerſatus eſt.

Exurgens autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei angelus domini,& accepit coniugem ſuam:& nõ cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum. Et uocauit nomen eius Ieſum.

Lętus & alacer paruit oraculo, ponẽs conſilia diſſidĩ:ſed arctius etiã adiungit ſibi coniugẽ ſuam,ne q̃ diſſidĩ ſuſpicio poſſet oriri cuiquam: iamq; ſentiẽs eam totã dicatam cęleſti numini,ueneratur in ea diuinũ myſteriũ,nec audet attingere,quam ſibi diuinitas unicè uindicaſſet. Nam poſt partũ plenius eius excellentiã cognouit,& ex tũc in animo ipſius facta eſt p̃ſtãtior toto mũdo. Alio mõ dicit Gloſ. Ioſeph facie ad faciẽ Mariã uidere nõ poterat, quã ſpiritus ſanctus à cõceptione impleuerat:&hoc ꝓpter claritatẽ uult⁹ eius,multo ampliorẽ Moſi,Ex.34.2.Co.3.donec euacuaretur. Fuit hic locus nõnullis offendiculo,q̃ dixerunt alias proles Mariã poſt Ieſum habuiſſe: q̃d nedum in uirginẽ blaſphemũ,quæ tali ac

tanta, ple non cõtenta, alias paup ex paupe quæreret marito: sed & in Christũ, q talẽ elegisset matrẽ. Est & absurdũ in sacras literas. Donec em̃, sæpe certum tempus, sæpe infinitũ significat, quẽadmodum 1. Cor. 15. Oportet autem illũ regnare, donec ponat oẽs inimicos scabellum pedũ eius. Nunqd postea non regnabit? Hoc enim habet proprietas scripturæ. Gen. 8. Dimisit coruum, qui egrediebatur & non reuertebatur donec siccarent aquę super terrã. neq; em̃ postea rediit. Sic Matt. 28. Ecce ego uobiscum sum usq; ad cõsummationem seculi. Ergo nõ erit nobiscũ? Imo multo felicius, & nos cum ipso. Quod aũt primogenitus dicit, nõ mirũ: quũ primogenitus sit, non tantũ post quẽ aln̄, sed ante quẽ nullus. Hieron. Nos ita diffinimus: Oĩs unigenitus, primogenitus: non omnis primogenitus, unigenitus. Diffinit em̃ sermo diuinus, quid sit primogenitus. Omne, inquit, quod aperit uuluã generis masculini, mcũ erit, Exo. 34. & 13. Sanctifica mihi oẽ primogenitũ, quod aperit uuluã, de filiis Israel. Cæterum q̄ fratres Christi scribunt in euangelio, more fit scripturarum, quo cognati fratres appellãtur. Sic Abraam Loth filiũ fratris sui, fratrẽ nominat, Ge. 13. Sic Laban Iacob, filium sororis suæ, Ge. 29. Ioab Amasam, 2. Re. 20. Est aũt primogenit⁹ in multis fratribus, q cõformes sunt imaginis suę, Ro. 8. Est & primogenitus mortuoꝝ, & princeps regũ terrę. Heb. 2. Decebat eũ propter quẽ oĩa, & p quẽ oẽia, q multos filios in gloriã adduxerat, autorẽ salutis eorũ, p passionẽ cõsummari. qui em̃ sanctificat, & q sanctificãtur, ex uno oĩs. Propter quã causam nõ cõfundit fratres eos uocare, dicẽs: Narrabo nomẽ tuũ fratri-

bus meis, in medio ecclesię laudabo te: Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi deus. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolũ, & liberaret eos qui timore mortis per totam uitã obnoxij erant seruituti.

De natiuitate Christi, Lucæ II.

ARTICVLVS VIII.

Lucæ. 2. L. FActum est autem in diebus illis, Exijt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes ut profiterentur, singuli in ciuitatem suam.

Immensam diuinæ bonitatis ostendit abyssum circa incarnationis mysterium, Christi describẽs natiuitatem. Glos. Quietissimũ & pacatissimum erat regnum, quod una descriptione orbem descripsit: tanta enim erat pax, ut ad literam uideretur impletum illud Esa. 2. Conflabunt gladios suos in uomeres, & lãceas suas in falces. Hinc Beda: Nõ casu contigisse putãdum est, sed certissima dispensatione redemptoris. Ipse enim mediator dei & hominum, sicut matrem sibi diuinitus quam uoluit præuidit, de qua nasceretur quando uellet humanitus, ita etiam tempora natiuitatis quæ uoluit elegit, imò ipse ea qualia uoluit esse donauit. Matrem elegit uirginem, quia non aliter dei filium nasci in carne, quàm de intemerata genitrice, decebat. Tempus quando nasceretur, summæ pacis elegit: quia hæc ei nimirũ

nascendi in mundo ratio fuit, ut genus humanũ ad supernę pacis dona reduceret. Ipse enim est pax nostra qui fecit utraq; unum, Ephe. 2. Hoc est, de angelis & hominibus unam dei domum pius mediator & reconciliator instituit. Sic de Iudæis & gentibus, ut sit unum ouile & unus pastor, Iohãn. 10. & ostenderet se illum de quo Psal. 71. Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Esa. 9. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Præcesserãt descriptiones particulares, quemadmodum sub Dauid 2. Reg. 24. sed hæc generalis sub præside Syriæ, postquam aliæ actæ sunt. Voluit autem dominus cum toto orbe censeri, ut sicut circuncisus, circuncisionẽ aboleuit, ita sanctificaret qui censentur, & seruitutem naturæ nostræ aboleret. Nam & si corpore sumus serui, spiritu tamen liberi sumus. Iohan. 8. Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. & nomina electorũ scriberet in cælis. Lucæ 10. Gaudete quod nomina uestra scripta sunt in cælis.

Ascendit autẽ & Ioseph à Galilæa, de ciuitate Nazareth, in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ uocatur Bethleem, eo quòd esset de domo & familia Dauid, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.

Prophetatum fuit, Christum Nazareth concipiendum. Esaiæ 11. Egredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdet. Hebraica ueritas habet, Nazaræus de radice eius ascender. sed in Bethleem nasciturũ. Mich. 5. Et tu Bethleẽ Effrata, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius à diebus ęternita-

tis. Iohan. 7. Nonne scriptura dicit quia ex semine Dauid, & Bethleē castello ubi erat Dauid, uenit Christus? Non solum aūt Ioseph & Maria prinebant ad tribum Iuda, uerumetiam genus duxerunt ē progenie & stirpe Dauid, ē cuius semine promissus fuerat Christus, & sic promissio ostenditur completa. Beda: Hoc dictum Augusti quo singuli ibāt in suam ciuitatem ut profiterentur, in nostri regis est nobis spiritualiter agendū seruitio. Omnes nato regi debitum pendere debemus censum, hoc est, in unitate ecclesiæ prēceptis parere diuinis, & ad ingressum patriæ cælestis infatigabili bonorum operum exercitatione fatigari. Non enim habemus hic manētem ciuitatem, sed futurā inquirimus, Heb. 13. Induit carnem, ut nos uirtute spiritus indueret. Descendit de cælo ad terras, ut nos de terra ad cēlos eleuaret. Soluit tributum, Mat. 17. ut nobis perpetuæ libertatis gratiam donaret. 2. Cor. 3. Vbi spiritus domini, ibi libertas. Denarius imaginem Cæsaris habens & nomē, decē sunt prēcepta cū imagine sanctæ conuersationis. Læui. 19. Sancti estote, qm̄ ego sanctus sum.

Factum est autē cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. & peperit filium suū primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.

Quo magis constaret uerū hoīem esse, qui nascerētur, tēpus quod naturę præfixerat, cōditor naturę obseruare uoluit, sup naturā nasciturus ex uirgine sine dolore. Ezech. 44. Porta hæc clausa erit, & nō aperiet, & uir nō trāsiet per eam, qm̄ dñs deus Israel ingressus est p eā, eritq; clausa principi, Nec mi-

Peperit eñ filiũ, patris æterna generatione. Psal. 2. Dominus dixit ad me, filius meꝰ es tu, ego hodie genui te. Suum, carnis assumptione. Gala. 4. At ubi uenit plenitudo temporis, misit deus filium suũ, factũ ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erãt redimeret, ut adoptionem filiorũ reciperemus. Vnde sequitur, primogenitum. Matri erat unicꝰ filius, nobis primogenitus, quos sibi spiritu iũctos fratres reddidit, & hæreditatis æternæ cõsortes. Col. 1. Ipse est caput corporis ecclesię, q est principiũ, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatũ tenens. Heb. 1. Et cum iterũ introducit primogenitũ in orbem terrarũ, dicit: Et adorent eum omnes angeli dei. Non aũt tradidit infantem nutricibus, sed ipsa fascijs inuoluit, reclinãs in præsepio, quia illęsa peperit uirginitate, & sine dolore maledictioni mulierum non obnoxia, agilis & alacris, cum angelis dei ad sanctum præsepe uigilans, & Ioseph sponso suo, uirginitatis suæ testibus, puerum adorans, quẽ angelo teste & spiritu sancto illustrante, filiũ esse altissimi didicerat. Hieronymus: Nulla ibi obstetrix, nulla mulierculariũ sedulitas interfuit: ipsa pannis inuoluit infantem, ipsa mater & obstetrix fuit. Inclinauerat se in uterũ uirginis. Psal. 17. Inclinauit se & descendit. natus, reclinatur in præsepio, nõ in lecto aureo ut Salomon, Can. 3. factus cibus iumentorũ. Psal. 48. Homo cũ in honore esset, nõ intellexit: cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, sed diuinæ legis iugum suscipiẽs, domini fit iumentum. Psal. 72. Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Omnis autem caro fœnũ, Esa. 40. Oppidulũ humile sibi delegerat, in q̃ tamẽ

domum nullam habebat cæli terræq; dominus, pa-
rentes humiles, denique peregre nasci uoluit, ut nos pu-
derer nostrę superbiæ simul & auaritiæ, ac uel huius
exemplo disceremus, felicitatem hominis non esse
metiendam istis uulgaribus bonis, quæ si nobis nõ
subducũtur, nos illis subducimur, sed æternis bonis
æstimandum, & in illam patriam recondendos the
sauros, qbus perpetuo simus fruituri. Ecce magnus
dominus & laudabilis nimis, cui⁹ magnitudinis nõ
est finis, Psal. 47. Paruulus natus est nobis Esa. 9.
ut nos renascẽdo de paruulis magnos, id est, de pec
catoribus faceret iustos. Qui ad dexteram patris se-
det in cælo, loco egebat in diuersorio, ut nobis co-
piam felicium mansionum in domo patris sui do-
naret. Iohan. 14. In domo patris mei mãsiones mul
tæ sunt. Vado parare uobis locum. Qui omnes cre
aturas multifariis induit ornamentis, qui in sua ma-
iestate amictus est lumine sicut uestimẽto, Psal. 103.
fasciis inuoluitur, ut primam nobis stolam restitu-
at, hoc est, gratiam immortalitatis quam in primo
parente amisimus. 2. Cor. 8. Scitis gratiam domini
nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus
factus est, cum esset diues, ut illius inopia nos diui-
tes essemus. Augustinus: Christus omnia terrena
contempsit, ut ea contemnenda monstraret: omia
quoq; terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præce
pit, ut nõ in illis quæreret felicitas, nec in istis time-
retur aduersitas. Audi superbe diues, qui latifundia
latifundijs accumulas, qui nusquam non substruis
domos, prædia, palatia. Qui cæli terræq; dominus
est & opifex, peregre nascitur, nec habet locũ in di-
uersorio. Si principem tuum agnoscis in cuius ucr-

ba iurasti,ne pigeat illius exemplum imitari,& pudeat te tuæ mentis. Amos 6. Væ qui dormitis in lectis eburneis,& lasciuitis in stratis uestris. Esa. 5. Væ qui coniungitis domum ad domum,& agrum agro copulatis,usq; ad terminũ loci. Nunquid habitabitis uos soli in medio terræ? Pœnitebit,sed sero,quũ dicetis: Quid profuit nobis superbia nostra? diuitiarum iactantia quid contulit nobis?

Et pastores erant in regione eadem uigilantes,& custodientes uigilias noctis supra gregem suum. Et *ecce angelus domini stetit iuxta illos,& claritas dei circunfulsit illos,& timuerunt timore magno,& dixit illis angelus:* Nolite timere, *ecce euangelizo uobis gaudium magnum quod erit omni populo,quia natus est uobis hodie saluator,qui est Christus dominus in ciuitate Dauid.* 5

Hoc quum esset læti ominis,tamẽ ob insolitum ac subitũ prodigium,magno pauore correpti sunt, sed angelus hunc pauorem mox adimit blando alloquio. Hoc enim proprium bonorum est angelorũ,Marc.16. Nolite expauescere. Beda: Cum lux uera nascebatur in mundum,dignum profecto fuit,ut præco natiuitatis illius etiã corporales hominũ uisus nouitate cælestis pfunderet lucis. Vnde Psal.111. Exortũ est in tenebris lumẽ rectis corde,misericors & miserator & iustus dominus. Magnum dicit gaudium,quia cæleste & æternum, quod nulla tristitia interueniente turbatur: gaudium autem hypocritę ad instar puncti. & quia omnium hominum populo incarnatio facta est gaudium & salus, Iohan.12. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me-

ipsum. Hodie dicit, ob rei qualitatem quam nuncia bat, Esa. 9. Habitantibus in regione umbrę mortis, lux orta est eis. & ut admoniti recordemur, qa nox ꝓcessit antiquæ cęcitatis, dies aũt apparuit æternę sa lutis: & ideo abijciamus opera tenebrarũ, & induamur arma lucis, sic ut in die honeste ambulemus, Ro. 13. Vt filij lucis, Ephe. 5. Seruator, Esa. 35. Deus ipse ueniet & saluabit nos, Ose. 13. Ego domin⁹ deus tuus, & non est saluans præter me, Mat. 1. Ipse sal uum faciet populum suum à peccatis eorum. Iam olim prophetarum oraculis promissus, diu expecta tus, is uobis & omnibus natus. Christus, quia pleni tudine gratiæ unctus. Iohan. 3. Non enim ad men suram dat deus spiritum. Vnde de plenitudine eius oẽs nos accipimus. Dominus, Act. 2. Certissime sci at omnis domus Israel, quia & dominum & Chri stum, fecit deus hũc Iesum. In Bethleem, ob ꝓphe tię impletionem, Mich. 5. & mysticã signationem. Vbi enim dignius decebat uerum nasci panem, q̃ in domo panis? Ioh. 6. Ego sum panis uiuus. Sed qui bus hoc gaudium nũciatum? Num pontificibus & templi sacerdotibus? Num scribis & pharisæis sapi entia & scientia tumidis? Non. Sed simplicib⁹ & in officio patriarcharum occupatis, qui pastores fue runt, Gene. 47. Bernardus: Quanti sapientes huius seculi, quanti nobiles secundum carnem, illa hora in stratis mollibus quiescebant, & nemo eorũ dignus habitus est uidere nouam lucem, scire illud magnũ gaudium, angelos audire cantantes, gloria in altiss mis deo. Sed pastores in agris excubãtes excubias, qbus angelus imminebat ex alto supra illos, ut Gręce ponitur. Infirma ẽm mundi eligit deus ut cõfun

dat fortia, ut non glorietur omnis caro in cõſpectu eius, 1. Cor. 1. Et ut curã paſtoralis regiminis cõmendaret, quia ipſe princeps paſtorũ, 1. Pet. 5. & Heb. 13. Qui & ouem centeſimam quæſiturus aduenerat, Mat. 18. Lu. 15.

Et hoc uobis ſignum: Inuenietis infantẽ pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.

1. Cor. 1. Iudæi ſigna quærunt. Sed quod ſignum nati regis oĩm? Num rubus ardẽs? Exo. 3. Num uirga uireſcens & germinans? Nume. 17. Aut uellus rore madẽs? Iudi. 6. Minime, tametſi uirginei partus, ſed infantulus faſciis puerilibus inuolutus. Non auro gemmisve ornatum, nec in molli lectulo iacentem, qui principem mundi, regem ſuper omnes filios ſuperbiæ, Iob. 41. calcare uenerat. Beda: Signum ſalutis hũmilitas eſt ſeruatoris, quo contra initium omnis peccati ſuperbia, Eccl. 10. Bernardus: Panni tui domine Ieſu, poſiti ſunt in ſignum, ſed cui contradicitur hodie à multis, delicijs & diuitijs diſſolutis. Diuitiæ ergo ſi affluant, nolite cor apponere, Pſal. 61. Miſericordias ergo dñi in æternum cantemus, quia ut perpetuo bene uiuamus, ipſe abiectionis noſtræ & mortalitatis ſocius fieri non abnuit.

Et ſubito facta eſt cũ angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium deum & dicentium: Gloria in altiſſimis deo, & in terra pax hominibus bonæ uolũtatis.

Beda: Bene angelorum exercitus, militia uocatur, quia ducem militiæ ſequuntur, qui fortis in præliꝰ, contrà malignos ſpiritus ad noſtram tutelam

exercitus ordinat angelorum. Pulchre autem distin guit dans gloriam deo, nimirum hoc significans ni hil nobis ex hoc negocio gloriæ deberi, sed bonita ti diuinæ, quæ nobis quos condidit, miro consilio prospicit è cælo, ut intelligamus illinc nobis profi- cisci quicquid magnificum ac salutiferũ obtigerit. Et licet à multis in terra despiciatur, tamen in cælis ubi specialiter ipsius relucet gloria, digne glorifica- tur. In omnibus ergo gloriam ipsius quęrere debe- mus, 1. Timo. 1. Soli deo honor & gloria. Esai. 42. Gloriam meam alteri non dabo. Psal. 113. Non no- bis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Gloriam optare debemus in deo tanquam in obie cto, datore & causa. Secundum deum, hoc est, ipsi- us uoluntatem, nõ propriam cupiditatem, Et pro- pter deum, finaliter ad ipsius laudem, & nos & oẽ nostrum referẽdo. 1. Cor. 1. Qui gloriatur, in domi no glorietur. In terra pax reddita per Christũ, quũ prius humana natura inimica fuerit deo, nunc ita conciliata est, ut & deo coniuncta sit, & incarnato unita. Nihil in terris aliud optandũ, quàm pax, quæ peccatis abolitis, nos deo conciliet, quæ nos mutua charitate conglutiner. Hæc est enim pax non mun- di, sed dei, quæ exuperat oẽm sensum, Phi. 4. quæq; præponderat uniuersis mundi felicitatibus. Hanc Christus attulit in sua natiuitate, Psal. 71. Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Et pax erit in terris nostris cum uenerit. Docuit in prę- dicatione. Psal. 84. Quoniam loquetur pacẽ in ple- bem suam. Mar. 10. In quamcunq; domum intraue- ritis, primum dicite, pax huic domui: Tenuit in con uersatione. Esa. 53. Sicut ouis coram tõdente se ob-

mutuit. Fecit in passione. Esai. 53. Disciplina pacis nostræ super eum. Col. 1. Pacificans per sanguinem crucis quæ in cælis, siue quę in terris sunt. Quęrit in conscientiæ puritate. Psal. 74. In pace factus est locus eius. Augustinus: Si feceris iustitiam, inueniespacem osculantem iustitiam: & si iustitiam non amaueris, pacem non habebis. Esa. 57. Non est pax impijs, dicit dominus. Impij enim quasi mare feruens, quod qescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Dabit æternã in fruitione. Esa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in requie opulenta, in tabernaculis fiduciæ. Tertio, hominibus bona uoluntas, hoc est, beneplacitum deo in hominibus propter Christum. In quibus enim prius non erat beneplacitum, nunc pro beneficijs & refocillationibus hominum habet opera, in quibus & quietem habet. Ro. 5. Recõciliati sumus deo per mortem filij eius. Qui ergo æternæ pacis gaudia desiderat, per obseruantiam pacis necesse est perueniat. Col. 3. Et pax Christi exultet in cordibus uestris.

Et factum est ut discesserunt ab eis angeli in cælũ, Pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus usq; Bethleem, & uideamus hoc uerbum, quod factum est, quod fecit dominus, & ostendit nobis. Lucæ. 2. M

Incomprehensibilem diuinæ gratiæ in simplicibus, superbis reiectis, ostendit operationem. Pastores siquidem consolatione angelica ac denũciatione rei tam gaudiosæ confortati & læti, se inuicẽ exhortantur, desidiã excutientes. Virgo Dauidis stirpe nata, sed tunc à nemine secundum seculum repu

tata, angelo & Ioseph testibus, deo plena, in uili stabulo ueluti mundo abiectissima parit, tacet, nihil de se loquitur: sed quod homines negligunt, cæli ciues honorant, denunciant, pauperes inquirunt. Videamus corporaliter remissam nouam, quã indicauit nobis. A seculo nõ est auditũ, nec à quocunq; actũ, sed dominus fecit propter nostram salutem & suũ honorem. Iohan. 1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & uidimus gloriam eius. O magnũ diuinæ pietatis indicium: pastorib⁹ reuelatur, quod multi reges & prophetę uidere desiderarũt, Mat. 13. Hinc Psal. 84. Ostende nobis domine misericordiã tuã, & salutare tuum da nobis. Nam Luc. 10. Beati oculi qui uident quę uos uidetis. Vnde senex ille sanctus Simeon, Luc. 2. Nunc dimittis seruum tuũ dñe, secundum uerbum tuum in pace: quia uiderũt oculi mei salutare tuũ. Moyses ait Exo. 3. Vadam, & uidebo uisionẽ hanc magnam, quare non cõburatur rubus. Huius figurę completionem pastores & audiunt & oculis contemplantur, uirginem sine corruptione parientem. Sed qm̃ in principio erat uerbũ, & uerbũ erat apud deum, Ioh. 1. non factum, sed natum de deo, ac ideo inuisibile, Ioh. 1. Deum nemo uidit unquã. Lucẽ em̃ habitat inaccessibilem, 1. Tim. 6. Ideo caro factũ, ut uideri & palpari possit. Ambrosius: Cum caro dñi uidetur, uerbũ dei uidetur, q̃d est filius dei. Quanq̃ solus filius sit incarnatus, toti tñ trinitati cõpetit operatio. Ipsa em̃ opera trinitatis ad extra, sunt indiuisa. Aderat potẽtia patris, aduersus naturã educens ex integra uirgine filiũ. Aderat spiritus sanctus, sanctificans partũ, Lu. 1. Aderat & filius, suppositans naturã humanam, Pro. 9. Sapientia

ædificauit sibi domum. Ipse autem factus est nobis sapientia & iustitia.

Et uenerunt festinantes, & inuenerunt Mariam 2
& Ioseph & infantem positum in præsepio.

Glos. Præ uidendi desiderio tam magnū nouum, Christum scilicet dñm, cuius maiestatē angelico cōcentu intellexerūt. Et quia ardenti desiderio quęsierūt seruatorē, inuenire meruerūt. Lu. 11. Quærite, & inuenietis. ac q̄ mentis affectu quærēdus sit, & dictis suis & factis ostenderunt. Esa. 21. Si quæritis, quærite: cōuertimini & uenite. Deut. 4. Cum q̄sieris dñm deum tuū, inuenies eum, si tñ toto corde quæsieris. Sap. 1. In simplicitate cordis q̄rite illum. Festinemus ergo nō pedū passibus, sed bonorū operū profectibus. Eph. 2. Ipsius em̄ factura sumus, creati Christo Iesu in operibus bonis, q̄ præparauit deus, ut in illis ambulemus. Hinc inuenerunt infantē cū Maria & Ioseph, qa in amaritudine pœnitentiæ, cū profectu uirtutū, inuenitur in p̄sepio cibus iumētorū. Psal. 83. Ibunt de uirtute in uirtutē, (reiectis uitijs) uidebitur deus deorū in Sion. Nemo ergo tardet conuerti ad dñm, nec differat de die in diem, Eccl. 5. sed festinemus ingredi in illā requiem, Heb. 4. Ipsum precantes, ut gressus nostros dirigat secundū eloquiū suū, Psal. 118. ut non dominetur nobis omnis iniustitia.

Videntes aūt, cognouerunt de uerbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et *oēs qui audierunt, mirati sunt, & de ijs quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.*

Glos. Videntes exterius, cognouerūt interius de uerbo per fidē, quod ipse esset Christus. Sap. 1. Sen-

tite de domino in bonitate. Pharisæi nec miraculis crediderunt uisis. Iohan. 15. Nunc uiderunt, & oderunt & me & patrem meum. Habet pietas in hominibus quamlibet humilibus suam prudentiam. Inuenit pastorũ uox apud multos fidem, excitans eos ad cupiditatem uidendi pueri. Beda: Mirati sunt oẽs qui audierunt de mysterio incarnationis, & de tam cõstanti & certa protestatione pastorum, qui inaudita fingere nesciunt, sed simplici facundia quæ uera sunt prædicãt. Officium itaq; spiritualium pastorum fuerit, se suosq; custodire, & panem cælestem quærere: quẽ cum inuenerint, in Bethleem, hoc est, in ecclesia in scripturis sacris & alijs indicare. Actu. 20. Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo posuit uos spiritussanctus episcopos regere ecclesiã dei, quam acquisiuit sanguine suo. Sed & unusquisq; se & alios uirtutum exemplis pascere debet, & pabulo uerbi dei. Mat. 4. Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore dei. & exhortari, ut relictis concupiscentijs mundi & carnis, festinet in domum non manufactam, sed æternam in cælis, 2. Cor. 5. Vbi panis uiuus. Lucæ 14. Beatus qui manducabit panem in regno dei. Cogitet q̃sq; quid gaudij quidve tripudij haberet, si præsens fuisset, dum diuinus ille puer infantulus coram boue & asino in præsepio iacebat. Abac. 3. In medio duorũ animalium cognoscēris. (secundũ translationẽ LXX.) & pia illa puerpera, nobilis quidẽ, sed paupcula assidebat, nec minimũ partus indiciũ habẽs.

Maria autem conseruabat uerba hæc, conferens in corde suo.

Ambrosius: Non contemnēda putes, quasi uilia, uerba pastorum. A pastoribus enim Maria fidem colligit, à pastoribus populus ad dei reuerentiā congregatur. Non minus ore q̄ corpore pudica, secreta quæ nouerat, nulli diuulgabat: sed corde tacito tempus scrutatur congruum, quo deus hæc uelit diuulgare, ac reuerenter expectat. Considerat omnia plena miraculis, uidet ubiq; summam humilitatem cū summa sublimitate misceri. Infans in utero concipitur, sed angelo internuncio, spiritusancto opifice, Luc. 1. Puer nascitur, sed è uirgine. Reclinatur in p̄sepio, sed angeli gratulabundi canunt è cælis. Latitat in obscuro loco, sed cælum nati sublimitatem adorat. Conferebat autem acta ijs, quæ agenda uel audierat uel legerat. Vidit se uirginem cōcepisse, ut legerat Esa. 7. Ecce uirgo cōcipiet & pariet filium. Et de stirpe Dauid. Esai. 11. Egredietur uirga de radice Iesse. Sic & in Bethleē iuxta uaticinium Mich. 5. Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus eius à diebus æternitatis. Ruminemus & nos diuina mysteria, ne peccatis obuoluamur. Psal. 118. In corde meo abscondi eloquia tua, ut nō peccem tibi. Dulcia enim super mel & fauum. Psal. 118. Quām dulcia faucibus meis eloqa tua. Sed Eccl. 21. Cor fatui quasi uas confractum, omnem sapientiam non tenebit.

Et reuersi sunt pastores, laudantes & glorificantes deum super omnibus quæ audierant & uiderant, sicut dictum est ad illos.

Nam quemadmodum audierant, compererunt:

quare deū laudabant pro beneficio toti mundo exhibito, & sibi specialiter ostenso. Quatuor em̃ nunciauerat angelus. Gaudium uniuersale. Si promissio gaudium contulit patribus, Iohan. 8. Abraam exultauit ut uideret diem meum: uidit, & gauisus est. qd exhibitio? Paupertatis signum. Zach. 9. Ecce rex tuus uenit tibi iustus & saluator, & ipse pauper. Redemptionis pignus. Psal. 110. Redemptionem misit dominus populo suo. Lu. 1. Benedictus dominus deus Israel, quia uisitauit & fecit redemptionē plebis suæ. Diuinæ bonitatis præconium. Apo. 5. Benedictio & honor & gloria & potestas, in secula seculorum. Transeamus & nos ista temporalia. Philip. 3. Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea uero quæ sunt prior, extēdens meipsum, ad destinatum prosequor, ad brabium supernę uocationis dei in Christo Iesu. & uideamus quātam humilitatem & paupertatem pro nobis suscepit rex gloriæ. simus grati beneficiis eius, uerbo & opere ipsum imitando, & cum angelicis spiritibus ardenter laudando. Eccl. 43. Benedicentes dominum, exaltate illum quantum potestis: maior est enim omni laude. Psalm. 10. Benedic anima mea dominum, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Si enim illi sola natiuitate cognita reuersi sunt gaudētes, quanto magis nos, qui totam incarnationis seriem ex ordine cognouimus, & sacramentis illius imbuti sumus, in omnibus gloriam eius & laudem non solum uerbo, sed & factis prædicare, nec unquā obliuisci debemus, quod ideo homo natus est, ut nos ad imaginem & similitudinem suæ diuinitatis renascendo reficeret?

De circuncisione, Luc. II.

ARTICVLVS IX.

ET postq̃ consummati sunt dies octo, ut circun- Lucæ.2.
cideretur puer, uocatum est nomen eius Iesus. N
Quod uocatũ est ab angelo, priusquam in utero conciperetur.

Quantum deo humilis & syncera placeat obedientia, ostendit dominus in legis ueteris, quam ablaturus uenerat, obseruatione. Nec enim dedignatur ueluti peccatis parentum obnoxius, accipere remedium, qui solus ab omni peccati cõtagio immunis, ablaturus erat omnia peccata mundi, sibiq; populũ nouum acciturus, cui cor esset ab oñibus carnis cupiditatibus repurgatum, idq; nõ cultris petrinis, sed gladio sermonis euangelici, per fidem omnia purgantis. Sine fide enim impossibile est placere deo, Heb. II. Vnde ab initio dei cultores fidem suam q̃busdam exterioribus cæremonijs profitebãtur, sicut in lege naturæ hostijs & oblationibus. Gene. 4. Respexit dominus ad Abel & ad munera eius, & de Noe Gene. 8. Aedificauit autẽ Noe altare domino, & tollens de cunctis pecoribus & uolucribus mundis, obtulit holocausta super altare. Odoratusq; est dominus odorem suauitatis. Sic Abraam, qui & aliud à deo fidei signum accepit. Gen. 17. Hoc est pactum meum quod obseruabitis inter me & uos, & semen tuum post te: Circuncidetur ex uobis omne masculinum, & circuncidetis carnem præputij uestri, ut sit in signũ fœderis inter me & uos. Non ergo ipsa circuncisio iustificabat, sed fides cuius ipsa

signum. Roma. 4. Dicimus enim quia reputata est Abraæ fides ad iustitiã. Quomodo reputata? in circuncisione, an in præputio? Non in circũcisione, sed in præputio. Et signum accepit circũcisionis, signaculum iustitiæ fidei quę est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad iustitiam, & sit pater circũcisionis, non ijs tantum qui sunt ex circuncisione, sed ijs qui sectantur uestigia fidei, quæ est in præputio Abraæ. Patet ergo, duos modos & ordines saluandorum tunc cucurrisse. Alterum descẽdentium ab Abraamo, aut sibi iungi uolẽtium, qui in signum spiritualis & internæ circuncisionis, carnem præputij circuncidere tenebantur. Nam secunda sine prima nihil profuit. Ro. 2. Circuncisio quidem prodest, si legẽ obserues: si autẽ præuaricator legis sis, circuncisio tua præputium facta est. Alterum, non ab Abraam descendentiũ, qui ad legem minime tenebãtur. Ro. 3. Quæcunq; lex loquitur, ijs qui sunt sub lege, loquitur, sed per fidem saluabantur. Heb. 11. Accedentem ad deum, credere oportet quia est, & ꝙ inquirentium se remunerator sit. Ro. 2. Si autem præputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in circuncisionem reputabitur? Non enim qui in manifesto Iudæus est, neq; quæ in manifesto in carne est circuncisio, sed qui in abscondito Iudæus est, & circũcisio cordis in spiritu, non litera: cuius laus nõ ex hominibus, sed ex deo. Ne enim cui seculi labentis ꝙti superni respectus munera deessent, illi qui à mundi initio, usq; ad tempora datæ circuncisionis, uel post datam, de alijs nationibus deo placuerunt, uel hostiarum oblationibus, uel certe sola fidei uir-

tute, suas suorumq; animas creatori commendantes, à primi reatus uinculis absoluere curabant. Misericordia enim domini ab æterno usq; in æternum, super timẽtes eum, Psal. 102. Voluit ergo dominus 2
circuncidi, quũ de genere esset Abraæ, ob legis confirmationem. sic enim præceptum erat Gen. 17. Infans octo dierum circuncidetur in uobis. Leui. 12. Die octauo circuncidetur infantulus. Hinc Ro. 15. Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis, propter ueritatem dei, ad confirmãdas promissiones patrum. Hoc enim ostendit, se de semine Abraam, in quo benedicendæ omnes gentes, Gen. 22. & Gala. 3. Non dicit, in seminibus quasi in multis, sed in semine tuo, qui est Christus. Secundo ad legis completionem. Heb. 7. Nihil ad perfectũ adduxit lex. Rom. 10. Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Ideo Mat. 5. Non ueni soluere legẽ, sed adimplere. Voluit ergo circũcidi, ut ostenderet se autorem legis, sicut & euangelij: quoniam qui per seipsum ait Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei, ipse idem per seruum suũ prius dixerat, Gene. 17. Masculus cuius præputij caro circuncisa nõ fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Quod si solum baptisma suscepisset, uideri poterat refugisse circuncisionem, tanquam nihil ad se pertinentem. Si uero circuncideretur, & non baptizaretur, quomodo persuaderi posset baptismum sufficere, circuncisione relicta? Nunciatq; baptisma post circuncisionem suscipiens, illud tenendum tradidit, q̃d ultimo suscepit. Gala. 4. At ubi uenit plenitudo tẽporis, misit deus filium suum, factum ex muliere, fa-

ctũ sub lege,ut eos q sub lege erãt redimeret, ut adoptionẽ filiorũ reciperemus. Hinc uocatus Iesus.i. seruator.Mat.1. Ipse eñ saluũ faciet populũ suum à peccatis eorũ. Quis aũt potest peccata dimittere,ni si solus deus?Lu.5.Ideo Esa.11.Vocabit nomẽ eius Emanuel,quod est, nobiscũ deus. Ab angelo prænunciatũ Mat.1.sed à deo ab æterno impositum.4. Esd.7. Et reuelabit filiꝰ meus Iesus cum his q cum eo sunt,& iocundabunt q relicti sunt in annis quadringẽtis,& erit post annos hos moriet filius meus Christus,& cõuertet seculũ. A Maria & Ioseph uocatũ,p apostolos diuulgatũ. Act.9. Vas electionis est mihi iste, ut portet nomẽ meũ corã gentibus & regibus. Et necessario. Non eñ est aliud nomẽ sub cælo datũ hominibꝰ, in q̃ oporteat nos saluos fieri. Indubitãter ergo credimus & speramus,qa q à peccatis saluat,ipse etiã à corruptionibus,q̃ ob peccata cõtigerũt, & ab ipsa morte saluare nõ omittit. Psal. 102. Qui ꝓpiciat oĩbus iniq̃tatibus tuis,q sanat oẽs infirmitates suas. Dimissis qppe iniquitatibus nostris,ad integrũ nos sanat, quũ resurrectionis gloria apparẽte,nouissima inimica destruet mors. Hęc est plena atq; perfecta circũcisio,cum in die iudicii,cunctis simul animæ & corporis corruptibilibus exuti, mox peracto iudicio,ad uidendam perpetuo creatoris faciem,aulam cælestis regni ingredimur. Psal. 102. Qui redimit de interitu uitã tuã, q coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desideriũ tuũ,renouabit ut aquilæ iuuentus tua. Qui ergo ad huius pulcherrimę renouationis quasi summæ circuncisionis desideramus præmia pertingere,curemus primitiuæ circuncisionis & renouati

enis, q̃ quotidianis uirtutũ exercitationibus fit, subire remedia. Carnalis circũcisio mortifera est, dicente Apostolo Gal. 5. Si circũcidamini, Christus nihil uobis proderit. Spiritualis uero necessaria. Hier. 4. Circuncidimini dño, & auferte ꝑputia cordium uestrorum. Act. 7. Dura ceruice & incircuncisi cordibus & auribus, uos semper spiritui sancto restitistis. Si ergo incircuncisi cordibus & auribus sunt, q̃ spiritui sancto resistunt, est utiq; cordis & aurium circuncisio, est & cæteroꝝ membrorũ & sensuũ, interioris & exterioris hois. 2. Cor. 7. Mundemus nos ab oĩi inquamento carnis & spiritus, ꝑficientes sanctificationẽ in timore dei. Consistit ergo, ut dicit Bernardus, tam interior q̃ exterior in tribus. Interior, ut cogitatio sit sancta. Peruersæ eĩm cogitationes separãt à deo, Sap. 1. Hie. 4. Vsq; quo morabũtur in te cogitatiões noxiæ? Pro. 4. Oĩi custodia serua cor tuũ, qm̃ ex ipso uita ꝓcedit. Secundo, ut affectio sit pura. Lu. 6. Bonꝰ homo de bono thesauro cordis sui ꝓfert bona, malus aũt similiter mala. Tertio, ut intentio sit recta. Lu. 11. Si oculus tuus simplex fuerit, totũ corpus tuũ lucidũ erit. Si aũt nequã fuerit, etiã corpus tuũ tenebrosum erit. Vide ergo ne lumẽ q̃d in te est, tenebræ sint. Ambrosius: Intẽtio operi tuo nomẽ imponit. Exterior, in habitu ne sit notabilis, sicut diuitis Lu. 16. Secundo, in sermone, ne sit contẽptibilis. 1. Pet. 4. Si q̃s loquit, quasi sermones dei. Mat. 12. Ex uerbis tuis iustificaberis, & ex uerbis tuis condẽnaberis. Tertio, in actione, ne sit reprehensibilis. 1. Pet. 2. Conuersationẽ uestram inter gentes habentes bonã, ut in eo quod detrectant de uobis tanq̃ de malefactoribꝰ, ex bonis opibus uos cõside-

rantes, glorificent deum in die uisitationis. Phil. 4. Modestia uestra nota sit omnibus hominibus. Ergo qui uidet mulierem ad concupiscendam eam, Mat. 5. & qui habet oculos sublimes, quem odit dominus, Pro. 6. auertat oculos suos ne uideant uanitatem, Psal. 118. Qui obturat aurem suam ne audiat legem, Prou. 28. & ad clamorem pauperis, Prou. 21. procliuus ad detractiones, sepiat aures suas spinis, ne audiat linguam nequam, Eccl. 28. Qui potēs est ad bibendum uinum, & fortis ad miscendam ebrietatem, cui ug, Esa. 5. gustet & uideat quoniam suauis est dominus, Psalm. 33. Cuius manus dextera, est dextera iniquitatis, Psal. 143. & repleta munerib⁹, Psal. 25. leuet manus suas ad mandata dei quæ dilexit, Psal. 118. In cuius uijs infelicitas, & uiam pacis nō cognouit, Esa. 59. prohibeat pedes suos ab oñi uia mala, ut custodiat uerbum dei, Psalm. 118. Cuius lingua loquitur iniquitatem, Psal. 72. & qui loquitur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus suis, Psal. 27. custodiat uias suas, ne delinquat in lingua sua, Psal. 38. et donec in eo est halitus, & spiritus dei in naribus eius, non loquatur labijs suis iniquitatem, Iob. 27. Sic ergo omnes sensus suos petra spiritalis exercitij se ostendat habere circūcisos. Petrinis enim cultris circuncisionem fieri legimus, Iosu. 5. Petra autem est Christus, 1. Cor. 10. Cuius fide, spe & charitate, non solum in baptismate, sed in omni actione deuota purificātur corda bonorum. Ambrosius: Circuncisus uitijs, diuino dignus iudicabitur obtutu. Psal. 33. Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum.

De aduentu magorum, Mat. II.

ARTICVLVS X.

CVm natus esset Iesus in Bethleē Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente uenerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & uenimus adorare eum. Mat. 2.

Ostendit quēadmodum seruator iuxta prophetarū oracula in Bethleem natus, & gentibus sit agnitus. Voluit enim omnibus esse perspicuus, qui uenerat seruandis omnibus, ut & bonis innotesceret ad salutem, & impijs adimeret omnē ignorantiæ excusationem. Nec omnes eadem ratione pertraxit ad sui notitiam, sed singulos paulatim allexit rebꝰ iam persuasis & familiaribus. Iudæi prophetis habebāt fidem, signis & prodigijs commouebantur, atq; harum illecebra pellexit eos. Persæ & Chaldæi multum tribuebant astris, ut huic philosophiæ potissimum dediti, è cuius peritia mirabilem quēdam orbis instauratorem promiserant. Nato ergo Iesu, ex uirgine uera carne sumpta in Bethleem Iudæ, ad differentiam alterius quę est in tribu Zabulon, Iosu. 9. Quia de semine Dauid. Iste Herodes Ascalonita, natione Idumæus, cuius filius Herodes Antipas, occidit Iohannem, & Christum illusit, Luc. 23. Fuit alter Herodes Agrippa, qui Iacobū occidit, Actu. 12. Meminit ergo regis alienigenæ, ut ostenderet quēadmodum locum, sic & tempus diuinis consentire oraculis. Ge. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec ueniat qui mittēdus

est. Chrysostomus: Quandiu sub proprię gentis regibus & ducibus fuerunt, misit eis deus prophetas: sed nunc sub alienigenis misit filium seruatorem. Figurabatur iam nunc regnum Iudæorũ (hoc est, synagogæ) deficere, & Christi consurgere. Magos Persæ uocãt, philosophię suspiciendos professione, quemadmodum Iudæi suos scribas, Græci philosophos, Latini doctores nominãt. Dicunt isti reges Psal. 71. Iob magnus in oriente cũ suis amicis, Iob. 2. Qui & reges appellant Tob. 2. Aureo em̃ illo seculo p sapientiam, non potentiã gubernabãt, nunc p potentiam & stultitiã. Venerũt ab oriente. Chrysostomus: Vnde dies nascitur, inde initiũ fidei, processit, qa fides lumẽ animæ. Et quo, quod stella ueluti p somnium docuerat, cominus discerent & exactius, nihil deterriti itineris magnitudine, Hierosolymã sese præuia stella cõferunt: siue quod illic agebãt scribæ & pharisæi, in lege & pphetis eruditi, siue quod intellexerant regẽ eũ haud procul ab Hierosolymis nasciturum, & sic ipsos Hierosolymitas non latere, quod ipsi tam insolito in oriente indicio cognouissent. Iam enim certi natum esse, solum quærunt de loco in quo tam inclytus partus foret. Sed nusq̃ serius ac difficilius innotescit Christus, q̃ in urbibus opulentis, in aulis principũ, & apud sapiẽtiæ professiõe turgidos. Mirabilis fides, & mirabilior cõstantia, non enim dubitabant natum, cui diuinus exhibẽdus honor, nec Herodis, neq; Cæsaris formidarunt potentiam, stella duce, quæ luce sua monstrauit opificem, illustrati. Bar. 3. Et luxerunt ei qui fecit illas. Ro. 1. Inuisibilia enim dei, à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Secundum Hiero

nymum successores Balaam, ex illo Num. 24. Orietur stella ex Iacob, & consurget uirga de Israel, & percutiet duces Moab. stellam in ortu Christi, de semine Iacob nati, apparituram credebant, cuius ortum obseruabant, quæ illustrior cæteris apparens, simul cum mentis illustratione foris ducatum præstitit. Differebat autem à cæteris stellis: Situ, quia tam prope, ut certum prope designaret locum: Motu, nam per iter directum magos direxit: Effectu, quia die & nocte lucebat. Venimus, aiunt, personaliter iter peregimus. Non sufficiebat per nuncios rem peragi: ipsi nos cultum debitum regi impendere uolumus. Esai. 42. Ego dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meã sculptilibus. Hunc titulum Iudæi semper reiecerunt. Nam Christum de eo accusarunt. Luc. 23. Hũc inuenimus dicentem se Christum regem esse. Eidem renunciarunt Iohan. 19. Non habemus regem nisi Cæsarem. Actu. 5. Negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Dani. 9. Et non erit eius populus qui eum negaturus est. Publicari prohibuerunt Iohan. 19. Noli scribere, rex Iudęorũ. In cruce Christo improperando, Matth. 27. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce. E contra gentes honorarunt, ut hic claret in Magis, & Pilatus ait Iohan. 19. Quod scripsi, scripsi. Hieronymus: Ad confusionem Iudæorum, oritur stella in oriente, quam futuram, Balaam cuius erant successores, uaticinio Magi nouerant, ut Iudæi à gentibus Christi natiuitatẽ discerent. Nec enim aliam ob causam stella uiæ dux Magos Hierosolymam ingressuros deseruit ad tempus, nisi ut illorũ percõtatio diuulgaret rumorẽ

nati pueri,& Iudæi inexcusabiles forent,qui nõ solum non quæsierunt,sed pòst agnitũ occiderunt.

Audiens aũt Herodes rex,turbatus est,& omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerũt: In Bethlem Iudæ. Sic enim scriptum est per prophetam: Et tu
2 *Bethleem terra Iuda,nequaquam minima es in principibus Iuda:ex te exiet dux,qui regat populum meum Israel.*

Improbus,data occasione,semper fit improbior. sic sapiens,occasione p̃bita,sapientior. Nam postquam audierat Herodes natũ,quem metuebat nasciturum,quum esset alienigena, quia Idumęus natione,& audierat à Magis uiris & eruditione & fortunæ strepitu nequaquam aspernandis, conturbatus est animo. Chrysostomus: Sicut ramum arboris in excelso positæ, etiam si uentus leuis flauerit, mouet,sic sublimes homines leuis nunciꝝ fama perturbat: humiles uero, sicut in conualle,plerunq; in tranqllitate consistunt. Iob. 15. Sonitus terroris semper in auribus eius,& cum pax sit,ille semper insidias suspicatur. Sed quod Hierosolyma,quis non obstupescat? Vere qualis rector ciuitatis,tales & inhabitantes eam, Eccl. 10. & Pro. 29. Princeps qui libenter audit uerba mẽdacij,omnes ministros habet impios. Facile enim turbantur,qui pacẽ pectoris amiserunt. Esa. 48. Non est pax impijs, dicit dominus. Nam quum gaudere deberẽt, quòd rex suus à Persicis regibus adoraretur, turbati sunt & moti sicut ebrius,& oĩs sapientia eorũ deuorata est, Psal. 106.

Intelligens aũt Herodes illos de insigni illo Iudęorum rege sciscitatos, quo rem cautius ageret, & certis indicijs puerũ deprehendere posset & occidere, sapientes sub specie bona congregatos interrogat, ubi Christus nasceret. Hũc expectabant Iudæi. Ioh. 4. Scio qa Messias uenit, qui dicitur Christus, & regnaturũ temporaliter, quemadmodũ & moderni, dicta prophetæ de secundo aduentu, q glorioſus, ad primum qui humilis, detorquentes. Zach. 9. Ipse pauper ascendens sup asinam. At illi nondum odio furentes in Christum, quem nondum uiderant, simpliciter & incontanter respondent, propheticũ testimonium adducendo Mich. 5. Et tu Bethleem terra Iuda, in sorte Iuda nequaquam minima es. Nec Hebraica ueritas, nec. LXX. interpretatio sic habet, sed Matthæus dicta scribarum & sacerdotum allegat. Sensus autem is est: Et tu Bethleem Ephrata, minima quidem es in ciuitatibus Iuda, & tantis milibus comparata, uix paruus uiculus, sed ex hoc paruo uiculo exibit, qui dux sit in populo meo. Exibit tẽporaliter q exit æternaliter à patre. Mich. 5. Et egressus eius à diebus æternitatis. Ioh. 16. Exiui à patre, & ueni in mundum. Dux, Esa. 55. Ecce testem populis dedi eum, ducem & præceptorem gentibus. Deut. 32. Dominus solus dux eius fuit. Felices qui hunc sequuntur ducem: nam in terram ducit uiuentium. Psalm. 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. Esai. 49. Super uias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum, non esurient neq; sitient, & non percutiet eos æstus & sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Mira Iudęorum cor-

dis duritia, q alijs oſtẽſo loco natiuitatis eius, quem tanto deſiderio patres expectarunt & expetierunt, ipſi nec cum alienigenis reqſierunt, nec prædicanti poſtea crediderunt. Quapropter diuina diſpenſatione interroganť, ut ueritatẽ cõfiteanť, & ex hoc iuſte, qa credere noluerunt, cõdemnenť. Maximus: Ecce ad inquirendũ regem regum, una Chaldæos ſtella ptraxit. Iudaicum uero populũ ad obedientiam dei ſui, nec ignea quondam columna cõuertit. Nec quenq̃ moueat tanta hæc pfidia Iudæorũ, q Chriſti illos fidem ſuſcipere, neq; noui ſtella fulgoris, neque parturiens uirgo perculerit, qui nec tunc qdem deo ſuo credere uoluerũt, cum illos per arentia deſerta, ipſo comitante deo, cęlũ paſceret, & petra potaret.

Tunc Herodes clàm uocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ quæ apparuit eis: & mittẽs illos in Bethleem, dixit: Ite, & interrogate diligẽter de puero: & cum inueneritis, renunciate mihi, ut & ego ueniens adorem eum.

Clàm rem perſcrutatur, quũ eſſet alienigena & ſuſpectos haberet Iudæos, ut cognito loco & tẽpore, cognoſceret puerũ, quẽ ſine ſtrepitu è medio tollerer. Hinc diligẽter didicit tẽpus ſtellæ q̃ apparuiſſet, id eſt, q̃ tempore apparuiſſet. Magi uero, ut non eſt ſuſpicioſa pietas, nihil illum celãt, haud quaq̃ ſuſpicantes eum eſſe tam immanẽ, ut in infantem uixdum natũ, ſęuire uellet: neq; tam ferocẽ & furioſum, ut ſe ſperaret humanis cõſilijs oppreſſurũ, q̃d diuinitus ageret. Indicato tẽpore, ille rurſus indicat locum quẽ à ſcribis didicerat, d. Ite & interrogate diligẽter de puero. Contẽptibiliter dicit, de puero, nomẽ po

testatis nō ferēs in eo. Sibi primū uolebat innotesce re puerū, ut eū prius tolleret è medio, q̄ populus Iu dęorū eū plene resciſſent natū: Deo interim & hoc ꝓcurante, ut incolumes redirēt magi, ſuis regioni-bus annūciaturi Chriſtum. Rabanus: Finxit nutu & uerbis ſe uelle eū adorare, quē inuida cogitatiōe tra ctabat occidere, malitiā cordis depingēs colore hu militatis, ut magi alacrius redirēt, nec Iudæi, q̄rum futurus erat rex, ipſum abſcōderēt, uolēs ſceleratam ſuā cōſcientiā latere, quaſi ignoraret deū nihil late-re poſſe. Eſa. 29. Væ q̄ ꝓfundi eſtis corde, ut à dño abſcōdatis cōſiliū, q̄rum ſunt in tenebris opa, & di-cūt: Quis uidet nos? aut qs nouit nos? Hie. 9. Sagit-ta uulnerās lingua eorū, dolū locuta eſt. Leo: O ſtul tæ æmulatiōis impietas, q̄ pturbādum tuo putas fu rore diuinū conſiliū. Dñs mūdi tēporale non quęrit regnum, q̄ præſtat æternū. Pro. 21. Non eſt ſapiētia, non eſt prudentia, nō eſt conſiliū cōtra dominum.

Qui cum audiſſent regem, abierunt. Et ecce ſtella quam uiderant in oriente, antecedebat eos, uſq; dum ueniens ſtaret ſuprà ubi erat puer. Videntes aūt ſtel-lam, gauiſi ſunt gaudio magno ualde.

Abierunt ſine mora & malitia. Quū em̄ ipſi dolo carerēt, putabāt & illū ſine dolo loq. Claret aūt ſtel lā diſparuiſſe q̄ ex lege, legis reqrere cogerent, ad ſu am cōfirmationē & Iudæorū cōdemnationē, auto rē. Augu. Magnū cæcitatis Iudęorū teſtimoniū, ex-titit illuminatio gentium: qa in terra eorū iſti reqre bant, quem illi in ſua non agnoſcebāt. Stella iterum apparēs, omnē ex animis illorum ſolicitudinē diſ-pulit, iāq; certa ſpe & gaudio pleni, neglectis homi-

num iudicijs cęlestem ducem secuti, noui regis palatium, sordidum uidelicet stabulum uidēt. Leo: Dedit aspicientibus intellectum, q̄ præstitit signum, & quod fecit intelligi, fecit inqri, & se inueniendū obtulit req̄situs. Ostendit euangelista eos inæstimabili gaudio repletos, & oraculo scripturæ & ducatu stellæ certificatos. Glos. Gaudeo gaudet magno, q̄ de domino gaudet, qui uerē est gaudium & impermixtum Phi. 4. Gaudete in domino semp. Gal. 5. Fructus autem spiritus, charitas, gaudium, pax. De mundano dicitur Pro. 4. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.

Et intrantes domum, inuenerūt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrram.

Ingrediuntur, reperiunt infantem, nihil à cæteris specie differētē, reperiunt matrē nihil magnificum præ se ferentē, paupertatē & humilitatē tota supellex testabat. Sed nihil his rebus cōmouetur syncera pietas. Si terrenū q̄ssent regē, certe cōfusi fuissent tanti itineris incassum cōsumpto labore: nunc q̄ cęlestem inqrunt, spiritu illuminati, hæc non necessitatis, sed dispensatiōis esse diuinæ agnoscunt in figuram, quōd puer iste nō mundanā & transitoriā, sed cælestē & ęternā daturus esset sibi credētibus felicitatē. Chry. Gaudebāt oculi eorū humilem aspicere, quē spiritus terribilē cordib⁹ eorū mōstrabat. Quid ēm̄ senserint de puero, ostendūt, quū ꝓstrati adorāt eum, quē multis argumētis didicerūt q̄ esset deus. Adoratio ēm̄ latriæ soli deo debet. Deut. 6. Mat. 4.

Dominũ deũ tuũ adorabis. Heb. 1. Et cũintroducit primogenitũ in orbẽ terrarũ, dicit: Et adorẽt eũ oẽs angeli. Apo. 22. Deũ adora. Hinc Mardocheus ait Hest. 13. Timui ne honorẽ dei transferrẽ ad hoiem, & nequaq̃ adoro nisi dñm deũ. Est & alia frequens in scriptura, q̃ dulia dicit, q̃ proprie nõ dicit adoratio, sed reuerẽtię exhibitio, ob dignitatẽ quampiam Gen. 27. Adorẽt te trib⁹, ait Isaac benedicẽs Iacob. Sic Iacob pronus in terram septies adorauit, donec appropinquasset frater eius Esau, Gen. 33. Adorauit & summitatẽ uirgæ Ioseph, Gen. 49. Hęc differẽtia pulchre ostẽdit. 1. Par. 29. Et bñdixit oĩs ecclesia domino deo patrũ suorũ, & inclinauerũt se, & adorauerũt deũ, & deinde regẽ. Nõ est credendũ, q̃ Dauid sanct⁹ in tã sancto ope diuinos suscipisset honores, & si sit, nõ sine uindicta dei, quemadmodũ Herodes Act. 12. Qui cõsumptus à uermibus expirauit, eo q̃ non dedisset honorẽ deo, acclamãte populo, dei uoces & nõ hoĩs. Fidem aũt quã corde cõceperant, & ore ꝓfessi fuerãt dicẽdo, Vbi est q̃ natus est &c. muneribus ꝓtestant. Apertis eñ thesauris, Psal. 71. Reges Tharsis & insulæ munera offerẽt, reges Arabũ & Saba dona adducẽt, Esa. 60. Oẽs de Saba ueniẽt, aurũ & thus deferẽtes, & laudẽ dño annunciantes. Accepta haud dubie oblatio. Nã fuit iusta, q̃ a aptis thesauris suis, non alienis. Pro. 4. Honora dñm de tua substãtia. Eccl. 34. Qui offert sacrificiũ de substãtia pauperis, q̃si q̃ uictimat filium in cõspectu patris sui. Secundo fuit uolũtaria Psal. 53. Volũtarie sacrificabo tibi. 2. Cor. 8. Hilarẽ datorẽ diligit deus. Exo. 35. Egressa oĩs multitudo filiorũ Israel de conspectu Mosi, obtulerũt mẽte ꝓmptissima atq̃ deuo

ta primitias domino.1.Par.29. In ſimplicitate cordis mei lætus obtuli uniuerſa hæc, & populum tuũ qui hic repertus eſt,uidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Verba ſunt Dauid. Tertio recta, gaei,deo,1.Para.29.Tua ſunt omnia,& quæ de manu tua ſuſcepimus,dedimus tibi.Ideo ad dei gloriã ordinãda.Mat.6. Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te,ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis & in uicis,ut honorificentur ab hominibus. Quarto precioſa.Exod.23. Non apparebis in conſpectu meo uacuus. Vnde ad munera Cain nõ reſpexit dominus,ſed ad Abel & munera eius, Gene.4. Mal.1. Maledictus doloſus,qui habet in grege ſuo maſculum:& uotum faciens,immolat debile domino.Magi uero deſtinatis muneribus, in uno homine mortalitatem,ſacerdotium & regnum uenerati ſunt. Siquidem aurũ regi conuenit,thus ſacerdoti, myrrha morituro.Natus eſt mortalis, ſacrificauit in cruce, uicit reſurgens,regnat in cælis. Sic & nobis triplex aperiendus theſaurus.Cordis,Luc.6.Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona. de q̃ feruida dilectio offerenda.Apo.3. Suadeo tibi emere aurum ignitum.1. Cor.13. Maior horum eſt charitas.Col.3.Super omnia hæc charitatem habete, q̃d eſt uinculum perfectionis.Oris,Pro.21. Theſaurus deſiderabilis requieſcet in ore ſapientis,de quo oratione pură.Pſal.140.Dirigatur domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Apo.8. Aſcẽdit fumus aromatum de manu angeli,de orationibus ſanctorum.Operis,Mat.13.Simile eſt regnum cęlorum theſauro abſcõdito in agro.de hoc mortificationẽ cõdignã offerre debemus.Gal.5. Qui Chriſti ſunt,

earnem ſuam crucifixerunt cum uitijs & concupiſcentijs. Col. 3. Mortificate mẽbra ueſtra quæ ſunt ſuper terram.

Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodẽ, per aliam uiam reuerſi ſunt in regionẽ ſuam.

Haud ſine magno cordis gaudio, à caſtiſſima matre inſtructi & confortati, quemadmodum paſtores, reuerſi ſunt, laudantes & glorificantes deum ſuper omnibus q̃ audierant & uiderant. Si eunuchus reuerſus eſt gaudens, inſtructus à Philippo, Act. 8. & baptizatus, quantum iſti, uiſo eo quem prophetę & reges uidere deſiderarũt, Mat. 13. Quod per aliam reuerſi ſunt uiam, per myſteriũ, idq; diuino oraculo, deſignat q; prima noſtra uia ſit carnis, mundi & peccati: qua, quæſito domino & adorato, nõ amplius nobis eſt incedendum. Pro. 12. Iter deuium ducit ad mortem. ſed alia illi prorſus contraria, quæ eſt ſpiritus, gratiæ atq; dei. Pſal. 118. Deduc me domine in ſemita mandatorũ tuorum, quia ipſam uolui. Heb. 13. Non habemus hic manẽtem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Hinc Ephe. 2. Non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici dei. Phi. 3. Noſtra aũt conuerſatio in cælis eſt.

De purificatione, Luc. II.

ARTICVLVS XI.

ET poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moſi, tulerunt Ieſum in Hieruſalem, ut ſiſterent eum domino, ſicut ſcriptum eſt Lucæ. 2. P

in lege: Quia omne masculinum adaperiens uuluam, sanctum domino uocabitur: & ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege domini, par turturū, aut duos pullos columbarum.

Ostendit dominum, qui non uenit legem soluere sed adimplere, Mat. 5. legem cōplentem, per sanctos spiritu dei repletos, legis dominum & consummatorem comprobatum. Prescripserat lex, ut oīe masculinum, simul atq; uulua matris aperta prodiret in lucem, haberetur domino sacrum, siue natum ex hominibus esset, siue ex brutis animalibus, Exo. 13. ut huic quoq; primitiæ cederent sacerdotibus, sic tamen, ut hominis primogenitū à sacerdotibus redimeretur, nisi puer esset tribus leuiticæ, Exod. 34. Atqui lex ipsa palàm liberet hanc sacram puerperā ab oligatione sua, quæ ait Leui. 12. Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, & die octauo circuncidetur puer, ipsa uero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis. Siquidem hæc nec mulier erat, quæ uirum nesciebat: nec semine suscepto aliunde pepererat. Hic enim fœtus cęlestis nec ingrediens nec egrediens, uirginalis uteri claustra uiolauit, sed consecrauit potius & consignauit, ne in posterum etiam uel corpus illius ue'uti templum semel deo dicatū, uel animus deo myrothecium sanctiſpiritus, ullis humanis inquinamētis pateret. Ezech. 34. Porta hæc clausa erit, & non aperietur, quoniam dominus deus ingressus est per eam, eritq; clausa principi. Nec hic tamen modestissima uirgūcula refugit speciem uulgarium puerperarum, quum in partu hoc nihil

esset inquinamenti, nihil nisi cælesti puritate, sanctimoniaq; plenum. Primo ob humilitatis exẽplum. Vera enim humilitas non uult humilis prædicari, sed uilis reputari, ut dicit Bernardus. Beda: Sicut dominus noster & seruator qui diuinitate legẽ dedit, apparẽs in homine, fieri uoluit sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem reciperemus filiorum, Gal. 4. ita etiam beata uirgo genitrix illius, quæ singulari priuilegio supra legem fuit, pro ostendendo humilitatis exemplo, legalibus non refugit subdi institutis. Eccl. 3. Quanto magnus es, humilia te in oñibus, & coram deo inuenies gratiam. Secundo ob scandalum uitãdum. Sic filius Mat. 17. ne scandalizaret uectigal colligẽtes, didrachma soluit. Exhibitus est igitur dominus ueluti legi obnoxius in templo, qui dominus erat omnium cælestium ac terrestrium. Non enim erat licitum eis sacrificare, nisi in loco quem elegit dominus, Deute. 16. Redemptus est exiguo precio, qui sui sanguinis precio redempturus erat uniuersum mundum Fuit eñ oblatio pauperum, ut patet Leuit. 12. Quod si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, uel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterũ pro peccato: orabitq; pro ea sacerdos, & sic mundabitur. Non dubium qn huberius fuerint largituri, nisi tenuitas obstitisset. Aderat diues animus, sed ad exemplum nobis parandum, utilior professio erat paupertatis. Beda: Dominus noster per omnia memor salutis nostræ, nõ solum homo fieri cum deus esset, sed etiam cum diues esset, pauper fieri dignatus est pro nobis, ut nos sua paupertate & humanitate, diuitiarum &

diuinitatis ſuæ donaret eſſet participes. 2. Cor. 8. Scitis gratiam dñi noſtri Ieſu Chriſti, q cũ diues eſſet, propter uos egenus factꝰ eſt, ut illius inopia uos diuites eſſetis. Nec ſine magno myſterio agnũ typi cum non obtulit, quum agnũ exhiberet dño, q tollit peccata mũdi, Ioh. 1. Finis aũt legis Chriſtus, Ro. 10. Nihil em̃ ad pfectum adduxit lex, Heb. 7. Hinc ipſe factus eſt nobis ſapiẽtia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, 1. Cor. 1. Quia ſacrificia legis ueteris accepta nõ erãt niſi in fide offerentiũ, inquãtum figurabãt Chriſtũ, uerum & perfectum ſacrificium. Heb. 11. Fide Abel plurimã hoſtiam q̃ Cain obtulit deo, p quã teſtimoniũ cõſecutꝰ eſt eſſe iuſtus. & 10. Impoſſibile eſt ſanguine taurorũ & hircorũ auferri peccata. Ideo ingrediens mundum, dicit: Hoſtiam & oblationem & pro peccato, noluiſti, corpus aũt aptaſti mihi. Athanaſius: Iuſſit deus bina offerri, q̃niam ex corpore & aĩa homine exiſtente, duplicem poſcit deus à nobis caſtitatẽ & manſuetudinẽ, aĩq; uidelicet & corporis: alioqui erit homo hypocrita, gerens tegumentũ occultæ malitiæ: Beda Myſtice deſignat fidelium gratiſſimã deo per has aues oblationem. Columba ſimplicitatẽ, turtur caſtitatẽm deſignat: qa & ſimplicitatis colũba, & caſtitatis amatrix eſt turtur, ita ut ſi coniugem caſu perdat, nõ alium quærere curet. Vnde in laudibus eccleſię loquitur dñs Cant. 1. Pulchrę ſunt genę tuę ut turturis. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulcha: oculi tui, columbarum. Genas quippe turturis habet, qui ab omni impudicitiæ peſte caſtum ſe cuſtodit & mundum: Oculos columbarum, qui nulli nocere deſiderãs, etiam inimicos ſimplici amore intuetur. Et qa

utraq; auis gemitum pro cantu habet, sanctorum in hoc seculo ploratū designat. Ioh. 16. Amen amen dico uobis, qa plorabitis uos & flebitis, mundus aūt gaudebit. Mat. 5. Beati qui lugent, qm̄ ipsi consolabuntur. Merito ergo columba & turtur dño in hostiam offeruntur, qa nimirum simplex & pudica fidelium cōuersatio, gratum est illi sacrificiū iustitiæ. Psal. 50. Quia q laborat in gemitu suo, q lachrymis stratum suum per singulas noctes abluit, acceptissimam prorsus deo uictimam mactat. Item par turturum offerri lex iubet, ostendens q̄d ex castissimo coniugio procreatus sit. Aut duos pullos columbarum, ut multiplicatio prolis huius signetur.

Et ecce homo in Hierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste iustus erat & timoratus, expectans consolationem Israel: & spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à spiritu sancto, non uisurum se mortem, nisi prius uideret Christum domini. 2

Ponit testimoniū Christi à fide dignis. Cōmendatur à famæ claritate, qa notus & famosus in ciuitate sancta, religione & studio legis famosa, Act. 2. Secundo, à uitæ sanctitate. Nam bene fuit ordinatus erga deum, secundum duas partes iustitiæ: Faciendo bonum, quia iustus. 1. Iohā. 3. Qui facit iustitiam, iustus est. Sapien. 10. Iustum deduxit dominus per uias rectas. Declinando à malo, quia timoratus. Prouer. 15. Per timorem domini declinat omnis à malo. Eccl. 1. Qui sine timore est, non poterit iustificari. Ideo Eccēs. 7. Qui timet deum, nihil negligit. Timore casto, sancto & filiali, qui timet offensam & clementissimum deum, ut patrem inho-

norare abhorret. Psal. 33. Timete dominum omnes sancti eius. Beda: Difficile sine timore iustitia custoditur, non seruili, sed filiali: quia iustus quanto plus diligit deum, tanto solertius offendere cauet. Item ad proximum, non suam tantum, sed populi expectans consolationem, peccatorum remissionem, à diabolo & inferno redemptionem, & æternæ uitæ adoptionem. Senecta iam frigidus, sed spiritu feruens: effœto corpore, sed animo uegeto: ætate marcidus, sed uitæ innocentia iam floridus: nimirum uere iustus, uereq; pius ac religiosus, non uenans exemplo pharisæorum gloriam ac quæstum ab hominibus, sed publicę salutis auidus, quem nulla uoluptas in hac uita remorabatur, nisi ut uideret oculis suis eum, quem in hoc prophetarũ oracula promiserãt uenturum, ut consolaretur Israëliticum populum. Tertio ad seipsum, quia spiritussanctus cum eo. Aliqui non fuisset iustus, pius & religiosus. Deus enim superbis resistit, humilibus aũt dat gratiam, Iac. 4. Sap. 1. In maleuolam animam non introibit sapientia. Et quia spiritualem, non carnalem Iudæorũ consolationem uotis omnibus expectabat & precabatur, erat illi promissum oraculo, nõ experturum se mortem, nisi uideret quẽ deus unxerat supra oẽs mortales, ut æterno regno, nec unquã finiendo sacerdotio potiretur.

Et *uenit in spiritu in templum. Et quum inducerẽt puerum Iesum in templum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit deum.*

Beda: Eadem gratia qua uenturum prænouerat,

uenientem cognouit. Esa. 64. Occurristi lætanti & facienti iustitiam. Perpende quod spiritum sanctum habuit inhabitatorem, doctorẽ & ductorem. Psal. 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. O quàm felices tales. Rom. 8. Qui spiritu dei aguntur, ij sunt filij dei. Si quis spiritum Christi nõ habet, is non est eius. Non omnes in spiritu sancto ueniũt in templum, sed quidam in spiritu superbiæ, ut ambitiosi, dignitates & honores aucupãtes. Alij auaritiæ, ut Simoniaci. Alij uanæ gloriæ & simulationis, ut hypocritę. Alij uanitatis & curiositatis, sicut fabulatores. Hi dominum nõ merentur in ulnas recipere, sed per dominum è templo expelli. Notãter euangelista dicit, ut facerent secundum consuetudinem legis: quia nõ quo ad legis obligationem, sed quo ad temporis determinationem, & humilitatis perfectæ exhibitionem, Maria purificationem peregit, primogenitum exhibendo in templo, sacrificium offerendo & filium redimendo. Num. 18. & Leui. 12. Non igitur se continuit pietas senilis, quin desideratum infantulum complecteretur ulnis suis. O quàm felix & ineffabile gaudium pium illud senis pectusculum, quum puerum illum tot millibus annorum expectatum, tam libera licentia, pro uoluntatis beneplacito amplexatur, deosculatur. Quis enim ignem consumentem in sinu portet sine combustione? fonti se immergeret sine madefactione? Nouit se contactu sancti sanctorũ indignũ, sed uicit amor uehemens rationem, & ad unionem & amplexum impulit senem. Hinc erupit mox defectura uox in laudem dei, ueluti cygneam quandã cantionem promens.

3 Et *dixit*: *Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum uerbum tuum in pace.*

Solet syncera pietas in primis diuinam recognoscere in beneficijs & efferre bonitatem. Hinc gratię naturā describit, agnoscit se seruum, agnoscit & tēpus gratiæ. Nunc, quo dies sanctificatus illuxit nobis, quo illatam recipimus gratiam in medio templi, Psal. 47. Mal. 3. Statim ueniet ad templum sanctum suum dominator quem uos quæritis, & angelus testamēti quem uos uultis. O utinam tam prope sentiretur in cordibus nostris, q̄ eum senfit annosus senex. Satisfactum est, inquit, domine uotis meis: hactenus dilatus est dies dormitionis meæ: sed tu qui uitæ & mortis habes imperium, Sap. 16. nūc dimittis. Attende quomodo sancti habent pro uinculo corpus. Gal. 6. Mihi mūdus crucifixus est, & ego mundo. Ro. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Agnoscit autem se seruū & domino mancipatum, non timore seruili, q̄ metuit pœnam magis, q̄ culpam & offensam, qui non manet in domo in æternum, Ioh. 8. & 15. Iam non dicā uos seruos, sed filiali, cui ait dominus Mat. 25. Euge serue bone & fidelis. Ro. 6. Nunc igitur liberati à peccato, serui autem facti deo, habetis fructū uestrum in sanctificationem, finem uero uitam ęternam. Hinc noranter dicit, tuum, non mundi. Iac. 4. Amicitia huius mūdi, inimica est deo. Non carnis, Ro. 16. Huiusmodi Christo dño nostro nō seruiūt, sed suo uētri. Phi. 3. Quoꝝ deus uēter est. Sed Ro. 6. Sicut exhibuistis mēbra uestra seruire immūditię & iniqtati ad iniquitatē, ita nūc exhibete seruire iusti-

tiæ in sanctificationem. Non diaboli. Mat. 6. Nemo potest duobus dominis seruire, Luc. 11. Qui non est mecum, contra me est. Ideo secundum uerbum tuũ, dimittis me animo placido requietoq;, neq; quicq̃ præterea desiderãtem in hac uita, sed cupidum etiã ex hoc corpusculo senili demigrandi ad felix cõsortium piorũ hominum, qui diem hunc expectarant, nec uidere contigit nisi spiritualibus oculis fidei. Priusquam uidissem, non pacata mente eram, expectãs illum: nunc ipso uiso, pacem consecutus sum. Vide quid prædicit, imò quid intelligit esse in mundo, & esse in deo sine mũdo. Nota triplex esse. Esse in mũdo sine deo, est seruire peccatis: & talis, captus est. Pro. 5. Iniquitates suæ capient impium, & funibus peccatorũ suorũ cõstringetur. Voluitur eñ & reuoluitur sicut mare. Esa. 57. Impij quasi mare feruens, q̃d quiescerenõ potest. Psal. 37. Non est pax ossibus meis à facie peccatorũ meorum. Alterum est esse in mundo cũ deo, & illud necdum perfectum est, quũ habeat secum pugnantem mundum, carnem & diabolum. Iob. 7. Militia est uita hominis super terrã, Iohan. 16. In mundo pressuram, in me pacem habebitis. In hac pace sunt iusti. Ro. 5. Iustificati ex fide, pacem habeamus ad deum. Hanc per Christũ habemus. Eph. 2. Ipse eñ est pax nostra, qui fecit utraq; unum. Col. 1. Pacificãs per sanguinẽ crucis siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt. Tertium est esse cum deo sine mundo. Illud est regnũ pacatissimũ, in quo agnus dei in nobis, & nos in ipso regnamus. Esa. 32. Sedebit populus in pulchritudine pacis. Hac enim tuti sum⁹, nec metuemus hostẽ, nec senectutis sentiemus incõmoda, nec deformitatem horrescemus.

Esse triplex.

Apoc.21. Absterget deus omnem lachrymã ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neq; luctus, neque clamor, neq; dolor erit ultra, quę prima abierũt. Posuit enim fines Hierusalem pacem, Psal.147. Hinc dicitur princeps pacis, Esa.9. Ideo admonet Apostolus Heb.4. Festinemus ingredi in illam requiẽ. Quid nos miseri prætexemus? qui mori ianua iam aperta timemus, plane ostendimus, quòd nõ Christi, sed uel mundi, uel carnis serui sumus, qui non in pace dimittuntur, quẽadmodum ij qui cupiunt dissolui & esse cum Christo, Phi.1. sed rapiuntur à rugientibus præparatis ad escam. Sic diues ille audiuit Luc.12. Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: & quæ parasti, cuius erunt?

Quia uiderunt oculi mei salutare tuum.

Quomodo desideraſſet transferri à mundo ad perfectam quietem & pacẽ, adiecit cauſam aliquantam. Nam oculi carnis hominem, mentis deum, per fidem Seruatorem promiſſum uiderunt, nõ ſine ingenti gaudio. Luc.10. Multi reges & prophetæ uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt, ait dominus diſcipulis. Si Abraam in ſpiritu & figura diem Chriſti futurum prȩuidit, & gauiſus eſt, Ioh.8. quid hic ſenex quũ in ulnis tenebat, amplexabatur, comprimebat, inter hubera q; reponebat, dicens illud Cant.3. Inueni quem diligit anima mea: Tenui eum, nec dimittam? Sic uideant oculi noſtri, aures, manus, & interiora noſtra, ſentiendo ſe ſalutem cõſecuta, atq; in hoc tripudient, lætentur & gaudeant. Salutare dicit. Nam filius hominis nõ uenit animas perdere, ſed ſeruare, Luc.9. Venit enim quærere &

ſaluum facere quod perierat. Luc. 19. Eſa. 52. Videbunt omnes fines terræ ſalutare dei noſtri. Sed uidemus nũc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. 1. Cor. 13. Iob. 19. In carne mea uidebo deum ſaluatorem meum. Eſa. 33. Regem in decore uidebunt.

Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

Parauit nobis, id eſt, gratia ſua diſpoſuit nobis dare eum, per quem ſalus omni populo. Pſal. 67. Paraſti in dulcedine tua pauperi de⁹. In primo aduentu omnibus paratus eſt, ut credant, diligãt & ſanentur: in ſecundo parabit, ut uideant & rationem reddant. In conſpectu omnium populorum, hoc ſalutare paratum, ut omnibus pateat acceſſus. Non eſt acceptio perſonarum apud deum, ſed in omni gente qui timet deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi, Actu. 10. 1. Tim. 2. Qui uult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Pſal. 97. Notum fecit dominus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam. Non eſt ẽm in aliquo alio ſalus, Actu. 4. Differenter tamen paratum eſt.

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.

Eſt lux mundi prophetarum oraculis promiſſa, ut diſpelleret tenebras omnium gentium, quę cæcis oculis idola pro deo colebant, & nullam ueritatis lucem aſpiciebant. Quod autẽ in tenebris eſt, occultum manet, & ne ſe quidem cognoſcit. Cum uero adeſt lumen, reuelatur, manifeſtaturq́, & ſe & alia

uidere poteſt. At hoc lumine ſic reuelatæ ſunt gentes,(Eſa.9.Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam) ut & deum & ſe agnoſcerent. Nam quum per ea quæ facta ſunt,deum intellexiſſent,non tamen ſicut deum glorificauerũt,quapropter obſcuratum eſt inſipiens cor eorum,Roma.1. quare indigebant lumine quod illuminat omnem hominem,Iohan.1.Eſa.49. Dedi te in lucem gentium,ut ſis ſalus mea uſq; ad extremũ terræ.Aggei.2. Veniet deſideratus cunctis gentibus. Prou.13. Spes quæ differtur,affligit animum:Lignum uitæ,deſiderium ueniens. Deſiderium,ſi compleatur, delectat animam.Iudæis paratum eſt in gloriam, excipiendo ꝓmiſſum.Mat.15. Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael. Imò ſalus ex Iudæis, Iohan.4. Dicitur autem plebs dei ob ſpecialem cultum & fidem.Pſal.75. Notus in Iudæa deus,in Iſrael magnum nomen eius,nõ iuxta carnem tantum, ſed iuxta ſpiritualem cognationem, quæ fide euangelica conciliatur. Iſrael enim eſt, quiſquis in hanc lucem pios intenderit oculos. Eſt ergo ſalus in amotione omnis mali,lumen in cognitione boni & mali,& gloria in adeptione omnis boni, quo ad omẽs fideles.Rom.3.Omnes peccauerunt,& egẽt gloria dei. Ambroſius: Qui uult in pace dimitti, ueniat in Hieruſalem,conuerſationẽ habeat cæleſtem,ueniat in tẽplum,imitetur exempla eorum in quibus deus habitat. Expecter dñm, accipiat in manibus, uerbũ dei brachijs fidei,ſpei &charitatis amplexetur:tunc dimittetur in pace,ut non uideat mortem, quia uidit uitã.Eſa.55.In lætitia egredimini,& in pace deducemini,mõtes &colles cãtabũt corã uobis laudẽ.

Et erant pater eius & mater mirantes super ijs quæ dicebantur de illo. Lucæ. 2. Q

Oſtenſo quomodo Iudæis & gentibus manifeſtatus ſit in Bethleem, declarat nunc quomodo Iudæis in Hieruſalem, & quod ſuopte uitio non crediderunt. Ioſeph pater lege, non natura. Luc. 3. Vt putabatur filius Ioſeph. Origenes: Quoniã Ioſeph uere fuit uir Marię, cuius Chriſtus ueraciter fuit filius, ideo magis proprie etiam dicit filius Ioſeph, q̃ ſi eſſet aliunde adoptatus. Mat. 1. Noli timere accipere Mariam cõiugem tuam, q̃d in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt. Ideo Maria mater tum lege, tũ natura, imo ſupra naturam. Mater, ſed eius qui cum patre & ſpiritu ſancto unus eſt deus, æternus, oĩpotens, & immenſus, qui oĩm eſt creator, quem oẽs adorãt angeli, Heb. 1. Creſcebat puer, creſcebat & fama. Pſal. 138. Mirabilia opera tua dñe, & anima mea cognoſcet nimis. Vere mirabilia opera creationis, quia de nihilo. Heb. 11. Fide credimus aptata eſſe ſecula, ut ex inuiſibilibus uiſibilia fierent. Heb. 1. Per quẽ, hoc eſt, filiũ, fecit & ſecula. Reparationis, q̃ pprio ſanguine. Apoc. 5. Redemiſti nos deo in ſanguine tuo. Zach. 9. Tu quoq; in ſanguine teſtamenti, eduxiſti uinctos de lacu in quo nõ erat aqua. Glorificatiõis, q̃ ineffabili modo. Eſa. 64. A ſeculo nõ audierũt, neq; auribus pceperunt, oculus non uidit deus abſq; te, quæ præparaſti expectantibus te. Mirabantur ergo ſuper his quæ dicebantur, & dicta erant ab angelo, paſtoribus, Magis, Simeone, & Anna. Vtinam & nobis non ſtulta & contemptibilia uideantur, quæ illis mirabilia erant. Verbum em̃ crucis, peuntibus

quidem stultitia est, his autem q̃ salui fiunt, dei uirtus. Pro. 2. Fili mi, si susceperis sermones meos, & uerba mea custodieris, intelliges iustitiã & iudiciũ,

2 Et *benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.*

Est benedictio creationis, sicut deus creaturis benedicit, causando in eis esse naturæ & gratiæ. Psal. 106. Benedixit eis, & multiplicati sunt. Sic ergo deus bñdicit principaliter, ministri uero eius ministerialiter. Nu. 6. Loquere Aaron & filijs eius: Sic bñdicetis filijs Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi dñs, & custodiat te. Ostẽdat dñs faciem suam tibi, & miserea tur tui. Inuocabuntq; nomẽ meũ sup filios Israel, & ego benedicã eis. Secundo laudis. Psal. 102. Benedic anima mea dño. Sic creaturæ benedicunt dñm. Benedixit aũt Simeon illis, ut inferiores solẽt maioribus. Sic Elisabeth Mariæ. Luc. 1. Benedicta tu in mulieribus, uel ut superiores inferioribus, si fuit sacerdos. Heb. 7. Sine ulla contradictione q̃d minus est, à maiori benedicit. Cæterũ ubi parẽtibus bene precatus esset, conuersus ad Mariam, q̃ uera mater, dixit: Filius hic tuus, quanq̃ datus est à deo ad hoc, ut salutem conferat oĩbus, tñ hominum uitio fiet, ut quẽadmodũ multos dei donum amplectentes, erecturus est ad spem salutis æternę, ita multi gẽtis Israelitice q̃ respuentes obuiam dei munificentiã, deijcientur in exitium ęternum. Veritate per hunc prodita, cadẽt q̃ prius stare uidebant: exurgẽt, q̃ iacere uide-

bantur. Ab oñibus Israelitis expectatus est, sed non ab oĩbus suscipiet. Quomodo uenit in iudicium in hũc mundũ, ut q nõ uiderũt, (de nationib⁹) uideãt, & q uidẽt cæci fiant, hoc est, q uident sibi uidere de Iudæis, Ioh. 9. ita uenit in ruinam & resurrectiõem. Siue ergo ex gentibus, siue Iudæis, credẽtibus uenit in resurrectionẽ, non credentibus in ruinã. Ro. 9. Quid ergo dicemus? q̃ gentes quæ non sectabãtur iustitiã, apprehenderũt iustitiam, iustitiam aũt q̃ est ex fide. Israel uero sectãdo legẽ iustitiç, in legẽ iustitiç nõ puenit. Quare? qa nõ ex fide, sed q̃si ex operibus. Offenderũt cm̃ in lapidem offensiõis, sicut scriptum est Esa. 28. Ecce pono in Sion lapidem offensionis & petram scandali, & oĩs qui credit in illum, non confundetur. 1. Pet. 2. Vobis igitur honor credentibus, non credentibus aũt lapis quem reprobauerunt ædificantes: hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis & petra scandali his, q offendunt uerbo, nec credũt in quo & positi sunt. Venit ergo in resurrectionẽ fideliũ & electoꝝ, in ruinam infidelium & reproborũ, sed non uniformiter. Nam in ruinã occasionaliter, in resurrectionẽ causaliter & directe. Ose. 13. Perditio tua, ô Israel, tm̃ modo in me auxiliũ tuũ. Bed. Magno sane metu fratres charissimi audienda sunt uerba Simeonis. Desiderãter qdẽ audit, q̃d positus est in resurrectionẽ qa ipse ait Ioh. 11. Ego sum resurrectio & uita, q credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet. Sed non minus terribiliter sonat q̃d præmittit, in ruinam. Infelix nanq; est, qui agnita resurrectionis gloria, deterius cadit, qui uisa ueritatis luce, grauioribus peccatorum tenebris obcæcatur. 2. Pet. 2. Melius erat illis non cognoscere

niam iuſtitiæ, q̃ poſt agnitionẽ retrorſum conuerti ab eo, q̃d illis traditum eſt ſancto mandato. Contingit eñ illis illud ueri, puerbiũ Pro. 26. Canis reuerſus ad uomitũ, & ſus lota in uolutabro luti. Eſt ergo placita dño ruina ſimul & reſurrectio. Ruina uitiorum, reſurrectio uirtutũ. Habes male ſtantẽ ſuperbi amꝫ cadat, ut ſurgat quæ iacet, humilitas. Stas peccatoꝛ tẽpore quouiuis, peccato cade, morere peccato. Col. 3. Mortificate membra ueſtra quæ ſunt ſup terram, fornicationẽ, immunditiã, libidinem, concupiſcentiam malam, auaritiam quæ eſt ſimulacrorũ ſeruitus. Horum oĩm utilis ruina eſt, ad quã uenit primum Ieſus, nec ſperes reſurrectionem, niſi præceſſerit ruina. Peccator esꝫ cadat in te peccator, ut poſſis reſurgere, & dicere 2. Tim. 2. Si commortui ſumus, & cõuiuemꝰ. Sic & in ſignũ fœderis. Ioh. 3. Sicut exaltauit Moſes ſerpentẽ in eremo in ligno, Num. 21. ita exaltari oportet filium hoĩs, ut omnis q̃ credit in illum, non peat, ſed habeat uitam æternam. 1. Tim. 2. Vnus mediator dei & hoĩm, homo Chriſtus Ieſus. Sed cui à multis cõtradicit. Bern. Habuit Chriſtus in factis obſeruatores, in dictis contradictores, in ſignis exprobratores, in tormẽtis ſuſtinuit illuſores. Diuinitati & humanitati cõtradicũt hæretici. Signo uirginitatis (Eſa. 7. Dabit dñs uobis ſignũ, Ecce uirgo concipiet) contradicũt luxurioſi. Sap. 2. Vbiq; relinquamus ſigna lætitiæ, nullum ſit pratum q̃d non pranſeat luxuria noſtra. Paupertatis, Luc. 2. Hoc uobis ſignũ: Inuenietis infantẽ pannis inuolutũ, & poſitũ in p̃ſepio. Auari. Luc. 16. Audiebãt hæc, de ſolicitudine uitãda, phariſæi q̃ erãt auari, & deridebant eũ. Humilitatis, Mat. 11. Diſcite à me, q̃a mitis ſum &

contradictio.

humilis corde. Superbi. Ioh. 5. Quomodo uos potestis credere, q̃ gloriam ab inuicẽ accipitis, & gloriam q̃ à solo deo est, nõ q̃ritis? Act. 7. Dura ceruice & incircunciſi cordibus & auribus, uos ſemp ſpiritui ſancto reſtitiſtis. Miraculis Iudæi. Mat. 12. Luc. 11. In Beelzebub principe dæmoniorũ eijcit dæmonia. Ioh. 9. Hic homo peccator eſt. Doctrinę, Ioh. 8. Teſtimoniũ tuũ nõ eſt uerũ. & 10. Dæmoniũ habet, & inſanit, q̃ deũ uultis audire? Paſſioni, Mat. 27. Alios ſaluos fecit, ſeipſum nõ poteſt ſaluũ facere. Reſurrectioni, Mat. 28. Dicite q̃a nobis dormientibus, diſcipuli eius uenerũt & furati ſunt eũ. Signo dñicæ crucis infideles. 1. Cor. 1. Prędicamus Chriſtũ crucifixũ, Iudæis q̃dem ſcandalũ, gẽtibus aũt ſtultitiã. ſed multi (q̃d grauius) falſi fratres, dicẽtes ſe noſſe deũ, & factis negãtes, Tit. 1. Heb. 6. Rurſum ſibimetipſis crucifigentes filium dei & oſtentui habẽtes. Et tuã ipſius animam ptranſibit gladius. Bed. Dolor dominicæ paſſionis, quæ & ſi Chriſtum, utpote dei filium, ſponte ſua mori, mortemq; ipſam reſurgendo deuicturum non dubitaret, ut è ſua tamen carne natum non ſine materno dolore potuit uidere crucifigi. Nam & ferrum quod animam Ioſeph ptranſiſſe legitur, Pſal. 104. nil melius q̃ dura tribulatio intelligitur. Vnde dolores quos effugit parturiẽs, tempore paſſionis grauius ſuſtinuit. An nõ gladius lingua blaſphemantium? Mat. 27. Videamus ſi ueniat Helias ad deponẽdum eum. De cruce filij lachrymoſus clamor: Deus meus deus meus, ut quid dereliquiſti me? ac doloroſa commendatio, Iohan. 19. Mulier, ecce filius tuus. Viuus enim ſermo dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, Hebræ. 4.

Vere ergo penetrauit cor eius, & per mediũ transierunt uerba & facta malignantium. Psal. 56. lingua eorum gladius acutus. Hier. 9. Sagitta uulnerãs lingua eorum. Tale ergo signum uisum est deo proferre sub oculos omnium, ut clara ueritatis luce prolata, retegerentur cogitationes hominum, quæ latebant in corde. Ostensum enim est, quis bonis cogitationibus deum quæsierit, quis in Christum crediderit, quis eius aduẽtum syncere optarit: quis etiã temporalia quærens, ac in Christi aduẽtu promissa putans, in eum tam pauperem, humilem & abiectũ, credere spreuerit. Nox certum iudicium nõ habet, ac frequenter umbras & inania rerũ simulacra obijcit oculis. Sol exortus, discutit omnes præstigias, ac suam cuiq; faciem, suumq; colorẽ reddit. Sic lux euangelicæ ueritatis pharisæorum & scribarum hypocrisim, qui aliud in ore, aliud in corde gerebant, q pertinacissimis studijs Christo aduersabantur. Gentes autẽ & publicani, subita mutata uita, studijs auidis doctrinam amplectebantur pietatis. Tempore passionis Iudæorum reuelata malitia, discipulorum ignauia, matris constãtia, piorum tristitia, impiorũ lętitia: sed domino resurgente, istorum exultatione in mœrorem cõuersa, illorum mœror in gaudium sempiternum. Non autem hæc disparium cogitationum reuelatio tunc solum facta in Iudæa, sed etiã apud nos credenda est actitari. Et nunc enim reuelantur cogitationes cordis, cum lecto uel prędicato salutis uerbo, alij audientiũ libenter auscultant, gaudentes perficere actu quod auditu didicerint: alij fastidientes quæ audiunt, non hæc patrare agẽdo, sed potius insultando nituntur contraire. Origenes: Co

gitationes malæ in hominibus erant, quæ, propterea reuelatæ sunt, ut occideret eas ille, qui pro omnibus mortuus est. Quę hic reuelatæ non fuerint ut remittantur, in iudicio reuelabuntur ut puniantur. Sap. 1. In cogitationibus impij erit interrogatio. 1. Cor. 4. Nolite ante tẽpus iudicare, donec ueniat dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.

Et erat Anna prophetissa filia Phanuel, de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis, & uixerat cũ uiro suo annis septem à uirginitate sua: & hæc uidua erat usq; ad annos octogintaquatuor, quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens deo die ac nocte.

Determinate describit propter historiæ ueritatem. Ex re nomen habuit, nimirum à gratia, (quippe spiritu prophetico prædita) filia uiri laudati de tribu Aser, qui fuit unus duodecim patriarcharum. Gene. 30. & Deu. 23. Hæc quum prouectæ esset ętatis & sanctitatis, nõ in aliud uidebatur dilata, nisi ut quod ardentissimis optarat uotis, anus uideret, promissum infantem qui salutem esset allaturus populo Israelitico. Commendatur autem de statu uirginali, quia uirgo nupsit: cõiugali, quia cum uiro suo. Gen. 2. Erunt duo in carne una. Hebr. 13. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Viduali, quia uidua circiter annorũ octogintaquatuor. Maior autem ætatis numerus. Quæ quanuis esset ætate uigenti, non cogitauit de repetendo matrimonio, sed ueluti mundo mortua, ac deo iam di

cata,non discedebat de templo,uictimis euangelicis illi sacrificans,corpus ieiunijs & animum pijs uotis & obsecrationibus,offerẽs se totam domino hostiam uiuam,rationalem & acceptam.Ro.12.Obsecro uos fratres per misericordiã dei, ut exhibeatis corpora uestra,hostiam uiuentẽ,sanctam,deo placentem.1.Tim.5.Quę uere uidua est & desolata,speret in deum,& instet obsecrationibus & orationib⁹ die ac nocte.Obsecratio,species est orationis,qua pręsacram aliquid postulamus.Psal.24.Secũdum misericordiam tuam memento mei tu,propter bonitatem tuã dñe.Ieiunium ad orationem disponit, & hæc duo potentia cõtra dæmones.Mar.17. Hoc genus dæmoniorum nõ ejicitur nisi in oratione & ieiunio.Ieiunio em̃ sanant pestes corporis,oratione pestes mẽtis.Digna quæ dño testimoniũ phiberet. Beda:Non solum angeli,sed omnis sexus & ætas testimonium reddit nato puero. Cum em̃ habiturus esset multos cõtradictores,habere uoluit & testes.

Et hæc ipsa hora superueniens,confitebatur domino,& loquebatur de eo omnibus qui expectabant redemptionem Israel.

Non casu uel ab homine uocata uenit:sed suggesserat illi spiritussanctus iam natum,iamq; adesse puerum tot seculis expectatum. Confitebatur domino, pro tanto beneficio laudans & gratias agens, quẽadmodum Zacharias Luc.1. & seruator pro illuminatione simplicium Mat.11. Confiteor tibi pater domine cæli & terræ,quia abscondisti hæc à sapiẽtibus & prudẽtibus,& reuelasti ea paruulis.Nec tacuit apud alios, sed eadẽ hora assistens, q̃d oculis

uiderat, ꝙd afflatu didicerat, loquebatur oĩbus de puero, non de mundo, carne, 1. Pet. 4. Si quis loquit quãsi sermones dei, qui non carnalem, (cuius opinionis discipuli fuerunt ante spiritussanĉti aduentum, Lu. 24. Nos sperabamus qa ipse redempturus erat Israel. Act. 1. Domine, si in tẽpore hoc restitues regnũ Israel? & moderni Iudæi,) sed spiritualẽ expectabant à peccatis & diaboli tyrãnide liberationẽ. Ioh. 1. Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Gal. 4. At ubi uenit plenitudo tẽporis, misit deus filiũ suũ factũ ex muliere, factũ sub lege, ut eos qsub lege erãt redimeret, ut adoptionẽ filiorũ reciperemus.

Et ut perfecerunt omnia secundum legem domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientia, & gratia dei erat in illo.

Beda: In eo ꝙd puer erat, crescere poterat & confortari, nõ in eo ꝙd uerbũ: quia sic plenus sapientia & gratia. Crescebat ætate & corpore, cõfortabatur spiritu, plenus sapiẽtia in intellectu: qa in ipso oẽs thesauri sapiẽtiæ & scientiæ sunt recõditi, Col. 2. Et gratia, ꝙ ad affectũ pariter & effectũ. In ipso em̃ inhabitat oĩs plenitudo diuinitatis corporaliter, Col. 2. De cui⁹ plenitudine oẽs nos accipimus, Ioh. 1. Crescere debemus in uirtutibus. 1. Pet. 2. Quasi mõ geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac cõcupiscite, ut in eo crescatis in salutem: si tñ gustastis qm̃ suauis est dominus. Nam ut dicitur Iob. 14. Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miseriis, qui nunq̃ in eodem statu permanet. Hinc ꝓficimus uel deficimus. Hieronymus: Tam diu nõ relabimur retro, q̃ diu ad anteriora & priora cõten

dimus: at ubi cœperimus stare, descendimus: nostrumq; nō progredi, retrogradi est. Phi. 3. Quæ retro sunt obliuiscens, ad anteriora me extendo. Bernardus: Omne profectò perdit bonū, q melior esse non desiderat: & ubi incipis nolle esse melior, ibi desinis esse bonus. Colos. 1. Ambuletis digne, deo per omnia placentes, & in omni opere bono fructificātes, & crescētes in scientia dei in omni uirtute. Profectum & fructum impedit defectus radicis. Sic charitatis. Mat. 15. Non habet in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione propter uerbum, continuo scandalizatur. Ideo Eph. 3. In charitate radicati & fundati. Humiditatis. Luc. 8. Natum aruit, quia non habuit humorem. Iohan. 4. Qui biberit de aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Nutrimenti, sic uerbi dei. Esa. 55. Quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc ultra non reuertitur, sed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti & panem comedenti: sic erit uerbum meum quod egreditur de ore meo. Non reuertetur ad me uacuum, sed faciet quæcunq; uolui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. Hinc cōminatur dominus Amos 8. Mittam in eos famem in terram, nō famē panis & sitim aquæ, sed audiendi uerbum dñi.

De fuga in Aegyptum, & innocentum occisione, Mat. II.

ARTICVLVS XII.

R Cvm Magi receßissent, Ecce angelus domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & acci-

pe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi usq; dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

Ostendit omnem hominis conatum, sine deo frivolum & vanum: contra deum vero, impium & damnosum. Pro. 21. Non est sapientia, nō est scientia, non est consilium contra dominum. Dederat angelus Magis consilium contra dolum Herodis latentem: hic vero Ioseph, contra furorem patētem, hortans eum ut iam arcani conscium, quatenus matrē ac puerum clanculum subduceret in Aegyptum, ui delicet hoc agēte consilio diuino, ut ea quoq; regio tota prodigiosis deorum cultibus dedita, dum, profugo præbet hospitium, eius contactū, commercioq; præparetur ad aliquod primordium veræ pietatis. Remigius: In somnis apparet, quia à curis secularibus quiescentes, angelica visione, & cælesti consolatione perfrui merētur. Hilarius: Accipe puerum & matrem. Cum Mariam desponsatam Ioseph significabat, ipsam coniugem nominabat: post partum vero, mater tantum pueri Iesu declaratur, ne Ioseph pater putaret. Chrysostomus: Quomodo ante homines filius dei fugit? & quis de inimico liberat, si & ipse inimicos timet? Sed oportebat ut regulā humanæ naturæ seruaret etiam in hac parte, & exemplum spei relinqueret etiam in hac parte. Nam quia deus & homo, hinc opera fecit diuinitatis declaratiua. Iohan. 5. Ipsa opera quæ ego facio, testimoniū perhibent de me, quia pater misit me. & 10. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Fecit & infirmitatis humanæ

& ueritatis, contra hæreticos, manifestatiua. Non enim erat difficile deo, puerum illęsum, subitò extincto Herode, seruare, si libeat: sed hic ordo negocij, magis conducit ad confirmandam fidem. Poterat & alio modo euadere, quemadmodum Luc. 4. manus exijt præcipitare uolentium, & Ioh. 10. lapidare conantium: sed si manus incidisset inimicorũ, nec fuisset occisus, opinati fuissent ipsum incarnatũ apparẽter. Voluit autem deus, ut Herodis furor & tyrannis suæ glorię seruiret. Est fuga pusillanimitatis, de qua Prou. 18. Fugit impius nemine persequente. Deu. 28. Dabit tibi dominus cor pauidum, & defficientes oculos, & animam consumptam mœrore, & erit uita tua quasi pendens ante te. Infirmitatis. Sic Helias fugit Iezabel, 3. Reg. 19. Discretionis. Sic Paulus à Damasco Act. 9. Mat. 10. Cum uos pseq̃tur in una ciuitate, fugite in aliam. Actu. 8. Facta est aũt pseq̃utio magna in ecclesia quæ erat Hierosolymis, & oẽs dispersi sunt per regiones Iudææ & Samarię, ꝓter apostolos. Dispẽsationis. Augustinus: Recessit non necessitate, sed dispensatione: & potestate eaq̃ iuuenis pependit in cruce, latuit in Aegypto. Chrysostomus: Christꝰ in Aegyptũ fugere uoluit, pie recordatus plagarũ: nũc illi dans recõciliationis signũ, ut decẽ plagas una sanaret medicina: ac sic populus q̃ ante fuerat pseq̃utor populi primogeniti, fieret cultos filij unigeniti: ac q̃ illi populo dominati sunt uiolenter, filio cum deuotione seruirent reuerẽter: ac sic iam non irent ad mare rubrũ demergẽdi, sed uocarentur ad aquam baptismatis uiuificandi: & quia à suis non receptus, transiit ad gentes. Act. 13. Vobis oportebat primum loqui uerbum dei: sed quia re-

Fuga ꝗtu plex.

pellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitę, ecce cõuertimur ad gentes. sic em̃ p̃cepit nobis de⁹.

Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius nocte, & seceßit in Aegyptum, & erat ibi usq; ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum est à domino per prophetam dicentem: Ex Aegypto uocaui filium meum. 2

Chrysostomus: Omnis p̃secutionis angustia, nox est: refrigeriũ uero, dies: & q̃s per gratiæ subtractionẽ deserit, in tenebris ignorãtiæ relinquit. Cum Herodes dicatur 37. annis regnasse, & 30. anno regni ipsius natus Christus, patet dñm 7. annis in Aegypto peregrinatũ. Esa. 19. Ecce dñs ascẽdet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptũ, & commouebuntur simulacra à facie eius. Ad literã dicitur, idola corruisse ad ingressum dñi: nec mirum. Nam idolum Dagon, ad præsentiam arcæ, pronũ in terram corruit, capite & manibus abscissis, 1. Reg. 6. Nota quum aliquid dicitur de populo, uel certa persona ueteris testamenti, prout est figura Christi uel ecclesiæ, q̃uis ad literam de illis exponatur, principalius tñ ac certius de Christo uel ecclesia uerificatur, quẽadmodum illud de Salomone 2. Re. 7. Ego ero illi in patrẽ, & ipse erit mihi in filiũ. Quod Apostolus exponit de Christo Heb. 1. Sic & hic Ose. 11. Puer Israel, & dilexi eũ, & ex Aegypto uocaui filiũ meũ. Nu. 23. Deus ex Aegypto eduxit eum. Notant̃ & p̃ctõri necessaria. P̃ctõrũ reiectio. Eph. 5. Surge q̃ dormis, & exurge à mortuis, & illũinabit te Christ⁹. Ro. 13. Hora est iã nos de somno surgere. Esa. 55. Derelinquat impius uiã suã, & uir iniquus cogitatiões suas,

Regula theologię

& reuertatur ad dominum, & miserebitur eius. Secundũ, uirtutũ insertio. Accipe puerum. Esa. 1. Quiescite agere peruerse, discite benefacere. Psal. 36. Declina à malo, & fac bonũ. Hier. Bonas facite uias uestras & studia uestra, & habitabo uobiscũ. Ro. 13. Abiiciamus opa tenebrarũ, & induamur arma lucis. Hinc Gal. 3. Quicũq; in Christo baptizati estis, Christũ induistis. Ideo 1. Ioh. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Tertium, malorũ deuitatio. Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala, 1. Cor. 15. Fuge ergo. 1. Cor. 5. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Quare admonet 2. Thes. 3. Denunciamus uobis fratres in nomine domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis uos ab oĩ fratre ambulante inordinate, & nõ secundum traditionem quã acceperũt à nobis. 1. Cor. 5. Si quis frater nominat inter uos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. Heu heu domine, contrarium in praxi. Psal. 49. Si uidebas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Quartum, In bonis perseueratio. Qui enim perseuerauerit usq; in finẽ, hic saluus erit, Mat. 10. 24. Heb. 12. Nondum usq; ad sanguinẽ restitistis repugnantes peccato, & obliti estis cõsolationis quæ uobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam domini, neq; fatigeris dum ab eo corriperis, Pro. 3.

Tunc Herodes uidens quoniam illusus esset à magis, iratus est ualde: & mittens, occidit omnes pueros

qui erãt in Bethleẽ, & in omnibus finibus eius, à bima tu & infra, secundũ tẽpus quod exquisierat à Magis.

Credidit primo magos delusos, eo q̃ nõ reuerterentur: sed fama ex Simeonis, Annæ & pastorũ protestatione increbrescente, ipsa re comperiens magos sibi uerba dedisse, iam impotens iræ, abiecto fuco, prorupit in manifestam insaniam. missisq; uesaniæ suæ ministris, occidit omnes infantes bimulos, aut hac ætate minores, secutus temporis supputationem, quo magi prædixerant sibi primum uisam esse pueri stellam. Chrysostom⁹: Putabat infelix tyrannus, seruatoris aduentu, regali se solio priuandũ, quum tamen ad hoc minime uenerit. Nam quæsitus in regem, fugit, Iohan. 6. quęsitus ad passionẽ, se libere obtulit, Ioh. 18. Hinc q̃uis scripturarũ nõ ignarus, quia proselytus, sciret Christũ nascitur, nec diuinæ ordinationi quenq̃ posse obsistere, malitia tñ & regnandi ambitione excæcatus, quum nesciret in quem, in suspectam desæuit ætatẽ. Quemadmodũ bestia uulnerata, q̃cquid oculis occurrit, quasi actorẽ sui uulneris dilaniat. Et qa per filios Romã citatus, q̃d cõceperat, post magorum discessum pficere non ualebat, finaliter in regno per Cæsarem confirmatus, quã conceperat, post biennium malitiã parturiuit. His rebus parabatur exemplum, quid essent ab impijs principib⁹ passuri qui crediturí essent euangelio: qd profecturi, q fidẽ euangelicã, tenerã adhuc, & in piorũ animis gliscentẽ, crudelitate sua conarent extinguere. Ob Christũ interimi, seruari est. Nunq̃ eñ prophan⁹ hostis sic ꝓdesse potuisset obsequo, q̃tũ ꝓfuit odio, illis coronã, sibi pœnã parãs.

Tunc adimpletum est, quod dictum est per Hieremiam prophetam, dicentem: Vox in rama audita est, ploratus & ululatus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

3 Rama Hebræis excelsum sonat, ut claram, longe lateq; sonantem uocem intelligas plorãtis. Hier. 31. Lamentatio, ac ploratus, ac fletus, Rachel, quæ enixa Beniamin, hoc est, doloris filiũ, mox à partu periit, sepulta est nõ procul à Bethleem. Hinc prophe ta sub huius pſona, matrũ luctum, suos filios ab Herode trucidatos deplorantium, expressit: & quia præceperat non solum in Bethleem, quæ in tribu Iuda sita, sed & in omnibus finibus eius, qui tribũ Beniamin cõtingebant, cuius mater Rachel Gen. 35. paruulos trucidari, uere in excelsis. Sanguis enim innoxius in cælum clamat. Gene. 4. Ecce uox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Sic oppressio pauperũ Exo. 3. Clamor filiorum Israel uenit ad me, uidq; afflictionem illorum qua ab Aegyptijs opprimuntur. Lu. 18. Deus non faciet uindictam electorũ suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiã habebit in illis? Dico uobis quia cito faciet uindictã illorum. Item defraudatio mercenariorũ. Iac. 5. Ecce merces operariorũ uestrorũ, q̃ messuerunt regiones uestras, quæ fraudata est à uobis, clamat, & clamor eorũ in aures dñi sabaoth introiuit. Non autem admisit consolationem, propterea quòd essent omnes è medio sublati, nec reuocandi ad uitam. Sic Iacob credens Ioseph mortuum, ait Gene. 37. Descẽdam ad filium meum lugens in infernum.

Mat. 2. 5 *Defuncto aũt Herode, ecce apparuit angelus domini in somnis Ioseph in Aegypto, dicens: Surge, &* ac-

eĩpe puerum & matrem eius, & uade in terram Israel. defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.

Quo plus mali contra diuinam moliuntur dispositionẽ, quo suæ satisfaciant uoluptati, eo magis diuinã promouent, sibi exitiũ cumulantes, p̃ordinationẽ. Sic fratres Ioseph, uẽditione ipsius adeptos se libertatẽ autumãtes, ad sublimitatẽ eo, pmoto, gratia & dignitate ipsius conseruati fuerunt, Gene. 37. & 45. Herodi data erat occasio resipiscendi, nõ sequi endi, nisi mentẽ illius, regnandi cupido occupasset & excitasset. Desæuit eñ & in proprium filiũ, ut dicit Hieronymus: & ob id Augustus Cæsar, ut refert Macrobius, dixit: Melius est esse Herodis porcũ q̃ filium. Et quia uitam oblatam recipere noluit, sed impugnauit: ideo mortem quã non præuidit, incurrit. Eccẽs. 9. Nescit homo finẽ suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehendũtur, sic capiũtur homines in tempore malo, cum eis extẽplo supuenerit. Mors aũt peccatorũ pessima, Psal. 33. Nam Prou. 11. Mortuo hoïe impio, nulla erit ultrà spes. Quia de morte naturæ trãseunt ad mortẽ gehẽnę, quũ resipiscere noluerint à morte culpę. Ideo in inferno q̃rent mortẽ cõsumentẽ & penã occidentẽ, & nõ inuenient, qa fugiet ab eis, Apo. 9. Imõ mors depascet eos, Psalm. 48. Econtra apud bonos mors nõ erit, Apo. 21. sed uita sempiterna. Quę siuit Herodes infantiũ exitiũ, &, pmouit ad martyriũ: stabilire sibi studuit regnũ, & ęternũ accumulauit tormẽtũ. Eo sublato, angel⁹ apparet Ioseph, p̃cipiẽs reduci pueŗ. Nunq̃ deest suis de⁹, maxime desolatis. Sic Iacob fratris irã declinãtẽ, in uisione cõsolat⁹ est

Gen.28. reuersionẽ in terram natiuitatis præcepit, Gen.32. Sic filijs Israel angelicum præstitit ducatũ, Exod.14.32. Angelus meus præcedet te. Defuncti sunt, ait, ut insinuet nedum Herodẽ, sed & sacerdotes & scribas de morte Christi cogitasse, & Herodis studio consensisse, ut dicit Hieronymus & Chrysostomus, q̃d & postea rei exitus monstrauit. Vides q̃ prõpte Ioseph & humiliter obediuit, non reclamãs ob itineris longitudinem, expensarum parcitatem, Aegyptior̃ atrocitatem, & nunc Iudæorum cæcitatem. Nouit meliorẽ uictima obedientiam, 1.Re.15.

Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ: & ueniens, habitauit in ciuitate quæ uocatur Nazareth, ut impleretur quod dictum est per prophetam: Quoniam Nazaræus uocabitur.

2 Refert Iosephus, Herodem totum regnũ Archelao prę cæteris dilecto filio dimisisse, & ob id Philippum & Herodem fratres Archelai indignatos, Cæsarem appellasse: qui consilio habito, regnũ in duas diuisit partes, dans unã medietatẽ Archelao, q̃ nomen obtinuit Iudææ, alterã medietatẽ in duas subdiuidens partes, quar̃ alterã, uidelicet Galilęam, dedit Herodi, alterã Philippo, Itureæ & Trachonitidis regionẽ. Veritus ergo Ioseph, ne filius ut in regnũ, ita & in crudelitatẽ paternã successisset, timuit eò ꝓficisci, cũ audisset eum regnare pro patre. Nam filij, ut cõmuniter, imitatores paternor̃ sunt sceler̃, q̃re & supplicior̃. Hinc cõminatur dñs se ulcisci peccata patrũ in filios in tertiam & quartã usq; genera-

tionem. Exo. 20. Ego sum dominus deus tuus, fortis zelotes, uisitãs iniquitatem patrũ in filios, in tertiam & quartam generationẽ, eorũ qui oderũt me, & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Hinc Eccl. 41. Filij abominationum, filij sunt peccatorum, & qui cõuersantur secus domos impiorum. Filiorum peccatorũ peribit hæreditas, & cum semine illorum assiduitas opprobrij. De patre impio conqueruntur filij, qm̃ ꝓpter illũ sunt in opprobrio. Væ uobis uiri impij, q̃ dereliquistis legẽ altissimi: q̃d si nati fueritis, in maledictione nascemini: & si mortui fueritis, in maledictione erit pars uestra. Hic aũt Herodes Christum persequẽs, pueros occidit. Herodes eius filius, Christum illudens, Iacobum interfecit, Act. 12. & Iohannem, Mar. 6. Rursus ergo oraculo confirmatus, unde iam totus pendebat, secessit in partes Galilææ. Nec hoc quidem fortuito accidisse satis arguit, q̃ ꝓphetia iam olim futurũ prædixerat, quod Messias ille Nazaræus appellaretur. Quod esse factũ uel ipse titulus indicat, quẽ Pilatus prophetię ignarus, cruci affigi iussit. Esa. 11. Et Nazaræus de radice eius cõsurget. Ioh. 1. Quẽ scripsit Moses in lege & ꝓphetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Nam ibi cõceptus, Lu. 1. & nutritꝰ, ut claret hic & Lu. 2. Nec̃ uocabulũ ipsum mysterio uacat. Nazareth Hebrꝛis à flore nomẽ habet, q̃d hic è uirgine cõceptus sit, purissimus ille flosculus, oĩs uirginitatis consecrator: quẽadmodũ Bethleem domũ panis sonat, ut proditus est ille panis cælestis, quẽ q̃ ederit, uiuet in æternũ, Ioh. 6. Datũ est hic exẽplum, quẽadmodum parentes filiorũ curam gerant solicitã. Qui enim suorũ

maxime domesticorum curam non habet, fidē negauit, & est infideli deterior, 1. Tim. 5. Primo curare de honesta educatione, nam Abac. 2. Væ q congregat auaritiam malam domui suæ. Secundo de debita instructione, ut deū timeant. Tob. 1. Cum factus fuisset uir, accepit uxorem Annam de tribu sua, genuitq; ex ea filium, nomen suum imponēs ei, quem ab infantia timere deū docuit, & abstinere ab oñi peccato. & 4. Omnibus diebus uitæ tuæ in mente habeto deum, & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta dei. Eph. 6. Educate illos in disciplina & correptione domini. Virtutes diligant. Eccl. 7. Filij tibi sunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. Filię tibi sunt? serua corpus illarum. Pro. 22. Adolescens iuxta uiam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Ideo Thren. 3. Bonum est uiro cum portauerit iugū domini ab adolescentia sua. Eccl. 30. Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur. Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum suum, & in medio amicorū gloriabitur in illo. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus: similē enim reliqt sibi post se. In uita sua uidit, & lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis. Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Vitia caueant. Eccl. 22. Confusio patris est de filio indisciplinato, & filia fatua in deminoratione fiet. & 30. Doce filium tuū, & in illo operare, ne in turpitudinem illius offendas. Sic contigit Dauid in Absolon, 2. Reg. 15. Et hoc in uisu. Iob. 31. Pepigi fœdus cū oculis meis, ut ne cogitarē quidē

de uirgine. Threno. 3. Oculus meus deprędatus est animam meam. Dauid uidens Bethsabee se lauantem, in adulteriū lapsus est, 2. Re. 11. Auditu, 1. Cor. 15. Corrumpūt bonos mores colloquia mala. Hinc de mala dicitur muliere & iuuene uecordi, Prou. 7. Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorū protraxit eum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad uictimam. Gustu, Tit. 2. Iuuenes hortare ut sobrij sint. Pro. 20. Luxuriosa res est uinum, & tu multuosa ebrietas: quicunq; his delectatur, non erit sapiēs. Ideo Eph. 5. Nolite inebriari uino in quo est luxuria, sed impleamini spiritusancto. Tactu, oēm malam uitando societatem. Tob. 3. Nunq̄ cum ludentibus miscui me, neq; cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui. Dina egressa ad uidēdum mulieres regionis, ab Emor filio Sichem fuit corrupta, Gen. 34. Tertio de condigna correctione. Heli non debite corrigens filios, uno die cū ipsis periit, 1. Re. 2. & 4. Eccēs. 7. Melior est ira risu, qa p tristitiā uultus corrigitur animus delinquentis. Pro. 22. Stultitia colligata est in corde pueri, & uirga disciplinæ fugabit eam. & 23. Noli subtrahere a puero disciplinam. si enim percusseris eum uirga, non morietur. Tu enim uirga percuties eum, & animā eius de inferno liberabis.

Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia: & gratia dei erat in illo. Lucæ. 2. T

Quāquam istud declaratum sit & positum suprā, eo quòd euangelio secundum contextum Lucæ dominicæ iungatur, hic tamen iuxta historiæ ueritatē

ordinandum. Euangeliſtæ enim ſinguli hinc inde aliqua omittunt, quæ ab aliis ſunt deſcripta: ſic tamen, ut narrationis ſeu deſcriptionis ſuæ ſerie continuata, quaſi nulla prætermiſiſſe uideantur. Porro mox ſuauitas, comitas, modeſtia reddebant illum omnibus amabilem. Non erat fauor uulgaris, quem ſibi nonnunquam ætas illa dotibus humanis colligit, puta formæ gratia, aut alioqui præcoci docilitate, ſed affulſit in eo diuina quædam & admirabilis gratia, pertrahens omnes in amorem uirtutis.

De inuentione Ieſu in templo, Luc. II.

ARTICVLVS XIII.

Luc. 2. V

ET ibant parentes eius per omnes annos in Hieruſalem, in die ſolenni paſchæ. Et cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam, ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatisq; diebus cum redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & nō cognouerunt parentes eius.

Quemadmodum indies magis ac magis Ieſus inclareſcebat in laudem dei, cuius honorem in omnibus promouebat, oſtendit. Quanquam autem Nazareth longius abeſſet ab Hieroſolymis, tamen religioſi parētes Ieſu quotannis ſe eò conferebant. Sic Tobias, cum omnes irent ad uitulos aureos quos fecerat Hieroboam rex Iſrael, hic ſolus fugiebat cōſortia omnium, & pergebat in Hieruſalem ad templum domini, & ibi adorabat dominum deum Iſrael, omnia primitiua ſua & decimas ſuas fideliter offerens, Tob. 1. Sic dominus adulta iam ætate, medi-

ante iam die festo, ascendit in templum docẽs, Ioh. 7. Sic & apostoli post acceptam spiritus sancti gratiam, ascenderũt in templum ad horam orationis nonam, Act. 3. Nota q̃ dicit, ad horam oratiõis nonam. Hinc dñs prophetico testimonio, domũ orationis, Esa. 56. negociationis fieri prohibuit, eijciẽdo uendentes & ementes, Mat. 21. Quid modo acturus si ueniret? Nõ cñ ad orationem, sed fabulationem: non ad concionem, sed contentionem & detractionem conuenit. Non sic dies festi agendi, sed primo anima diuino saginanda uerbo, hinc corpus curandũ. Sic legimus Nee. 8. Populus stabat in gradu suo, & legerunt in libro legis dei, distincte & apte ad intelligendũ, & intellexerũt cum legerẽt. Et dixit Nemias ipse & Athersata, & Esdras sacerdos & scriba, & leuitæ interpretantes uniuerso populo: Dies sanctificat⁹ est dño deo nostro, nolite lugere, nolite flere. Flebat cñ omnis populus cum audiret uerba legis. Et dixit eis: Ite, comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes eis qui non ꝑparauerunt sibi, q̃a sanctus dies dñi est, & nolite cõtristari. Gaudium cñ dñi est fortitudo uestra. Tob. 2. Cum esset dies festus dñi, & factum esset prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio suo: Vade, & adduc aliq̃s de tribu nostra timentes deũ, ut epulent nobiscum. Non ait, uoca histriones, Gnatones &c. sed timẽtes deum. Hinc Eccl. 9. Viri iusti sint tibi conuiuæ, & in timore dei sit tibi gloriatio. Sed totum proh dolor inuersum. Omnis cura ad carnis uergit delicias, laude dei & animarum salute, ac pauperum indigentia neglectis & posthabitis. Ideo Amos 5. Odi & proiecti festiuitates uestras, & non capiam odorem cœ-

tuum uestrorum. Esa. 1. Neomeniam & sabbatum & festiuitates alias nō ferā. Iniq; sunt cœtus uestri, Kalēdas uestras & solēnitates odiuit aīa mea. Hinc Amos 8. Conuertā festiuitates uestras in luctū, & oīa cātica uestra in planctū. Tob. 2. Dies festi uestri uertent in lamētationē & luctū. Porrō Iesus, quum duodecim esset annorū secundū humanā naturam, q secundū diuinā idem est, & anni eius nō deficiūt, Psal. 101. Heb. 1. & 13. Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula, sub matris ac nutritij ductu, iā tum ad nostrum exemplum, assuescebat religioni, parentes oēs admonens officij sui, quos oportet ex sese prognatos statim ab ipsis, ut aiūt, incunabulis, arcere ab omni lasciuia, sed sanctis moribus, uerq; pietatis opibus assuescere, dū adhuc tenera est ætas, & molle & ad oēm uirtutis institutionē sequax ingenium. Pro. 22. Adolescēs iuxta uiā suā, etiam quum senuerit, nō recedet ab ea. Nō indigebat alieno magisterio, sed parētibus alijs castæ educatiōis paratū est exemplum, & oībus ostensa forma est, quomodo sese debeāt p̄bere morigeros parētibus, ad ea q̄ sancta sunt hortātibus. Erat aūt præceptū, ter in anno oīe masculinū cōparere in conspectu dñi, hoc est, Paschæ, Pentecostes, & Tabernaculorū festiuitatibus, Exo. 23. & 34. quanq̄ cum ijs q longe distabant, in ultimis duabus dispensatū erat, ut sufficeret in pascha adesse loco à deo deputato, Deut. 12. Durabāt autem solēnitates septē dies, Deu. 16. Non ergo erat peregrinatio eorū curiositatis aut uoluptatis, sed cultus diuini, honoris & reuerentiæ gratia. Beda: Vtraq; natura Christi hic aperitur, & quæ iuxta maiestatem patri, & quæ iuxta fragilitatē dece-

bat matri. Ascēdit homo cum hoībus ad offerenda sacrificia, seruat legē quam seruandā imperarat, ut nos ad seruandū informaret. Nec mirū, q̄ ignorantibus parentibus, quū cōsuetudo esset filijs Israel ad festa cōfluentib⁹ uel ad ,ppria remeantib⁹, seorsum uiros, seorsum mulieres incedere, puerosq̄ cuilibet parenti ad uotū iungi. Hinc Maria Iesum in comitatu suspicat Ioseph, & Ioseph ecōtra, in Mariæ. Nō ergo casu & negligētia, sed dispēsatione actum est diuina. Primo, ut sapientiā suā ad gloriā patris ostēderet. Ioh. 8. Qui misit me, mecū est, & nō reliqt me solū, qa q̄ placita sunt ei, facio sēp. Ego honorifico patrē meū. Item, ut zelū suū erga patris honorē ostenderet à pueritia. Ioh. 2. Zelus domus tuę comedit me. Et ut cūctis, maxime pueris, exēplum pfistendi in tēplo & ope diuino pberet. Pro. 20. Ex studijs suis cognoscit puer, si mūda & recta sint opa eius. Ideo Eccēs. 12. Memēto creatoris tui in dieb⁹ iuuentutis tuæ.

Existimantes autem illum esse in comitatu, uenerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos: & non inuenientes, regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt eum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos & interrogantem. Stupebāt autem oēs qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Et uidentes, admirati sunt. 2

Vulgari parētū solicitudine demirati sunt, q̄d accidisset, & ne forte ipsis relictis, aliō prexisset. Requsierūt inter cognatos, inter quos solet ista ætas nonnunq̄ cessare, uidelicet remorante illos propinquorum affectu. Verū hic non est inuentus Iesus, q̄ iam

tum docuit exemplo, esse renunciandum parentum & cognatorũ affectibus ei, qui uelit cælestis doctrinæ professionem suscipere, quemadmodũ pòst docuit uerbo. Mat. 10. Qui amat patrem aut matrem plus q̃ me, non est me dignus. Hinc cuidam sequenti se ait Mat. 8. Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Inuenerunt in templo, non in theatro uel foro, sed in templo: nec ociosum uel lusitantem, sed sedẽtem in medio doctorum, quos puer uicissim audiebat docẽtes, & interrogabat, ac uicissim ab illis interrogatus respõdebat, nõ q̃ illi necessitas fuerit sciscitari ab hominibus quod disceret, sed ut prudenter interrogãdo doceret eos qui legis scientiam profitebantur, quũ legis uim ignorarent, simul nos interim ad discendi studiũ accendens, do censq̃ nullam ætatem esse p̃properã ad discendum ea quæ spectant ad pietatem. Hieronymus: Duodecim quidem annos seruator impleuerat, & in templo sedens, & de quæstionibus legis interrogans, magis docet dum prudenter interrogat. Origenes: Ex uno quippe fonte procedit, & sapienter interrogare, & prudenter respondere. Forte de aduẽtu & tempore Messiæ, ut Mat. 22. Quid uobis uidẽt de Christo, cuius filius sit? Bed. Quod duodẽnis in templo sedit in medio doctorum, audiens & interrogans illos, humanæ est humilitatis exemplum, imò etiam eximium discẽdę humilitatis exemplum, quum ipsa sapientia æterna (quæ dicit Pro. 8. Ego sapientia habito in consilio, & eruditis interfum cogitationib⁹, meum est consilium, mea æquitas, mea prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernũt. Beatus homo qui audit

me.)sic se humiliarit, ut nimirum hominibus, quanuis summo ingenio præditis, necessariam discendi formam prærogaret, ne qui discipuli ueritatis fieri refugerent, magistri efficerentur erroris. Pro. 1. Audi fili mi disciplinam patris tui, & legem matris tuæ ne dimittas, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Eccl. 6. In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorũ ex corde coniungere, ut oẽm narrationem dei possis audire, & prouerbia laudis non effugiãt à te. Si uideris sensatum, euigila ad eum, & gradus ostiorũ illius exterat pes tuus. Cogitatum tuum habe in præceptis altissimi, & in mãdatis illius maxime assiduus esto, & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. Disciplinæ hic rectus ordo, prius audire diligenter, & pòst interrogare circa audita ptinẽter. Iac. 1. Sit aũt oĩs homo uelox ad audiendũ, tardus aũt ad loquendum. Eccl. 32. Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Pro. 18. Qui prius respõdet q̃ audiat, stultum se esse demonstrat & confusione dignum. Hinc admonet Eccl. 11. Prius q̃ audias, ne respondeas uerbũ, & in medio seniorũ ne adiicias loq. Pro. 29. Vidisti hoĩem uelocẽ ad loquendũ? stultitia magis sperãda est q̃ illius correctio. Ideo dicit Eccl. 32. Adolescens, loquere in causa tua uix cũ necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput tuũ respõsum. In multis esto quasi insçius, & audi tacẽs & q̃rens. Quanuis aũt ignotus esset facie doctoribus & circũstanti populo, tñ oẽs uertit in admirationẽ sui, ꝙ tantillus puer dictis ac respõsis suis admirabilem quãdam, & plus q̃ senilẽ sapientiã declararet, & ob rarã multus, gest⁹, linguæq; modestiam,

quæ gratiam addebant intelligentię. Ioh. 7. Nunq̃ sic locutus est homo, sicut hic loquit'. Hinc Psal. 138. Mirabilis facta est sciẽtia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam. Iudæi inter alta quæ audiebant, & infirma q̃ uidebãt, dubia admiratiõe turbabant. Quis uirginei pectoris gaudia, uerasq; delicias posset cõcipere, dũ uirgo & mater iam lætissima, filiũ, humani generis dñm & seruatorem, angelorum solatium, in templo inuenit? Nec tamen alloq; præsumpsit, donec actu completo, uenit ad eam.

Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his q̃ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi nõ intellexerũt uerbũ quod locutus est ad illos.

Tacet Ioseph, q sibi conscius erat se nihil iuris in partũ spõsæ suæ habere, Mater ꝓ autoritate sua expostulat dolore stimulata. Nouerat filiũ suũ deum & hoiem, nec posse qcq̃ sine rationabili causa agere, sed de sua negligẽtia & filij absentia, cuius præsentia sup oẽs mundi delicias ipsis dulcis erat, dolebat. Hinc Psal. 76. Renuit consolari aĩa mea, scilicet in his uanis & caducis, memor fui dei, & delectatus sum. Si memoria ꝓphetæ delectabilis sup oĩa, qd ꝑsentia? Dulciter alloqtur, cur eos sic contristarit sua absentia. Col. 3. Patres, nolite ad indignationẽ ꝓuocare filios uestros, ut non pusillo aĩo fiãt. Præponit & Ioseph humilitatis & reuerentiæ gratia, quia caput mulieris uir, Ephe. 5. Dolentes, ait, nec mirum. Quãto enim res amissa charior, tanto inquisitio so

licitior. Nos ergo Iesu per peccatum amisso, cordialiter doleamus, & solicite q̃ramus tanto plus, quanto malum culpæ præponderat malo pœnæ, & salus æterna temporali bono. Hie. 2. Scito & uide, q̃ malum & amarum est reliquisse te dñm, & non esse timorem eius in te. Sed heu malitia excæcati, Sap. 2. ordinem puertendo, in immensum de damno temporali & inconsolabiliter dolemus, aïæ iacturā dissimulantes. Quæramus ergo. Qui enim quærit, inuenit, Luc. 11. Et hoc intentione recta, Sap. 1. In simplicitate cordis quærite illū. Deut. 4. Cum quæsieris dñm, inuenies eum, si tamen toto corde quęsieris & tota tribulatione aïæ tuæ. Confidentia plena. Mat. 7. Quęrite, & inuenietis. Glos. Multum inueniri desiderat, qui ad quærendum tam solicite inuitat. Qui em̃ tā prōpte se obtulit passioni, nunq̃ se absconder diligenter inquirēti. Perseuerātia pfecta. Psal. 104. Quærite dñm & confirmamini, q̃rite faciē eius semp. Hier. 29. Cum q̃sieritis me in toto corde uestro, inueniar à uobis, dicit dñs. Abscondit se nonnunq̃ dei beneficentia, quo ardentius quæratur. Cant. 5. Quò abiit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? quò abiit dilectus tuus, & quæremus eum tecum? Audiens autem dominus pium matris sermonem à pio pectore profectum, benigne respondit: An non ueniebat uobis in mētem, quod in negocio patris mei oportet me esse, quoties ille uocat ad munus delegatum? Et ideo quum nō essem uobiscum, in domo patris inueniendus. Bed. Non quod eum quasi filium quærunt, uituperat, sed quis ei sit uerus pater insinuat, & quid potius debeat ei cui est æternus filius, mentis oculos attollere cogit. Origenes:

In cęlis ſine matre, in terris ſine patre. Ipſi autem nimio gaudio abſorpti, uerba capere nō poterāt. Pro. 13. Deſideriū, ſi cōpleatur, oblectat aīam. Lignū em̄ uitæ, deſideriū ueniens. Sic diſcipuli triſtitia oppreſſi, paſſionis prænunciationē non intellexere, Luc. 18. At dñs ad tēpus ex ſua bonitate obſequutus eſt illoꝝ imbecillitati, ſimulq; pueris oībus formam & exemplum exhibuit, quanto ſtudio, quantaq; reuerentia debeant obſequi parentibus ſuis.

3 *Et deſcendit cum eis, & uenit Nazareth, & erat ſubditus illis.* Et *mater eius conſeruabat omnia uerba hæc, conferens in corde ſuo.* Et *Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud deum & homines.*

Ambroſi⁹: Magiſter ueritatis, officiū implet pietatis, deſcendens cum eis humiliter, & ſubditus oia quæ filij debent parentibus, impendens obſequia. Nam quū filius eſſet dei, ſe, ut præſtaret humilitatis formam, & implendæ diuinæ legis ſpeculum, ſubdebat hominibus. Exo. 20. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longęuus ſup terram. Tob. 4. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus uitę tuæ. Memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo. Ecci. 7. Honora patrem tuū, & gemitus matris tuæ ne obliuiſcaris. Memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes, & retribue illis, quomodo & illi tibi. Col. 3. Filij, obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum eſt in domino. Honorauit ipſe matrem, uirginem conſeruando. Eſa. 7. Ecce uirgo concipiet & pariet filium, ut unum cum patre cæleſti haberet filium. Ipſi obediendo. Ber. Deus cui angeli ſeruiunt, ſubditus

est Mariæ, imò Ioseph propter Mariam. Discipulo cõmendando, Ioh. 19. Ecce mater tua. Mater uero oĩa quæ dicebantur uel fiebant ab ipso, recondebat in pectore suo, ex admirandis initijs rerum exitus cõiectans, nec qcq̃ sinebat inobseruatum, quo pòst maiore cum fide narraret oĩa discipulis, per orbem uniuersum Iesu uitam prædicaturis. Diuina em̃ erãt quæ dicebantur & agebantur à puero. Imitemur & nos piam dñi matrem, oĩaq; domini uerba & facta diurna ac nocturna meditatiõe reuoluẽtes, importunos inaniũ nocentiũq; cogitationũ repellam⁹ incursus: horæ crebra collatione & nos, & ꝓximos nostros, à fabulis ac supuacaneis & male dulcoratis detractionib⁹ castigare, atq; ad diuinæ laudis frequẽtiam incitare curem⁹. Proficiebat ætate quo ad corpus, in augmento corporis, uigore membrorum, & decore personæ: sed quantum ad sapientiam & gratiam, quum ab instanti conceptionis omnem plenitudinem haberet sapientiæ & gratiæ, non fiebat sapientior ex tempore: neq; decrementum ipsius aut gratiæ uel incremẽtum, quemadmodum cæteri sancti, accepit: sed eam qua plenus erat, paulatim hominibus demonstrabat: & quantum proficiebat ætate, patefaciebat dona gratiæ hoĩbus quæ sibi inerãt & sapientiæ, tantum eos ad dei laudem excitabat ꝓ consideratione ipsius sapientiæ & gratiç, quæ deus illi contulerat: sic & deo patri ad laudem, & hominibus proficiebat ad salutem. Agebat em̃ ea quæ deo beneplacita erant, & quç laudata ab hominib⁹. Primum enim oportet deo placere, & postea hominibus. Apud deum enim conscientia bona necessaria, & apud hoĩes fama. 2. Cor. 8. Prouidemus enim

bona, non solũ corã deo, sed & corã hoĩbus. Eccĕs 7. Melius est nomen bonum quàm ungenta pretiosa. Prou. 22. Melius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ, super argentum eũ & aurũ gratia bona. Ideo Eccĩ. 41. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni. Docuit ergo nos à primis illis iustitiæ rudimentis, quam oportet ab infantia statim imbibere, perpetuo progressu conniti ad perfectiora. Quemadmodum enim corpus habet auctus suos, usq; ad iustum staturæ modum, iustasq; uires, ita & pietas suos habet accessus, donec ad perfectã firmitatem plenitudinis Christi. Grandescit eũ Christus in nobis & adolescit, quum nos à fidei rudimẽtis ad reconditiorem diuinæ scripturæ sapientiam proficimus: quum relicto lacte carnis, solidum appetimus cibum spiritus: quũ neglectis terrenis, euolamus ad cælestia. Præposterum est enim, corpus iuxta naturæ cursum semper in melius ꝓficere, & animam nostra socordia semper ad deteriora relabi. Nam id uulgo fieri uidemus. Adolescentes ab infantiæ puritate degenerant ad lasciuiam, iuuentus rursus ad lites & pugnas proficit, uirilis ætas ad ambitionem & auaritiam. Itaq; fit, ut quo quis propius accesserit ad ætatem, eo longius recedat ab innocẽtia. Cæterum qui semel induerunt Christum, hos oportet ad illius exemplum semper ad meliora cõniti: quo simul & animi puritate sese commendent oculis dei, & uitæ synceritate famam honestam sibi parent apud homines.

De habitatione Iohannis in deserto.

ARTICVLVS XIIII.

PVer autem (Iohannes) crescebat, & confortabatur spiritu. Et erat in desertis usq; in diem ostensionis suæ ad Israel. Lucæ. I. X

Prodigiose natus, quemadmodum per ætatem adolescebat corpore, ita per afflatū diuini numinis semper in maius proficiebat, firmitate & robore spiritus. Nec diu se continebat in parētum ædibus, sed ab ipsa statim pueritia, subduxit sese ab hominū frequentia, ne uel minimum labis cōtrahere posset ex amicorum uel uulgi commercio, ac minus inde autoritatis haberet, q fuerat sanctificatus in utero matris. Erat illi perpetuum cum deo colloquium. Talis nimirum uita decebat eum, qui pœnitentiæ prædicandæ destinatus erat. Non se ingessit ad munus præconis, sed quum spiritus impulisset animū ipsius, ut suam lucem proferret, & ostenderet populo Israelitico quantus esset, tum magna cum autoritate cœpit agere præconem.

De prædicatione & baptismo Iohannis in deserto, Mat. III. Mar. I. Luc. III.

ARTICVLVS XV.

ANno autem quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sa- Lucæ. 3. Y

cerdotum Anna & Caipha, factum est uerbum domini super Iohannem Zachariæ filium in deserto. Et uenit in omnem regionem Iordanis, prædicãs baptismũ pœnitentiæ in remißionem peccatorum.

Ostendit quemadmodum Iohannes iuxta propheticum dictum animos populorum prædicatione & baptismi ablutione, ad Christi præpararit aduẽtum. Meminit Lucas regum & sacerdotum, tum ob facti certitudinem, tum prophetici dicti implectionem. Ge. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est. Augustus enim, quo regni Iudææ uires frangeret, in quatuor partes ipsum diuisit, quod & indicium fuit regni Iudaici mox perituri. Similiter & sacerdotium ueluti mox periturum, uagũ erat ac mercenarium, cuius principatus tũc erat penes duos insignes impios. Refert Iosephus tũc sacerdotium irreuerenter fuisse uenale, ita quod præceptis legis de successione pontificum, per uim & ambitionem celsantibus, nulli honor pontificatus, uitæ uel generis merito præstabatur. Ad hunc modum rebus apud Iudæos dissectis ac turbatis, exortum est regnũ cælorum, ac nouum sacerdotium, cuius præco delectꝰ erat Iohannes, qui idoneus pœnitentiæ prędicator, prius uita doceret, quàm sermone: ac uacaret omni crimine, qui magna libertate reprehenderet aliorũ peccata. Nec tamen suopte impetu prodijt ad prædicandum, sed uoce diuina monitus iam adesse tẽpus agendi præconem. Rom. 10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Hiere. 23. Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos,

& ipſi prophetabant. Si ſtetiſſent in cõſilio meo, & nota feciſſent uerba mea populo meo, auertiſſem utiq; eos à uia ſua mala & à cogitationibus ſuis peſſimis. Gregori⁹: Quia illum prædicare uenerat, qui ex Iudæa quoſdam, & multos ex gentibus redempturus erat, per regem gentium & principes Iudæorum, prædicationis tempora deſignantur: & quia illum qui ſimul rex & ſacerdos, recte per regnum & ſacerdotium deſcribuntur. Et quia baptiſma quod peccata ſolueret, dare non potuit, prædicauit: ut ſicut incarnatum uerbum præcurrebat uerbo prædicationis, ita baptiſmum pœnitẽtiæ quo peccata ſoluũtur, præcurreret ſolo baptiſmate, quo peccata ſolui nõ poſſunt. Act. 19. Iohannes baptizauit populũ baptiſmo pœnitentię, dicens, in eum qui uenturus eſſet poſt ipſum, hoc eſt, in Ieſum, ut crederent. Dicitur baptiſmus pœnitentiæ, quia nulli prodeſt adulto, niſi pœniteat. Act. 2. Pœnitemini, & baptizetur unuſquiſq; ueſtrum in nomine Ieſu in remiſſionem peccatorum. Porro terror diuinę iuſtitiæ quanq̃ eſt nõnunq̃ initium ſalutis, quemadmodum amarum pharmacum totum hominis corpus cõcutiens, initium eſt ſanitatis, tamen non abſoluit hominis felicitatem. Gratia & beneficentia conciliat amorem. Amor erga deum reddit felicem. Hinc poſt legẽ & prophetas lætũ Ieſu Chriſti illuxit euãgeliũ. Quod Iohannes nõ fortuito, ſed diuina diſpẽſatione, ut lucifer ſolem præuenit, Iudæorũ animos excitaturus in expectationẽ mox uenturi Meſſiæ, digitoq; monſtraturus uenientẽ, quẽ ꝓphetæ tot retro ſeculis uẽturũ prædixerant. Lu. 16. Lex & prophetę uſq; ad Iohannẽ: ex hinc regnũ dei euangelizat. Ideo Marc. 1.

Initium euangelij Iesu Christi filij dei, sicut scriptū est in Esaia ꝓpheta: (non q̄d immediate, sed quod post sequitur.) Ecce mitto angelum meū ante faciē tuam, qui ꝓparabit uiā tuam ante te, Mal. 3. Ostēdit familiaritatē Iohannis ad Christum, quia proximi ante reges familiarissimi incedūt. Hinc amicū sponsi se nominat, Ioh. 3. & q̄a angelicę puritatis & uitę.

2 *Sicut scriptum est in libro sermonum Esaiæ prophetæ: Vox clamātis in deserto, parate uiam domini,* Esa. 40. *rectas facite semitas dei nostri.*

Sic nimirum ante medici aduentum admonetur ægrotus, ut agnoscens morbum, medicū ueniētem reuerenter excipiat, seseq̄ illi morigerū ac dicto obaudientem præbeat. Lex prior prodita est in deserto, indidem profertur & nouæ legis exordium. Potest per uocem intelligi sermo Iohānis & doctrina, uel ipse Iohannes. Vñ Ioh. 1. Ego uox clamantis in deserto, hoc est, Christi clamātis ꝑ me. 2. Cor. 13. An experimentū q̄ritis eius qui in me loquitur Christus? Hier. 1. Ecce dedi uerba mea in ore tuo. Sicut enim uox ordine naturæ prior est uerbo, sic Iohānes Christū præcessit: & sicut uox rem significatā notificat, sic Iohannes Christū monstrauit. Ioh. 1. Ecce agnus dei. & sicut uox sonat & trāsit, & uerbū in audientium cordibus relinquit, sic Iohānes Christū in cordibus credentiū. Prædicabat aūt, ut sese uēturæ sāluti pœnitētia uitæ ꝓpararent, & aquæ baptismo, quem ipse ueluti ꝑcursor dabat, sese redderēt idoneos baptismo spūs, quē daturus esset, cuius aduentui simmi nebat. Glos. Prauitatē abijcite, fidē & bona opa accipite. Psal. 33. Declina à malo, & fac bonū: inquire pacē, & ꝓsequere eā. Oportet ergo nos præparare

animos, rectasq; facere cogitationes & opera, prauam & tortuosam intentionē rectificādo. Psal. 24. Innocentes & recti adhæserunt mihi. Rectum autē est, cuius medium non exit ab extremis. Deus autē est alpha, & ω, principiū & finis, Apo. 1. Ille ergo rectus est, & semitas dei facit rectas, qui sicut oīa à deo se habere cognoscit, ita ad eū oīa sua opera dirigit, illi soli placere studens. Viæ ēm eius uiæ pulchrę, & oēs semitæ illius pacificæ. Col. 3. Omne q̄dcunq; facitis in uerbo aut in opere, oīa in nomine dñi nostri Iesu Christi agite, gratias agentes deo & patri p ipsum. Omnia aūt impedimenta reiicienda, lapides superbiæ & indurationis Hie. 5. Indurauerunt facies suas supra petrā, & noluerunt reuerti. Iob 4. Cor eius indurabitur tanq̄ lapis, & stringetur quasi mal leatoris incus. Item lutum luxuriæ. Eccl. 9. Omnis mulier fornicaria, quasi stercus in uia, ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. Sap. 1. Spiritus sapientiæ, disciplinæ effugiet fictū, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Item spinæ auaritiæ, q̄ semen spirituale suffocant, Lu. 8. Psal. 24. Vias tuas dñe demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Hoc ergo clamandū, ut uia dño præparet. Esa. 58. Clama, nec cesses, & annūcia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorū. Esa. 40. Vox dicentis, Clama. Quid clamabo? Omnis caro fœnū, & oīs gloria eius quasi flos agri. Exiccatum est fœnū, & flos eius decidit: uerbum aūt domini manet in æternum.

Omnis uallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt praua in directa, & aspera in uias planas. Et uidebit omnis caro salutare dei.

3 Qui propter imperitiam & modestiam, humiles & abiecti uidebantur & inutiles, per euangelicā doctrinam uegeti fient, & opulenti bonis cælestibus. Humilitas enim ad oēm uirtutem ꝑparat mentem & gratiam, sicut econtra ſupbia ad omne peccatum. Eccī. 10. Initium oīs peccati ſuperbia. Iob. 25. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Nam Lu. 14. Omnis q̄ ſe humiliat, exaltabitur: Et omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. Qui ergo turgebant inani iuſtitia legis Moſaicæ, ſtultaq̄ philoſophia mundi huius, deiiciētur: quare neceſſe eſt eos qui ſublimes ſunt apud homines opinione iuſtitiæ aut ſapientiæ, ſuperciliū deponere, ut capaces ſint iuſtitiæ & ſapientiæ diuinæ. Quæq̄ per legis aſperitatem difficilia uidebantur & impedita, per fidem & euangelicam gratiam expedita fient ac facilia. Necnon quæ prius diſtorta prauaq̄ fuerant, ad euangelicam regulam repēte exæquabuntur: quæq̄ uitiorum & malarum cupiditatum ſentibus aſpera, uertentur in uias leues & planas. Mentes iracundæ & immites, ad manſuetudinem ꝑ infuſionem gratiæ redibunt. Mat. 5. Beati mites, qm̄ ipſi poſſidebunt terram. Sic & aſpera, per Chriſti charitatē leuia. Mat. 11. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meū leue. Et certe. Nam Chriſtus aduerſarias poteſtates protriuit, quæ poſſunt dici montes & colles: & naturales noſtras inclinationes ad bonum per ſuam gratiam reuiuificauit, quæ ualles dicuntur. Sciendum tamen, q̄ timor nimius in uallem ſæpe inducit deſperationis, ut claret in Cain Gene. 4. & Iuda Matt. 27. Nimia autem præſumptio, in tumorē elationis, ſicut patet in lucifero Eſa. 14. quod damnabile eſt. Hinc timor nimius ꝑ ſpem

eleuandus,& nimia præsumptio ad timorem depri menda. Tales enim mentes amat dominus, p quas obambulat. 2. Corinth. 6. Vos estis templum dei uiui, sicut dicit deus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter illos, & ero illorum dominus,& ipsi erunt mihi populus. Huic igitur rerum nouatori præparate uos. Mox aderit, & uidebunt eum non solum Iudæi, uerum etiam totius orbis nationes oculis fidei. 1. Corinth. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate. Post uisuræ in specie. Tunc autem facie ad faciem. Ioh. 17. Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi ego sum, & illi sint mecũ, ut uideant claritatem meam quam dedisti mihi. Viderũt omes & boni & mali. Baruc. 3. In terris uisus est,& cum hominibus conuersatus. Sed mali uiderunt & oderunt, Iohã. 15. Nota quo ad illud Mar. 1. Sicut scriptum est, in Græco nõ haberi, in Esaia, sed in prophetis. Id comprobatum à doctis, qui cõprehenderunt hocte stimoniũ è duobus prophetis esse cõflatum. Est enim prior autoritas apud Mal. 3. posterior apud Esaiam, etsi nonnihil discrepet ab Hebraica ueritate, necnõ trãslatione LXX. Nã cũ euãgelistæ Hebraice scirẽt, nõ indigebant translatione Septuaginta. Deinde quum ab Hebræis non anxie decerperent, q̃d scripturi essent, sed quod memoria suggerebat describerent, uerbis nonnunquam dissident, in sententia concordant, id quod pluribus in locis admonuit Hieronymus.

In diebus illis uenit Iohannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Ipse autem Io- Mat. 3. Z

hannes habebat uestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Esca autem eius erat locustæ & mel syluestre.

Ostensa p̃dicatiõis Iohãnis idoneitate ex scripturæ autoritate, nũc ostendit ex uitæ austeritate. Prodijt nõ è regũ aulis, aut è uulgato hoĩm cœtu, sed ex eremo, ubi à puero uitã angelicã egerat, uictu facilimo, facileq; parabili cõtentus, amictus pallio è camelĩ pilis cõtexto, cinctus zona pellicea. Hieronymus: è pilis, inquit, non è lana molliori. Aliud austerç uestis indicium est, aliud luxuriæ mollioris. Hinc dñs Iohannẽ de illo cõmendat, Mat. 11. diuitem uero de isto condemnat, Luc. 16. Zona pellicea, qua accinct⁹ fuit & Helias, mortificationis cingulum est. Habitatori solitudinis congruum est, non delicias ciborũ, sed necessitatẽ humanæ carnis explere. Locusta animal est, quo Parthi uescunt pro delicijs, ut dicit Plin. lib. 11. c. 29. Sic & quidam populi Aethiopiæ, qui in hunc usum eas fumo & sale durarent. Sed nõ est ueri simile, eum qui nec panem manducabat, Luc. 7. animalibus uiuere, sed magis fructib⁹ & herbis. Dignus qui dñm prænunciaret. Apostolus ait 1. Cor. 9. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar. 1. Tim. 6. Habẽtes uictum & quibus tegamur, his contenti sumus.

Tunc exibant ad eum Hierosolymitæ uniuersi, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.

Ostenditur prædicationis utilitas. Primus enim regnum cælorum publice prædicauit, ut præcursor domini hoc priuilegio honoraretur. In ueteri enim instrumento bona promittebantur terrena seruantibus legem. Esa. 1. Si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. cœlestia uero quasi implicite, hic autem aperte iam instare, & in proximo esse regnum cælorum, felicissimum quidem illud & exoptabile, sed in quod non pateret aditus, nisi puris ab his terrenis sordibus. Ad hanc uocem, in typum mox abolendarum animi sordium, plurimi tingebantur in flumine Iordanis, damnantes ipsi uitam priorem, ac palàm cognoscentes sua commissa, ueluti imagine quadam præludendo ad ordinem euangelicum. Primum enim munus est, docere: ex doctrina catechumenus incipit & suam turpitudinem agnoscere, & dei bonitatem: totus sibi displicet, atq; intelligit nulla alia in re paratam sibi salutis spem, ad dei gratuitam beneficentiam confugit. Magnus ad sanitatem gradus est, hominem agnoscere morbum suum: ingens ad lucem profectus est, agnoscere tenebras suas. Iordanis, Hebræis fluuium iudicij sonat. Non enim iudicatur à domino, qui seipsum iudicat. Hic est ille purificator fluuius, scatens è duobus fontibus, agnitione propriæ iniustitiæ, & recordatione bonitatis diuinæ. Hic est ille baptismus pœnitentiæ, flumen lachrymarum, ex intimis cordis uenis aquas emittens amaras, sed acrimonia nitri abstergens oēs aiæ maculas. Hinc Petr⁹ egressus fleuit amarè, Luc. 22. Sic Maria pedes dñi lachrymis rigauit, Luc. 7. Habent pharisæi suā cōfessionē, sed arrogātē: aliena peccata

confitentur, non ſua. Luc. 18. Non ſum ſicut cæteri hoïm. Porro qui ſe præparant ad baptiſmũ euangelicũ, nec ſua benefacta norũt, nec aliena mala cõmemorãt, ſed ſua qſq; peccata confitẽt. Propria benefacta cõmemorare, arrogantiæ eſt: aliena mala referre, liuoris eſt & maleuolentię. Tametſi baptizabat, non tamen peccata relaxabat, ſed ſolum pœnitentiam p̃dicabat, & ad remiſſionem peccatorũ ferebat, hoc eſt, ad Chriſti baptiſma, p quẽ remiſſio peccatorũ. Hinc Act. 19. Iohãnes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populũ, dicens: in eũ q uenturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, in Ieſum. Ioh. 1. Vt manifeſtẽt in Iſrael, „pterea ego ueni in aq̃ baptizans.

2 *Videns autem multos phariſæorum & Saducæorum uenientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies uiperarum, quis demõſtrauit uobis fugere à uentura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitẽtia. Et ne cœperitis dicere intra uos, patrẽ habemus Abrahã. Dico enim uobis, quoniam potens eſt deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abraæ.*

Quoniam primus ad reſipiſcentiam gradus, à timore dei naſcit, ut primũ à iuſto uindice timeatur ſupplicium, deinde benefici liberalitas ametur, magna libertate clamat Iohannes contra phariſæos & ſcribas, non ignarus q̃ ſit hoc hoïm genus elatum, ferox, & ſibi placens, ob inſignem Moſaicæ legis obſeruationem, ac patriarcharum merita, à q̃bus gloabantur ſe oriundos, quaſi deus hoïes æſtimaret ex genere, & non magis ex animi meritis. Erãt tres ſectæ apud Iudæos, alĩs ſe præferentes, Eſſeorum qui abſtractam & rigoroſam ducebant uitam, credẽtes

se sua posse iustitia saluare: & quia temporalia non curabant, ideo non inueniuntur cum scribis & pharisæis in domini persecutione fuisse. Pharisæorum, quorum quidem secta probata, sed auaritia & ambitione in multis corrupta. Act. 26. Secundum certissimã religionis nostræ sectam uixi pharisæus, ait Paulus. Saducæorum, qui resurrectionem, spiritum & angelum negabant, Act. 23. Sed quia non syncera uenerunt, sed dolosa mente, dure ipsos aggreditur. Germina uiperarum, nocentissimorum parentum nocentissimi filij, astutum ac malitiosum hoim genus, quis uos submonuit instare ineuitabile supplicium, nisi ad pœnitentiæ remedium cum cæteris fugissetis, ut sic fugeretis ab instante seuera dei ultiõe, quæ nulli nec ætati, nec genti parcit, nec cõditioni? Sap. 16. Tuam em̃ manũ effugere impossibile est. Psal. 138. Quò ibo à spiritu tuo? & à facie tua quò fugiam? Tradũt hoc animal matrem suam deuorare, & sic nasci. Sic Iudęi doctores & prophetas occiderunt. Ezech. 2. Increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Non ueniat uobis in mentem, Abraæ filij sumus, nobis promissa hæreditas salutis, non deseret dñs populũ suũ. Imò quemadmodum uobis ad meliora respiscentibus, nihil officiet maiorum impietas, (filius non portabit iniqtatem patris, Ezech. 18.) ita nihil profuerit Abraæ progenitoris sanctitas, si non laudatam illius fidem & obedientiam imitemini. Hieronymus: Lapides, ethnicos uocat, qui instar lapidum duri & impoliti ac steriles, muta idola colebãt. Psal. 113. Similes illis fiant q faciunt ea, & oẽs qui confidunt in eis. Eze. 11. Auferã cor lapideũ de carne eor̃, & dabo eis cor

carneum,ut in præceptis meis ambulent.Esa.55.Ecce gentē quam nesciebas,uocabis:& gentes quæ te non nouerūt,ad te currēt. Ose. 2.Dicam nō populo meo,populus meus es:& ipse dicer,deꝰ meus es tu. Siue simpliciter dei significat potentiā,qua cūcta de nihilo creauit,posse &populum durissimis de saxis ꝓcreare. Ne ergo putetis,qm̄ si non pareatis ipsi,ꝙ absq; filijs deus patriarchā patiet. Non deerūt patri nostro Abraæ filij,q fide & obedientia referant patrē.Ioh.8.Si filij Abraæ estis,opa Abraę facite.Gal. 3.Cognoscite ergo qm̄ qui ex fide sunt,hi sunt filij Abraæ.Hinc Esa.51. Attendite ad petrā uide excisi estis,& ad cauernā laci de qua p̄cisi estis, attēdite ad Abraam patrem uestrū. Si uerē ergo uos pœniter, ut præ uobis fertis,sic uiuite,ut appareat uos resipuisse,& ex aīo pristinę uitæ pœnitentia teneri. Alioq reijciemini,nisi ꝓrsus mutati, fructꝰ attuleritis euangelio dignos.Chrysostomus:Dignos fructus pœnitētia quomodo facere possumus? Si uticq; peccatis aduersa faciamus. Aliena rapuistis? incipe donare iam ꝓpria.lōgo es tēpore fornicatus? à legitimo q̄que usu suspēdere cōiugū, ac ꝑpetuam continentiā sępiꝰ paucorū dierū castitate meditare. Iniuriā cuipiā uel ope uel sermone feciſti? refer bñficiū.Oportet uulnerati etiā remedia adhibere uulneribꝰ, non solum spicula euellere. Non sufficit fugere malitiā, sed etiā facere fructū uirtutis. Ex intimo ergo cordis affectu & charitate,sine qua nihil ꝓsunt,fructus edendi.1.Cor.13. Si tradidero corpus meū ita ut ardeam,charitatem autem nō habuero, nihil mihi ꝓdest. Hinc Antiochus ueniam nō meruit,2. Mach. 9.nec Esau,Hęb.12. Non enim inuenit pœnitentiæ

locũ, quanq̃ cum lachrymis inquisisset eam. Nota q̃ est cõtritio & satisfactio æqualẽs offensæ seu cul pę, æqualitate, ꝓportionis, p respectũ ad hoïs possi bilitatẽ, hęc requrit à nobis, nõ aũt ęqparãtię offensę.

Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonũ, excidetur, & in ignem mittetur. 3

Nunc urget extremum periculum, & in acie nouaculæ res posita est. Aut synceris animis adeũdum est regnum cælorum, aut accipiẽdum æternum supplicium. Siquidem quandiu spes est remedij, stercoratione aut putatione subuenitur arborum uitijs. Cęterum ultimæ desperationis indicium est, quoti es securis admouetur radici. Secundum Origenem & Cyrillum prædixit imminens Iudæorum excidium, ob duritiam & infidelitatem ipsorum. q. d. Iam securis admota est ad radicem arboris diu tolerat̃, succidetur à stirpe populus Abraæ, & inserẽtur gentes, Abraam credulitate referẽtes. Securis, diuinum est iudicium, indignos è uita resecans nisi pœniteãt. Luc. 13. Succide eam, ad quid enim terram occupat? Eccl. 2. Si non egerimus pœnitentiam, incidemus in manus dñi, & nõ in manus hoïm. Heb. 10. Horrendũ est incidere in manus dei uiuẽtis. Securis admota est radici, nõ ramis aut trũco, funditus & irreparabili uulnere succisura, ni fructꝰ ideo dignos, pduxerit. Neminẽ neq; opes neq; gñis nobilitas, neq; sapiẽtia liberabit posthac. Nõ sufficit solũ fugere malitiã, sed etiã facere fructũ uirtutis semp. Nã licet heri misericors fueris, hodie aũt rapias, bonus nõ eris. Si ergo sterilitas condemnatur, cõtinuata impietas

quid meret? Officiosum animal dꝰ creauit hoiem, & naturalis est ei exercitatio, ociũ uero innaturale. Obest eñ inertia cunctis corporis membris, & nulli ut aiæ. Ipsa eñ quum naturaliter sit continuo mobilis, ociari non patit. Ioh. 15. Oēm palmitem in me nõ ferentē fructũ, tollet eũ. Iudæ c. 1. Hi sunt in epulis suis maculæ cõuiuãtes, sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, q̃ à uentis circunferunt, arbores autumnales, infructuosę, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumãtes suas confusiones, sidera errantia, q̃bus ꝓcella tenebraꝝ seruata est in æternũ. Eccẽs. 11. Si ceciderit lignum ad austrũ aut aq̃lonem, in q̃cunq̃ loco ceciderit, ibi erit. Ber. Si scire uis quò casura sit arbor, ramos attẽde. & q̃ põderosior ramoꝝ est copia, illuc casuram non dubites. Non solum aũt excidit à bonoꝝ consortio, sed & in ignem cõñcitur. Mat. 25. Inutilẽ aũt seruũ ꝓñcite in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & stridor dentiũ. Psal. 139. In ignem deiȷcies eos, in miseriȷs nõ subsistẽt. Ioh. 15. Si qs in me nõ mãserit, mittet foras sicut palmes, & aresc̃et, & colligẽt eũ, & in ignẽ mittẽt, & ardet. Hac Iohãnis oratiõe tã sæua mina cię, territa Iudæoꝝ ꝓmiscua multitudo est.

Lucæ. 3. *Et interrogabãt eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.*

Iam sanabiles esse cœperãt, q̃ morbũ agnoscebãt & remediũ q̃rebãt. Ostẽdit remediũ Iohãnes ubiq̃ efficax. Deus bñficio nostro nõ indiget, sed sibi patit imputari, q̃q̃d in ꝓximũ egentẽ ipsius respectu

fuerit collatum. Efficaciſſimum ergo remediũ placandi deũ offenſum, ſi modis oĩbus benefici ſimus in proximum, cuiuſcũq; rei inopia laborantẽ. Quid in diuino examine dicturi ſunt, qui ſuperflua perire potius ſinunt, q̃ impartiantur indigentibus? Iac. 5. Agite nunc diuites, plorate, ululantes in miſerijs ueſtris quæ aduenient uobis. Diuitiæ ueſtræ putrefactæ ſunt, & ueſtimenta ueſtra à tineis comeſta ſunt, aurum & argentũ ueſtrum æruginauit, & ęrugo eor̃ in teſtimoniũ uobis erit, & mãducabit carnes ueſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis uobis irã in nouiſſimis diebus. Finis corporaliũ bonor̃, ſpũale bonũ eſt, p̃ſertim felicitas uẽtura, uel ſaltẽ pfectus in dei obſequio atq; aĩæ uirtutibus, prout lex diuina p̃cipit. Bonitas aũt medior̃, ex ipſo fine dependet, ſicut bonitas medicinæ, inquantũ cõfert ad ſanitatẽ, quã ſi impedit, mala & ſupflua iudicat. Sic de bonis tẽporalibus. Pro. 30. Mendicitatẽ & diuitias ne dederis mihi, tribue tantũ uictui meo neceſſaria, ne forte ſatiatus, illiciar ad negandũ, & dicã, q̃s eſt dñs? aut egeſtate cõpulſus, furer, & piurẽ nomẽ dei mei. Hinc Tob. 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum, etiam illud libenter impartire ſtude. Quomodo potueris, eſto miſericors.

Venerũt & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illũ: Magiſter, quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius quàm cõſtitutũ eſt uobis, faciatis.

Beda: Publicani dicunt, publicar̃ rer̃ ſeu uectigaliũ exactores. Mat. 21. Publicani & meretrices p̃cedẽt uos in regnũ dei. Venit em̃ ad uos Iohannes in uia iuſtitiæ, & nõ credidiſtis ei: publicani aũt & me-

retrices crediderunt ei. Vos aũt uidentes, nec pœnitẽtiam habuistis postea, ut crederetis ei. Imò Lu. 7. Pharisæi aũt spreuerunt consiliũ dei. Vnde & simplices contẽnebãt. Ioh. 7. Nunqd ex principibus aliqs credidit in eum, aut ex pharisæis? sed turba hæc quę non nouit legẽ, maledicta est. Publicani ergo territi Iohannis p̃dicatione, genus alioqui deditũ rapinis, & ex publicis incõmodis sua cõparans cõmoda, religionis negligens, ac magis obsequens iussis principum, q̃ præceptis dei, consiliũ salutis expetierunt. Iohannes aũt uerus præcursor illius, q̃ nullum, quãlibet magnis peccatis inquinatum, reiecturus erat, leniter respondit: Habetis salarium à Cæsare, præscriptum est quid debeatis exigere à populo. Ne quid extorqueatis in uestrũ lucrũ, ultrą id q̃d p̃scriptũ est.

Interrogabant eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neq; calumniã faciatis, & contenti estote stipẽdijs uestris.

Hoc hoĩm genus, uiolentum & impium, legum negligẽs, ad uim præceps, uenalem habens animã, rapto gaudens, licentia ferox & insolens. Solent autem tribus potissimum modis esse noxij, uiolentia, calũnia & rapinis. Duo ergo uult abesse ab illis: uim, qua prouinciales opprimebant: & calumniã, q̃ defe rebant illos apud suos præsides, quo sine ui, sed non minus perniciose, spoliarẽt. Augustinus: Sciebat Iohannes eos qui militabant, non esse homicidas, sed legis ministros: non suarum ultores iniuriarum, sed publicæ salutis defensores: alioqui respondisset, abijcite militiam, neminẽ pcutite, uulnerate, pternite. Chrysostomus: Volebat Iohãnes publicanos & mi

lites ad maiorem pfectionẽ traducere: ſed qm̃ nondum erant ad illam idonei, minora proponit, ne ſi maiora proferret, non illis intenderent, & ijs etiam priuarentur. Sic & de dño Eſa. 42. Calamũ quaſſatum non conteret, & linũ fumigans non extinguet. Ideo Apoſtolus Ro. 15. Debem⁹ nos firmiores, imbecillitates infirmor⁹ ſuſtinere, & nõ nobis placere.

Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Iohanne, ne forte ipſe eſſet Chriſtus, reſpondit Iohannes, dicens omnibus: Ego q-dem aqua baptizo uos: ueniet aũt fortior, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorũ eius. Ipſe uos baptizabit in ſpiritu ſancto & igni.

Tanta autoritate Iohannes prædicabat & baptizabat, ut uulgus apud ſe ſuſpicari cœperit ipſum eſſe Meſſiam. Hæc eſt enim uulgi leuitas, ut his quos admiratur, plus tribuat q̃ par eſt: quos odit, in his omnia calumnietur. Non tacuit aũt nec erubuit publice ueritatẽ, ſe deprimendo, quo Chriſti eueheret gloriam. Non enim erat arundo, hominum fauore hinc inde agitata. Tantum, inquit, inter me & Chriſtum intereſt, ut ego quanq̃ aqua baptizem, tamen peccata non remittam: ſed præparo uos efficaciorẽ baptiſmo, quem accipietis ab eo, cuius aduentum uobis prædico, tempore quidem maior ac prædicationis ordine, ſed potentia longe inferior. Matth. 3. Qui autẽ poſt me uenturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamẽta portare. Soleas magis ſonat, hinc dicta Græcis, quod ſoleant pedibus ſubligari. Mar. 1. procumbens ſoluere corrigiam calcea

mentorũ eius. Hiero. Matthęus humilitatẽ, Marcus & Lucas mysteriũ demõstrant, q̃d Christus spõsus fit, & Iohãnes nõ mereꝫ spõsi corrigiã soluere, ne uoceꝫ domus eius iuxta legẽ Mosi, domus discalceati, Deu. 25. Ruth. 4. Meũ q̃dem baptisma non dat spiritualẽ gratiã, sed necꝫ remissionẽ peccatorũ: ipse autem & remittit peccata, & spiritũ liberaliter dabit. Non nominat aquam, qa intendit differentiã & excellentiã declarare baptismi Christi à suo, q tãtum fuit in aqua. Secũdum Hieronymum, ignem sumit pro effectu spiritussancti, qa ignit, & charitate mentem inflãmat. Hinc in linguis igneis apparuit, Act. 2. Siue quia in præsenti, spiritu baptizamur, & in futuro, igne. 1. Cor. 3. Vniuscuiusꝙ op⁹ quale sit, ignis probabit. Ille ergo efficaci baptismo uos baptizabit spiritu & igni. Spiritu uos transformabit, igne rapiet ad cælestia.

Cuius uentilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum; paleas autem comburet igne inextinguibili. Multa quidem & alia exhortans, euangelizabat populo.

Non credatis, si baptizati fueritis ab illo, & deinde uitam nõ egeritis illo dignã, immunes uos à delicto, nam iudiciũ habet. Ioh. 5. Pater oñe iudicium dedit filio. Act. 10. Ipse est, q cõstitutus est à deo iudex uiuorũ & mortuorũ. Et permundabit aream suam, Mat. 3. ecclesiam militantẽ, in q̃ nunc boni cum malis sunt pmixti, sed in fine separandi. Mat. 13. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Triticum suum congregabit in horreum. Mat. 25. Venite bene-

dicti patris mei, possidete paratum uobis regnum. Paleas, mente instabiles, inanes, omniq; passionum & concupiscentiarū impulsu uolubiles. Psal. 1. Non sic impij non sic, sed tanq̄ puluis quē ꝓijcit uētus à facie terrę. Inextinguibili. Esa. 66. Vermis eorū non morietᵉ, & ignis nō extingueᵉ. Nō enim tm̄ igne affligent corporali, quantū mente, apprehendēdo æternaliter se in igne māsuros. Matt. 25. Ite maledicti in ignē æternū. Non ergo statim quisq; tinctus fuerit, pdurabit in hac examinatione, sed q̄ spm̄ cælestem hauserit, q̄ charitatis inuictæ ignē cōceperit, is nulla malorū ꝓcella mouebit, sed magis purgatior redde tur ac firmior, quēadmodū uētilatiōe spūs purgaᵗ triticū, & ignis ut purgaᵗ aurū. Quēadmodū de dño scribiᵗ, Ioh. 21. q̄d multa alia fecit q̄ scripta non sunt, sic hic de Iohāne, q̄ populum exhortabatur ad pœnitentiam uitæ prioris, & ad desiderium mox uenturi Messiæ, piculo territans, ꝓmijs excitans, ac læto nuncio salutis populares animos ad pietatis euangelicæ studium expergefaciens.

Tunc uenit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Iohannem, ut baptizaretur ab eo. Iohannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me? Respondens autem Iesus, dixit ei: Sine modò. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. Matt. 3. A

Mar. 1. Et factum est in diebus illis, uenit Iesus à Nazareth Galileæ, & baptizatus est à Iohāne in Iordane. Itaq; rumore uarijs modis, per angelos, ꝓ pastores, per magos, per Herodis crudelem solicitudinem, ꝓ Zachariæ prophetiam, per Simeonem, per

Annam paulatim & clanculum, sed multò maxime per apertũ, summaq; autoritate coniunctum Iohannis testimonium, iam late sparso, indiesq; gliscente, sic, ut mali quoq; territi, sese ad denunciatum Christi aduentum componerent: nimirum tempus erat, ut ipse prodiret in theatrum mundi, non iam alieno testimonio, sed suis ipsius uirtutibus sese declaraturus, qualis ac quãtus esset. Venit è uiculo Nazareth Galilææ, (ubi quod esset educatus ac diu uersatus, etiam natꝰ existimabatur) humilis, nullo comitatu, ut quis è plebe, inter peccatores, qui solus sine peccato peccata tollit, ad baptismum pœnitentiæ: ille purificans omnia, baptismum flagitat, qui solus baptismum oẽm sanctificat. Hieronymus: Triplicem ob causam uoluit baptizari: Primo, quia homo natus, omnem impleret iustitiam legis & humilitatẽ. Secundo, ut suo baptismo, Iohannis comprobaret. Tertio, ut Iordanis aquas sanctificãs, p descensionẽ colũbæ, spiritus sancti in lauacro credentiũ monstraret aduentũ, & patris testimonio manifestaret populo. Iohannes aũt ex humilitate prohibebat, quẽadmodum Petrus Ioh. 13. Dñe, tu mihi lauas pedes? Ego, inquit, à te opus habeo baptizari, qui tuis uirtutibus longe inferior sum. Et unde factũ est, ut teipsum usque adeo demittas, ut à me tingi postules, quũ nemo purior ab oĩbus peccatis? Sine nunc: nec pũtes indecorum tibi, si tingas me, ut ais, meliorem: mihi certe decorum est, ut qui omnes ad me pertrahere cupio, omnem impleam iustitiam: ut qui serui formam assumpsi, serui impleam humilitatẽ. Etẽm qui docet oẽs, & qui perfecta docet, eum non oportet cõmittere, ut aliqua uel minima species in ipsius

moribus hæreat iniustitiæ. Quemadmodum ergo occisus est, ut nos à morte redimeret: sic baptizatus, ut suo baptismo animas nostras purgaret, tactuq; sui sanctissimi corporis aquis uim regeneratiuam præstaret. His auditis, Iohannes finit eum, ac tinxit in Iordane, in quo baptizabantur & coriarij, & publicani, & milites. Non erubescit hic principũ huius mundi superbia, quę nihil uult habere cum populo commune? Nemo regum, nemo sacerdotum uenit ad baptismum: & si libuisset baptizari, uix aureo gemmeove dignarentur baptizari. Sed quisquis se deiecit apud homines, exaltabitur apud deũ. At species quidem exẽplum habet salutare in Christo modestiæ, in Iohanne obedientiæ.

Baptizatus autẽ Iesus, confestim ascẽdit de aqua: & ecce aperti sunt ei cæli, & uidit spiritum dei descẽdentem sicut columbam, & uenientem super se. Et ecce uox de cælis, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Luc. 3. Factum est aũt, cũ baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato & orante, apertum est cælum, & descendit spiritus sanctus corporali specie, sicut colũba in ipsum. Et uox de cælo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te cõplacuit mihi. Orauit non ob sui indigẽtiam, sed nostram instructionem & subuentionem, nos erudiens, ut restituta p baptismũ innocẽtia, protinus uertamus nos ad ea studia, q̃ sunt spiritus, inter quæ primum locũ habet deprecatio. Apertũ est cælum, quod Adam clauserat, baptismus patefacit. Cum deus in cælis habitare dicat & esse, tunc cælũ narrat aperiri, dũ deus p subiectam

creaturam descendit & apparet hominibus, nouo modo operãs circa eos. Sic Ezech.1. & Stephanus Act.7. uidit cælos apertos. Atq; inde descẽdit spiritussanctus, p se qdem inuisibilis, in columbę specie, q; hæc auis innocentiæ symbolum, designãs quales animos amaret spiritꝰ ille cælestis qualesq; faceret. Satanæ spiritus reddit & amat animos elatos, tumidos & feroces: at spiritus ille cælestis amat modestos, mites, ac tranquillos. Esa.66. Sup quẽ requiescet spiritus meus, nisi sup quietum & trementẽ sermones meos? Olim ramũ oliuæ detulerat in arcam, iræ diuinæ placatæ signũ, ac finiẽdi diluuiũ pignus. Porro diluuiũ illud q̃ tum purgatus est mundus, typum habebat nostri baptismi, q̃ saluis corporibus & animabꝰ demergunt peccata. 1. Pet. 3. Quod & uos nũc similis formæ saluos facit baptisma. Vt unus qlibet è populo, baptizatus est Iesus, sed pater cælestis insigni hoc & inaudito signo secreuit eũ à reliqs. Accessit huic paternæ uocis argumentũ, nõ p Mosen, non p angelos, nõ per prophetas proditum, sed ab ipso patre publicatũ. Non q; pater ut est, uel audiri possit, uel conspici, Ioh.1. Deum nemo uidit unq̃. & 5. Neq; uocem eius unquam audistis, neque speciem eius uidistis, uel ullo corporis sensu percipi, sed quẽadmodum spiritus inuisibilis, uisibili signo sese patefecit oculis hominum, ita pater edita uoce per elementa, perculit aures hominum. Tu es filius meus naturalis, unicus, coæternus, in quo mihi singulariter placuit. Verbum est peculiare sacris literis, quo propensum animum ac præcipuum quendam affectum significat. Si deus lætatur in operibus suis, Psalmo 103. & beneplacitum est domino in po-

pulo suo, Psalm.146.quãto magis in filio delectatur unigenito & complacet,in quo nil dissimilitudinis,nil contrarietatis inueniturꝰ 1.Pet.2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Hinc Ioh.7. Quia quæ placita sunt ei,facio semper. Audit filius uocem,quo monstratur,quod & nobis qui baptizamur,adoptionem filiorum largitus sit. Gal.3. Quicunq; in Christo baptizati estis, Christũ induistis. Columba præcedens,designabat ad quem uox ista pertineret,ne quis suspicaretur hoc elogio Iohannem fuisse laudatum,de quo plericq; tàm magnifice sentiebant,ut eum crederent esse Messiam.

Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum trigin ta,ut putabatur filius Ioseph: qui fuit Heli, qui fuit Matthat,qui fuit Leui,qui fuit Melchi,qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph,qui fuit Matathiæ,qui fuit Amos,qui fuit Naum,qui fuit Helsi,qui fuit Nagge,qui fuit Maath,qui fuit Mathiæ, qui fuit Semei, q̃ fuit Ioseph, qui fuit Iuda,qui fuit Iohanna,qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel,qui fuit Neri, qui fuit Melchi,qui fuit Addi, qui fuit Cozam,qui fuit Helmadan, qui fuit Her, qui fuit Iesu,qui fuit Eleazar, qui fuit Norum,qui fuit Mattha,q̃ fuit Leui, qui fuit Simeon,qui fuit Iuda,qui fuit Ioseph,qui fuit Iona, qui fuit Heliachim,qui fuit Meleam, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha,qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, q̃ fuit Iesse,qui fuit Obeth, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, q̃ fuit Naason,q̃ fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esrõ,qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob,qui fuit Isaac,qui fuit Abraam,qui fuit Thar-

re, qui fuit Nachor, qui fuit Baruch, q̃ fuit Rachau, qui fuit Phalec, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxat, q̃ fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusala, qui fuit Enoch, qui fuit Iareth, qui fuit Malalehel, qui fuit Cainam, q̃ fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

§ Adam princeps humani generis, non aliũ habens generis autorem q̃ deum, à quo conditus est è limo terræ, uelut è matre. Quoniam autem per huius terreni parentis peccatum, uitiatum erat omne genus humanum, & genitoris sui referens ingeniũ, in oẽ uitiorum genus fuerat prolapsum, missus est collapsi generis instaurator ac redẽptor dominus Iesus, ut quod unius inobedientia corruisset, p unius obedientiam reconciliaretur. Ro. 5. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem iusti constituentur multi. Et quemadmodum oẽs qui terreni parentis uestigijs ingressi fuerant, redditi sunt obnoxĩ morti, ita q̃ per baptismum exempti à cognatione peccatoris, inserentur Adæ cęlesti, qui est Christus Iesus, illius uestigijs inhærẽtes, uitam æternam assequentur in cælis. 1. Cor. 15. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. Igitur sicut portauim⁹ imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. Si non credis q̃ secundus Adam sine semine sit factus, ascende memoria ad priorem Adam, & inuenies etiã illum à deo factum sine semine. Erat autem Iesus ingres-

sus 30. annum, quæ perfecta est ætas, in qua homo uel probus uel improbus cognoscitur, & q̃ adolescentiæ desit autoritas, propter publicam opinionem imperitiæ, senectus autem minus habet ponderis, ob uires ingenij defectas, ac suspicionem delirationis. Nota apud Hebræos duplici ratione dici filios, iuxta legem, & iuxta naturam. Lex erat, si quis sine liberis decessisset, ut huius frater instauraret posteritatem defuncti, Deu. 25. Itaq̃ qui sic natus erat, duos habebat patres: alterum naturalem, ex quo natus erat: alterum legalem, in cuius nomen & progeniem succedebat, nempe defuncti. Ad hũc modum quum posteritas Salomonis in Ochozia defecisset, ex Simeon cognomento Ioas, qui prognatus erat è stirpe Nathan filij Dauid, instaurata est posteritas Salomonis. Vnde 1. Para. 3. palã inter filios q̃s suscepit Dauid ex Bethsabee Hierosolymis, nominatim recẽsetur Nathã, ordine prior Salomone. Non est ergo iste Nathan qui Dauid reprehendit, sed alius ab illo, & genere & officio. Hinc plurimi fallũtur, q̃ nonnulli sint henomines, nonnulli binomines, aut etiam trinomines, interdum cognomina addita ipsis misceant nominib⁹. Vnde *Helih idem est cum Iehoiakim, quem corrupte uocant Ioachim, pater naturalis Mariæ uirginis, & auus Iesu Christi secundum carnem. Quod testatur Hieronymus. Atque hinc colligere licet, Lucam naturalem Christianæ genealogiæ seriem secutum esse, non legalẽ, si qdẽ ad Christũ respicias: sin ad Ioseph referas, contrà erit. Nam Matthæus per naturæ lineam deuenit ad Ioseph, q̃ ad Christũ tendẽti legalis est.

Duplices apud Hebræos filij ac patres.

Porro quod parum respondeat numerus eorum q apud Lucam referũtur,& qui apud Matthæum, mirum non uidebitur,si consideretur,nonnullos in genealogiæ serie fuisse prætermissos,idq; data opera, ut indicat Hieronymꝰ,& ante hũc Origenes: Quos si cæteris adieceris,uidebis & numerum consentire.Paulus non uno loco monet,pijs hoïbus huiusmodi genealogias & nunquam finiendas quæstiones esse uitandas, q non solum non conducunt ad pietatẽ,uerum etiam pariant lites & contentiones, pestem Christianæ concordiæ.

De ieiunio Christi, Matt.quarto, Marci primo, Lucæ quarto.

ARTICVLVS XVI.

Mat.4. B *TVnc Iesus ductus est in desertũ à spiritu,ut tentaretur à diabolo. Et quum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus,postea esurijt.*

Ostẽdit quemadmodum satanas pijs bonorum studijs insidiatur, quibusve armis Christianæ militiæ potissimum uincatur. Quia Adam in paradiso delicijs affluens,uictus est oblectamentis, Christus in deserto,quo hominem incidisse inter latrones dixerat,Luc.10.abstinentia uicit,& ut bonus Samaritanus,uulnera animæ nostræ curauit. Chrysostomus:Nouerat diabolũ auide desiderare ipsum tentare,ideo ad ipsum in campum processit,prouocãs ieiunio & solitudine. Vnde solitariũ aggressus est, sicuti Euam Gene.3. Subduxit autem se dominus subito à turbarum oculis in solitudinem, q secес-

ſus à populi commercio, & auget autoritatem, & acuit deſiderium. Nonnullis etiam tutius eſt uerſari inter beſtias cum Chriſto, quàm inter homines beſtijs nocentiores. Vnde Mar. 1. dicitur: Et ſtatim ſpiritus expulit eum in deſertum. Quo docemur non temere nos in tentationes proijcere, ſed ferre, ſi imperamur. Sequitur, & erat cum beſtijs. Sicut uirtutes morales efficiunt hominem prompte mobilem à ratione, ut eius ſequatur iudicium: ſic dona ſpiritus ſancti reddunt eũ faciliter mobilem à ſpiritu ſancto. Chriſtus autem ut homo, plenus fuit ſpiritu ſancto. Eſa. 11. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus domini. Hinc Luc. 4. Ieſus autẽ plenus ſpũ ſancto, egreſſus eſt à Iordane, & agebatur ſpiritu in deſertũ. Grego. Vt eum illuc ſuus ſpiritus duceret, ubi eum ad tentandum ſpiritus malignus inueniret. Tẽtari uoluit: Primò, propter adiutorium. Heb. 2. Debuit per oĩa fratribus aſſimilari. & 4. Nõ enim habemus pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatũ per omnia, pro ſimilitudine abſq; peccato. Augu. Iuſtũ erat ut ſuis tentationibus noſtras uinceret, ſicut mortẽ noſtrã ſua uenerat morte ſuperare. Secundò, ꝓpter exemplũ. Nam Iob. 7. Militia eſt uita hoĩs ſuper terrã. Ideo, ut dicit Hilarius, oſtendit dominus hoc exemplo, oĩem hominem, quantumcunq; ſanctum, obnoxium tentationibus & expoſitũ. Catechiſmus inducit odium uitę prioris ac ſpem purgatiõis: in baptiſmo ꝑ fidem in Chriſtum, deponuntur maculæ oĩum criminum: mox ad preces datur è cęlis munus ſpũs, per quem aſciſci mur in numerum filiorũ dei, nimirum inſiti corpo rĩ Chriſti, q eſt caput eccleſiæ. Sed ob hoc nemo tu-

sus est ab insidijs satanæ, qui socorditer agit. Improbus enim ille satanas, tam inuidus salutis humanæ, q̄ Christus auidus, miris cuniculis & insidijs solicitat ad defectionem, ut maiori tyrannide possideat relapsum, q̄ ante possederat suū. Oppugnat & mundus, oppugnat & caro. Semper ergo pugnandū est, ut semper uincamus. Neq; enim prius erit finis pugnæ, q̄ uitæ: sed tamen quo sæpius hostis uincitur, hoc & ille à conflictu discedit debilior, & nos reddimur fortiores. Tertio, ad pusillanimitatē tollendā, ut dicit Chrysostomus, ne qs turbet si p̄ter spē irruunt tēptationes. Habētes em̄ spm̄ dei, nō sunt cōtenti sedere ociosi, sed ipse spūs dei q̄ in ipsis est, urget aggredi maiora, qbus malignus spūs eo plus insidiat. Ideo admonet Eccūs 2. Fili, accedēs ad seruitutē dei, sta in timore, & p̄para aīam tuā ad tēptationē. Quarto, ob uincendi modū. Fractū em̄ nobis & deuincendum tradidit satanam, uiam etiam uincēdi cōmonstrans. Gregorius: Debilis est hostis, cum ei resistit, ut formica: cum uero ei cōsentitur, fortis ut leo nec potest uincere, nisi consentientem. Iac. 4. Resistite diabolo, & fugiet à uobis. 1. Pet. 5. Sobrij estote & uigilate, quia aduersarius uester diabolus tanq̄ leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Eph. 4. Nolite locū dare diabolo. Hiero. Lubricus est antiquus serpens, & nisi in capite teneatur, statim tot⁹ illabitur. Hinc Gen. 3. Ipsum (semen scilicet mulieris) conteret caput tuum. Demonstrat autem tribus potissimum rebus occurrendum: Crebris ac puris precationibus, fuga turbæ, fuga luxus, & abstinentia, non sine diligenti meditatione scripturarum diuinarum, ne inertiam pariat

ignaua solitudo. Quum igitur CHRISTVS inediam ad quadragesimum usque diem produxisset, Danielem, Heliam ac Mosen referens, (nam nihil in illis diebus mãducauit, Luc. 4.) quod sic erat supra humanas uires, ut tamen ab hominibus factum crederent Iudæi tandem ut manifestam humanæ imbecillitatis speciem daret, non dissimulauit se famis inediam sentire. Non autem excessit hũc numerum, ne incredibilis uideretur carnis assumptio, & sacramentum celaretur. Proinde ieiunauit, ut satisfaceret pro transgressione, & nobis mereret gratiam & animæ saturitatem. Quicquid enim fecit & pertulit ut uiator, pro nostra salute fecit. Secundo, ut ueritatem nostri ieiunij ostenderet, quo contra carnis & diaboli tentationes pugnamus. Matth. 17. Hoc genus dęmoniorum non ejicitur nisi in oratione & ieiunio. Non ergo delicijs uacandum, sed ijs armis urendum. Gal. 5. Qui CHRISTI sunt, carnem suam crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs eius. Hinc & modum nos docuit ieiunij salubrem. Matth. 6. Tu cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne uidearis hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi. Hiero. In isto numero quadragesimæ nobis ostenditur sacramentum, in quo & Moses ieiunauit in monte Sina, Exo. 24. & Helias iuxta montẽ Oreb, 3. Re. 19.

Et accedens tentator, dixit ei: Si filius dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Scriptum est: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore dei,

Quum multa conſpexiſſet in Chriſto, quæ uirtutis humanæ modum excederent, rurſus uideret eſurientem, & affligi corporis inedia, ſuſpicatus eſt non plus eſſe quàm hominem, & hominem qui poſſet arte corrumpi. Erat autem hoc callidum tentatoris conſilium, ut aut uinceret, aut certe expiſcaretur, an hic eſſet ille filius dei promiſſus à prophetis. Quod ſi comperiſſet, iâm eò neruos omnes ac fraudes intenderet, ut impediretur aliqua uia redemptio generis humani. Admouit igitur primum illud & efficax telũ, quo principes humani generis deiecerat, quanquam illos tantum ſolicitabat illecebra pomi blandientis, hic fames etiam intolerabile malum adiuuabat tentatoris conatum. Obiecta eſt uelut eſca, corporis humani imbecillitas, ſed tentator impegit in uncum diuinæ uirtutis. Si filius dei es naturalis, de quo locuti ſunt prophetæ, quid opus eſt te cruciari fame? dic ut lapides iſti panes fiant, quod nutu potes & uerbo. Proiicit hamum, non ſolum gulæ, ſed & uanæ gloriæ illecebra ineſcatum, quòd hinc maxime capiantur, qui uidentur ad ſummum tendere. Sed fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum, Pro. 1. & 21. Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contrà dominũ. Sed fons ſapientiæ, uerbum dei in excelſis, Sapi. 8. ſapienter reſpondet ſe nõ manifeſtando, ſed illùm illudendo & refellendo. Raba. Vtitur dominus autoritate ſacræ ſcripturæ, quia uult humilitate uincere & ratione, non poteſtate, dans nobis exemplũ contra malos homines, doctrina potius quàm uindicta pugnare. Ro. 12. Noli uinci à malo, ſed uince in bono malum. Sicut corpus humanum non uiuit ſine cibo

terreno, sic nec aïa sine spirituali. Quo instruimur, non tam ad hanc caducam & terrenam uitam respiciendum esse, q̄ ad eam quæ ex adimpletione diuinorum mandatorum, diuinq; uoluntatis expectatur, & nulla necessitate corporea ad hoc adduci debere, ut unq̄ maligni pareamus tentationi. Cibus enim corporalis, corporis uitam ad tempus prorogat, nihilo secius aliquãto pòst morbo, senio, alió ve casu piturã. Hiero. Si qs nõ uescit uerbo dei, iste non uiuit. Ioh. 5. Qui audit uerbũ meũ, & credit ei q̄ misit me, habet uitã æternã. Ideo Luc. 11. Beati q̄ audiunt uerbũ dei, & custodiũt illud. Ratio est, q̄a uerbum dei intellectũ illuminat p fidẽ, & ad opa bona inducit, errores excludit. Psal. 118. Lucerna pedibus meis uerbum tuũ. Spem roborat. Psal. 118. Memor esto uerbi tui seruo tuo, in q̄ mihi spem dedisti. Ro. 15. Quæcunq; scripta sunt, ad nostrã doctrinã scripta sunt, ut p patientiã & consolationẽ scripturarũ spem habeamus. Charitatẽ accendit. Psal. 118. Ignitum eloqum tuũ uehemẽter, & seruus tuus dilexit illud. Ideo 2. Tim. 3. Oĩs scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendũ, ad arguendũ, ad corripiendũ, ad erudiendũ in iustitia, ut pfectus sit homo dei, ad omne opus bonũ instructus. Hinc Ioh. 8. Qui ex deo est, uerba dei audit. Ambo. Quum diabolus sic explorarit, ut tentaret, & sic tentarit, ut explorarer, Christus sic respõder, & eũ fallit ut uincat, & sic uincit ut fallat. Sunt tres tẽtationis species, ad quas oẽs aliæ reduci possunt. Gulæ, auaritiæ, superbiæ. 1. Ioh. 2. Oẽ q̄d est in mũdo, concupiscentia carnis est, & cõcupiscentia oculorũ, & superbia uitæ q̄ nõ est ex deo, sed ex mũdo est. Ista arma diaboli cõtra famu- Tẽtatiõis species tres.

los dei. In una uictus, per aliam aggreditur, uanã scilicet gloriam, filiam superbiæ. Siquidẽ ambitio malum est pestilẽs, & propemodum inuincibile, quod in summis etiam uirtutibus obrepit, insinuans sese mentibus ad ardua scandere conãtibus, adeò, ut q̃s nec aduersæ res, nec paupertas, nec morbus frãgere potuerint, nec luxus aut venus emollire, deiciat ac subruat gloriæ studium. Quid est enim tam nefarium, quod mortales imperij gratia non & faciant & patiantur? Dulcis est honos, præclarum est imperare, magnificum cæteris antecellere.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctã ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollẽt te, ne forte offendas ad lapidem pedum tuum. Ait illi Iesus rursum: Scriptum est, Non tentabis dominũ deum tuum.

Elusus ancipiti responso, iam & ipse sacrę scripturæ uerbis abutitur ad lædendũ: et assumit eum, hoc est, comitem abducit, in sanctam ciuitatem. Luc. 4. duxit illum in Hierusalem, quę sancta dicebatur ob cultum diuinum, & quia ibi sanctus sanctorum sanguinẽ fudit, ac primitiua ecclesia spiritum sanctum recepit, & euangelicam legem exorsa est prędicare. Hiero. In omnibus tentationibus agit diabolus, ut intelligat si filius dei sit: sed dominus sic responsionem temperat, ut eum ambiguum relinquat. Statuit supra pinnaculum, ut quem fame tentarat, tentaret & gloria uana. Vox diaboli, qua semper cadere

deorsum desiderat. Mitte, inquit, te deorsum. Persuadere potest, præcipitare non potest. Chrys. Non ad ascensum, sed descēsum suadet, qui omnes cadere, quemadmodum ipse cecidit, (Luc. 10. Videbā satanam tanq̄ fulgur de cælo cadētem) cadere optat. Suæ enim crudelitatis est, præcipitare psuasionibus deorsum: dei autem, saluare. Sed attēde quemadmodum angelus saranç in angelum se transferat lucis. Id quidem, inquit, impune fiet, quando quidem ita promisit deus. Psal. 90. Angelis suis mādauit de te, ut conseruent te, & in manibus tollent te, ne quādo offendas ad lapidem pedem tuum. Hiero. Non de Christo, sed de uiro sancto prophetia est. De angelorum custodia, quasi ad infirmum loquitur, de sua conculcatione (quę ibidem subditur) quasi tergiuersator silet. Sic & impij nonnunq̄ & hæretici diuinis abutuntur scripturis, ac fallunt incautos, sermonis diuini regulam ad suos affectus deprauantes. Non enim scriptum erat de Christo, qui deus est, & non opus habet angelo. Hiero. Dominus falsas de scripturis sagittas, ueris scripturarum frangit clypeis, dicēs: Non tentabis, Deut. 6. Ad hoc siquidē hortatur, ut in necessitatibus ingruentibus bene speremus, auxilio diuino freti, non ut temere nos in periculum præcipitemus.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum ualde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade satana. Scriptum est enim: Dominum deum tuum adorabis, & il

li ſoli ſeruies. Tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

Iam quo ſuos doceret Chriſtus, ne poſt unã atq; alteram uictoriam ſecuritati ſe traderent, ſed ſemp in excubijs agentes, ſeſe pberent paratos ad oẽs ſata nç inſultus, diabolus à templi pinnaculo ſublatum, Luc. 4. duxit illũ in montẽ, & oſtẽdit illi oia regna mũdi in momẽto tẽporis. Mirũ nõ eſt, q dñs ſic duci ſe permiſit à diabolo, q à membris ſuſtinuit mortem. Oſtendit in puncto temporis, oculis illius ſubijciendo omnia regna orbis, (poteſt enim hoc permiſſu dei ſpiritus impius, rerũ imagines nouo quodã more repræſentare humanis obtutibus) ſimulq; quicquid in orbe magnificum, magnorum regum ſtrepitus, præſtigio quodam exhibuit oculis. Vel ut ſentit Chryſoſtomus, non ſingulatim terras & gloriam, ſed ſitus, diſpoſitiones, & gloriam regnorum exponẽdo. Ecce illic tale regnum talibus diuitijs & gloria opulentum. Gloriam oſtendit mundi, q̃ cum mundo peritura eſt. 1. Ioh. 2. Tranſit mũdus & concupiſcentia eius. 1. Cor. 7. Prçterit figura mũdi huius. Luc. 4. Tibi dabo poteſtatem hanc uniuerſam & gloriam illorum, quia mihi tradita ſunt, & cui uolo, do illa. O cæcam impietatem, pollicetur aliena, mẽdacij pater. Ioh. 8. Mendax eſt, & pater eius, quæ neq; ſua erãt, neq; ſua intererat dare, ſed illius qui dicit: poſtula à me, & dabo tibi gẽtes hçreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ, Pſalm. 2. Vere magnam de peccato pollicet delectationem, quam tamen prçſtare non poteſt. Blandiri ut noceat, diaboli eſt: corripere uero ut proſit, dei. Hinc in

mõtem ipſum ducere feſtinat, ut per quos ille corruerat, etiam cæteri corruant, iuxta illud 1. Tim. 3. Ne in ſuperbiam elatus, incidat in iudicium diaboli. Præmium ſolo deo dignum, diuini honoris æmulator peruerſus pollicetur. Luc. 4. Tu ergo procidens ſi adoraueris coram me, erunt omnia tua. Nunq̃ ſine cauſa adoratur. Scriptum eſt Deu. 6. Dominum deum tuum adorabis, adoratione interiori & exteriori. Pſal. 96. Adorate eum omnes angeli eius. & illi ſoli ſeruies, ſeruitute quę latria dicta eſt, & propter ſe. Licet em̃ non ſolum ſuperioribus, ſed etiam æq̃libus ſeruiendum ſit, pro loco, tẽpore & cauſa. Gal. 5. Per charitatem ſpiritus ſeruite inuicem. Matt. 20. Qui maior eſt in uobis, ſit ueſter miniſter. Omnis tamẽ ſeruitus iſta referenda eſt ad dei honorem, & propter eius ordinationem & uoluntatem impendenda, neq; alicui in ijs quæ diuinitus prohibentur, obediendum. Act. 5. Obedire oportet deo magis q̃ hominibus. Dominus ergo tantam improbi ſpiritus non ſuſtinens ſuperbiam, ait: Abi ſatana, quod Hebræis aduerſarium ſonat, ſiue qui obſiſtit atque obturbat. Hiero. Non ut plerique putant, eadem ſatanas & Petrus ſententia damnatur. Petro enim dicitur, Vade retro me, id eſt, me ſequere, qui contrarius es meæ uoluntati. Hic uero audit, abi ſatana, ut ſubaudias, in ignem æternum. Tunc reliquit eum, ſ bis ſua ſpe fruſtratus: primum, quod ſenſiſſet inſuperabilem: deinde, quod quum expiſcatum ueniſſet, num eſſet filius dei, aliquanto incertior dimitteretur, quàm uenerat. Luc. 4. Conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo uſq; ad tempus, alia capta occaſione rediturus, per ſuos ſcilicet ſatellites,

phariſæos,ſcribas & ſacerdotes. Quod ergo dominus ductus eſt à ſpiritu dei,ut tentaretur,ingens ſolatium eſt omnibus qui tentantur, diuinæ ſcilicet opus eſſe,aduerſitates, uoluntatis. Nihil enim iuris in nos habet dæmon,niſi deus permittat: neq; permittit nos tentari ſupra quàm poſſumus,1.Cor.10.

Tentationum genera tria.

Chryſoſtomus tria tentationum genera eſſe cenſet: Ventris,uanæ gloriæ & auaritiæ. Gregorius: Quibus modis primum hominem ſtrauit, eiſdem tentando,ſecundo homini ſuccubuit, ut noſtris cordib⁹ ipſo aditu captus exeat,quo nos intromiſſus tenebat.De gula Gene.3.Cur præcepit uobis deus,ut non comederetis ex omni ligno paradiſi? Hic autẽ, Dic ut lapis iſte panis fiat, Luc.4. De uana gloria Ge.3.Eritis ſicut dij:hic,Mitte te deorſum.De auaritia Gene.3.Scientes bonum & malum. Auaritia enim non ſolum pecuniæ,ſed etiam ambitionis & honoris eſt. Hinc Philip.2. Non rapinam arbitratus eſt,eſſe ſe æqualem deo. Vnde hic ait:Hæc oĩa tibi dabo.Sic & membra capitis tentare non ceſſat. 1.Pet.5.Sobrij eſtote & uigilate,quia aduerſarius ueſter diabolus tanquam leo rugiens circuit,quærens quem deuoret.Callidus enim eſt. Gen.3.Sed & ſerpens callidior erat cunctis animantibus.Expertus. Iob.1.Circuiui terram & perambulaui eam. Hinc & ſe transfigurat in angelum lucis,2.Cor.undecimo. Vnde à leuibus & quaſi neceſſarijs ad maiora ſemper procedit,quemadmodum hic ex famis neceſſitate,gulæ uitium ingerens,ad idololatriam uſque proceſſit.In baptiſmo damus nomina duci noſtro,ſub illius uexillis aduerſus ſatanæ copias bellaturi,Neque uero nobis res eſt cum hominibus,quũ

Christus iubeat & inimicos diligere: sed cum impiis spiritibus, qui telis igneis, multaq; arte nos impugnant è sublimi. Aduersus omnes illas machinas, robur & uires ac ingenium, suppeditabit Christi spiritus arma, suppeditabunt diuinæ literæ. Ephesi. 6. Induite uos armaturam dei, ut possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam nõ est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. State ergo succincti lumbos uestros in ueritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem euangelij pacis. In omnibus sumẽtes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est uerbum dei, per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu, & in ipso uigilantes in omni instantia & obsecratione. Matthæi uigesimo sexto: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Iacobi 4. Resistite diabolo, & fugiet à uobis. Porro quemadmodum in humana militia uices rerum sunt, ut labores ocio, dura iucũdis recreentur, & post diros cõflictus celebrentur epinicia: ita in Christi militia, semper aspera lætorum uicissitudine mitigantur. Post toleratam improbitatẽ spiritus impuri, mox adsunt angeli, & Christo uictori subseruiunt. Hieronymus: Angeli domino ministrant, quo uictoris dignitas comprobetur. In quo etiam utraq; natura ostenditur in una persona, quia & homo est quem diabolus tentat, & deus cui angeli ministrant. Beda: Dominus quadraginta dieb⁹ & noctibus in de-

serto ieiunauit, uictaq; tentatoris uersutia, ministeriis fruebatur angelicis, suo nos informans exẽplo, quia per macerationem carnis, aduersariĩ spiritualis machinas euitare, & ad angelorum debeamus gaudia peruenire consortium.

Lucæ.4. *Et regressus Iesus in uirtute spiritus in Galilæam.*

Non satis est, doctorem euangelicum esse purum à uitiis, sed & fortem & incorruptum esse oportet, ut nec quæstu, nec corporis uoluptate, nec ambitione nec metu malorum deflectat à rectitudine ueritatis euangelicæ, quam non desinit ullo tempore satanas oppugnare per eos, qui mundum hunc diligũt plus quàm dei gloriam. Hoc nos docere uolens dominus, peractis his omnibus, iam magna uirtute spiritus quo plenus erat, recepit se in Galilæam.

De testimonio Iohannis, par.2.ar.2.b
De prima uocatiõe Andreę & Iohãnis, par.2.ar.2.e
De mutatione aquæ in uinum, par.2.ar.3.f
De primo aduentu eius ad pascha, par.2.ar.4.g
De Nicodemo, par.2.ar.5.h
De querela quòd Iesus baptizat, par.2.ar.6.k

De incarceratione Iohannis, Mat.xiiij. Mar.VI. Luc.III.

ARTICVLVS XVII.

Lucæ.3. *Herodes autem tetrarcha, cum corriperetur à Iohanne de Herodiade uxore Philippi fratris sui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes, adiecit & hoc super omnia, & inclusit Iohannẽ in carcere.*

Verum tum dominus aggreditur docendi negocium, ubi rumor uulgasset Iohannem ab Herode fuisse coniectum in uincula: nimirum ferens præmium quod solent, q apud mundi huius principes audent liberius admonere, maluntq; salutaria dicere quàm iucunda.

Ipse enim Herodes misit ac tenuit Iohannẽ, ac uinxit eum in carcerem, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Iohannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi, & uolebat occidere eum, nec poterat. Herodes autem metuebat Iohannem, sciens eum uirũ sanctum & iustum, & custodiebat eum. Et audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Mar. 6. C

Duo hominum genera proponit: unum, quod postposito deo, carnis curam agit in desiderijs: alterum, quod deo placere studet per uitæ meritum & sanctimoniam, & proximo prodesse per doctrinã sanã, Iaco. 5. Fratres mei, si quis ex uobis errauerit à ueritate, & conuerterit quis eum: scire debet, quoniã qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Magnum certe: nam fratrẽ à morte, se uero à peccato liberauit. Econtra, qui uerbo uel exemplo scandalizat. Matt. 18. Væ homini p quem scãdalum uenit. Hieronymus: Iohannes qui in spiritu & uirtute uenerat Heliæ, Luc. 1. eadem autoritate qua ille Achab arguerat & Iezabel, 3. Reg. 21. arguit Herodem & Herodiadem, q illicitas nu-

ptias fecerint,& non liceat fratre uiuente,germano uxorem illius ducere.Leu.20. Qui duxerit uxorem fratris sui,rem facit illicitam. malẽs periclitari apud regem,quàm propter adulationem esse immemor præceptorum dei. Hæc est autem conditio ueritatis,ut eam semper inimicitiæ persequantur, sicut p adulationem amicitiæ pernicioſæ comparantur. Chryſoſtomus: Herodem Iohannes monitis, non accuſatione pulſabat,utpote amator caſtitatis, quẽ corrigi uoluit,non perire:ſed Herodes facibus libidinis ardens,perire maluit quàm redire. Malos qui corrigit,offendit:incurrit odium, qui arguit criminoſos.Pro.9. Qui arguit impium,ſibi maculam generat. Argue ſapientem,& diliget te. Ecce quid nõ facit libido,ob cuius rabiem Herodes etiam dei p̃cepta contemnebat:& quia Iohannis ſecretam contemnebat correctionem, timuit publice argui à Iohãne,qui ſeuerè contra tales prædicabat,Mat.3. Hinc incluſit eum.Sed quo plus ſuã palliare ſtuduit malitiam,eo magis propalauit, quia plus clamãt uincula & mors,quàm uox ipſa clamantis.Gen.4. Ecce uox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Chryſoſtomus:Dicebat Iohannes Herodi, q̃d erat legis,quod erat iuſtitiæ, quod erat ſalutis: certe q̃d non odij̃ cauſa,ſed amoris.Lege cautum erat,ut fratris defuncti ſine liberis,ſemen frater ſuperſtes ſuſcitaret,Deuteron.25. ſed hic maritus uiuebat, & filia quam ex uxore habuit: quare à Iohanne arguebatur. Sed unde laudem & amorem meruit, odium recepit.Oſe.5.Non dabunt cogitationes ſuas ut reuertantur ad deum ſuum, quia ſpiritus fornicatio-

num in medio eorum. Hinc Ose. 4. Fornicatio & uinum & ebrietas auferunt cor. & 7. Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente. Iob trigesimoprimo: Ignis est usq; ad perditionem deuorans, & omnia eradicans germina. Hoc est quod ait Apostolus 2. Timo. 4. Erit enim tempus quum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus: & à ueritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Causam insinuat Iohannes 1. Iohannis quarto: Ipsi de mundo sunt, & de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Vnde dominus Iohannis septimo: Non potest mundus odisse uos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo quia opera eius mala sunt. Ecce causa odij. Sic Galat. quarto: Ergo inimicus uobis factus sum, uerum dicens uobis? & 3. Regum 22. Ego odi eum, (ait rex Achab) quia non prophetat mihi bonum. Herodias autem, filia Aretæ regis, prius locata Philippo tetrarchæ Itureæ & Trachonitidis regionis, orta simultate, abducta à genero, cui iam pepererat filiam, Herodi fratri Philippi, sed inimico, per patrem tradita matrimonio, metuens ne Iohānis opera, quia iam exciderat à priore matrimonio, ab hoc quoq; excluderetur, insidiabatur ei, captans occasionem occidēdi illum: nec succedebat. Nec solum ipsa, sed & Herodes Mat. 14. uolens occidere illum, metuebat populum, quia sicut prophetam illū habebāt. Aderat malus animus, sed deerat occasio, quæ tantum deest malis ut lædant. Chrysostomus: Facile deuiat à iustitia, qui in causa nō deum, sed ho

mines formidat. Hic peccandi differt facultatem, nõ uoluntatem, unde etiam quos suspendit à crimine, auidiores reddit ad crimen, & æstuat animus, quousq; perficiat quod cogitat malum. Quod ergo Iohannem audiebat, & audito eo multa faciebat, uulpinum fuit figmẽtum coràm populo. Gaudent eñ nõnunquam mali principes, habere domi uiros insigni probitatis opinione celebres & commẽdatos: non ut horum consilijs obtemperent, sed ut quod agunt ex animo suo, ex horum consilijs agere uideantur apud ignaram plebem. Vnde in alijs quidem rebus leuioribus frequẽter illius monitis paruerat: hic, ubi præcipue conueniebat obtemperare, obturpissimum mulieris affectum, uirum sanctum incarcerauit, quem turbæ etiam Christum credebant.

De Samaritana muliere, par. 2. ar. 7. l
De filio reguli, par. 2. ar. 8. o

De initio prædicationis Christi, Mar. i. Luc. iiij.

ARTICVLVS XVIII.

Mar. 1. D

Postquam autem traditus est Iohannes, uenit Iesus in Galilæã, prædicans euangelium regni dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquabit regnum dei: pœnitemini, & credite euangelio.

Nec prædicauit dominus antequam Iohannes, neq; miracula operatus est antequam ille incideret in uincula, ne hac existente causa, magna pars populi scinderetur. Idcirco nec aliquod signum fecit Io-

hannes,ut ex hoc multitudinem traderet Christo,q̃ ad eum signorum admiratione confluueret. Legenaturæ, quam deus inscripserat cordibus omniũ mortalium,abusi sunt.philosophorum sapientia reddidit mundum stultiorem quàm fuerat,Gentium religio hactenus summa fuit impietas.lex figuris suis innuit, prophetæ oraculis prædixerunt uenturum, qui perfectam salutem offerret omnibus gentibus. Tempus quod deus præfinierat huic negocio, iam expletum est,iam adest regnum dei.In id usq; temporis lex operabatur,ab hoc aũt tempore regnum dei,quod est uita euangelica. Vt Iohanni successit, ne ab se alienaret,q̃s illius admiratio iam totos occuparat,à nota illius & familiari doctrina rem auspicatur,lactans interim infirmos,ut post solidum cibum proferat illis firmioribus.Clamat igitur ueluti Iohannem referens:Resipiscite, pœniteat uos uitæ ueteris.Iam enim instat regnum cælorum, quod cum nulli sit claudendum,nullis tamen patebit nisi puris,& cælestia quærentibus,& quicquid est terrenarum cupiditatum amputantibus. Hieronymus: Amaritudinem radicis,pomi dulcedo compensat: pericula maris,spes lucri delectat:dolorem medicinæ,spes salutis mitigat.Offertur lætus & optabilis nuncius,gratuita condonatio omnium peccatorũ. Agnoscite morbum,& accipite remedium.

Et fama exijt per uniuersam regionem de illo,& ipse docebat in synagogis eorum,& magnificabatur ab omnibus. Lucæ.4.

Erat apud Iudæos consuetudo,ut frequenter,sed præcipue sabbatis ac festis diebus cõuenirent in tẽ-

plum, aut in synagogas, ut ocium quod illis indixit lex ab operibus sordidis & prophanis, nõ in aleam, scorta, compotationes, rixas, aliaq; flagitia consumerent, sed in his quæ sunt animi, collocarent. Illic erat confabulatio, non de nugis humanis, sed de lege domini, de uenturo Messia, qui flagrantissimis uotis ab omnibus piis expectabatur.

De lectione in synagoga, Luc. IIII.

ARTICVLVS XIX.

ET *uenit Nazareth, ubi erat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi liber Esaiæ prophetæ: & ut reuoluit librum, inuenit locum ubi scriptum erat: Spiritus domini super me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis redemptionem, & cæcis uisum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum domini acceptum, & diem retributiõis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit.*

Non solum operibus, sed & diuinis scripturis dominus se comprobauit Christum. Quum audisset alios de lege differentes, surrexit & ipse, hoc gestu significãs, se quoq; spiritu afflatum, habere quod loqui uellet ad populum. Non egebat codice ipse, in quo omnes thesauri sapiẽtiæ & scientiæ sunt recondi ti, Col. 2. sed tamen accepit codicem, ut nobis studium sacræ lectionis commẽdaret, & ut ex ipsa scriptura thema acciperet sui sermonis. Inuenit locum,

non à casu, sed quem uoluit. Nemo enim Esaia clarius aut euidentius de Christo uaticinatus est, deq; doctrina euãgelica. Et ubi stans è libro sua uoce ꝓnunciasset, assedit explicaturꝰ ꝗd legerat. Audistis, inqt, Esaiam sanctiſpũs afflatu uobis ꝓmittentẽ eximium quendã ac potentẽ doctorẽ, qnõ ex spiritu humano doceat, sed affatim unctus ac delibutus dꝰ uino spiritu mittendus sit à deo, ut his qui mites sunt ac pauperes spiritu, eoq; doctrinæ salutaris capaces, lætum ac optabilem adferret nuncium salutis. Ephe. 2. Veniens euangelizauit pacem uobis qui longe fuistis, & pacem his qui prope. quiq; potens esset præstare quod annunciaret, nimirum cælesti uirtute præditus: qui gratis salutem adferret omnibus, qui suorum malorum conscij, salutẽ optarent: qui gratis condonatis peccatis omnibus, mederetur his qui cor haberent uarijs uitiorum ac malarum cupiditatum morbis corruptũ. Cyrillus: Fragilem habentes mentem, passionum insultibus resistere non ualentes. Basi. Qui peccando à satana pressi sunt. Luc. 19. Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Qui prædicaret oĩbus libertatem, qui uel idololatriæ dediti, captiui tenerentur à diabolo, 2. Tim. 2. uel legis superstitioni seruientes, Actu. 15. non possent aspirare ad libertatem spiritus. Qui cæcis animo, & in altissima errorum caligine uersantibus, per fidem aperiret oculos, quibus aspicerent lucem æternæ ueritatis. Iohan. 8. Ego sum lux mundi. Qui eos qui omni ꝓrsus malorũ genere confracti, contritiq; uiderẽt à satana, restitueret pristinæ libertati. Qui ueꝝ iubi-

leum prædicaret adesse omnibus exoptabilem, ita ab omnibus flagrantibus animis acceptãdum. Annus nunc est iubileus, gratis offerens libertatem ac salutem ijs, qui se mansuetudine & credulitate prębent dociles ac sanabiles. 2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Act. 3. Omes prophetæ à Samuel & deinceps q̃ loquuti sunt, annunciauerunt dies istos. Sed huic succedet dies retributionis ac uindictæ, pœnas æternas exacturus ab his, qui dei bonitatem fuerint aspernati. 2. Thes. 1. In flamma ignis dantis uindictam his qui non nouerunt deũ, & non obediunt euangelio domini nostri Iesu Christi, qui pœnas dabũt in interitum ęternas à facie domini, & à gloria uirtutis eius.

Et omnium oculi in synagoga erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est scriptura hæc in auribus uestris. Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in uerbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius.

Fama recẽs quæ iam cœperat spargi de Iesu, tum nunc primum assumpta doctoris autoritas, postremo cælestis quædam gratia relucens in uultu eius, efficiebat, ut omnium quotquot essent in illa cõgregatione, oculi essent intenti in eum. Orig. Nunc q̃q̃ oculi nostri, si uolumus, possunt intendere saluatorem. Cum enim principale cordis tui direxeris ad sapientiæ ueritatem, deiq̃ unigenitum contemplandum, oculi tui intuentur Iesum. Manifeste autem se illis commendat, dicens esse completam hanc scripturam in auribus eorum, se esse de quo prophetauaticinatus sit, & quod prophetarum oracula spiri-

tualem exquirant intelligẽtiam, de liberatione à po
testate ſatanæ & iugo peccati. Peccatum enim mul
ta in anima operatur mala: uulnerat, captiuat, excæ
cat, à deo q̃ ſeparat, & gratia ac gloria priuat. Hæc
omnia dominus curare uenerat. 1. Ioh. 3. In hoc ap
paruit filius dei, ut diſſoluat opera diaboli. Cæterũ
ſermo ipſius, quoniã proficiſcebatur à pectore ſpiri
tu cæleſti pleno, bonis omnibus & amabiliserat, &
efficax ad ſalutem. Matt. 12. Bonus homo de bono
theſauro profert bona. Ioh. 7. Nunquam ſic loquu
tus eſt homo ſicut hic loquitur.

Et dicebant: Nonne hic eſt filius Ioſeph? Et ait il- 2
lis: Vtiq; dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice, cu-
ra teipſum. Quanta audiuimus facta in Capernaum, Lucæ. 4.
fac & hic in patria tua. E.

Duo in Chriſto animaduertenda: humanæ natu
ræ imbecillitas, quam declarauit uaria & rerum &
incommodorum incurſio. Deinde uitæ conſuetu
dinem ſi ſpectes, ſi commeatum, ſi ſodalitium, ſi ſim
plicitatem diſcipulorum, eſt quod mireris in eo: &
niſi adſit fides, infimo hunc dices loco natum. Mat.
11. Ecce homo uorax & potator uini, publicanorũ
& peccatorum amicus. Secundo diuinam naturã,
qua patri coæqualis eſt, inuiſibilis, æternus, & figu
ra ſubſtantiæ eius. Heb. 1. Hæc latuit in carne, pro
diit tamen rebus factis q̃ externe. Declarauit hanc
in Chriſto naturam potentia uerbi, mirandorum
operum illuſtratio. Verum cum præter hominem
nihil cernerent, hæc ipſa non admodum multis arri
debant: maxime uero illis, apud quos educatus fu
it, qui domum, parentes, ſtudium, uitæq̃ conſuetu-

dinem nouerant. Demirabant, unde repente conti gisset illi tanta uirtus, quam in alijs urbibus iam ꝓdiderat uarijs miraculis, unde tam admirabilis diuinorum uoluminum cognitio, unde tanta cum autoritate facundia. Nondum enim intelligebant, quanto plus ualeret unctio spiritus, quàm pharisæorum doctrina. Vnde Mat. 13. Vnde huic sapientia hæc & uirtutes? Nonne hic est fabri filius? Vides quid eos scandalizabat? Externa rerum facies: intus enim cæci erant, quare indigni dei beneficijs. Mat. 13. Et non fecit ibi uirtutes multas propter incredulitatē illorum. Hoc est quod hic concludit dominus: Omnino dicetis mihi, Medice, cura teipsum. Medicus quidem sum, paratus sanandis omnibus omnium morbis, si quis se præbeat sanabilem. Nullus enim, quantumuis doctus ac benignus, medicus mederi potest ægrotis, si pharmacum oblatum reijciant, ac fideli medico diffidant. Glos. Multa audiuimus à te facta miracula, sed non credimus, quum nihil simile feceris apud nos, quibus tamen magis impendenda beneficia. Id enim natura comparatum est, ut in nosmetipsos sim⁹ misericordes, ut nobisipsis principio, deinde alijs, si nostra ope egeant, suppetias feramus. Hinc concludere moliuntur, ipsum aut insipienter, uel inordinate, aut certe non uera edere miracula.

Ait autem: Amen dico uobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. In ueritate dico uobis, multæ uiduæ erant in diebus Heliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex, quando facta est fames magna in omni terra, & ad nullam il-

Lucæ, 5. G

larum missus est Helias, nisi in Sareptam Sidoniæ ad mulierem uiduam. Et multi leprosi erant in Israel sub Heliseo propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.

Quod medicis accidit, multo magis accidit ꝓphetis. Nam ars medicoꝝ opitulat̃ qñq; & inuitis. Propheta uero, qm̃ potissimũ medet̃ animis, ne potest quidẽ succurrere ijs q salutem oblatã recusant. Recusat aũt qui diffidit. Reuoluite ueterũ prophetaꝝ historias, & certissimũ esse cõperietis, nullũ unquam prophetã in precio fuisse habitũ in patria sua, apud cognatos: nõ ꝙ minus aut possint, aut uelint benefacere suis, q̃ alienis, sed ꝙ incredulitas cognatorũ reddat ipsos indignos diuino beneficio. Cyrillus: Quædã cõmunis quasi cunctis accidit passio. contemnunt̃ enim quodammodo semper etiam optima quæq;, qñ non raro cõtingunt, sed ad uelle suppetũt seu frequenter. Familiaris em̃, qm̃ semp præstò est, debita reuerentia priuat̃ à notis. Sic Ioseph à fratribus uenditus, Ge. 37. sed p Pharaonẽ exaltatus, Ge. 41. Sic Hieremias in lacum p consiliarios Zedechię missus, sed p Abdemelech Aethiopẽ extract⁹ Hier. 38. & p Nabuchodonosor honorifice tractat⁹ Hier. 39. Hoc dñs cõquerit̃ Ezech. 3. Domus Israel nolũt audire te, qa nolunt audire me. Ambrosi. Vide q̃tũ malũ inuidia adferat. indigna em̃ patria iudicat̃, in q̃ ciuis magnalia operet̃, quæ digna fuit ut filius dei in ea cõciperet̃. Erat Iudæoꝝ ꝓpriũ, signa petere, 1. Cor. 1. Iudęi signa petũt, Gręci sapiẽtiã. Ioh. 4. Nisi signa & ꝓdigia uideritis, nõ creditis, sed qdã inde meliorati fuerũt, ut Ioh. 2. Multi crediderũt in noĩe ei⁹,

uidentes signa quæ faciebat. & Ioh. 3. Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit deus cum eo. Alij uero deteriorati, quibus odor uitæ in mortem, 2. Cor. 2. Mat. 12. Generatio mala & adultera signum quærit. Iohan. 2. Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Vt ergo te medicus sanet, tuam ipsius intellige miseriam: interpella deinde medici officium, tum demum sequere cõsilium, & esto gratus quum sanitati restituerit. Eccl. 38. Fili, in tua infirmitate non despicias teipsum, sed ora dominum, & ipse curabit te. Non ergo te sanum reputes, quũ à planta pedis ad uerticem usq; non sit sanitas, Esa. 1. Ambrosius: Nemo sanatus ostenditur & maculoso morbo absolutus, nisi qui religioso officio studuit sanitati. Proinde indigni erant non ob id solũ quod non quæsierunt medicum, nec ei crediderũt, sed quod fraternæ inuidebant gratiæ. Ambrosius: Frustra opem misericordiæ cælestis expectas, si alienæ fructibus uirtutis inuideas. Aspernator est em̃ dominus inuidorum: & ab his, qui in alijs diuina beneficia persequuntur, miracula suæ potestatis auertit. Confirmat exemplo scripturæ quæ dixerat. Proficiunt quidem similia & id genus alia, quæ ad probandum adhibentur, sed non sufficiunt. Ad legem enim & ad ꝓphetas, Esa. * Sareptana rogata, prõpte dedit aquam: pollicenti Heliæ non defecturam hydriam ac lechytum, habuit fidem, ac parauit pultem ut iussa fuit. Hic nimirum erat animus Israelitici cus, in muliere non Israelitica. Adeò apud deũ plus ualet animus quàm genus. Imitare uiduam dictis credentem, & iussis obsequentem: & diuinis fide ꝓmissis, quantumcunq; deploratæ res inciderint. An

Heliseus ad bene merendum de prophanis & alienigenis, promptior fuit quàm de suis popularibus? Nequaquam, sed fidutia uiri promeruit dei beneficium. Credidit enim hoc deum per suos cultores præstare posse, quemadmodum à puella audiuit, 4. Re. 5. & iussus mergi in Iordane, obtemperauit. Eadem fidutia si fuisset apud Israelitas, sensissent & ipsi diuinã beneficentiam. Ecce primo audiuit, Ro. 10. Fides ex auditu. Secũdo, in terram Israel uenit. Tertio, admonitu ministrorum iussis obtemperauit prophetæ, & sic pristinæ restitutus est sanitati. Ecclesiæ ministri & euangelij doctores, sunt cooperatores dei, uerbum dei dispensantes. Iordanis, baptismus est & sacramentum reconciliationis: deinde & alia ecclesiç sacramenta, quorum usu legitimo purgamur à uitijs, modo fide accesserimus. Vere, inquit, scio quòd non sit alius deus in uniuersa terra, nisi tantum in Israel, 4. Reg. 5. Perpende quàm iuste Christus hanc in os obiecerit historiam. Siquidẽ alienigena Syrus, regno, gratia ac fauore dei potitur, quum interim multi leprosi in suis interierint fœtoribus.

Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. & surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt eum usq; ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat. 3

Liuore & indignatione perciti, mala pro bonis reddere uoluerunt. Psal. 33. Retribuebant mihi ma

la pro bonis. Hie. 18. Nunquid redditur pro bono malum? Quum enim ipsis in credulitatē suā exprobrasset, ob quā indignos se redderent dei beneficijs, intm̄ cōmoti sunt oīm animi, quòd Sidonios & Syros, homines apud Iudæos abominandos, genti p̄ferret Israeliticæ, ut coorto tumultu eijcerent eum, ut p̄cipitarēt. Pro. 15. Non amat pestilens eum q̄ se corripit. Amos. 5. Odio habuerunt corripientem in porta. Ambrosius: Merito p̄diderunt salutē, q̄ à suis finibus eie cerunt seruatorē. Itaq; factum est, ut dum Iudæi à se pellerēt Christum, simul cum ciuitate & regnum & sacerdotium & dei fauorē perdiderunt. Perfecit quicq̄d potuit praua uolūtas, sed nō est data prauę uoluntati facultas. Innocuus trāsiit p̄ medium illor̄, palām declarās nihil in ipsum posse malitiam hominum, nisi suapte sponte sese p̄beret capiendum & occidēdum. Esa. 53. Oblatus est, q̄a ipse uoluit. Ioh. 10. Potestatē habeo ponēdi animā meam, & potestatē habeo iter̄ sumendi eam. Chrysostomus: Quæ sunt deitatis simul & humanitatis, ostendit. Stare em̄ in medio insidiantiū, & nō apprehendi, diuinitatis eminentiā declarauit: discedere uero, dispēsationis mysteriū approbabat. Quicunq; ergo ueritati repugnāt, qui exibilant, interire necesse est. Sola enim ueritas nos firmos facit, seruat, tutat, aduersus omnes in uniuersum hostes. 3. Esd. 3. Sup omnia uincit ueritas. Hinc diabolus in ueritate nō stetit, Iohan. 8. Quare admonet Apostolus Eph. 6. State succincti lumbos uestros in ueritate.

Mat. 4. F

Cum aūt audisset Iesus, *quòd* Iohānes *traditus esset, secessit in* Galilæam: *& relicta ciuitate* Nazareth, *uenit & habitauit in ciuitate* Capernaum *maritimā,*

in finibus Zabulõ et Neptalim,ut adimpleretur quod dictũ est per Esaiã prophetã: Terra Zabulon et terra Neptalim,uia maris trans Iordanem Galilææ gentiũ, populus qui ambulabat in tenebris,uidit lucẽ magnã: sedẽtibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

Quod audita incarceratione Iohannis discesſit, non ob hoc egit q̃ metueret ipse,sed uti doceret suos,nõ esse ultro accersendũ periculũ, si liceat uitare commode:sed quoties oppresserit, fortiter esse negligendum. Nota quod Esa.9.uerba aliquantulum mutantur,licet sensus in idem redeat. Primo tẽpore,hoc est,in initio prædicationis euangelicæ,alleuiata est terra Zabulon & terra Neptalim, q̃ finitima est littori marino, animo releuata à iugo diaboli & seruitute peccati. Mat.11. Venite ad me oẽs qui laboratis & oneratiestis,& ego reficiam uos. & nouissimo aggrauata est uia maris trans Iordanem. Populus ibi habitans,oneratus uitijs,induratus corde,& reuersus ad uomitũ,fidem doctrinamq; domini abiiciens,2.Pet.2. Quod si refugientes coinquinatiões mundi,in cognitione dñi nostri Iesu Christi,his rursus implicati superant,facta sunt eis posteriora peiora prioribus. Melius em̃ erat illis nõ cognoscere uiã iustitiæ, q̃ post agnitionẽ retrorsum conuerti ab eo, q̃d illis traditũ est sancto mandato. Contingit em̃ illis illud ueri ꝓuerbij: Canis reuersus ad suum uomitum,& sus lota in uolutabro luti,Prou.26. Galilææ gẽtiũ,dicit. Sunt em̃ duæ Galilææ: una in sorte tribꝰ Neptalim,finitima Tyrijs,in q̃ Salomon 20. ciuitates donauit Chirã regi Tyriorũ: altera in tribu Zabulõ,ereg iõe Tiberiadis ac stagni Genezareth,& prꝰ

ma dicitur gentium. Populus qui ante uersabatur in densissima caligine ignorantiæ, perfidiæ & peccati, uidit lucem magnam, euangelium & eius autorem. Iohan. 8. Ego sum lux mũdi. Lex, lux est, Pro. 6. sed parua. Habitantibus in regione umbræ mortis, plena peccatis, quæ sunt umbræ mortis, quoniam lucẽ gratiæ abscondunt, & morti æternæ proximum faciunt: quia sicut mors corpus, ita peccatum animã detinet. Lux orta est eis. Non enim quæsiuimus illam, sed missa est nobis. Sed Ioh. 3. Lux uenit in mũdum, & dilexerunt homines magis tenebras quãm lucem. Sed iam nunc audiamus hanc lucem, & radios contemplemur.

Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere: Pœnitẽtiam agite, appropinquauit enim regnum cælorũ.

Iohanne tradito, incipit prædicare: quia desinente lege, oritur euangelium. Eadem autem prædicãs quæ Iohannes, ostendit se eiusdem dei filium, cuius ille ꝓpheta. Resipiscite, ait, de peccatis pristinis dolentes & abstinentes: appropinquauit regnum cælorum, quod credentibus patet. Regnum etiam cælorum Christus est, & uita uirtutibus prædita. Sic & in unoquoq; est regnum cælorum, si angelicam uitam agimus. Lu. 17. Ecce regnũ dei intra uos est.

De secunda apostolorũ uocatione, Lu. V.

ARTICVLVS XX.

Lucæ. 5. G

FActum est autem cum turbæ irruerent in Iesum, ut audirent uerbum dei: & ipse stabat secus stagnum Genezareth, & uidit duas naues stantes secus

ſtagnum. Piſcatores autem deſcenderãt, & lauabant retia. Aſcendens autem in unam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum: & ſedens, docebat de nauicula turbas.

Myſtice oſtendit eccleſiæ naſcentis exordiũ, proceſſum & profectum, ſimulq; quãtum deo ſimplex & prompta placeat obedientia, hominiq; proficiat. Quum enim in dies latius inclareſceret apud oẽs fama Ieſu, tantus erat hominũ affluxus, ut iam non ſatis eſſet illi, copiam ſui facere in ſynagogis, in uicis, in oppidis, uerumetiam quocunq; ſubduceret ſe dominus, eò ſimul accurreret promiſcua multitudo uirorum ac mulierũ. Pleroſq; pellexerat amor ſanitatis, nonnullos inuitabat miraculorum nouitas, pmultos cæleſtis doctrinæ uis attrahebat. Nam ſermonem phariſaicum pleriq; faſtidiebant, quod præter hominem nihil referret. Ipſe autem erat docens ſicut poteſtatem habens, Mat. 7. quia uerba uitæ æternæ habebat, Iohã. 6. Quid ergo mirum, ſi eius uerba qui patris eſt ſapiẽtia, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt reconditi, Col. 2. populum attrahebant, quum diſcipulorum uerba tantam haberent efficaciam, ut una die Petrus conuerteret 3000. hominum ad fidem? Act. 2. Attrahebat enim ad ſe turbas impetu quodam, quẽadmodum adamas attrahit ferrum. Pſal. 44. Speciosus forma præ filijs hominum. diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Sed qui irruerunt? Turba, non principes, non phariſæi. Iohan. 7. Nunquid ex principibus aliq; credidit in eum, aut ex phariſæis? Sed turba hæc quę non

nouit legem, maledicti sunt. Hoc est quod ait dominus Matth. 11. Confiteor tibi domine pater cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Prou. 3. Cum simplicib⁹ sermocinatio eius. Dulcedinem enim suam abscondit à superbis. Cum ergo urgerent eum, stabãt duo scalmi piscatorij in littore maris stagni Genezareth, sic dicti à regione, alio uerò nomine mare Galilææ à prouincia, necnon mare Tiberiadis à ciuitate Tiberias, & in scalmum Petri, piscaturus homines uerbo salutis cõscẽdit. Vide aũt humilitatẽ et modestiam dñi, qui cum solo nutu abducere posset, aut certe ut dominus præcipere, benigne rogat, modestiæ exemplum dans prælatis. Sed sunt tyranni de quibus conqueritur dominus per Ezech. 34. Cum austeritate imperabatis eis & cum potentia, & dispersæ sunt oues meæ, eo q⁹ non esset pastor. Ostendit etiam nullum opus deo acceptum, nisi sit uoluntarium. 2. Cor. 9. Hilarem datorẽ diligit de⁹. Eccl. 15. Deus ab initio creauit hominẽ, & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta sua. Si uolueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod uolueris, porrige manum tuam. Ante hominem uita & mors, bonum & malum. Quid docuerit, euangelista non ponit, quemadmodum nec omnia prodigia aliquis euangelistarum in particulari. Tãta enim de ipsius & documentis & miraculis scripserunt, quãtum ad ædificationem ecclesiæ, & fidei confirmationem, ac animarum salutem sufficere nouerãt, inspirante ac moderante deo. De naui autem Petri docet, is

qui docet omnem scientiam, sine quo nullus bene docere potest, quia extra eam error & falsitas. Ephesi. 4. Vnus deus, una fides, unum baptisma. Hinc ecclesiam, columnam & firmamentum uocat ueritatis, 1. Tim. 3. Rogat autem paululum abducere à terra, id est, à terrenis auocari, sic tamen, ut qui terreni sunt, plene audire possint uocem Christi, in naui à terrenis affectibus separata sedentis. Sessio, stabilitatem ipsius in ecclesia designat. Heu heu domine deus, totam terræ, qui tui uidentur, immergunt.

Vt autem cessauit loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in uerbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam: Rumpebatur autem rete eorum. 2

Post doctrinæ manifestationem, sequitur miraculi operatio, ut ueritati dictorum, fidem p̃stet. Ad mirare domini dispensationem, quomodo per propria & familiaria sua quenq; attrahit, sicut magos per stellam, sic piscatores per pisces. Quanquam res quasi desperata esset, nam tota nocte laboribus inuacuum consumptis, diffisi retia composuerant, domini tamen uerbis Petrus confisus, diligenter exequitur præceptum, in profundum maris abducens scalmum. Psal. 68. Veni in altitudinẽ maris. Ioh. 4. Puteus altus est. i. pfund⁹. Meũ erit, ait, obsequium,

tuus euentus. Digna mercede promptam obedien
tiam remunerat. Habes in Simone formam euãge
lici doctoris, cuius est propriũ ac peculiare munus,
laxare rete prædicationis euangelicæ, non è phariſę
orum laqueis, non è philoſophorum argutijs, ſed è
ſacrorum uoluminum præceptis, è Chriſti dictis fa
ctisq; ſic cõtextum, ut q̃ plurimos inuoluat, nec in-
uolutos ſinat elabi. Mare mũdus eſt, uarijs rerũ mo
tibus ſurſum deorſumq; fluctuans. Tumet p ſuperbiã,
feruet p auaritiã, ſpumat p luxuriã. 1. Iohã. 2. Omne
quod eſt in mundo, concupiſcẽtia carnis eſt, & con
cupiſcentia oculorum, & ſuperbia uitæ. Eſa. 58. Im
pij quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt.
Apo. 17. Aquæ multæ populi multi. Bed. Duæ na-
ues, circunciſio & præputium, quas uidet, quia in
utroq; populo nouit qui ſunt eius, 2. Tim. 2. quo-
corda à fluctibus ſeculi, ad futuræ uitæ tranquillita
tem, quaſi ad littus miſericorditer uidendo, puehit.
Aſcendit in Petri nauim, de cuius autoritate ipſe do
cet gentes. quę bene una dicit, quia multitudinis cre
dentium erat cor unum & anima una. Act. 4. Hæc
nauicula, ſecundum Matthæum fluctuat. Mat. 14.
Nauicula in medio mari iactabat magnis fluctib⁹.
In quo naſcentis eccleſiæ exordium attẽditur, quan
do trepidantibus diſcipulis, Chriſtus dormit, quan-
do Petrus ſuis meritis firmus, alienis turbatur, quã-
do Iudas proditor adhuc eſt mixtus. Hic Lucas di-
cit eam piſcib⁹ impleri, quo finem poſterioris agno
ſcas, ubi perfectis in fide Chriſtus uigilat, ubi perfi-
dia proditoris ceſſat, ubi pfecta dilectio exhuberat.
Petro ſignanter dicitur, Duc in altum: ſed cum hoc
& alijs, & laxate retia. Nam Petrus in altum ducit,

Amb. Quid tam altum, q̃ altitudinem uidere diuitiarum ſcientiæ, dei filium, & profeſſionem diuinę generationis aſſumere? (Matth. 16. Tu es ille Chriſtus, ille filius dei uiui.) quam licet mens non queat humana plena rationis inueſtigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur. Nam etſi non licet ſcire quemadmodum natus ſit, non licet tamen neſcire quòd natus ſit. In hoc altum à Petro eccleſia deducitur diſputationis, ut uideat hinc reſurgentem filium dei, inde ſpiritum ſanctum profluentem. Sed reliqui paſtores ducti per eum, in & ê ſua naui laxant retia in capturam, id eſt, animarum ſalutem. Euangelium rete eſt, orationem habens humilem & pedeſtrem, & ad auditorum infirmitatem ſe attemperantem. & idcirco dicitur laxari. Habet & mundus ſua retia, habet & ſatanas piſcatores ſuos, qui miſeras animas blandimẽtis illectas, in naſſam infelicitatis conĩciant, atque in æternum pertrahant exitium. Sed felices, quas inuolutas ſagena apoſtolica, de profundo criminum & errorum pertrahit ad auram liberiorem, è tenebris ad lucem, è ſordido limo ad uitam puriorem, è uagis cupiditatibus, ad innocentiæ perpetuæ conſtans ſtudium. Neque enim pertrahuntur ad cædem, ſed ſalutem. 2. Corinth. 12. Non enim quæro quæ ueſtra ſunt, ſed uos. Prouer. 14. Doctrina prudentium facilis. 1. Corinth. 1. Non enim miſit me CHRISTVS baptizare, ſed euangelizare, non in ſapientia uerbi, ut non euacuetur crux Chriſti. Piſcatores autem tota nocte nihil ceperũt, quia tempore uetuſtatis neque gentes, neque Hebræi ad uitam capi ualebant æternam. Roma. 13. Nox præceſſit, deus autem appro-

pinquauit. Eph. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Vbi enim Christus non est, tenebræ sunt. Ipse est enim lux mundi, Iohan. 8. quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, Iohan. 1. Qui per fidem habitat in cordibus nostris, Ephesi. 3. & Roma. 10. Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Infelix piscatio peccatoris, quia tenebrosa, laboriosa, & infructuosa. Laxandum rete, sed in uerbo domini, non ad suam gloriam, non ad quæstum, non ad principum arbitrium, non ad aliquam humanam cupiditatem, sed ad arbitrium ac iussum Christi, qui non iubet laxari rete, nisi ad salutem eorum qui capiuntur, & ad gloriam bonitatis diuinæ. Hiero. 23. Propheta qui habet somnium, narret somnium: qui habet sermonem meum, narret sermonem meum. Cum fiducia ergo gratiæ dei & auxilij, uerbum dei proponendum ut fructificet. Col. 4. Orantes simul & pro nobis, ut deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. Quoniam autem sagena prædicationis interim trahit & inuoluit undecunq; pisces uarij generis, fieri non potest quin bonis admixti sint mali. Malorum ergo culpa rumpitur rete, sed non ideo elabuntur boni pisces. Maior autem malorum q̄ bonorum numerus. Matth. 20. Multi sunt uocati, pauci uero electi. 1. Corinth. 11. Audio scissuras esse inter uos, & ex parte credo. Nam oportet hæreses esse, ut qui probati sunt in uobis, manifesti fiant. Mali hic se segregant merito, tametsi numero iungantur. Iudæ ca. 1. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. 2. Pet. 2. Et in uobis erunt magistri men-

daces, qui introducent sectas perditionis, sed in fine separabuntur & numero. Matth. 13. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.

Et annuerunt socijs qui erant in alia naui, ut uenirent & adiuuarent eos. Et uenerunt, & impleuerũt ambas nauiculas, ita ut penè mergerẽtur. Quod cum uideret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me domine, quia homo peccator ego sum. Stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant. Similiter autem & Iacobum & Iohannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis.

Miraculum addit miraculo. Copiosam concludunt piscium multitudinem: rumpitur rete, nec pisces elabuntur: naues periclitantur, sed non mergũtur. Amb. Quæ est illa alia nauis, nisi forte Iudæa, ex qua Iacobus & Iohannes eliguntur? Hi de synagoga ad nauim Petri, hoc est, ecclesiã conuenerunt, ut implerent ambas nauiculas. Omnes enim in nomine Iesu flectunt genua, siue Iudæus, siue Græcus. Venientibus ergo socijs, id est, prophetis alterius nauiculæ. i. synagogæ, firmaĩ testimoniũ fidei. 2. Pet. 1. Et habemus firmiorẽ ꝓpheticum sermonẽ, cui bñ facitis attẽdentes quasi lucernæ lucẽti in caliginoso loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriaĩ in cordib' uestris. Et tñ ꝓmiserat se speculatorẽ fuisse illius gloriæ Christi. Sic aduocãdi adiutores idonei, q conuersos & pœnitẽtes custodiant, inflãmẽt, & pficiãt. Dei enim sumus adiutores. 1. Cor. 3. Sic Moses ait Nu.

11. Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis dominus spiritũ suum? Bed. Naiculæ penè submerguntur, non tamen merguntur, sed in submersione premuntur. Nunq̃ enim ecclesia deficiet, Christo teste. Luc. 22. Ego autem pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides tua. Videns ergo Petrus rem non agi uiribus humanis, aut casu, sed uirtute diuina, quanq̃ nauis esset ipsius, quanquam suum rete iecerat, quãquam princeps adduxerat, nihil hinc laudis sibi uindicat, sed ex magnitudine factus etiam modestior, accidit ad genua Iesu, eiq; totam huius facti gloriam transcribit, indignum se eius consortio iudicans. & quoniam non indignatione, sed humilitate dominum repulit, ideo magis attraxit. Iac. 4. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Stupor enim circundederat eum. Sed quis non obstupesceret, considerans prædicatione paucorum hominum humilium & idiotarum, ex uniuersis orbis nationibus, intra paucos annos tot hominum millibus fuisse persuasum, ut contemptis affectibus cognatorum, contempto dispendio rei familiaris, contemptis minis principum, contemptis supplicijs, ac morte denique ipsa, simplicẽ Christi doctrinam sequerentur, credentes ea quæ rationibus humanis probari non possunt, sperantes ea quæ iuxta naturæ uires plane desperanda sint? Sed hoc unde, nisi quia iussu domini laxatum est rete? Hæc piscatio, tametsi humanę uocis peragatur & industrię ministerio, summa tamen laudis totius uni Christo tribuenda est, cuius auspicijs soluitur ad dicendum lingua, cuius spiritus afflat dicentis pectus, cuius occulta uis attrahit animos auditorum.

Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam eris homines capiens. Et subductis ad terrã nauibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.

Non excludit timorem reuerentiç, quum initiũ sit sapientiæ, psal. 110. sed pusillanimitatis & diffidentiæ. Gen. 15. Noli timere Abraam. ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Cor enim contritũ & humiliatum deus non despiciet, Psal. 50. Imò consolatur & confortat. Posthac dabis operam, non ut nauim impleas piscibus, sed ecclesiam meam euangelicæ doctrinæ professoribus, uerbo, exemplo, miraculis homines conuertendo. Secuti sunt autẽ dominum mente deuota. Chrysostomus: Considera fidem & deuotionẽ ac obedientiam eorum. Habentes enim præ manibus appetibile piscationis opus, ob mandatum tamen domini reliquerũt, secuti dominum, uacui solicitudine rerum corporalium, ac totis animis in hoc intenti, ut fierent piscatores hominum.

De tertia uocatione, Mat. IIII. Mar. I.

ARTICVLVS XXI.

AMbulans autem Iesus iuxta mare Galileæ, uidit duos fratres, Simonẽ qui uocatur Petrus, Mar. 4. H *& Andream fratrem eius, mittentes rete in mari. erant enim piscatores. Et ait illis: Venite post me, & faciam uos piscatores hominum. At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.*

Declarat quanti meriti apud deum prompta & simplex sit obedientia, nihil discutiens, neq; procra-

ſtinãs, quantaq; gloria ſubleuanda. Aderat tempus quo chorum aliquem diſcipulorũ colligeret, quos familiares haberet, & teſtes oĩm q̃ faceret & diceret, & per ꝗs alios deinceps doceret. Hinc Apoſtolus Heb. 2. Quæ cum initiũ accepiſſent enarrandi p dominum, ab eis qui audierunt, in nos cõfirmata ſunt. Sed aduerte quales delegerit, non philoſophos, non phariſæos, non ſacerdotes, non opulentos. Noluit enim euangelij gloriam ullis mundi præſidijs inquinari. Ominis erat boni, primum, iuuentus nouæ doctrinæ capacior, deinde fratrũ concordia, ſe mutuo ſtudio iuuantium: ad hæc ars innoxia, è publico lucu tenuem uictum parans: deniq; piſcatio ipſa, noua piſcationis admonebat, non quæ lineis textis captaret piſces in cibum uentris, ſed quæ reti euãgelici ſermonis caperet homines immerſos terrenis curis, ad deſiderium uitæ cæleſtis. Mar. 1. Præteriens ſecus mare Galilææ. Quod erat lacus magnus, ut dicit Hiero. qui more Hebraico mare appellabatur. Gen. 1. Congregationesq; aquarum appellauit maria. Vidit, pietatis affectu. Felices, quos oculis clementiæ ſuæ intuetur dominus. Si enim radij ſolares beneficij ſunt ijs ſuper quos ſe diffundunt, quid æſtimandum de radijs diuinæ benignitatis, ſuper quoſcunq; diffuſis? Vnde Pſalm. 118. Aſpice in me & miſerere mei. & 33. Oculi domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Nota quod Petrus nomen accepit ex impoſitione, nam ante Simon uocabatur. Ioh. 1. Tu es Simon filius Iohanna, tu uocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Erat autem & Andreas diſcipulus Iohannis, q

& primo ipsum adduxerat ad Iesum, Ioh. 1. Piscatores erant, labore victum quærentes. Gen. 3. In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Venite, ait, post me. Eccl. 23. Gloria magna est, sequi dominum. Longitudo enim dierum assumetur ab eo. Ioh. 17. Pater, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum. Sed profunde prophera conqueritur. Psal. 4. Filij hominum, usquequo graui corde? ut quid diligitis uanitatem & quæritis mendacium? Non enim dominum uocantem, sed mundum allicientem sequuntur. Pro. 1. Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient? An non noxia mundi uanitas, quã tanto miseri sequũtur studio? 1. Ioh. 2. Trãsit mundus & concupiscentia eius. Nolite ergo diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Iac. 4 Qui uoluerit amicus esse huius mũdi, inimicus dei constituitur. Ratio, 1. Ioh. 5. Totus mundus in maligno posit⁹ est. Ob id dominus suos elegit de mundo, Ioh. 15. Sequuntur alij carnis uoluptatem. 2. Pe. 2. Multi sequentur eorum luxurias. Gal. 6. Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet uitam æternam. Roma. 8. Nihil damnationis est his qui sunt in CHRISTO IESV, qui non secundum carnem ambulant. Si secundum carnem uixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Nonnulli dæmonis elationem. Iob. 41. Ipse est rex super omnes filios superbiæ. Pauci humilem sequuntur CHRISTVM. Iohã. 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Sed qui dicit se in CHRI-

sto manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Ad quid uocauerit aduerte. Faciam, inqt, uos piscatores hominum. Ego, inquit, faciam. Mat. 9. Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate dominum messis, ut mitat operarios in messem suam. Vt mittat, inquit, Hie. 25. Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad illos, & ipsi prophetabant. & Mat. 24. Surgēt pseudo Christi & pseudo prophetæ. Surgent, non missi. Ideo 2. Cor. 3. Qui nos idoneos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu. Hominum, ait, non bonorum. Phi. 2. Omnes enim quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi. Ideo 2. Cor. 12. Non enim q̄ro quæ uestra sunt, sed uos. & 1. Cor. 10. Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salui fiant. Agnouerunt uocem eius, cui aliquando crediderant, & cuius humanitatem domestico colloquo fuerant experti: sed addita uoci energia perfecit, ut protinus ad uocem uocantis, non solum obliuiscerentur piscium, uerum etiam retia relinquerent ibi, ac ne domesticis qdē salutatis, Iesum ut illic ambulabat, sequerentur.

Et procedens inde, uidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi & Iohannem fratrem eius, in naui cum
3 *Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & uocauit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.*

Vidit cum patre suo in cōcinnandis ac farciēdis retibus uehementer intentos, & uelut obiter prætereiens, interpellauit eos. Nec mora: simplicissimæ fidutiæ iuuenes ilico, Mar. 1. relicto patre suo Zebe-

dæo in naui cum mercenarijs, secuti sunt eum. Sic il los formauerat Iohannis prædicatio, sic merebatur animi promptitudo, sic illos attraxit afflatus Christi, qui totus spirabat cæleste numen, q̃ plenus erat. Si enim creaturę attractiuam, ab ipso conditore, ali arum creaturarum habent insitam uirtutem, quanto magis creator, quos uult & sicut uult, trahit? Iohan. 6. Nemo uenit ad me, nisi pater q̃ misit me, tra xerit eum. Plenam conuersionis ad deũ declararũt formam, secũdum duas iustitiæ partes. Psal. 36. Declina à malo, & fac bonum. Eccl. 17. Cõuertere ad dominum, & relinque peccata tua: precare ante faciem domini, & minue offendicula. Ipsi uero & occasiones reliquerunt peccatorum, relinquendo sua. Mat. 19. Ecce nos reliquimus oñia, (ait Petrus) & secuti sumus te. Luc. 14. Nisi quis renũciauerit oñibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Nec magnum si nunc, quia post, uelimus nolimus, relinquemus in morte. Psal. 48. Diues cum interierit, non sumet omnia, neq; descẽdet cum illo gloria eius. & 48. Relinquẽt alienis diuitias suas. 1. Tim. 6 Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium q̃ nec quicq̃ auferre possumus. Suos. Summa autem uirtus est, alere patrem senem, idq; iustè partis sumptibus: sed euangelij gratia relinquere, melius. Luc. 14. Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum et matrem suam, non potest meus esse discipulus. Hoc explicando (Mat. 10.) ait: Qui amat patrem aut matrem plusq̃ me, non est me dignus. Seipsos. Luc. 14. Adhuc autem & animam suam, non est me dignus. Mar. 8. Si quis uult me sequi, deneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Mat. 16. Qui

enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum uniuersum lucretur, animæ uero suæ detrimẽtum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis uenturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundum opera sua. Quo uero ad alteram iustitiæ partem, secuti sunt dominum debito modo: qa festinanter, nã continuo. Eccẽs. 9. Quodcunq; potest manus tua, instanter operare: qa nec opus, nec ratio, neq; sciẽtia est apud inferos, quò tu properas. Eccl. 5. Ne tardes conuerti ad dñm, & ne differas de die in diem. Hinc dicenti sibi (Lu. 9. Domine, permitte mihi primum ire & sepelire patrem meũ,) respondit Iesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem uade & annuncia regnum dei. Secundo, simpliciter, de nullo cunctantes, unde uictus aut uestitus suppeditaret, Matth. 19. Si uis perfectus esse, uade & uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ueni, sequere me, & habebis thesaurum in cælo. Vnde improperat illis qui eum ob cibum sequebantur, Iohã. 6. Amen amen dico uobis: quæritis me, non quia uidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Et scribæ uolenti sequi, ait Mat. 8. Vulpes foueas habent, & uolucres cæli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Tertio, perseueranter. Qui enim pseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit, Mat. 10. & 24. Luc. 9. Sequar te domine, sed permitte mihi primo renũciare his qui domi sunt. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, &

aſpiciens retro, aptus eſt regno dei. Vnde ſciendum quòd diſcipuli primo uocati ſunt ad quãdam Chriſti ſimplicem notitiam, ut claret Iohan. 1. Secundo, ad maiorem familiaritatem, Lu. 5. Tertio, ad perfectam ſequelam, ut hic & in ſequenti de Matthæo, Matth. 9.

De expulſione dæmonis, & ſanatione oſis languoris, Mat. iiij. Mar. i. Lu. iiij.

ARTICVLVS XXII.

ET *ingrediebatur Capernaum ciuitatem Galilææ, ibiq; docebat eos ſabbatis, & ſtupebant in doctrina eius, quia in poteſtate erat ſermo ipſius.* Lucæ. 4. I

Vide nunc euangelicæ doctrinę exordia, p quam uiſum eſt deo ſeruare genus humanum uniuerſum. Pauculis hiſce piſcatoribus idiotis, plebeijs & pauperculis comitatus pauper Ieſus, obambulabat totam Galilæam, non iam in angulis aut in deſerto, ſed in frequentibus illorum ſynagogis prædicans & annuncians iam olim promiſſum adeſſe regnum cælorum, non metu territans (ut Iohannes fecerat) gehennæ, ſed beneficijs gratuitis inuitans & allicians omnes. Mar. 1. Statim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam, docebat eos, & ſtupebant ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ. Sabbatum foris erat, ſed intus in animis magni tumultus erant, quos illic ſatanæ ſpiritus excitabat. Ibi enim uerum eſt ſabbatum, ubi ſpiritus domini tranquillat animum ab omnibus prauis cupiditatibus. Vehementer admira

bantur doctrinam Iesu, propterea quòd nõ esset diluta fucataq; qualis erat phariſæorum, ſed ſolida & autoritatis plena. Primum enim ueriſſima erãt quę docebat, & naturæ ſenſui conſentanea. Deinde ad ueram pietatem & ſalutem æternam faciebant. Ad hæc, doctrinam eius uitæ ſingularis integritas commendabat: quia quod docuit, opere impleuit. Beda: Sermo prædicatoris in poteſtate eſt, dũ ea quæ docet, operatur. Mat. 5. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus uocãbitur in regno cælorum. Quo cõtra Matt. 23. de ſcribis & phariſæis ait dominus: Dicunt enim, & non faciunt. Accedebat his omnibus miraculorum inſolita uirtus, quæ declarabat à deo proficiſci quod docebat, non ab humano ſpiritu: hinc ſingularem habebant energiam mouendi animos audientiũ. Hiere. 23. Nunquid non uerba mea quaſi ignis, dicit dominus, & quaſi malleus conterens petras? Hebr. 4. Viuus ſermo dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingẽs uſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagumq; ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.

2 Et *in ſynagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit uoce magna, dicens: Sine, qd nobis & tibi Iesu Nazarene? ueniſti perdere nos? ſcio te quis ſis, ſanctus dei. Et increpauit illum Ieſus, dicens: Obmuteſce, & exi ab eo.*

Erat dæmonium immundum in ſeipſo, & ad fœda opera inducens, quibus delectatur. Dolebat de Chriſti præſentia, quem ſibi maxime contrarium uidit, cuius ſalutari doctrina homines conuerte-

bantur. Marc. 1. Venisti ante tempus perdere nos? Tale nihil sensimus unq̃ ex aliorum prophetarum præsentia. Perditiõem suam existimant, ex hominibus expelli, & ab eorum nocumẽto refrenari. Proinde noui tegis es, nempe sanctus ille dei. Multi sancti fuerunt, sed ipse ille sanctus sanctorum. Dan. 9. Vngatur sanctus sanctorum, & Psal. 15. Non dabis sanctum tuum uidere corruptiõem. Luc. 1. Et quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius dei. Adulatur, existimans dominum adulatione fractum, finere illum, tam stulta res est malitia. Sed dominus docet nos, ne dæmonum utamur testimonijs & sententijs. Non enim tulit prædicari ab impuro spiritu qui totam hanc gloriam uoluit in unum patrem referri, non ignarus, dæmonis professionem non ex syncera fide, sed ex malitiosa uoluntate proficisci. Profitetur subdolè, non ut ipse salutem consequatur, sed ut aliorum salutem impediat. Nec amor uocem expressit, sed supplicij metus. Eoq; ueluti majum ac deploratæ mentis mancipium, audire meretur: Obmutesce, & exi de homine, Marc. 1. quem per tyrannidẽ possides, sic enim prædicabis me melius.

Et cum proiecisset illum dæmonium in medium, exijt ab illo, nihilq; illum nocuit. Et factus est pauor in omnibus, & colloquebantur ad inuicem, dicentes: Quod est uerbum, quia in potestate & uirtute imperat immundis spiritibus, & exeunt? Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

Quòd proiecit, argumentum erat peruersæ uoluntatis: quòd illæsum reliquit, arguit impios spi-

ritus nemini nocere posse, qui se totos tradiderint seruatori. Mar. 1. Et discerpens eum spiritus immũdus, & exclamans uoce magna, exijt ab eo. Quo palam esset, illum non suapte sponte, sed uirtute diuina coactũ profugere: & homines miraculi magnitudine moti, crederent. Atq; hic exhibita est imago hominis occupati spiritu satanæ. An non pessimo dæmonio obnoxius est, quem totum possidet ambitio, auaritia, liuor, odiũ, libido, cæteræq; cupiditates impiæ? Huiusmodi non ferunt sermonem euangelicum, sed uociferãtur: Quid nobis & tibi? Quos enim possidet huius mundi spiritus, perdi se credũt, quoties cogũtur ea relinquere, in quibus sibi falsam constituere felicitatem. Capaces enim esse non possunt mansuetissimi spiritus euangelici, nisi prius dominus Iesus expulerit spiritum satanæ malum. Ex hoc mirabili facto, ut ad simplicẽ & austeram Iesu iussionem sic repente spiritus egrederetur, & perfecta sanitas, nullum habens uestigiũ pristini mali, restitueretur, stupor quidam & admiratio cepit oẽs. Mar. 1. Mirati sunt oẽs, ita ut cõquirerent inter se, dicentes: Quidnam est hoc? Quænã doctrina hęc noua? Quia in potestate spiritibus immũdis imperat, & obediunt ei. Et processit rumor eius statim in omnem regionem Galilææ. Mirati enim sunt non solum in opere miraculoso, sed & in modo: hinc inter sese miscebant huiusmodi sermones de Iesu: Quid est hoc nouæ rei, quod uidemus, nec antehac lectum, nec auditum? Adest illius iussis tanta uis & autoritas, ut immundi spiritus, uelut agnoscentes potentiorem se, relinquant hominẽ sic, ut post abi-

tum illorum plena redeat sanitas.

Et circuibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans euangelium regni, & sanans omnem languorem & infirmitatem in populo. Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, uarijs languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos. Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa & Decapoli, & de Hierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem. Mat. 4. K

A signis incipit, ut credantur quæ docet. Iudæi enim signa quærunt, 1. Corin. 1. Quum enim doctrina Christi noua fuerit & supernaturalis, promittēs in se credentibus patere regnum cælorum, (quum Mosi doctrina bona promitteret terrena, Leuit. 26. licet sub uelamine cæleſtia, sed per Christum. Roman. 10. Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti,) omnem humanam transcendens rationem, necessum erat eam miraculis confirmari, tanquam diuinæ ueritatis argumentis & sigillis, quo cognosceretur uerax & à deo missus. Quemadmodum enim ueritas scientiæ naturalis, per prima probatur principia, & rationes ex primis principijs manantes, & p modum conclusionū deductas: sic ueritas fidei, p opera miraculosa soli deo possibilia, probatur & roboratur, & à deo esse ostenditur, qui testis falsitatis ac confirmator esse non potest, Iohā. 5. Opera quæ

dedit mihi pater ut faciam, ipsa opera testimonium perhibẽt de me, quia pater me misit. Mar. 16. Illi autem profecti, prædicauerunt ubiq;, domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Quocunque ergo sese conferebat, gratis & citra discrimen medebatur omnibus omnium morbis, neque repellens quenquam, quamlibet humilem ac plebeium: & eadem facilitate profligans omnem morbum, quantumuis insanabilem: q̃ simul & miraculis potentiam suam declararet humana maiorem, & beneficentia gratuita sibi conciliaret amorem omnium. Libentius enim illi credimus quem amamus. Porro beneficijs conciliantur & fere. Nullum autem beneficium diuinius, quàm restitutæ sanitatis. Ad beneficium affluunt omnes cum est opus. Est autem morbus diuturna & malauale-tudo, languor temporarius, & in corpore deordinatio. Impendebat autem salutem corporibus ob animarum salutem. Deuteron. 32. Dei perfecta sunt opera. Hinc ex Decapoli, prouincia decem urbium, & trans Iordanem, terra duarum tribuum, Ruben & Gad & dimidiæ Manasse, Num. 34. omnes, quod quidem in ipso est, attrahit Iesus: sed pauci sunt idonei cælesti philosophiæ, cuius tradendæ gratia potissimum uenerat. Nouitatibus plerique dicuntur: nonnullos trahit liuor & insidiandi libido.

De socru Simonis, Matthæi viij. Marc. i. Luc. iiij.

ARTICVLVS XXIII.

SVrgens autem Iesus de synagoga, introiuit in do mum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Et stãs super illam, imperauit febri, & dimisit illam. & continuo surgens, ministrabat illis. Lucæ. 4. L

Nunquam deus sua clementia relinquit, nisi relinquatur. Sic synagogam, ipsum nõacceptantem, sed reiiciẽtem, dereliquit. Mat. 23. Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. Quare? quia uolui cõgregare filios tuos, & noluisti. Apo. 2. Qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga sathanæ. Matt. 21. Auferetur à uobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Sic & malos. 2. Para. 24. Quare transgredimini præceptũ domini, quod uobis non proderit: & dereliquistis dominum, ut derelinqueret uos? Hier. 17. Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te, in terra scribentur: quoniam dereliquerunt uenam aquarũ uiuentium dominum. Hiere. 2. Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non ualent aquas. Scito ergo & uide, quia malum & amarum est te reliquisse dominum, & non esse timorem eius apud te, dicit dominus. Psal. 142. Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Ideo Psal. 72. Mihi adhçrere deo bonum est, ponere in domino deo spem meam. Intrauit autem in domum Simonis & Andreæ, Marc. 1. Non sunt ergo inopes & uiles secundum seculum, spernendi, ut dicit Cyrillus: Domus quã Iesus intrat, ecclesia est, fide Petri fundata.

Mat.16.Super hanc petram ædificabo ecclesiã meam.1.Cor.3 Fundamentum aliud nemo potest ponere, prꝛeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Hinc Ephe.2. Superædificati & fundati super fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Dicitur & Simonis, quia ipsi specialiter cõmissa. Iohã.21. Simon Iohannis, diligis me plus his? pasce agnos meos. De hac domo 1.Timo. 3. Hæc tibi scribo Timothee, ut scias quomodo in domo dei oporteat te ambulare. Psal.54. In domo dei ambulauimus cum consensu. O q̃ pauci sunt qui sciũt, imo sunt qui scire nolunt. Iob.21. Qui dicunt deo, recede à nobis, scientiam uiarum tuarum nolumus. Sapiẽtes enim sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Hier.4. Sed ignorans ignorabitur, 1.Cor.14. Matt. 7. Amen dico uobis, nescio uos. Discedite à me oẽs operarij iniquitatis. Sic in animam ingreditur obedientem. Ioh.14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Heb.3. Christus sicut filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam teneamus. Febris innaturale frigus, & calor innaturalis sequens, animam signat igne charitatis priuatam, hoc est, fide per dilectionem operãte, quæ aliquid est coram deo. Gal.5. In CHRISTO IESV neque circuncisio aliquid ualet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur. Mat.24. Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Mar.1. Et dicunt eidem illa, Omnia huc pertinent, ut commendatior nobis

2

fides sit, & historiam euangelicam complectamur, ut arram & pignus salutis nostræ. Obserua, alienam fidem pro hominibus ualere & efficacem esse. Sic & hodie aliena fides satis facit in baptismo infantium. Hiero. Modò saluator rogatus, modò ultro curat ægrotos, ostendens se contra peccatorum passiones, & precibus semper annuere fidelium, & ea quæ ipsi minime intelligunt, uel intelligenda dare, uel non intellecta dimittere. Psalm. 18. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me domine. Sic Moses pro populi orauit delicto, Exod. 32. Sic sacerdos pro delicto orabat populi, Leuit. 4. & 5. Hinc dominus amicis Iob ait, Iob. 42. Iob seruus meus orabit pro uobis, faciem eius suscipiam. Et nedum uiui, sed & angeli, & homines uita functi, orant pro nobis. Vnde Zach. 1. Angelus pro sancta orauit ciuitate, cui dominus bona respondit. & 2. Machabę. 15. de Hieremia dicit Onias summus sacerdos, ad Iudam Machabæum: Hic est fratrum amator & populi Israel, hic est qui multum orat pro populo & uniuersa sancta ciuitate, Hieremias propheta dei. Attamen uterque defuncti ante tempora fuere. Licet enim sancti corpora posuerint, non tamen charitatis affectum. 1. Corinth. 13. Charitas nunquam excidit. Optant enim credentibus pijs uotis præparatum cælorum regnum. Rogauerunt ergo IESVM, ut qui non rogatus expulerat de uiro dæmonium, daret hoc amicorum precibus, ut affinem discipuli, quem inter primos habebat, leuaret febri. Marc. 1. Et accedens, eleuauit eam apprehensa manu eius, & continuo dimisit eam febris. Imperauit, eleuauit, quo se

dominum uitæ & mortis ostēdit. 1. Re. 2. Dominus mortificat & uiuificat, deducit ad inferos & reducit. Deu. 32. Ego occidam, & uiuere faciam: percutiam, & iterum sanabo. Ipse enim habet claues mortis & inferni, Apo. 1. Nō quod mortem fecerit, sed destruxit, Sap. 1. Ezech. 18. Nolo mortē peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Nam uult omnes homines saluos fieri, 1. Tim. 2. Quo autem liqueret, in eo fontem esse diuinæ uirtutis, quæ non possit exhauriri, miracula miraculis succedunt, nec minus perfecta fuit q̄ subita sanitas: nā subito redierat & uigor mulieri, sic ut obiens solita munia, ministraret Iesu cum discipulis suis, grata beneficio, & alios suo lætificans spectaculo iucundo. Quo docemur exemplo, q̄ si deus nos quopiā leuarit morbo, dono utamur ad sanctorum & Christi ministeriū. Sic & peccator surgens à peccati morbo, deo gratum reddere debet obsequium. Ephe. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Hinc Ro. 6. Sicut exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete mēbra uestra seruire iustitiæ in sanctificationē.

3 *Cumq; sol occubuisset, omnes qui habebant infirmos uarijs languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.*

Ille clementissimus non excusauit priuatum, cui debebatur, ocium, neq; noctem intempestiuam rebus gerendis, sed omnib⁹ oblatis manus salutiferas imposuit, ac morborū omne genus, nullo negocio gratisq;, depulit ab omnibus. Mat. 8. Et eiiciebat spiritus uerbo, & omnes male habentes curauit, ut im

pleretur quod dictum est per Esaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit. Quanquã Esa. 53. hoc de peccatis dixerit, euangelista tamen de morbis posuit, eo quòd plerique ex peccatis accidant. Vide turbæ fidem & deuotionem, quæ nec tempore impediebatur ab infirmorum oblatione, quę nostram arguit socordiam. Nam nos spirituali morbo, qui periculosissimus est, laborantes, ne ad Iesum quidem ducimus: sed quod omnium perniciosissimum est, adire uolentes & uerbo & exemplo retrahimus. Prouerb. 3. Noli prohibere benefacere eum qui potest: si uales, & ipse benefac. Tangit dominus aduersitatibus. Iob. 19. Manus domini tetigit me. Hoc quandoque misericordiæ. 2. Mach. 6. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficij est indicium. Aliquando iustitiæ. Eccl. 2. Si enim pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus domini, & non in manus hominum. Heb. 10. Horrendum est incidere in manus dei uiuentis. Opitulationibus, ut hic, & Matth. 8. in leprosо, & cæcis, Matth. 9. Esai. 59. Ecce non est abbreuiata manus domini ut saluare nequeat. Benedictionibus, Matt. 19. Mar. 10. Tunc oblati sunt ei paruuli, ut manus eis imponeret, & oraret.

Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia, quia tu es filius dei. Et increpans, non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

Exibant, sed non sponte. Iohan. 12. Nunc princeps mundi eijcietur foras. Sentiebant autem admi

rabilem uirtutẽ ab eo proficiſci, & hinc ſuſpicabantur ipſum eſſe Meſſiam illũ promiſſum filium dei. Non ſinebat ea loqui, reſpuens teſtimoniũ ab hoſtibus, & cum quibus noluit ſuis eſſe quicq̃ commercij. A pueris Hebręorũ, à piſcatoribus prædicari ſuſtinuit: à dæmonibus nullum recepit teſtimonium, tametſi uerum. Lædit enim ueritatẽ improbus autor & nocentior mendax, qui ueritate ſibi fidẽ conciliauit. Gloſ. Ideo prohibebat loqui, ne, dum aliqs audit dæmonem uera loquentem, ſequatur poſtea errantem. Solet enim angelus ſatanę in angelum lucis ſe transferre. 2. Cor. 11. Non ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur uelut miniſtri iuſtitiæ, q̃rum finis erit ſecundum opera ipſorũ. Ex dictis ergo & factis domini colligebant, in ipſo quid homine maius: hinc ipſum Chriſtum & filium dei dicebant, ſed tñ coniecturam hanc liuor & inuidia, ſicut & in phariſæis, obſcurauit. Igitur ignorabant diuinitatis myſterium, incarnationis modũ: multo minus intelligebant crucis uictoriam, qua expoliandi erant. 1. Cor. 2. Quã (ſcilicet ſapientiam) nemo principum huius ſeculi cognouit. Si enim cognouiſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. Auguſtinus: Tantum eis innotuit, quantum uoluit: tantum uoluit, quantum oportuit.

Facta autem die, egreſſus ibat in deſertum locum: & turbæ requirebant eum, & uenerũt uſq; ad ipſum: & detinebant illum, ne diſcederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum dei, quia ideo miſſus ſum. Et erat prædicans in ſynagogis Galilææ.

Mar.1.Et diluculo ualde surgens, egressus abijt in desertum locũ, ibiq; orabat. Et prosecutus est eum Simon & qui cũ eo erant. Et cum ueniſſent ad eũ, dixerunt ei, quia omnes quærunt te. Et ait illis: Eamus & in proximos uicos & ciuitates, ut & ibi prædicem. Ad hoc enim ueni. Secessit dominus Iesus, q̃ non in hoc proprie uenerat, ut mederetur morbis corporum, quos ipse suis nonnunq̃ immittit, ut uacent animo, quum uideret multitudinem magna auiditate quærere sanitatem corporũ, quæ non pari studio doctrinæ inhiaret cęlesti, qua sanantur animorum morbi, uelut ocij desiderio fefellit turbã, in deserto patri gratias agebat pro beneficijs, quæ per ipsum humano generi largiri decreuisset. Atq; hic non simplex nobis paratur exemplum, post collatam in alios beneficentiam, oportere secedere, ne præmiũ ab his quibus benefecimus, uideamur expectare: nec ad ostentationẽ, neq; ad plebis arbitrium esse proferenda miracula, sed quatenus conducit ad salutem hominum ac dei gloriam, semper autem fugiendam inanis gloriæ suspicionem. Deinde nonnunq̃ ad tempus intermittendam salutiferam doctrinam, quo magis irritemus appetentiam animorũ. Postremo crebris secessibus, qui rerum cælestium contemplationi dantur, non uoluptati, spiritum esse uegetandum, quod ad iuuandos redeat alacrior. Exemplo turbæ dominus solicite requirendus. Sap.1. In simplicitate cordis quærite illum. Inuẽtus uero, diligẽter retinẽdus. Cant.3. Inueni quẽ diligit aia mea: tenui eũ, nec dimittã. Sanctis detinet desiderijs. Lu.19. In domo tua oportet me manere.

Quod autem dicit se ob id missum, ut annũciet euangelium regni, quomodo ad id perueniatur, subindicat quàm solicite audiendum sit & obseruandum. Esa. 61. Spiritus domini super me, eo quòd unxerit me, euangelizare pauperibus misit me. Matthæ. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Hebrę. 2. Propterea abundantius oportet nos obseruare ea quæ audiuimus, ne forte pereffluamus. Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus: & si omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Quæ cum initium accepisset enarrandi per dominum, ab eis qui audierũt, in nos confirmata est, contestante deo signis & portentis, & uarijs uirtutibus & spiritussancti distributionibus secundum suam uoluntatem. Marc. 16. Illi autem profecti, prædicauerunt ubiq; domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Peragrabat itaq; dominꝰ Iesus oppida uicosq; Galilææ, prædicans in synagogis, (ob loci congruitatem & populi conuentum ac doctrinæ stabilitatem. Omnis enim qui male agit, odit lucẽ. Qui aũt facit ueritatem, uenit ad lucem, Iohan. 3.) ac morbos depellens, dæmoniaq; ejiciens, ut apud rudem populum potentibus factis fidem adderet doctrinæ suæ.

De uocatione Matthæi, Mat. ix. Mar. II. Luc. V.

ARTICVLVS XXIIII.

ET cum transiret inde Iesus, uidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum. Mar. 9. M

Quantæ uirtutis & efficaciæ diuinæ gratiæ sit respectus, ostendit Lu. 5. Et post hæc exiit, (Mar. 2. Et cũ præterit, uidit Leui filium Alphæi) & uidit publicanũ nomine Leui, sedentẽ &c. Dñs qui prius Simonem & Andreã, Iohannem & Iacobũ ab humili quidem, sed tñ licito quæstu uocarat ad se, ut palam faceret, se nullum omnino genus hoim fastidire, modò se conuertat ad meliora, publicanum uocat. Est aũt hoc genus hominum, qm̃ artem exercet sordidi quæstus & uiolentæ rapacitatis, multis modis infame, p̃sertim apud Iudæos. Redimunt nonnunq̃ iniqua summa à principe: eoq; ferè quo plus lucri faciant, inclementer extorquent ab oĩbus, odioseq; negocium facessunt nautis ac uiatoribus, quibus nonnunq̃ & aliunde satis est incõmodi. Non aũt casu uidit, sed aspexisse, delegisse fuit. Videt enim dñs misericorditer, ut subueniat. Exod. 3. Vidi afflictionẽ populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum qui præsunt operibus: & sciens dolorẽ eius, descendi ut liberem eum de manibus Aegyptiorum. Sagaciter, ut puniat. Prou. 15. In omni loco oculi domini contemplantur bonos & malos. Psal. 33. Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum: uultus autem domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Beda: Legimus Apostolo dicente Roman. 3. Quia omnes peccauerunt, & egent gloria dei. & 5. Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad deum. Et ite-

rum inęstimabilem eiusdem gratiæ magnitudinem cõmendans, ait: Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Ro. 5. quia mirarum quanto graniorem dominꝰ in electis suis peccatorum languorem curauit, tanto ampliorem cunctis gratiæ medentis potentiam monstrauit. Vnde Matthæum temporalibus curis intentum, repente dominus miseratus uocauit, & de publicano iustum, de telonario discipulum fecit: quem etiam, proficiẽtibus meritis eiusdem gratiæ & incrementis, de cõmuni discipulorum numero, ad apostolatus gradum promouit. Quod ob id prouidẽtia superna fieri disposuit, ut nullum enormitas suorum aut numerositas scelerum, à speranda uenia reuocaret, cum hunc tantis mundi nexibus absolutum, tam cælestem factum conspiceret, ut communicato cum angelicis spiritibus uocabulo, euangelista nominaretur & esset. Quis tantam dei benignitatem sperare potuisset, quæ nedum reuertentes suscipit, sed ultro ad se uocat peccatores, quo spem nostram & fidutiam confirmet? Vidit in telonio, hoc est, sedentem ad telonium, id est, in loco in quo sedet telones, id est, publicanus exigens tributum. Esa. 5. Populum meum exactores spoliauerunt. Causam Eccl. 15. indicat, d. Auarus non implebitur pecunia. Hinc Sap. 15. Sed & lusum existimauerunt esse uitam hominis, & conuersationem uitæ compositam ad lucrum, & oportere undecunq; etiam ex malo acquirere. Sed 1. Tim. 6. Qui uolunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia & nociua, q̃ mergunt hoĩes in interitũ & perditionẽ. Necipse per se nomen suũ obticuit, humilitatis gratia, quẽadmodũ Apostolus 1. Tim. 1. Fidelis sermo & oĩi

acceptione dignus, quia Christus Iesus in hũc mundũ uenit peccatores saluos facere, quorum ego primus sum. & 1. Cor. 15. Ego sum minimus apostolorum. Nam Pro. 18. Iustus in principio accusator est sui. Luc. 5. Et relictis oĩbus, surgens secutus est eum. Nihil cunctatus, subito mutatus, relicta sella quæstuaria, sequutus est pauperẽ Iesum, ut euangelicis opibus diteſceret. Habebat eñ Iesu uox energiã quandam admirabilẽ, relucebatq; in uultu eius uis q̃dam occulta, qua quos uolebat, non aliter traheret ad se quàm magnes ferrum, & quos uolebat, percuteret. Iohan. 18. Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Sic & uirga oris sui percutiet impium, Esaiæ. 11. 2. Thes. 2. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem dominus IESVS interficiet spiritu oris sui. Vnde diabolum cum omnibus mẽbris suis hac sentẽtia in ignẽ deijciet ęternũ. Mat. 25. Ite maledicti in ignẽ æternũ, q paratus est diabolo & angelis eius. Hic nobis exẽplũ paraĩ uerę conuersionis, ut surgamus è peccatorũ fæcibus & cœno. Eph. 5. Surge q dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Eccl. 5. Ne tardes cõuerti ad dñm, & ne differas de die in diẽ. Sequutus est Iesum, & si pauperẽ. Hie. 17. Non sum turbatus te pastorẽ sequẽs. 1. Pe. 2. Christus passus est, p nobis, uobis relinquens exemplũ, ut sequamini uestigia eius.

Et factũ est, discũbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores ueniẽtes, discumbebãt cũ Iesu et discipulis eius. Et uidẽtes pharisæi, dicebãt discipulis eius: Quare cũ publicanis et peccatoribus manducat magister uester?

2 Matthæus iam factus certus Christi discipulus, q̃ pluribus illum commẽ daret, suiq; ordinis nuper so dales, ad euangelicum quæstum adduceret, rogare dominum ausus est, ut domi ipsius uelit esse conui ua. Obtemperat Iesus roganti, quandoquidem ille obtemperarat uocanti, docens nec impiorum con sortiũ uitandũ, si spes sit illos nostra consuetudine fore castigatiores. Paratus est dominus nobiscum prandere, imò habitare, si nosipsos idoneos reddi derimus. Apo. 3. Ego sto ad ostium & pulso: si quis audierit uocem meã, & aperuerit mihi ianuam, in trabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Ioh. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Pharisæi uero captantes undiq; calumniandi materiam, ipsum q̃ dem nõ audebant interpellare, ne quod nollent audirent: unde discipulos uenenato carpunt susurrio, nolẽtes ab eo auertere. Quamobrem, inquiunt, ma gister uester, cui uos, deserto Iohanne, ut eximie san cto hæretis, manducat cum peccatoribus? Luc. 5. Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua: & erat turba multa publicanorum, & aliorum qui cum illis erant discumbentes. Ecce unius cõuersio, multis animum consequendę salutis dedit. Sed hoc proprium habet caro, ut semper sibi blandiens, aliis inuideat salutem. Pharisæi em̃ ideo uitabant tales, nõ ne malis illoꝝ inquinarẽtur, quũ essent peiores, sed ut sancti haberentur. Diaboli uox est, quare. Ge ne. 3. Cur præcepit uobis deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Sic filij sui Matt. 15. Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?

Id enim agit uersipellis, utr... certã & salutiferam, in dubiũ uertat. quo substrato fundamento, inobedientiam & contemptũ superstruit, ut patet Gen. 3. Ad hæc, quum discipulis adhuc rudibus non esset in promptu quod responderent, sed tantum simplici fiducia pendebant à domino Iesus, quem nec uoces clancularias, nec cogitationes occultæ pharisæorum latebãt, pro discipulis respondit.

At Iesus audiens, ait: Non est opus ualentibus medicus, sed male habẽtibus. Euntes autem, discite quid est, Misericordiam uolo & non sacrificium. Nõ enim ueni uocare iustos, sed peccatores. §

Laudantur medici, qui sani, cum uocantur, adeũt ægrotos, & ego culpor, quod adeam eos, qui morbum agnoscunt animi sui & medicum desiderant. Porro qui sibi uidetur uacare culpa, si recte sentit, non eget ope nostra: sin laborat falsa persuasione, aut si sibi mali conscius, tamen dissimulat morbum suum, hunc, quoniã insanabilis, frustra adiret medicus. Ideo ego uersor cũ publicanis & peccatoribus, quia medicus sum animarum, & salutem hominum sitio. Hier. 17. Sana me domine, & sanabor. Psal. 6. Miserere mei domine, quoniam infirmus sum: sana me, quoniam conturbata sunt oſa ossa mea. Quorsum autem attinet uersari cum iustis, quales uos uobis uidemini, quũ illis medico non sit opus? His utilis est medicus, qui suum agnoscunt morbum, seq; præbent sanabiles. Hos fastidire, non est sanctimonia, sed supercilium: & his succurrere, sacrificium est deo longe gratius, q̃ ullum in templo. Hoc uos latere non debuit, qui tenetis scripturas, quibus loqtur

deus Ose.6. Hoc [illegible]dum animaduertitis, ite & discite, quid hic sermo dei uelit: ac deinde, si uidebit, calumniamini factū meum, quod non pugnat cum lege uestra, sed diuinæ respondet uoluntati. Pro.21. Facere misericordiam & iudicium, magis placet domino q̄ uictimæ. Quur autem fugerem consuetudinem peccatorum, qui in hoc uenerim, ut tales inuitem ad pœnitentiam uitæ prioris? Non iustos, sua reputatione, quum ueri nulli essent. Ro.3. Non est iustus quisq̄. & 10. Ignorātes dei iustitiam, & suam uolentes constituere, iustitiæ dei non sunt subiecti. Lu.18. In se confidebant tanq̄ iusti, & aspernabant cæteros. Sed Mat.23. A foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem estis pleni hypocrisi & iniquitate. Notanter addit Lucas 15. ad pœnitentiam, non ergo uenit uocare nos ad transitorias delicias, Lu.6. Væ uobis qui ridetis nunc, quia flebitis, neq̄ diuitias, Lu.6. Væ uobis diuitibus, qui habetis hic consolationem uestram. Gaudium autem est angelis super uno peccatore pœnitentiam agente, Lu.15 Hoc sermone dominus Iesus simul & os obturauit pharisæis, & discipulos docuit quales sese præstare deberent erga peccatores. Euangelicus enim prœconō ideo expetit cōsuetudinē peccatorū, ut abillis auferat emolumērū, sed ut illos locupleteret pietate, nec alio studio subit eorū tecta, q̄ boni medici subeunt ægrotorū ædes. Ro.15. Debemus aūt nos firmiores imbecillitates infirmorū sustinere, & nō nobis placere. Vnusq̄sq̄ uestrū proximo suo placeat in bonum.

De electione apostolorum, Mar.iij. Lu.vi.

ARTICVLVS XXV.

FActum est autem in illis diebus, exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione dei. Et cũ dies factus esset, uocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & apostolos nominauit: Simonem, quem cognominauit Petrum: & Andream fratrem eius, Iacobum & Iohannem, Philippum & Bartholomæum, Matthæũ & Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem qui uocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscarioth, qui fuit proditor. Luc. 6. N

Docet nos, si quid auspicari uolemus, quod felix ac faustũ esse cupimus, à deprecatione auspicemur, ut deus nostris cœptis dexter ac fauens aspiret. Sic apostoli in locũ Iudæ prodiroris electuri aliũ, orationẽ præmiserũt, Act. 1. Quod utinã successores obseruassent: non sic miserè corpus Christi neglectũ iaceret. Ose. 8. Ipsi regnauerũt, & nõ ex me: principes extiterunt, & non cognoui. Paulus & Barnabas nõ nisi manibus impositis & oratione præmissa, missi fuerunt, Actu. 13. Mar. 3. Ascendens in montẽ, uocauit ad se quos uolebat ipse. Nemo ergo assumit sibi honorem, sed qui uocatur à deo tanq; Aaron, Heb. 5. Hieronymus: In montẽ uocantur excelsi merito & uerbo, ut locus meritis congruat altis. Hos ergo qui sic uocantur, idoneos facit ministros, 2. Cor. 3. quibus & ipse incrementũ dat. Sed non uacat numerus à mysterio. Mar. 3. Et uenerunt ad eum, & fecit ut essent duodecim cũ illo. Hieronymus: Iuxta numerũ duodecim patriarcharũ, Gen. 32. & 42. & quia murus ciuitatis duodecim habuit fundamẽta, Apo. 21. Ipsi enim fidei fundamenta 12. articulos posuerunt, Iosue 4. Elige duodecim uiros singulos per

singulas tribus, & præcipe eis, ut tollant de medio Iordanis alueo, ubi steterunt pedes sacerdotum, 12. durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorũ ubi fixeritis hac nocte tentoria. Ad quid ergo dele gitꝰ Mar. 3. ut mitteret eos prædicare, & dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmo nia. Hinc & apostolos nominauit, quod officij nomen est, quẽadmodũ & angelus. Hiero. q̃tuor genera distinguit apostolorum. Nam quidam uocan tur à deo immediate, ut hic, quidã à deo per homi nem, quidam ab hominibus non per deum, ut dum fauore hominum & studio aliquis ordinatur: quar ti nec p homines, nec à deo, ut pseudapostoli. Mat. 24. Surgent pseudoapostoli. De quibus 2. Cor. 11. Nam eiusmodi pseudoapostoli sunt operarij subdo li, transfigurantes se in apostolos Christi. Verum hi non Christum, sed se prædicant. Hic rex ille cęlestis, rex regum & dominus dominantium, Apo. 19. du odecim præfectos selegit, qui ueluti fidi satellites, nunq̃ ab ipsius latere discederent, ut ubi res euange lica postularet, mitteret eos, ueluti legatos à latere, prædicaturos quæ à rege suo didicissent, ac diuulga turos per uniuersum orbem terrarũ edicta sui prin cipis. Quoniam autem ignobiles erant, piscatores, idiotæ, tenues, nihil regale præ se ferentes, quũ pol licerentur regnum dei, ne contemneretur illorum autoritas, addidit potestatem, quã nulli huius mun di monarchæ suis legatis dare possunt, nimirum, ut in nomine Iesu omne morborum genus sanarent, & impuros spiritus profligarẽt. Hiero. Armat mira culis, quo sermoni fidem faciãt. Benignus dominus ac clemens, non inuidet seruis uirtutes suas, sed po-

teſtatem quam à patre accepit ſecundum carnem, ipſis tribuit, ut opera quæ ipſe fecit, & ipſi facerent, & maiora horum facerent, Ioh. 14. Multa tamen diſtantia inter habere & tribuere, inter dare & accipere. Ipſe quod agit, poteſtate propria agit: illi ſi quid faciunt, imbecillitatem ſuam & uirtutẽ domini confitentur. In nomine Ieſu ſurge & ambula, Petrus ait, Act. 3. Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc? aut nos quid intuemini, quaſi noſtra uirtute aut poteſtate fecerimus hũc ambulare? Fides q̃ per eũ (Ieſum) eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium ueſtrum. Porro apoſtolorum nomina propter falſos apoſtolos recẽſentur. Mar. 3. Et impoſuit Simoni nomen Petrus, Ioh. 1. Syriace Cephas, Græce petros, Latine ſaxum, ob ſolidam profeſſiõem, qua, uacillante populo, ceu uox apoſtolorum omnium, pronunciauit Ieſum filiũ dei uiui, Mat. 16. ut ex ipſo diſceremus nomine, euangelicę philoſophiæ caput eſſe, immobilem fidei conſtãtiam. Mar. 3. Iacobum Zebedæi & Iohannem fratrem Iacobi, & impoſuit eis nomina, Boanerges, quod eſt (Syris) filiĩ tonitrui. Hæc nominum immutatio, ſpiritualem innouationem & gratiam ſignificabat, uidelicet ipſo nominis præſagio declarante, hos olim ex euangelico monte emiſſuros in uniuerſum orbem terrarum, euangelicæ prædicationis tonitruum, quod omnium animos commoueret, & erigeret ad ſtudium rerum cæleſtium. Pœnitentiam agite, inſtat regnũ cælorum, tonitru eſt. Ad hanc enim uocem corripit unumquẽq; timor fulminis: ſed ſuccedit imber, Credite euangelio, & ſalui eritis. Meruerunt & cum Petro audire in monte tonitruum patris, Mat. 17. per

nubem de filio tonãtis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Isti consanguinei secũdum carnẽ fuerunt Iesu, filij sororis Mariæ uirginis, quẽadmodum Iudas & Simon fratres Iacobi minoris ex altera sorore. Interpretatum aũt dicitur, Andreas, uirilis, scilicet in cruce: Philippus, os lãpadis: Bartholomæus, filius suspendentis aquas: Iacobus, luctator: Iohãnes, in quo gratia dei: Thomas, abyssus uel didymus, quia profunditatẽ dei inuestigauit ex timore credulitatis: Matthęus, donat⁹, scilicet in spei fiduciam peccatoribus: Iacobus Alphęi, doctus, qui & minor, ratione uocationis: Thadęus, qui & Iudas Iacobi, Act. 1. & Lebæus, quod corculũ dicitur: Thadæus, attendens principem. Credendum est ipsum fuisse trinomium. Simon, obediens: Chananæus, zelus: Iudas, confessio. Iscariothis, uel à uiculo unde ortus, uel tribu Isachar, ut quodã uaticinio in sui condemnationem natus sit. Isachar enim merces dicit, ut significetur precium proditoris. Quem non per improuidentiam dominus elegit, sed huius exẽplo omnes docere uult, q̃ horrendum sit abuti lenitate seruatoris erga nos, non desinẽtis quod in se est, ad reuocandũ à malitia, impendere. Ioh. 6. Nonne duodecim uos elegi, & unus ex uobis diabolus est? & ut discamus, ꝙ non propter futuram malitiam alicuius aspernetur deus quempiam mala operaturũ, sed propter præsentem uirtutem honoret quem dignum cẽset, etiam si malus postea sit futurus. Ecce per hospauperes, obscuros, illiteratos, imbecilles, ui sum est dño totũ innouare mundum, ne quã laudis partẽ, ut dicit Ambrosius, in cęlesti philosophia sibi uindicaret humana uel sapientia uel potentia.

ARTICVLVS XXVI.

De sermone domini in monte, Matt. v. vi. vij. Lu. vi.

ARTICVLVS XXVI.

VIdens autem Iesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius: & aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnũ cælorũ. Mat. 5. O

Dominus oĩnium prophetarũ oraculis seruator mundi promissus, Actu. 10. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eũ. & doctor iustitiæ & euangelicæ legis institutor, Esa. 33. Dominus iudex noster, dominus legifer noster, dominus rex noster, ipse ueniet & saluabit nos. Iac. 4. Vnus est legislator & iudex, qui potest perdere & saluare. diuinæ legis ostendit eminentiam. Leges enim humanæ, opus quoddam externum imperãt tantum: diuinę uero & spiritum, hoc est, affectũ, expetunt. Ita & duplex est iustitia: operum externorum, quæ est iustitia legis apud Paulum: & affectuum, quæ est iustitia Christi, quam ipse in nobis operatur. Videns ergo dominus turbam indies magis ac magis densari, misertus est eis, quia erant uexati & iacentes, sicut oues non habentes pastorem, Mat. 9. monte cõscenso, iam cælestis philosophiæ doctorem agere cœpit, ipsa loci celsitudine declarãs, se nihil plebeiũ traditurũ & humile, sed ardua cælestiaq; oĩa. Psal. 36. Iustitia tua sicut mõtes dei. simul Mosi referens exẽplum, qui legẽ proditurus populo, mõtẽ conscendisse legitur, Exo. 19. Esa. 40. Sup montẽ

excelsum ascende tu qui euangelizas Sion, qui euangelizas Hierusalem. Sedit non uti fessus, sed ut ardua quædam magisq; seria docturus, quæ attentum auditorem requirerent. Mat. 25. Vnus est magister uester Christus. Id ubi senserunt discipuli, propius illum cinxerunt, ne quid illius sacræ doctrinæ efflueret. Aug. Vt audiendis illius uerbis hi essent etiam corpore uiciniores, qui præceptis adimplendis animo propinquabãt. Qui olim loquut⁹ fuerat patribus in prophetis, Heb. 1. nunc sacro aperto ore suo, euangelicæ doctrinæ nondum audita dogmata cœpit depromere, plurimũ abhorrẽtia ab opiniõe eorũ qui mũdo uidentur admodũ sapere. Docebat autem uerbo, scribẽs in tabulis carneis cordium. Hier. 31. Ecce dies ueniẽt, dicit dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum: post diesillos, dicit dominus, dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribã eam, & ero eis in deum, & ipsi erunt mihi in populum. Lex uetus in lapideis scripta tabulis, duritiã signabat populi, quã dominus se ablaturum repromisit Ezech. 36. Auferã cor lapideũ de carne uestra, & dabo uobis cor carneũ, & spiritũ meũ ponã in medio uestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

2 Postq̃ curauit corpora & fecit miracula, curat & animas, ut discamus quod & animarum & corporum sit opifex. A beatitudine incipit, sicut & Psal. 1. q̃ huc oĩm uota tendant. nihil enim agimus, qũ

Inde nobis bene beateq; esse uelimus, qui philoso-
phiæ quoq; scopus est, quomodo scilicet beatos fie-
ri liceat. Beatitudo in eis est, per quę nobis bene est,
sed naturæ nostræ corruptæ bene est in uitijs. Hinc
ut alium opes, alium luxus, alium alia cupiditas tra
hit, alios alij affectus alliciunt, ita aliorum alia est be
atitudo. Philosophi quãdam beatitudinis uiã præ-
scribunt, fictitiam plane. Fictitiæ enim sunt uirtutes
philosophicæ. Christus uero semel euertit omnes
naturæ nostræ cupiditates, omnia philosophorum
commenta, & ideo miraculis præstruxit fidem ser-
moni incredibili, ut qui uirtutem ipsius experti es-
sent efficacem in sanandis corporum morbis, consi
derent & doctrinam esse ueracem, qua mederetur
morbis animorum. Hiero. Spiritu adiunxit, ut hu-
militatem intelligeres, non penuriam. Modestiam
& humilitatem, ceu fundamentum iacit. Nam quo-
niam Adam per superbiam cecidit, Eccl. 10. Initi-
um omnis peccati superbia, per humilitatem erigit
nos. Sunt quidam pauperes & rebus & spiritu, qui
propter regnum cælorum aut cuncta relinquunt,
ut apostoli, Mat. 19. Ecce nos reliquimus omnia,
& secuti sumus te. aut casu accidentẽ ferunt patien
ter, ut Iob. 1. & Tob. 1. Alij rebus, non spiritu, ut in-
opes impatientes, & multa concupiscentes ac arro
gantes, quod pessimum coram deo, Eccl. 25. Essent
hi quidem uiciniores euangelicæ beatitudini, si quò
uocat fortuna, sequantur animo, quia ad humilita-
tem inducuntur. Multos enim rei familiaris tenui-
tas, generis humilitas, conditionis obscuritas, fortu
nę aduersitas reddit abiectos & humiles, sibiq; displi
centes. Alij spiritu, non rebus. Qui utunt hoc mun

do, tanq̃ non utantur, 1. Cor. 7. Psal. 61. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Quales fuerunt Abraã, Isaac, Iacob. Bed. Non utiq; omnes beati, sed illi tantummodo, qui omne præsentis culmen seculi, tametsi altum uideatur, pro nihilo ducunt, qui merito regni cælestis munere perhibentur digni, quia delectationis humanæ probantur cupiditate nudati, qualem se rex Dauid pauperiẽ sustinuisse declarãs, ait Psalm. 69. Ego uero egenus sum & pauper, dominus solicitus est mei, & 72. Quid enim mihi est in cælo? & à te quid uolui super terram? Mox ubi spei ancoram fixisset, subdendo manifestat: Mihi autem adhærere deo bonum est, ponere in domino deo spem meam. Sic Abraam Gene. 18. Loquar ad dominum meum, quum sim terra & puluis. Sequitur præmium, quoniam tametsi iuxta mundum uideantur abiecti & aspernabiles, tamen ipsorum est regnum cælorum, longe magnificentius omni regno mundi. An non magnificum regnum est, nulli seruire uitio, nullis obnoxium esse cupiditatibus, conculcasse satanam cum omnibus suis copijs, uicisse mundum cum omnibus suis terroribus & illecta mentis, ascitos esse in consortium dei, ascriptos esse regno cælesti? An tu regnare putas istos feroces ac uiolentos? Seruitutem seruiunt, multos patiuntur tyrannos, discruciantur auaritia, ira, liuore, cupiditate uindictę, metu, spe. Vix uiuunt, tantũ abest ut regnent. At qui liber est his curis, fretus innocentia sua, fretus deo, fretus præmijs futuri seculi, tranquillo pectore contemnit ea quæ sunt huius mũdi, & sequitur bona cælestia, nonne regnum obtinet longe pulchrius ac magnificẽtius regno tyrãnorũ?

Regnũ mundanũ parat uiolentia, ferocitate defendit: hoc regnũ parit modestia, tuet & constabilit humilitas. Mundus non iudicat regno dignos, nisi generoso præditi fuerint spiritu, & ingẽtes tollãt aãos, deus ad suũ regnũ eos potissimũ euehit, q̃ se maxime deiiciũt. Nulli ergo quantumcunq; mũdo abiecto, aut etiam tẽporali substãtia cuecto, hæc beatitudo obcludit, si aĩm accommodet. O uere euãgelica doctrina, hoc est, læta & bona, qua pauperes euãgelizant, Mat. 11. In quoliber gradu duo tanguntur, Meritũ, quod est ipsa beatitudo uiæ, actus scilicet uirtutis, & p̃miũ merito conueniens, quo „puocemur & conforte mur Beata ergo illa paupertas, q̃ rerum temporaliũ amore non capit, nec mundi opibus augeri appetit, sed cęlestib⁹ bonis ditescere cõcupiscit.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

Mites, non qui prorsus non irascuntur, tales em̃ insipientes sunt & insensati, sed qui irę uim habent, continent autem, & quando oportet irascuntur, q̃ nulli uim faciunt, qui læsi facile condonant iniuriã, qui pluris faciunt concordiam & animi tranquillitatem, q̃ latifundium, quibus optabilior est quieta paupertas, q̃ rixosæ diuitiæ. Sicut enim, qui impatiens est, operatur stultitiam, Pro. 14. sic doctrina uiri per patientiam dignoscitur, Pro. 19. quæ hominem reddit modestũ, cõpositũ. Psal. 24. Diriget mãsuetos in iudicio, docebit mites uias suas. Hinc Iac. 3. Quis sapiens & disciplinatus inter uos? ostẽdat ex bona cõuersatione operationẽ suam in mansuetudine sapiẽtiæ. Mat. 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Seq̃t cõgruenter mititas paupertatẽ

& humilitatem, quia tales ut cõmuniter contẽnuntur & opprimunt, quare indigẽt mititate, ad quam ex humilitate disponũtur, sicut econtra superbi ad iracundiam. Hinc Pro. 16. Melius est humiliari cum mitibus, q̃ diuidere spolia cum superbis. Hiero. Mites possidebunt terram, non Iudæ nec istius mundi maledictam, spinas & tribulos proferentẽ, Gene. 3. quam crudelissimus quisq; bellator magis possidet, sed illã de qua Psal. 26. Credo uidere bona domini in terra uiuentiũ, & 141. Portio mea domine in terra uiuentium. Placidus etiam qui mauult sua cedere q̃ pro his digladiari, tot locis habet fundũ, quot locis reperit amantes euangelicæ mansuetudinis. Inuisa est omnibus peruicacia, mansuetudini fauent & ethnici. Eccl. 3. Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. Psal. 36. Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Vt omnibus ergo excludatur mitis, tanto certior est illi cælestis terræ possessio.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Congrue tertio loco luctus sequitur, quoniam post externorũ abnegationem, & adeptam animæ mansuetudinem, aptus est homo ad considerationem eorũ quæ præinductum pariunt luctum. Sunt qui infeliciter lugent damna rerum temporalium, quæ tristitia mortem operatur, 2. Cor. 7. Quæ autem secundum deum est tristitia, pœnitentiam insalutem stabilem operatur. Psal. 118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, qa non custodierunt legem tuã. Sic lugebat Samuel Saul, eo q̃ proiecerit eũ do-

minus, 1. Reg. 15. Sic Apostolus eos qui peccauerũt, & non egerunt pœnitentiã, 2. Cor. 12. Sic desiderio patriæ cælestis. Psal. 41. Fuerũt mihi lachrymæ meę panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est deus tuus? & 119. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Adest ijs lachrymis consolator spiritus, inęstimabili gaudio mentis luctũ cõpensans interim, mox ad æterna gaudia transferendis. Psal. 93. Secundũ multitudinẽ doloꝝ meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animã meã. Tob. 3. Dñe, post tempestatẽ tranquillũ facis, & post lachrymationẽ & fletũ exultationẽ infundis. Qui ergo nunc lætantur quũ malefecerint, & exultant in rebus pessimis, Pro. 2. post ad æternũ deuenient luctũ. Mat. 13. 24. 25. Ibi erit fletus & stridor dentiũ. Sed à bonis abstergetur, Apo. 21. quia intrabunt in gaudiũ domini sui, Mat. 25. Hinc Psal. 76. Renuit consolari aĩa mea, memor fui dei & delectatus sum.

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Luctum sequitur esuries: quia dum homo imperfectum suum conspicit, alioꝝ peccata perpendit, ad futuram patriam suspirat, aliud non quærit, nisi ut purgetur à culpa tàm ipse q̃ alij, crescat in gratia, & patriæ propinquet quotidie per feruida desideria. Psal. 41. Quemadmodũ desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te deus meus. Leuiter ergo appetẽda sunt ista, quibus alitur corpus ac fouetur, in quoꝝ cura uulgus tam miserè torquet, & expletos nonnunq̃ magis cruciat saturitas, q̃ fames cruciabat, & mox à saturitate recurrit sitis

ac fames ſubinde ſarcienda, & iſta piis paruo cõten tis, nec præter neceſſaria quicq̃ deſiderantibus, uel non ſolicitis ubiuis adſunt, eo nimirum ſuppeditan te, q̃ paſcit & paſſerculos, & lilia ueſtit. Felices, q̃ fa mem hanc & ſitim à rebus corporeis & perituris transferunt ad expetendam iuſtitiam euangelicam, eſurientes panem illum, de quo qui ederit, uiuet in æternum, Ioh. 6. & ſitientes aquam illam uiuam, de qua qui biberit, fiet in eo fons aquæ ſalientis in ui tam æternam, Ioh. 4. Iuſtitia ergo cum omni auidi tate exercenda. Ioh. 4. Meus cibus eſt, ut faciam uo luntatem eius qui miſit me. Hinc Pſal. 33. Guſtate & uidete quoniam ſuauis eſt dominus. Felix ergo qui nunc iuſtitiæ bono deſiderat ſatiari, & domino ipſo impleri, quem cibum non expeteret & potum, ſi nihil de eius ſuauitate guſtaſſet. Pſal. 16. Adimple bis me lætitia cum uultu tuo. & 16. Satiabor cũ ap paruerit gloria tua.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

Sequitur miſericordia eſuriem iuſtitiæ, ne in cru dulitatẽ exeat, ſibi blandiens. Qui pro charitate fra terna alienam miſeriam ſuam eſſe ducunt, qui pro ximi malis indoleſcunt, qui quicquid habent dotis, id aliis ſubleuandis ac refocillandis impendũt. Non eñ is ſumptũ facit, ſed lucrũ, ſentiens erga ſe deum miſericordem & benignius beneficum. Pſal. 40. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eũ dñs. Luc. 6. Eſtote miſericor des, ſicut & pater ueſter cæleſtis miſericors eſt. Con donaſti proximo delictũ aliquod leuiuſculũ? tibi deus

condonabit oĩa peccata. Eph. 4. Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & deus in Christo donauit uobis. Remisisti fratri iniuriam & uindictam temporariam: tibi deus remittet pœnam æternam. Mat. 18. Sic & pater meus cælestis faciet uobis, (grauius puniẽdo) si nõ remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus uestris. Subleuasti tua pecunia fratris inopiam: tibi reddet deus opes suas cælestes. Tob. 4. Quomodo potueris, esto misericors: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum, & id libenter impartire stude. Præmium eñ bonũ tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniã eleemosyna ab oñi peccato & à morte liberat, & non patietur animã ire in tenebras. Plane misericordes censendi sunt, qui implent illud Apostoli 2. Cor. 11. Quis infirmat, & ego non infirmor? qs scandalizatur, & ego non uror? & Gal. 6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebũt.

Hiero. Mundo corde, quos non arguit conscientia peccati, mundus mundo conspicit corde, tẽplum dei non potest esse pollutũ. Vult ergo cum alijs uirtutibus nos etiã mundos, hoc est, castos esse, non solũ corpore, sed & corde. Sine eñ sanctimonia nemo uidebit deũ, Heb. 12. Beati ergo qbus cor est ab oĩbus ingnamẽtis purũ & illibatũ, nã his dabit q̃d est oĩbus huius mundi uoluptatibus optabilius, uidere scilicet deum. Ad hoc enim omnis tendit structura uirtutum. Exiliunt gaudio, quibus adẽpta cæcitate contingit intueri lucem, nec aliter sibi gratulantur, quàm si redissent ab inferis. Quanto beatiores, qui-

bus adempta mentis caligine, datum est intus cernere deū, totius lætitię fontē, quē uidere summa felicitas est? Videmus aūt nūc per speculū in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, 1. Cor. 13. Videbimus enim sicuti est, 1. Ioh. 3. Si Petrus claritate corporis Iesu in transfiguratione uisa, omniū oblitus, sic manere cum Christo uoluit, d. Domine, bonū est nos hic esse, Mat. 17. quantum gaudium clare cernere, in quem desiderant angeli prospicere, 1. Pet. 1. Detergantur ergo terrenarū caligines uanitatū, speculū em̄ si fuerit mundū, accipit imagines: sic & aīa pura faciē dei, & scripturarū accipit scientiā. Quod sol puris est oculis, hoc deus puris est mētibus: & quod pituita aut squamæ sunt oculis, hoc peccata sunt animis. Matth. 6. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuū lucidū erit.

Beati pacifici, quoniam filij dei uocabuntur.

Hier. Qui primū in corde suo, deinde & inter fratres dissidentes pacē faciunt. Quid em̄ prodest alios per te pacari, si in aīo tuo bella sint uitioꝝ? Ista non cuiuslibet consensionis, nec qualiscunq; concordiæ est, sed illius de qua Ro. 5. Pacem habeamus ad deum. Psal. 118. Pax multa diligentibus legem tuam domine, & non est illis scandalum. Hanc pacem etiam arctissimā amicitiarum uincula, & indiscretæ similitudines animorū, non ueraciter sibi uendicant, si non cum dei uoluntate concordant. Amor mundi cum dei amore nō cōcordat. Iac. 4. Qui uoluerit amicꝰ cē huius mūdi, inimicꝰ dei cōstituit. Qui ergo mēte semp cum deo soliciti sunt seruare unitatē in uinculo pacis, Eph. 4. nūq; ab ęterna lege dissentiūt,

fideli oratione dicẽtes, Mat.6. Fiat uolũtas tua. De hac pace Ioh.14. Pacẽ meã do uobis, pacẽ relinq̃ uobis. Gal.5. Fructus autem ſpiritus, charitas, gaudiũ, pax, patientia. Haud enim ſatis eſt Chriſtianis, ipſos eſſe pacatos, niſi acceſſerit & inter alios pacis conciliandę ſtudium: & non ſolum nõ ulciſcentes, ſi qd læſi ſunt à quoquam, uerumetiam ultro inuitantes ad pacem à quibus ſunt offenſi. Quod ſi cui durum uideatur, audiat præmium, quia filij dei uocabũtur. Quid honorabilius? quid iucundius? Nec inanis titulus eſſe poteſt. Qui filius ſit, idẽ & hæres ſit oportet. ſed nothum arguit morum diſſimilitudo, germanum & gneſion patris imitatio. Deus gratis condonans omnia peccata, mortales omnes à quibus ſuerat offenſus, inuitat ad pacem & amicitiam: ultro ſe præbet propicium omnibus qui reſipiſcunt. 1.Corin.5. Pro Chriſto legatione fungimur, tanquã deo exhortante per nos: obſecramus pro Chriſto, reconciliamini deo. Is non cognoſcet pro filijs ſuis, niſi qui tales ſe præbuerint aduerſus fratres ſuos, q̃. Item ipſe ſe præbuit aduerſus uniuerſos, abdicaturus pacis oſores, & diſſidiorum autores, quemadmodum patres exhæredant filios quibus non conuenit cum reliquis fratribus. Hinc Ro.12. Si fieri poteſt, quod ex uobis eſt, cũ omnibus hominibus pacem habentes. Pſal.119. Cum ijs qui oderunt pacẽ, erã pacificus. Sed ſunt qui multũ pro aliorum labo rant reconciliatione, ſed ipſi uix aut nunq̃, ut dicit Chryſoſtomus, inimicis ſuis reconciliantur ex corde: & ſi quãdoq; alioꝝ importunitate coacti, ore & ficte: qui ueræ pacis ſunt illuſores, illa magna p̃mia negligentes. Ro.8. Quod ſi filij, & hæredes: hære-

des quidem dei, cohæredes autem Christi.

5 *Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam, quoniam ipsorũ est regnum cælorum.*

Octaua beatitudo ueræ circuncisionis, martyrio ut dicit Hieronymus, terminatur. Quoniam em̃ plures ubiq; sunt improbi, non potest cũ omnibus cõstare pax, nisi tolerantia malorum. Piorum est om̃ibus modis adniti, ne quod habeant dissidium cũ ullis hominibus: sed quorundam tanta est peruersitas, ut benefactis etiam irritentur, & affligant benemerentes, sæuiant in beneficos, seruare cupiẽtes ducant pro hostibus. Sed beati qui persecutionem patiuntur, non ob aliud, nisi ob iustitiam euãgelicam, quæ nullum lædit, prodest omnibus. Non ergo deserẽda, Iob. 27. Donec deficiam, nõ recedam ab innocentia mea: & iustificationẽ quã cœpi, non deseram. Persecutio enim nõ aufert innocẽtiam, sed auget coronã. Iac. 1. Beatus uir qui suffert tentationẽ: qm̃ cum ꝓbatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quã repromisit deus diligẽtibus se. Ardua res est, amare tales: sed ingens præmium, regnum cælorũ. Idem prçmiũ paupertati promittitur & martyrio. Considerando enim sublimitatẽ & opulentiam uniuersorum bonorũ regni cælestis, sic ponitur p̃miũ paupertatis: sed attendẽdo plenitudinẽ gaudiorũ, sic ponit præmiũ patientiũ ꝓpter iustitiam. 2. Tim. 3. Oẽs q̃ pie uolũt uiuere in Christo Iesu, ꝓsecutionẽ patient.

Beati estis cũ maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malũ aduersum uos, mẽtientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cælis.

Ab impijs ob pietatem uituperari, laudari est: ab osoribus dei cruciari, coronari est. Non est affectãda ab hominibus gloria, sed hæc ultro ueram uirtutem solet comitari. 1. Cor. 4. Maledicimur, & benedicimus: persecutionẽ patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. Matth. 10. Cum pſecuti uos fuerint in una ciuitate, fugite in aliam. Et dixerint omne malũ. 1. Cor. 4. Tanq̃ purgamenta huius mũdi facti sumus, omnium peripſema usq; adhuc. Mentientes, inquit, pr̃opter me. 1. Pet. 4. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quia q̃d est honoris, gloriæ & uirtutis dei, & qui est eius ſpiritus, ſuper uos requieſcet. Nemo autem ueſtrum patiatur quaſi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: ſi aũt ut Christianus, non erubeſcat, glorificet autem deũ in iſto nomine. Ne ergo uoſipſos deplorate ut afflictos, ut explosos, ut infames: qn potius ob hæc ipſa gaudete in corde, & exultate in corpore, q̃ q̃ magis illi ſquierint pſequẽdo, hoc magis uobis creſcit & accumulat̃ p̃mium à patre repoſitũ in cęlis. Illud ergo maledictũ contẽnendũ, q̃d beatitudinẽ creat, q̃d falſo maledicẽtis ore, p̃ferẽ: ubi Chriſtus in cauſa est, ibi optãda maledictio est. Ro. 8. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculũ? an pſecutio? an gladius? Sicut ſcriptũ ẽ, Pſal. 43. Q̃m p̃pter te mortificamur tota die, ęſtimati ſumus ſicut oues occiſiõis. Sed in his oĩbus ſupamus p̃pter eũ q̃ dilexit nos. Hinc. Iac. 1. Omne gaudium exiſtimate fratres, cũ in tẽtatiões uarias incideritis, ſcientes q̃ p̃batio fidei ueſtræ patientiã operat̃, patiẽtia aũt opus perfectũ habet. Hiero. Neſcio qs noſtrũ hoc implere poſſit, ut lacereť opprobrijs fama

nostra,& nos exultemus in domino. Hoc qui uanã sectatur gloriam,implere non potest. Hinc dicitur, Non quæras gloriam, & non dolebis cũ inglorius fueris. Vnde Ro.5. Gloriamur in tribulationibus, scientes q̃ tribulatio patientiã operatur, patientia aũt probationẽ,probatio uero spem,spes autẽ non confundit: quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritũ sanctũ,qui datus est nobis. Apoc. 7. Hi sunt qui uenerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine agni.

Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerũt ante uos.

Quid hodie prophetarũ memoria sanctius, aut uenerabilius? Et tamẽ hos,quũ in uiuis agerẽt, omi malorũ genere sunt persecuti, quibus & uos persequentur. Impleuit Manasses Hierusalẽ sanguine ꝓpheraꝝ usq; ad os, 4. Reg. 21. & 2. Paralip. 36. At illi subsannabant nuncios dei, & paruipendebant sermones,illudebantq; prophetis. Excitat dominus ad tolerantiam malorũ per patientiã exẽplo propheta rum. Hinc Iaco.5. Exemplũ accipite fratres exitus mali & longanimitatis & laboris & patientiæ, ꝓpheras,qui locuti sunt in nomine dñi. Sic & à peccatis deterret pœnis malorũ. Luc.13. Nisi pœnitentiã egeritis,oẽs similiter peribitis,sicut illi decẽ & octo, sup quos cecidit turris in Siloë,& occidit eos. Hinc 2. Pet.2. Mundi per diluuiũ, Sodomæ & Gomorrhę in igne & sulfure subuersionẽ,exemplũ dicit positũ eorũ qui impie acturi sunt.

Mat.5. P *Vos estis sal terræ. Quod si sal euanuerit, in quo*

salietur? Ad nihilum ualet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

Ostendit euangelij, euangeliciq; doctoris energiã & conditionẽ. Fortia siquidẽ sunt, quæ euangelico obueniunt prædicatori & humanã superantia mediocritatẽ: ideo insigne sit oportet, quod ui sua moueat, ac pertrahat mundũ uniuersum, dilutis opinionibus ac uanis cupiditatibus obrutũ. Vos, inquit, delegi, non ut sitis mediocres aut tolerabiles, sed sitis sal terræ. Prophetæ ad unã gentẽ missi sunt, uos totius terræ sal estis. Non opus est multo sale, sed efficaci, ut quicquid contigerit afficiat, & ex insipido reddat sapidum. Perfectus euangelicæ charitatis uigor perseueret in uobis oportet. Alioqui si mores uestri fuerint amore laudis, cupiditate pecuniarũ, studio uoluptatũ, libidine uindicãdi, metu infamiæ, damnorũ, aut mortis infatuati, quid tãdẽ erit reliquũ, quo multitudinis insulsa uita condiatur? Doctrina eñ & reprehensionibus dissoluti condiendi, ne pariant uermes perpetuos. Si doctor errauerit, à quo emendabitur? Mar. 9. Si insulsum, Luc. 14. infatuatum fuerit, hoc est, insipuerit, infatuatus siue insipidus fuerit. Eccl. 34. Ab immundo quid mundabitur? Potius eñ inficit cibũ q̃ condit. Ita futurũ est, ut non solum alijs condiendis non sitis usui, uerum etiam ipsi ueniatis in extremũ hominũ contemptũ, nequaquã præstantes hoc quod docetis. Sicut eñ sal in ciborũ condimentũ & ad siccandas carnes est necessarius, ita alium usum non habet. Nihil ergo sa tuo sale contẽptius. Luc. 14. neq; in terrã, neque in sterquilinium utilis est, Quippe sterilitatẽ adferens,

si admisceatur. Mala. 2. Vos recessistis de uia, & scandalizastis plurimos in lege, & irritū feciſtis pactum Leui, dicit dominus. Propter quod & ego dedi uos contemptibiles & humiles omnibus populis, ſicut non ſeruaſtis uias meas, & accepiſtis faciem in lege. Hac ergo profeſſione ſuſcepta, aut magno uſui oſbus ſitis oportet, aut magno malo omnibus: aut ingentem gloriam apud homines reportetis, aut ingentem ignominiam. Eſt autem ignominia magis morte uitanda, quæ redundat in infamiam euangelij. Sitis ergo undequaq; ſynceri, & inſigniter integri, quo ueſtra puritate corrigatur multitudinis impuritas: talis ſit uita ueſtra, doctrinaq;, ut omnibus intuentibus ſit dux regulaq; recte uiuēdi. 1. Tim. 4. Exemplum eſto fidelium in uerbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Tit. 2. In omnib⁹ teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. Verbum ſanum irreprehenſibile, ut is qui ex aduerſo eſt, uereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Hie. 5. Dabo uobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent uos ſcientia & doctrina.

2. *Vos eſtis lux mūdi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, neq; accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & glorificent patrem ueſtrum qui in cælis eſt.*

Chryſoſtomus: Sal poteſt carnem incorruptam ſeruare, putridam mundare non poteſt. Bona conuerſatio doctor⁹, condimētum eſt populi, ideo ſal:

sed ob doctrinam uerbi, lux. Prius sal, postea lux: qa prius oportet bene uiuere, & postea bene docere. Per bonam cõuersationem ascenditur ad scientiam sine dubio: per scientiam aũt nescio, si ad bonã oĩno conuersationem ueniatur. Hinc multos sciẽtes, multos sine timore dei uidemus: timentes autẽ deum, sine scientia nullos uidemus. Initium enim sapientiæ timor domini, Eccl. 1. Iob. 28. Timor dominĩ ipsa est sapientia: & recedere à malo, intelligentia. Si ergo solem obducant nubes, unde lumen mortalibus? Si uestra doctrina caligauerit erroribꝰ, si uestra uita mundanis cupiditatibus erit obfuscata, quę res depellet caliginem multitudinis? Phi. 2. Omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus, ut sitis sine querela, simplices filij dei, sine reprehẽsione in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos luceatis sicut luminaria in mundo, uerbum uitæ continentes. Qui enim reprehendit quæ occulte fiunt, lux est. Eph. 5. Omnia quæ arguuntur, à lumine manifestantur. omne enim quod manifestatur, lumen est. Non ergo in angulis latitabitis, etiam si maxime uelitis, sed spectabiles eritis: & ideo uidete q̃modo cõtra maculã agatis uitã, ut ne & aliis offendiculo sitis. in uobis exiguꝰ lapsus, fœdi criminis instar erit. Hęc est euãgelicæ doctrinæ natura, nõ finit sui, pfessores latere, q̃is ipsi famã hominum fugitantes, quærãt latebras. Quur abscondatur, quod in hoc ipsum paratum est, ut ex æquo prosit omnibus? Esa. 2. Venite, ascendamus ad montem domini, & ad domũ dei Iacob, & docebit nos uias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & uerbum domini de Hierusalẽ. Curate ergo, ut lucem quã in

uobis accendi, ne obscuretis: & in candelabro quo uos posui, pseueretis. Ego uos accendi lumen: nunc uestri officij erit, ne gratia extinguatur, ita ut & alijs luceat sine personarũ delectu. Hinc de Iohanne dicitur Iohan. 5. Ille erat lucerna ardens & lucens. Decet ergo fiduciam prędicandi, ne abscondantur metu, & sint similes lucernæ sub modio, sed tota libertate se prodant, ut quod in aure audierint & cubiculis, prędicent in tectis. Eccl. 20. Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quæ utilitas in utrisq; Id enim talentum ad lucendum acceptum est, Mat. 25. Non potest non condire sal, non potest non lucere lux. Luceat ergo lux uestra, imò mea patrisq; in uobis, cunctis mortalibus, ut contemplantes uitam uestrã undequaq; purã & inculpatam, planæq; cælestem, glorificent, non uos, sed patrem uestrum cælestem, cui debetur omnis honos & gloria, ut & inimici uestri mirentur. 1. Timo. 1. Soli deo honor & gloria, Esa. 42. Gloriam meã alteri non dabo, & laudẽ meam sculptilibus. Sicut autẽ deus per uitã bonorum honoratur, ita per malorũ blasphematur. Ro. 2. Nomen dei per uos blasphematur inter gentes. Ezech. 36. Sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter gentes, quod polluistis in medio earũ. Bernardus: Lingua magniloqua, manus ociosa: doctrina lucida, uita tenebrosa, res est monstruosa.

3 *Nolite putare quoniam ueni soluere legẽ aut prophetas. Non ueni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico uobis, donec transeat cælum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.*

Quoniam noua uidebatur inducere documẽta, ideo ostendit ea non contraria, sed consona legi & prophetis. Nam quod lex iussit, pfecit, sub lege natus, Gal. 4. secundum legem circuncisus & oblatus, Luc. 2. Imperfectiõem legis perfecit. Heb. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex, Gal. 4. Lex pædagogus noster in Christo. Ro. 10. Finis legis Christus, ad iustitiã oñi credenti. Quod si luce prodita cedũt umbræ, si iam factis ipsis præsto, quod futurum prædixerãt prophetæ, nihil legi derogatur, sed potius accedit perfectio. Nihil magis igitur illa læditur, q̃ si pictæ imagini regis, rex ipse uiuus succedens, oĩm in se oculos deflectat, aut si puer imbecillus, ꝓgressu temporis grandescat in uirum adultum, aut si frondib⁹ & foliis succedat fructus maturus, aut si sol exoriens, lunam & stellas obscuret. Est autem, Amen, uox asseuerantis & confirmantis, q̃ nihil sit in lege promissum & proditum, quod euãgelium non absoluat. Et ex figura literæ ostenditur, quòd etiam quæ minima putantur in lege, sacramentis spiritualibus plena sunt, & omnia recapitulantur in euangelio. Ostendit etiam quòd mundus præterit & figura eius, 1. Cor. 7. non quo ad substãtiam, sed quo ad accidẽtales qualitates. 2. Pe. 3. Aduenient dies domini ut fur, in quo cæli magno impetu trãsient, terra autem & omnia quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Luc. 21. Cælum & terra transibũt, uerba autem mea non transibunt. Esa. 55. Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me uacuum, sed faciet quæcunq; uolui, & ꝓsperabitur in his ad quæ misi illud. Luc. 24. Necesse est impleri oĩa quæ scripta sunt in lege Mosi & ꝓphetis & psalmis de me.

Qui ergo soluerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cælorum. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cælorum.

Suggillat pharisæos, qui contemptis mãdatis dei, statuerunt proprias traditiones, quod non eis prosit doctrina in populis, si uel paruum quod in lege præceptum est, destruant. Magistri enim eruditio, etiam si paruo peccato obnoxius sit, deijcit eum de grãdu maximo: nec prodest docere iustitiã, quam minima culpa destruit: sed beatitudo perfecta est, q̃ sermone doces, opere cõplere. Prius facere, postea ponit docere. Quomodo enim aliũ inducam in uiam, in qua nunq̃ transiui? Cæterum si fecero, & non docuero, non habebo tantam mercedẽ, sæpe etiam & condemnationem, si quãdo oportet, propter inuidiam uel negligentiam non docuero. 1. Corin. 9. Nam & si euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est, si non euangelizauero: si enim uolens hæc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispẽsatio mihi credita est. Esa. 6. Væ mihi quia tacui. Ezech. 3. Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, audies de ore meo uerbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neq; locut⁹ fueris, ut auertat à uia sua impia & uiuat: ipse impius in impietate sua morietur, sanguinẽ autem eius de manu tua requram. Si aũt tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à uia sua impia, ipse quidem in impietate sua morietur, tu aũt aïam tuam liberasti. Qui ergo

ſoluerit uel unum ex his p̃ceptis minimis, quæ nũc addo p̃ſcriptis Moſaicę legis, quæ licet non p̃ficiant hominem, tamen inchoant, ſecundũ Aug. ꝙa faciũt declinare à malo: quũ tamen doceat obſeruandum quod ipſe per imbecillitatem non p̃ſtat, minimus & cont̃ptiſſimus habebit, adeo, ut niſi profecerit ad meliora, prorſus excludendus ſit ab euangelico contubernio, & ultimus ac abiectus ſit ad gehennam. Sola enim fide ad corpus ptinet eccleſiæ, & non per charitatem operantem. Cæt̃m ꝙſquis docuerit hęc minuta non negligenda, q̃ procul arcent ab his q̃ lex uetat, & ꝙd docet præſtiterit, is demũ admirandus & magnus habebit in regno cęlor̃. Nihil enim diuinius, q̃ deo cooperari in reductione animar̃ ad ſuę beatitudinis fontẽ. 1. Cor. 3. Dei enim ſumus adiutores. Dan. 12. Qui ad iuſtitiã erudiũt multos, q̃ſi ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates.

Dico autem uobis, quia niſi abundauerit iuſtitia Matt. 5.
ueſtra pluſ quàm ſcribarum & phariſæorum, non in- Q.
trabitis in regnum cælorum.

Oſt̃dit quemadmodum habere nos debeamus erga deũ & ꝓximũ. Saluator enim noſter nouus hõ uenit in mundũ, noua præcepta dedit mũdo, quę ſe habent ad mandata legis, ſicut lux ad umbram, res ad ſignum. Ioh. 1. Lex per Moſen data eſt, gratia & ueritas p Ieſum Chriſtũ facta eſt. Iuſtitiam oẽm dicit uirtutẽ, ſicut Iob iuſtus dicit, Iob. 1. Illud affirmo uobis, ſi p̃ſtiteritis ꝙcquid p̃ſcribit lex, ꝙcquid præſtant ſcribæ, legis iuſtitiã docentes & interpretãtes, & phariſæi ſingulari iuſtitiæ obſeruatiõe ab aliis ſegregati, & ſi nihil adieceritis p̃fectius, adeo nõ eritis

magni in hac professione, ut ne aditus quidem dandus sit in regnum cælorum. Defecit eorum iustitia primo in hoc, qa ex lege sine Christo iustificari uolebant, Ro. 10. Ignorantes dei iustitiam, & suam uolentes constituere, iustitię dei non sunt subiecti. Ro. 3. Arbitramur hominē iustificari p fidem, sine opibus legis. Ro. 10. Finis enim legis Christus, ad iustitiam oī credenti. Hinc Phi. 3. Veruntñ exīstimo oīa detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini nostri, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, & ut inueniar in illo nō habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed illam q̄ est ex fide Christi Iesu, quæ est ex deo iustitia in fide. Secundo, qa quæ docebant, non præstabant. Mat. 23. Sup cathedram Mosi sederunt scribæ & pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint uobis, facite, secūdum autem opera eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. De quibus Zach. 11. O pastor & idolum derelinquens gregem. Non enim pascit exemplo. Tertio, quia uanam gloriam quærebant. Mat. 23. Oīa opera sua faciunt, ut uideātur ab hominibus. Quarto, quia erat in exteriori operatione, non in intentionis rectitudine, effectum timore pœnæ, nō autem affectum amore iustitiæ regulantes. Mat. 23. Vę uobis scribæ & pharisæi hypocritę, qui mūdatis quod deforis est calicis & parapsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & parapsidis, ut fiat & quod deforis est, mundum. Ideo Mat. 6. Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis

apud patrem uestrum qui in cælis est. Docet conse
quenter, quemadmodum oratio, eleemosyna, ieiu-
nium, apud deum mercedem mereantur, si deum so
lum spectent. Studeamus ergo non secundum ope-
ra tantum, hypocritarum more, sed recta intentiõe
& pia uoluntate iusti esse. Non potest enim arbor
bona malos fructus facere, Mat. 7. Bonus etiam ho
mo de bono thesauro cordis sui, pfert bonũ, Lu. 6.

*Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem di co uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autẽ dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit ge-
hennæ ignis.*

Agedum quo singula perspicua fiant. Quoniam
autem uetera nũc antiquata sunt, Heb. 8. Quod an- 2
tiquatur & senescit, prope interitũ est, & ferme ab-
dita, oportet omissis illis currere ad noua. Exo. 20.
Non occides. Qui eñ prætermisso iuris ordine oc
ciderit, reus erit iudicio condemnationis. Leuit. 24.
Qui percusserit & occiderit hominem, morte mori
atur. Lex enim punit secundum pœnam talionis, ut
patet ibidem. Non autem intelligitur occisio secun
dum legem. Vnde Exo. 22. Maleficos non patieris
uiuere. Hinc Saul regno priuatus, 1. Re. 15. non occi
dens regem Agag. & 3. Re. 21. dictum fuit regi Isra
el: Quia dimisisti uirum dignum morte, erit anima
tua pro anima eius, & populus tuus pro populo il
lius. Occidens enim secundum legem iustitiæ, mere
tur. Exo. 32. Consecrastis, inqt Moses, hodie manus
uestras domino, unusquisque in filio suo & in fratre

ſuo, ut detur uobis benedictio. Intelligitur ergo de iis, qui præter iuſtitiæ ordinem ex paſſione occidãt. Mat. 26. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Principes uero non ſine cauſa gladium portant. Miniſtri enim dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes, Ro. 13. Chry. Conſidera plenam legiſlatoris autoritatem. prophetæ dicebant, hæc dicit dominus: quia illi ut ſerui, ea quæ domini ſunt annũciabant: hic autem ut filius, ea quæ patris & ſua ſunt: illi conſeruis prædicabant, hic ſuis ſeruis legem ponebat, d. Ego dico uobis, quia omis qui iraſcitur. Chriſtus uniuerſam legem ad affectus tranſtulit, ut homicidiq appellatione contineantur, qui re ipſa cædem faciunt, deinde omnes qui affectu, hoc eſt, oderunt. 1. Ioh. 3. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & ſcitis quia omnis homicida non habet uitã æternam in ſe manentẽ, 1. Ioh. 2. Qui odit fratrẽ ſuũ, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat, qa tenebrę obęcauerũt oculos eius. Siqdem ꝓfeſſiõis ſublimitas exaggerat culpam, ut quod in ueteri lege ſit homicidium, hoc in noua ſit impotens animi motus ad uindictam. Primus enim ad homicidium gradus eſt, iraſci. Graue facinus admiſit apud deum iudicem, qui fratri male uoluit, qui amãdus eſt, non odiendus. Aug. Iraſci fratri ut corrigatur, nullus ſanæ mentis reprehendit: huiuſmodi enim motus de amore boni, & de ſancta charitate ueniunt, & rectam rationem ſequuntur. Sine hac ira nec doctrina proficit, nec iudicia ſtant, nec crimina compeſcuntur: ſed uitia ſeminantur, nutriuntur negligentiæ: & non ſolum mali, ſed & boni incitãtur ad ma

lum,ut dicit Chry.Eccēs.7.Melior est ira risu,quia per tristitiam uultus corrigitur animus delinquentis.Sic dominus in synagoga circunspexit cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, Mar.3. Nam quemadmodum naturaliter insita est nobis uis rationalis ad discernendum inter bonum & malum, & concupiscibilis ad bonum cognitum appetendum,sic irascibilis ad malum refutandum,& fortiter agendum contra uitia. Sed ex natura uitiata nos ordinem peruertimus. Aug. Qui docet ut non irascamur,non soluit legem,sed implet potius:ut & foris innocentiam,dū non occidimus,& intus,dum non irascimur,seruemus. Quod ni mox repressierit effervescentem animum,sed ira impotens erumpat in uocem, quæ nullo quidem certo conuicio percutiat fratrem, sed tamen manifesto eum contemptus indicio contristet, animi maleuolentiam indicans, iam & propior homicidio,non solum obnoxius erit iudicio daturus pœnam leuiorem, sed tamen homicidio parem,uerum etiam concilio, gra uius etiam condemnandus. Hierony. Si de ocioso sermone reddituri sumus rationem,Mat.12.quanto magis de contumelia? Racha, uox indignantis, proprium ludæorū,id est, uacuus siue inanis,quem nos possumus uulgata iniuria absq; cerebro nominare.Signanter fratri,Nam frater noster nullus est, nisi qui eundem nobiscū habet patrem. Cum ergo similiter credat in deū,& Christū dei nouerit sapiētiā,q̄ ratiōe stultitiæ elogio poterit notari? Si ergo rebellis animi mot⁹ huc prupit,ut fratrē manifesto iā certoq; cōuicio pcutiat, iā grauissimæ pœnæ erit

obnoxius, nimirum gehennæ. Etenim qui scõmatis & contumelijs persequitur fratrem, charitatem destruit, qua destructa, simul omnes tollũtur uirtutes, sicut omnes saluantur, ea salua. Aug. Hoc ultimum quod grauissimum esse sonat, admonet gradus q̃sdam esse factos à leuioribus ad grauiora, donec ad gehennam ignis ueniretur. Nõ enim reatus ipse haberet gradus, nisi etiam gradatim peccata commemorarentur. Vnde in primo est, ira sola in aĩo: in secundo, sonus aliquis incertus, motum animi significans: in tertio, manifestum conuicium. Vnde etiam tres gradus reatus. Iudicij, in quo datur locus defensioni: Concilij, id est, consessus iudicum, quãdo non iam agitur cum ipso reo utrum sit damnandus, sed fit collatio quo supplicio sit puniendus, quem constat damnatum: Gehennæ ignis, quæ nec damnationem habet dubiam, ut iudiciũ: nec dãnati pœnam, ut conciliũ: quia certam habet pœnam, & cum hoc extremam. Tot modis plectit, qui nõdum progressus est usq; ad homicidium: sed homicidio confinis est, quisquis excidit à charitate. Nondum exemit gladium, sed percussit animo quisquis iratus male uoluit: percussit lingua, quisquis iratus cõuicium dixit, fortassis & occisurus, nisi pœnam metueret. Tutior est ergo ab homicidio, quisquis iram & odium penitus exemit ex animo, qua quidem ex radice pollulãt homicidia. Quisquis ergo sibi parat charitatem euangelicam, quę bene uult etiam maleuolentibus, quę beneficio pensat iniuriam, nihil eget minis Mosaicæ legis ad uitandum homicidium. Odij extrema linea est, occidere: charitatis extrema linea est, occidenti etiã bñ uelle. Mat. 5. Orate ꝓ ꝑsequẽtibus

& calumniantibus uos. Omnis occasio iræ tollitur, cum inimicos diligere iubemur. Mat. 5. Diligite inimicos uestros. Iusta ira, mater est disciplinæ. Non fratri irascitur, qui uitio irascitur.

Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recor 3
datus fueris quia frater tuus habet aliquid aduer-
sum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade
prius reconciliari fratri tuo: & tunc ueniens, offe-
res munus tuum.

Operum quædam necessaria sunt, quæ lege mandantur diuina: quædam non, quę in nostro arbitrio sunt posita. Est ergo perpetua regula, nullum opus non necessarium ualere, nisi prius necessarium absolueris. Sic Mat. 23. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham & auethum & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Positis ergo uarijs iræ modis dilectioni contrarijs, iram autem comitari solet odium, de charitate seruanda fraterna prosequitur, ut prima sit cura pacis & mutuæ concordiæ. Quod si autem, ut est humanæ naturæ imbecillitas, incidet offensæ nonnihil inter fratres, rebus omnibus omissis dent operam, ut sarciatur concordia. Si ergo offers, sponte & hilariter offer. 2. Cor. 9. Hilarē datorem diligit deus. Sic, 1. Para. 29. ait Dauid. Ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli uniuersa hæc, & populum tuum uidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Munus tuum, inquit. Prou. 3. Honora dominum de tua substantia. Eccl. 34. Qui offert sacrificiū de rapina pauperis, quasi qui uictimat filiſ v

um in conſpectu patris. Auguſtinus: Altare in corde tẽpli, 1. Cor. 6. Templũ dei ſanctum eſt ꝗd eſtis uos, ipſam fidẽ accipere poſſumus, cuiꝰ ſignũ eſt altare uiſibile. Gregorius: Nihil deo acceptũ, niſi in fide & charitate agatur, & p eas deo offerat. Heb. 11. Sine fide impoſſibile eſt placere deo. Atq; inibi tibi uenerit in mentẽ, tibi parũ conuenire cũ fratre tuo, ſiue q̃ is te offenderit, ſiue q̃ offenſa quædã mutua contriſtarit amicitiam, ad arã relicto munere, mox efficias, ut ante omnia amicitiæ ſarciatur dulcedo. Hugo: Penſare debemus, quanta ſit apud deũ concordiæ uirtus, ſine qua non placent deo ipſa ſacrificia quibus delentur peccata: nec tantũ placent noſtræ orationes, ieiunia & opera, quantũ mutua concordia. Chryſoſtomus: Attendenda dei miſericordia ad homines, qui amplius diligit concordiam fidelium, quàm donaria, dum oblationes diſcordantium non uult ſuſcipere. Nemo enim duorum inimicorum poteſt eſſe amicus: ideo deus fideliũ amicus eſſe non uult, quandiu ipſi ſunt inter ſe inimici. Ex dilato munere nihil ille dãni patitur, ex reſciſſa concordia multũ imminet utriſq; periculi. Qui iubetur inimicũ diligere, etſi nihil cõmeruit, non grauabitur ſarcire gratiã, licet aliena culpa reſciſſam. Ad charitatis enim pertinet perfectionem, ut dicit Hugo & Caſſianus, ut ille qui Ieſus eſt, ſtudeat aduerſarium mitigare, eiusq; animã à morte culpæ eripere: alioqui non uideor perfectus imitator Chriſti, qui pro inimicis mortuus eſt, Ro. 5. Vltro ergo condona noxam, & fratrem hoc mœrore ſubleua, qui te ſibi putabat iratum. Non enim experieris deũ propiciũ, niſi proximus ſenſerit te ſibi propiciũ. Chry-

ſoſtomus: Ne dicas, ille mihi nocuit, prior redeat in gratiam, ego nihil cõmerui: ſi te dñs deus tuus iubet pro gloria ſua, & tuæ ſalutis amicitias facere, tu potius nocumentum perpeſſus, debes nocentem rogare, ut duplicem coronam conſequaris: unã, quia nocitus es: alteram, quia prior rogaſti. Si ille tibi prior nocuit, & prior te rogat, infructuoſa ẽ amicitia tua. Quam enim iuſtitiam feciſti ante deũ, ſi rogatus, te placaueris? Mat. 6. Si non dimiſeritis hominibus peccata eorũ, nec pater ueſter dimittet uobis peccata ueſtra. Ea ergo confecta, redibis ad altare peracturus ſacrificium tuum. Auguſtinus: Non iraſcitur deus quia differs deponere munus tuũ: te quærit deus magis quàm munus tuũ. Pſal. 15. Dixi domino, deus meus es tu, quoniã bonorum meorum non eges. Plus quærit deus quẽ redemit ſanguine ſuo, q̃ quod tu inueniſti in horreo tuo. Non enim pdeſt deo offerre uerba noſtra per gratiarũ actionem, & corpora per carnis macerationẽ, ac res per eleemoſynarum largitionẽ, niſi & corda offeramus per ueram dilectionem, 1. Cor. 13. & Luc. 18. claret in phariſæo.

Eſto *conſentiens aduerſario tuo citò, dum es cum eo in uia, ne tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Mat. 5. R

Aduerſarius, Græcis hoc loco ſignificat, q uult iudicio contendere, ut nõ ſolũ fit epilogus ſuperior, ſed mandatum peculiariter pertinens ad iudicia. 1. Cor. 6. Iã quidẽ oĩno delictũ eſt in uobis, q̃ iudicia

habetis inter uos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed uos iniuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus. Reperiuntur enim quidam iniqui, ut iniurij ultro in ius trahant, negocium etiam exhibituri, ni deprędent. Quid hic agēdum? Nunquid legibus ius persequendum? Si me audies, in uia properabis cum aduersario tuo rem componere, uel æquis uel iniquis conditionibus, quo seruetur pax & concordia. Nec, propterea sublati sunt iudices. Est enim in ecclesia potestas siue gladius in iudicium, hoc est, in coercēdos malos. Sed seruiendum erat aduocatis & notarijs, sursum ac deorsum assidue cursitādum, ambiendus fauor iudicum, multa & facienda & ferēda indigna. Et quum tempore nihil sit pretiosius, quantū hinc foret insumendum? Vide ergo q̄ non aspernandum lucrum feceris celeritate finiendæ litis, quum iudiciorum interim incertus sit exitus: neq; enim semp superior discedit, cui causa melior. Siquidem periculum est, ne aduersarius uictor tradat te iudici, iudex tradat te ministro publico, per quem ducaris in carcerem. Quò si semel coniectus fueris, iam adempta facultate componendæ rei cum aduersario, nō solum lucrifeceris corporis afflictionem & ignominiam, uerum etiam non liberaberis, donec ad assem uniuersam resoluas summam quam petebat aduersarius, quum minoris licuerit cū illo transigere, mitiore adhuc & minus irato. Admonet ergo ne iudicio contēdamus, ne grauiora ob potentiam aduersarij patiamur. Sic in sarciēda amicitia, noli esse morosus expensor, uter magis sit in culpa. Hieronymus: Ad pacem & concordiam nos saluator hor-

tatur, dum sumus in huius seculi uia. Heb.13. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Ro.12. Si fieri potest, quod ex uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Vult ergo nos esse beneuolos & benignos, quum ignoremus diem & horam, Mat.24.

Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico uobis, quoniam omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Exo.20.

Verum ut homicidio uicinus est qui fratri irascitur, ita tendit ad adulteriū, cuius iam animus est impudicus, cui⁹ oculi sunt adulteri. 2. Pet.2. Oculos habentes adulterij plenos & incessabilis delicti. Hieronymus: Si uiderit ut cōcupiscat, ut facere disponat. Concupiscentia enim, quæ est cum animi deliberatione atq; consensu in delectationem uel opus, peccatū est. Opus non addidit, quia non potuit. Si ergo concupiscamus, & opus non perficiamus, signū est quòd à gratia dei protecti sumus. Sic mulieres se ornantes ut alliciant, etsi non placeant, attamen pharmacū miscuerunt, etiam si nullus bibit. Deus enim intuetur cor, 1. Reg.16.

Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proijce abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorū, quàm totum corpus tuum mittatur in gehēnam ignis. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam & proijce abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

Non possum, inquis, oculos claudere. Imò præstat eruere oculum, q̃ per eum capere iacturam. Reprimendus ergo, ne illicita intueatur. Iob. 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarẽ quidem de uirgine. Eccl. 9. Auerte faciem tuã à muliere cõpta, & ne circunspicias speciem alienã. Propter speciẽ mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia q̃si ignis exardescit. Claret in Holoferne, Iudith. 10. Da uide, 2. Reg. 11. Salomone, 3. Re. 11. Sic ergo properandũ est ad fastigiũ euangelicæ perfectionis, ut quicquid obstiterit huc eunti, protinus sit abiciendum, q̃tumuis dulce, quantũuis amabile. Habet animus sua mẽbra noxia, quæ piũ est q̃ ocyssime recidere. Sic oculus cõsultor est siue doctor, q si consuluerit q̃d est præter mandatũ diuinum, abiciẽdus: manus dextera amicus, q si impellat ad opus cõtra dei mandatũ, abscindendus: Sic & mẽbra proiicienda non quo ad organũ, sed quantũ ad illicitum usum. Iuxta hunc sensum ait Apostolus Col. 3. Mortificate mẽbra uestra supra terrã. Consequenter seipsum exponens, ait: fornicationẽ, immunditiam, libidinẽ, cõcupiscẽtiam malam, auaritiam. Melius est enim unius mẽbri uitiosum actum abscindere, q̃ totius corporis opera bona amittere & dãnari. Iac. 2. Quicunq; totam legem impleuerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Nec potest quis uitare peccatum, qui occasiones nõ uitat peccandi. Eccl. 3. Qui amat periculum, peribit in illo.

Leui. 21. *Dictum est autem: Quicunq; dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudij. Ego autem dico uobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta for-*

nicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.

Corrigit Iudæorum errorem circa matrimoniū, exterrens uirum, ut ne absq; causa odio habeat uxorem, fornicationis scilicet spiritualis uel corporalis. Matt. 19. Moses ad duritiam cordis uestri permisit uobis dimittere uxores uestras, ab initio autem nō fuit sic. Oprabat lex inter coniugatos amicitiam & concordiam esse perpetuam: tamen conscia duritiei cordis Iudaici, ne quid cōmitteretur sceleratius, indulsit diuortium, ne ueneficium aut homicidium perpetraretur. Multo enim melius erat, licet lugubrem, inire discordiam, q̄ per odium sanguinē fundi. Erat libellus repudii, per quem illa poterat alteri nubere, & priori marito ius adimebatur repetēdi quam abiecit, Deut. 24. Vir autem euangelica p̄ditus mansuetudine, aut facile corriget mores uxoris, aut feret. Quando autem quæret dissidium cum uxore, qui pacem habet cum inimicis? Quādo molietur exitium uxori, qui læsus non irascitur, nec offensus male uult cuiquam? 1. Cor. 7. His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed dominus, uxorem à uiro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut uiro suo recōciliari. Et uir uxorem non dimittat.

Iterum audistis quia dictum est antiquis: Non periurabis, reddes autem domino iuramēta tua. Ego autem dico uobis, non iurare omnino, neq; per cælū, quia thronus dei est: neq; per terram, quia scabellum est pedum eius: neq; per Hierosolymam, quia ciuitas Leui. 19.

est magni regis. Neq; per caput tuum iuraueris, qa non potes unum capillum album facere aut nigrum. sit autem sermo uester, est est, non non. Quod autem his abundatius est, à malo est.

2

Iudæis tanquã infirmis concessum fuit iuramentum per deũ, ne idolis exhiberent quod deo est exhibendum. Hieronymus: Qui iurat, aut ueneratur aut diligit eum per quẽ iurat. Heb. 6. Homines ẽm per maiorem sui iurant. euãgelica autem perfectio non recipit iuramentum pro hisce rebus, pro quibus uulgus deierat. Nam in causa fidei & pietatis, etiam Christus & apostoli iurant. Hieronymus super illud Hiere. 4. Et iurabis, uiuit dominus, *in ueritate & in iudicio & in iustitia.* Tres sunt comites iuramenti: ueritas ex parte rei de qua iuratur, alioqui iuramentum est mendax: Iudicium siue discretio ex parte iurantis, aliàs esset temerarium: Iustitia ex parte causæ, ut sit necessitas, alioqui est iniquum. Quæcunq; harum defuerit conditionum, tunc secundum Thomam periurium efficitur. 2. Par. 15. *In omni corde suo iurauerunt domino.* Psal. 62. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Apud Iudæos nõ punitur nisi periurium, euangelica uero lex, quo tutiores simus à periurio, prorsus damnat omne iusiurandum, ut iam fas non sit iurare neq; per cælum. Cum enim in cælo empyreo maxime operetur, illicq; facie ad faciem conspiciatur, merito sedes dei appellatur: terra uero diuinæ potestati subiecta, & à deo in ultimo ac infimo rerum ordine collocata, scabellum pedum eius. Esa. 66. Cælum mihi sedes est, terra scabellum pedum meorum. Non est itaq; in-

telligendum, quasi deus in diuinitatis natura corporalia habeat lineamenta, ac situaliter sedeat, quũ scriptum sit Iob. 11. Excelsior cælo est. Iurare, est deum in testem adhibere. Iurisiurandi autem religio in eo est, ꝙ ut deus uerax est, ita & nos uerũ polliceamur. Ergo qui uiolat iusiurandum, ueritatem dei uiolat & negat. Tãtum ergo flagitium est, ut satius sit oĩno non iurare, q̃ peierare aliquando. Vult autẽ dominus suos esse tales, ut non sit opus ullo iureiurando. Quorsum eñ attinet iurare, si nemo sit q̃ quenq̃ uelit circunuenire, etiam si id possit impune, uere si q̃q̃ alterũ è suo æstimãs aĩo, nemini diffidat? Nã q̃ uere Christianus est, etiam suo incõmodo cõsulit cõmodis alienis: tantũ abest ut ullum uelit lædere. Abunde sunt duæ uoces, Non & Etiam: ut neges te facturum, quod non polliceris: præstes, quod simplici sermone te præstaturum receperas. Si semper uere loquutus fueris, & nunq̃ iuraueris, fidem habebis apud alios. Nulli enim minus creditur, q̃ ei q̃ frequenter iurat. Quod si quid his accesserit, ex uitio accesserit oportet. Aut enim parum bene sentit qui iurat, de eo cui iurat, aut diffidit is qui iusiurandum exigit. Non ergo dixit, malum est, quia iuramẽtum in se malum non est, sed à malo uel iurantis uel exigentis. Quæ enim prohibentur, quædam secũdum naturam suam adeò mala sunt, ut bene fieri nõ possint, qualia adulterium, incestus: quædam considerata cum superiori lege, (ut occidere hominem, cum eo quo uult deus fontes puniri) bene fieri possunt. Ita iurare non licet, sed consideratum cum superiori lege, puta unum cole deum, id est, propter gloriam dei, aut ut diligas proximum sicut teipsum, id

est, propter necessitatem proximi, uel etiam suipsius, si extorqueatur, iurare licet, ne ueritas subticeatur & opprimat. Sic Paulus in epistolis aliquoties iurauit. Referebat enim gloriæ dei, bene sentire de Paulo gentes & Iudæos. Sic & prophetas iurasse constat.

Exo.21. Leui.19. Deut.19. *Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico uobis non resistere malo. Sed si quis te percusserit in dexteram maxillã, præbe illi & alteram. Et qui uult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, da ei & pallium. Et quicunq; angariauerit te mille passus, uade cum illo & alia duo.*

5 Lex cohibuit & coërcuit libidinem ulciscendi, ut ex iudicum arbitrio delictum talione pensaretur, hoc agens, ne longius æquo procederet ultio, & ut uel timore similia patiendi, à læsione retraherẽtur. Hieronymus: Dominus uicissitudinẽ tollens, trunçat initia peccatorum. In lege retributio est, in euangelio gratia: ibi culpa emendatur, hic peccatorum fit remissio. Non resistere malo. Malum uel ad rem referri potest, uel ad hominem. Roman.12. Noli uinci à malo, sed uince in bono malum. Docet summam patientiam, animiq; moderationem, ut tantum absimus à cupiditate uindictę, ut ultro parati simus alterã potius iniuriam admittere, quàm malum malo pensare. Hinc ait: Si quis te percusserit in unam maxillam, obuerte ei & alteram. Non autẽ semper corporaliter talia expediunt, unde dominus percutienti respõdit Ioh.18. Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, & Apostolus

Act.22. Si hominē Romanū & indemnatū licet uobis flagellare? Attamen nō solum ad flagella, sed & ad mortem paratus fuit. Act.21. Ego non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen domini Iesu. Quod hic dominus ait de iudicio & Apostolus, 1.Cor.6. accipiendū est secundum promptitudinem animi, ita quōd paratior sit homo pati fraudē atq; iniuriam, quām iudicio contendere, desiderio pacis internæ & quietis, & ne alij offendātur, dummodo aliunde expediat. Si enim in omnibus præinductis, percutiens, rapiens, angarians, ex nostra longanimitate in sua malitia confirmetur ac foueatur, expedit ei resistere secundū iuris rationē. Si autem habeatur spes de eius emollitione per nostram patientiam, sustinendum est. Hac enim comitate tolerantiaq; fiet, ut nec is qui ꝓpensus est ad lædendū, exasperetur ad atrociora: & nos citius à molestia liberemur, q̄ si malū malo propagaretur, & ex paruo reddatur magnū, ex uno multiplex: non em̄ ignis igne, sed aqua refrigerat, nec animi tranquillitatē amittimus, & fortassis ex inimico nobis reddemus amicū nostra bonitate. Adeo nos oportet ab omni rerum humanarū affectu, cura & gloria liberos esse, ut duplum concedamus simplū extorquenti.

Qui autem petit à te, da ei: & uolenti mutuare, ne auertaris.

Sic possideas opes, ut eas pro fratrū necessitate, cuiq̄ libenter impēdas. Dicis actū de re mea, si meā oībus impēdero. Respondet Apostolus 2.Cor.8. Non em̄ ut alijs sit remissio, uobis aūt tribulatio, sed

ex æqualitate præsenti tempore uestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia uestræ inopiæ sit supplementum. Luc. 16. Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiãt uos in æterna tabernacula. 1. Tim. 6. Diuitibus huius seculi præcipe, non sperare in incerto diuitiarum, sed in deo uiuo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum: bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare. Hinc Luc. 6. Omni petenti te, tribue: & qui aufert quę tua sunt, ne repetas. Neq; uero periculum, ne res publica pericliretur sublato uindicandi iure. Licet enim sontes punire, & de rebus sublatis decernere, Hic uero decernitur, ne quis alterum accuset priuatæ iniuriæ. tamen interest magistratus, ut eum q̃ intulit iniuriam, puniat, aut res ablatas tibi restituat. Luc. 6. Si mutuum dederitis his à quibus speratis accipere, quæ gratia est uobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Vulgare officium est, commodare in tempore, ut uicissim tibi commodetur. Non est purum officum, q̃d spe officij redituri confertur. Nam qui mutuum dat ad usuram, non ram impartit sua, q̃ uenatur alie na. Grego. Nyssenus: Malignam fœneratorum excogitationem, si quis appellet furtum & homicidium, non peccabit. Nam q̃d refert, suffosso pariete quẽquam erepta possidere, aut fœnorũ necessitate possidere illicita? Eccl. 34. Panis egentium uita pauperis est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Eccl 10. Auaro nihil est sceleστius. Nihil est iniquius q̃ amare pecuniam. Hic enim uenalem habet animam suam, Ideo Luc. 6. Mutuum date nihil inde sperãtes.

Quur grauaris ei dare mutuo, fortassis ad te nunq̃ redituræ, cui debebas & dono dare quod tibi supererat, & illi deerat? Da ergo mutuò hoc animo, ut etiam si nihil ad te sit rediturum, tamẽ gaudeas opitulari proximo. Siquidem hoc copiosius rependet deus præmium, quo minus repensum aut speratum fuerit ab hominibus. Eccl. 29. Perde pecuniam propter fratrem & amicum, & nõ abscondas illam sub lapide in perditionem. Deut. 15. Non obturabis cor tuum nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum quo eum indigere perspexeris. Psal. 14. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, in tabernaculo dei habitabit. Vnde de iusto dicitur Ezech. 18. Ad usuram non commodauerit, & amplius non acceperit. Basil. Considera uirtutem sermonis domini, & miraberis pietatẽ actoris. Cum daturus es pauperi pietatis & diuinæ charitatis intuitu, idipsum & donum est & mutuum. Donum, ob insperatam retributionem: mutuum, ob munificentiam domini qui uice pauperis tibi restituet. Pro. 19. Fœneratur domino qui miseretur pauperis. Vnde Luc. 6. Et erit merces uestra multa, & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Glo. Duo beneficij genera: unum, quum aliquid beneuole damus: alterum, quum reddituro cõmunicamus. Vtrunque fieri debet sine spe retributionis humanæ, sed non diuinæ: quia sicut deus omnis boni est principium, ita uult esse finis. Ille autem natura adeò bonus est, ut beneficium suum conferat non solum in bonos, uerum etiam in malos. Omnibus enim impartit uitam, deinde cælum & terram tot ornamentis, tot opibus, tot com

moditatibus instruxit ad usum etiam impiorũ malos sua lenitate prouocãs ad resipiscentiam, bonos excitans ad gratiarũ actionem. Ingrati sunt per auersionem à deo, mali per conuersionem ad creaturas. Hiere. 2. Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, q̃ continere non ualent aquas. Quid gloriosius quàm filiũ esse altissimi, per imitationẽ operis, gratiam adoptionis, conformitatem dilectionis, & in futuro per adoptionem gloriæ singularis? Eccl. 23. Gloria magna est sequi dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo. 1. Ioh. 3. Charissimi, nunc filij dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus: quia uidebimus eũ sicuti est. Ro. 8. Quod si filij, & hæredes: hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi. 1. Cor. 15. Videmus nũc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciẽ.

Mat. 5. S

Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico uobis: Diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos, & orate pro persequentibus & calumniantibus uos: ut sitis filij patris uestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

Retrahit nos ab amore prauo, dilectionem inimicorum præcipiendo. Scribarum enim erat traditio, inimicos odiendos, à sensu contrario argumentantium, dilectionis amicorum: quum tamen oẽis homo, inquantum ad imaginẽ dei creatus, & capax

ipſius eſſe poteſt per cognitionem & amorẽ, ex charitate ſit diligendus: quia amicitia charitatis ſup cõmunicatione ſupernaturalis beatitudinis fundatur. Mali uero homines, quantumcunq; nobis alieni & aduerſarij, quandiu hic in uia ſunt nobiſcum, ſunt in potentia ueniendi ad beatitudinẽ: ideo licet malitia eorũ odienda ſit, ſecũdum illud Eccĩ. 12. Altiſſimus odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentibus. Sap. 14. Similiter ſunt odio deo impius & impietas eius. natura tamen diligenda. Leuit. 19. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publice argue eum, ne habeas ſuper eo peccatum. Poteſt autẽ odium conſiderari, prout eſt in animo: contra hoc dicit, diligite. Eſt autem diligere, uelle alicui bonũ. Debemus ergo uelle ipſis bona ſpiritualia, gratiam & gloriam, imo & corporalia, ſecundum quod expedit eorum ſaluti. Omnis enim creatura dei bona eſt, 1. Timo. 4. Prou. 24. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina illius ne exultet cor tuũ, ne forte uideat dominus & diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam. Iob. 31. Si gauiſus ſum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quod inueniſſet eũ malum. Secundo, in effectu operis: contra hoc, benefacite: ut ijs qui nos odio proſequuntur, non ſolum non reſpondeamus odio mutuo, nec malum pro malo rependamus, ſed pro conuicijs ac probris ſermonẽ amicũ ac ſalutiferũ, ac beneficijs ad amorẽ prouocemus. Prou. 25. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potũ da illi. Prunas enim congregabis ſuper caput eius, & dominus reddet tibi. Leui. 19. Non quæras ultionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorũ. Tertio, in uerbo oris. Et orate, inquit,

Quod si illi fuerint adeò efferati, ut beneficio uestro nolint uti, sed sine fine uos imperant, & maledictis ac malefactis incessant, uos tamen in medijs afflictionibus non mutetis animum uestrum, ut pro illis rogetis, ut uestris orationibus reconcilientur deo, condonatis ueris criminibus, qui uos falsis criminibus deferunt apud homines, ut resipiscant. Glos. Tribus modis pugnatur contra ecclesiam: odio, uerbo & cruciatu. Econtra ecclesia diligit, orat & benefacit. Diligendi ergo inimici, quia necessarium. 1. Ioh. 3. Qui odit fratrem suum, homicida est. Secũdo, qa fructuosum, quia per hoc declaramus nos filios dei ueros. Ratio enim filiationis in quadam assimilatione cõsistit. Ioh. 8. Si filij Abraæ estis, opera Abraæ facite. Eph. 5. Imitatores dei estote sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo in odorem suauitatis. Matt. 5. Beati pacifici, quoniam filij dei uocabũtur. Ipse autem cupiens omnes seruari, tam multa bona largitur dignis & indignis, & solem suũ patitur esse communem, & ijs à quibus colitur, & ijs à quibus contemnitur, ac pluuiam suam patitur utilem esse iustis pariter & iniustis, malos suo beneficio prouocans ut resipiscant, bonos excitans ut gratias agant. Sic lucem gratiæ suæ, nisi inueniat impedimentum ex parte recipientis. Iohan. 3. Lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucẽ. Vide quantum bonum dat, qui te odit & lædit, mo dò sustinere uelis, quare inter præcipuos benefactores debet haberi.

Si enim diligitis eos qui uos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres uestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo uos perfecti, sicut & pater uester cælestis perfectus est.

Qui redamat amantem, non amaturus nisi redametur, is multum abest ab euãgelica charitate, quæ amicos pariter & inimicos complectitur. Diligere enim diligentes se, est naturæ. Eccl. 13. Omne animal diligit sibi simile. Non diligere diligentes, peruersitatis maximæ & uoluntatis peruersæ. Hier. 18. Nunquid redditur pro bono malum? Non diligere non diligentes, imperfectionis humanæ: Nam publicani (qui uectigalia redimunt, unde & redemptores dicuntur, genus hominũ olim infame apud Iudæos, nunc apud Christianos cum primis honestũ: nec id sane mirum, cum institores ac mensarij omnibus penè anteponantur, quos nec Aristoteles nec Tullius inter honestos ciues haberi uult) idem faciunt, nullam tamen à deo mercedem accipientes. Signum ergo, quòd amici diliguntur non principaliter propter deum, sed quia amici, est, cũ sic diliguntur, quòd inimici non diligerentur. Qui enim unũ hominem odit, nullum uere diligit, cum sit in peccato mortali, quod charitatem excludit. Idcirco qui amat amicos, & non inimicos, non amat amicos p charitatem, sed per naturalem, carnalem, siue politicam amicitiam, quare à deo mercedem nõ accipit. Vulgaria sunt, comem & affabilem se præbere amicis, quæ non arguunt bonos, sed homines tantum. Neq; possunt uideri præclara, q̃ cadunt & in malos.

Lu.6. Et si beneferceritis his qui uobis benefaciunt, quæ uobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Non est ista beneficentia euangelica, sed beneficiorum pmutatio. Siqdem peccatores ab euangelicæ professionis sublimitate alieni, ductu naturæ referũt acceptum beneficium, ingratitudinem execrantes. Quid ergo eximium & ultra cęteros facitis? Signat hic Græca dictio, osculo & complexu salutare, q̃d olim ex more fiebat inter amicos, non solum apud Iudæos, uerum etiam apud Græcos & Romanos, ut claret ex epistolis Apostoli. Vos igit uolo perfectos esse, & admirabili quadam luce bonitatis referre patrem cælestem: q quum sit omnipotens, tñ sua bonitate prodest oĩbus, nihil à q̃q̃ expectans mercedis. Mitis & clemens erga uniuersos, quum possit ilico, si uelit, ulcisci. Perfectioni diuinæ, q̃ plenissima est & infinita, assimilari nemo potest similitudine æqualitatis, sed imitatiõis, Deu.18. Perfect⁹ eris & absq̃ macula cum domino deo tuo. Leuit.19.20. Sancti estote, qa ego sanctus sum. Deus autem dilexit nos, dando omnia nobis in adiutorium. Psal.8. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Angelos in ministerium, Heb.1. Nonne omnes administratorij sunt spiritus, missi in ministerium ꝓpter eos qui hæreditatem capiunt salutis? Filium in precium. Ro.8. Qui proprio filio suo nõ pepercit, sed ꝓ nobis oĩbus tradidit illum. Ioh.15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut aĩam suam ponat q̃s pro amicis. Nos uero cum adhuc inimici essem⁹, reconciliati sumus deo per mortem filij eius, Ro.5. Non ergo Christus impossibilia præcepit, sed perfecta, quæ fecit Ioseph in fratribus suis, Gen.45. Da

uid in Saule, 1.Reg.24.& 26.& Absolon,2.Re.18. Stephanus ꝓ lapidantib⁹ orauit, Act.7. Paulus anathema cupit esse ꝓ ꝑsecutoribus,Ro.9.Dñs hæc & docuit & fecit,etiam facinus inimicorum excusando.Lu.23.Pater,ignosce illis,quia nesciũt qd faciũt.

Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis. Alioquin mercedem nõ habetis apud patrem uestrũ qui in cælis est. Matt. 6. T 3

Postq̃ ad summã uirtutũ induxit, charitatẽ, nũc tollit inanẽ gloriã, q̃ seq̃ solet bene operantẽ. Vult em̃ de⁹ de opibus nos habere meritũ,Mat.16.Filius hoĩs uenturus est in gloria patris sui cũ angelis suis, & tũc reddet unicuiq; secũdum opa sua. Proximos exemplũ, Mat.5.Sic luceat lux uestra corã hoĩbus, ut uideãt bona opa uestra,& glorificẽt patrẽ uestrũ q̃ in cælis est.Ipse deus gloriã.1.Tim.1.Soli deo honor & gloria.Esa.42. Gloriã meã alteri nõ dabo. Vanæ aũt gloriæ cupidus,meritũ pdit,ꝓximũ scandalizat,& deũ offendit. Psal.52. Deus dissipat ossa eorũ q̃ hoĩbus placẽt.Gal.1.Si adhuc hoĩbus placerẽ,Christi seruus nõ essem.Sicut ergo supioribus,internos affect⁹ exigi docuit, ita nũc q̃lia externa debeãt esse opa,ꝑscribit,q̃ secundũ internos affect⁹ uideant,ẽ qbus nascunt opa uel bona uel mala. Volũtatẽ em̃ uel coronat,uel punit deus. Hiero. Nõ igit uirtus,sed causa uirtutis apud deũ mercedẽ accipit. Et si à recta uia paululũ declinaueris,nõ interest an ad dexterã,an ad siniſtrã uadas,cũ rectũ iter amiseris.Secũdũ Dionysiũ, bonũ est ex integra causa,oĩbus scilicet circũstantijs cõcurrẽtibus, malũ uero cõtingit omnifarie,i. quęcunq; circũstantiarũ omittatur. Inter oẽs autem circũstantias actus uirtuosi,

propter quod, extat præcipua. Ideo ait, Attendite, tanquam à mala bestia. Vos enim in hac parte cautos ac circunspectos esse uolo, ne quum erit aliquod piorum operum præstãdum, ideo malitis apud homines facere q̃ soli, ut ab aliꝭ conspecti, laudem & gloriam humanam uenemini. Sic enim est subseruiendum hominibus, ut illos ad uestros mores pelliciatis, non ut uos ad illorũ mores degeneretis. Veram uirtutem ultro sequitur sua laus, etiam quum fugitur. At ea tum uera laus est, quum cõtingit non ambita, nec affectata. Sciendum quod iustitia nouæ legis duplex est: Operum, quam imitãdo Christum & mandata eius implendo cõsequimur, de qua hic: Fidei, qua à deo iustificamur, hæc gratiæ est: & fidem consummatam sequuntur bona opera, uirtus. Roman. 3. Arbitramur hominem iustificari per fidem.

Cum ergo facis eleemosynã, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in uicis, ut honorificẽtur ab hominibus. amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito: & pater tuus q̃ uidet in abscondito, reddet tibi.

Noli innotescere hominibus ut glorieris. Hieronymus: Colligitur hypocritas esse, qui quodlibet faciunt ut ab hominibus glorificentur. Hypocrita græcis histrionem significat, hoc est, qui ficta persona fabulam agit apud populum, quos eosdem actores uocamus. Quanuis quisquis quouis modo

simulat ac fingit, hypocrites uocari possit. Vis audire quid proficiant? Vtcunq; applauserit populus, apud deum perdiderunt mercedem suam, qui piũ opus ex animi syncero affectu metitur. Receperũt enim mercedem suã, laudem humanã quam quæsierunt. O uanitas & miseria infinita, ob uilem, momentaneam & fallacem laudem, diuino, cælesti & æterno honore priuare seipsum. Chrysostomus: Sicut lampas accensa celari non potest, sic nec opus iustitiæ abscondi. Non est ergo ingrata eleemosyna quæ uidetur: sed quæ ideo fit ut uideatur, etsi nõ uideatur. Nesciat ergo sinistra tua. Mala intentio non misceatur operi bono, quod ex bona nascitur intentione: & quantumcunq; uicinus, & si fieri potest, ipse qui accipit. Chrysostomus: Si possibile est teipsum ignorare quod facis, sit tibi hoc prorsus in studio. Est & dextera, amor dei: sinistra, amor sui. Vt eleemosyna sit in abscondito, saltem quo ad desiderium cordis. Nec homini imputes quòd beneficeris, nec tibi hoc nomine placeas q̃ dederis, sed tãtum in sinu gaudeas quòd refocillatus sit egenus. Quid tum si nesciãt homines? Imò si ne ipse quidẽ qui iuuatur, norit autorem beneficij? Tibi satis est quòd testem habes patrem, cuius oculos omnino nihil fugit. Is tibi reponet præmium, etiam si ab homine nihil redeat gratiæ. Eccl. 29. Eleemosyna uiri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit, & postea resurget, & retribuet illis retributionem, unicuiq; in caput illorum. Super scutum potentis, & super lanceam contra inimicum tuum pugnabit. Eleemosyna enim peccata diluit. Dani. 4. Pctã tua eleemosynis redime. Act. 10.

Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu dei, (ait angelus Cornelio gentili.) Eccl. 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. & deus prospector est eius qui reddit gratiam. A morte eripit. Tob. 4. Eleemosyna ab omi peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Mat. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. In regnum introducit. Luc. 16. Facite uobis amicos de mammona inquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Tob. 4. Fiducia magna erit coram summo deo eleemosyna omnibus facientibus eam. 2. Corinth. 9. Qui seminat in benedictionibus, de benedictionib⁹ & metet. Hinc fieri debet prudēter. Eccl. 12. Si benefeceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa. Benefaciu sto, & inuenies retributionem magnam: & si nō ab ipso, certe à domino. Da bono animo, & ne recepe ris peccatorē: da humili, & ne dederis impio. Matt. 19. Vende omnia quæ possides, & da pauperibus. Lucæ. 19. Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus. Luc. 14. Cum facis prandium aut cœnam, noli uocare amicos tuos, neque fratres tuos, neq; cognatos, neq; uicinos, neq; diuites, ne forte & ipsi te reuocent, & fiat tibi retributio. Sed cum facis conuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur autem tibi in retributione iustorum. Secundo, Latenter, ut hic: & Eccl. 29. Conclude eleemosynam in corde pauperis, & illa pro te exorabit ab omni malo. Festinanter sine protractione. Prouc. 3. Ne dicas amico tuo, uade & reuertere, &

eras dabo tibi, cum statim possis dare. Gaudenter sine perturbatione. 2. Corinth. 9. Hilarem enim datorem diligit deus. Abundanter sine diminutione. Tob. 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum, etiam exiguum libenter impartiri stude. Actu. 10. Erat uir quidam in Cæsarea, Cornelius nomine, timens deum, & multas faciens eleemosynas.

Et cum oratis, nõ eritis sicut hypocritæ, qui amãt in synagogis & angulis platearum stantes orare, ut uideantur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum: & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi. Matt. 6. V

Post exhortationem operũ misericordiæ & charitatis fraternæ, quibus homo ad proximum uirtuose extenditur, docet de actu latriæ, per quem anima ad deum eleuatur, hoc est, de oratione, quæ secundum Damascenum est eleuatio mẽtis in deum, uel petitio decentium à deo. Hypocritæ ob nihil aliud in synagogis & in angulis, hoc est, in flexibus, ut in compitis & triuijs, orant, nisi ut sint cõspicui hominibus, à quibus sanctimoniæ laudem aucupentur. Sed receperunt mercedem suam, tametsi à nullo laudentur: quare in futuro nõ gloriam, sed pœnam, ut sacrilegi sortientur. Pars enim eorum est illic, ubi est fletꝰ & stridor dẽtiũ, Mat. 24. Simpliciter intellectũ, erudit auditorẽ, ut uanã orandi gloriã fugiat, & impedimẽta eleuatiõis mentis in deũ: uel ut inclusa

pectoris cogitatiõe, labijsq; compressis oremus dominum, quod & Annam in regum uolumine fecisse legimus, 1. Reg. 2. Qui enim in multorum orat p̃sentia, nihilo segnius, imò fortasse uehemẽtius oraturus si solus esset, is orat in abdito cubiculo. Locus enim non nocet, sed modus orandi. In ecclesia ergo orandum, quæ ob id locus dicitur orationis, Matt. 21. sed recto animo & citra ostentationem. Non autem latent deum quæ in locis fiunt abditis, imò specialiter bona talia uidet per approbationem. 1. Re. 16. Homo uidet ea quæ patent, deus aũt intuet̃ cor.

2 *Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt. putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo aßimilari eis. Scit enim pater uester quid opus sit uobis, antequàm petatis eũ.*

Deus nõ uerbor̃, sed cordis auditor est: unde bathologiam hic loquacitatem uocauit, qua tũc utiq; utimur, cum non utilia nobis à deo poscimus, ut potentiam scilicet adipiscamur & gloriam, ut inimicos superemus, & opes possideamus multas, & omnino quæ nobis nihil prosunt. Credebant ethnici deum uerbor̃ multitudine, non cordis affectu flecti, q̃bus nos assimilari uetat. Oportet enim nos perseuerare utilia postulantes, & dominus factus in agonia, prolixius orauit, Luc. 22. Amat quidem rogari pater, non ut doceat, oratione prolixa q̃d postulet nostra necessitas, sed ut excitet̃ nostra pietate ad præstandũ, q̃d non merent̃ accipere segnes & oscitantes. Nos enim non narratores, sed rogatores sum⁹: aliud est enim narrare ignorãti, aliud petere. In illo indicium est, huic obsequium: ibi fideliter indicam⁹,

hic miserabiliter obsecramus: alioqui nouit ille qd nostra postulet necessitas, etiam anteq̃ petat. Quam uis enim prædestinatio non sit ex meritis, tamen in sua æterna prædestinatione disposuit se daturũ gratiam in præsenti, & gloriam in futuro per nostras preces ac merita. Chry. Orationem solam quasi spirituale tributum anima de uiscerib⁹ suis offert deo. Vis scire quàm preciosa sit oratio? Nulla iustitia thymiamati comparatur, nisi sola oratio. Sicut enim bene confecta thymiamata delectant odorantem, sic oratio iusti suauis est ante deum. Psal. 140. Dirigatur domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Apo. 8. Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram deo. Tob. 12. Quãdo orabas cum lachrymis, ego (ait Raphael) obtuli orationem tuam coram domino.

Sic ergo uos orabitis: Pater noster qui es in cælis, Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat uoluntas tua sicut in cælo & in terra. Panem nostrm supersubstantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo, Amen. §

Quod si tibi formam præscribi uis euangelicæ precationis, accipe dignam, qua ueri syncerique filij fraterna charitate concordes, patrem cælestem oĩbus ex æquo communem compellant: à quo tamet si nobis omnia suppetant, tamen ea potissimum petenda sunt, q̃ conferũt ad uitã cælestẽ. Nam cætera uel sua spõte, uelut auctarium uotis suor⁹ adiũciet, ut est benignissim⁹. Primii docet nos totos nõ aliũde

pendere, q̃ à patre cæleſti, cui debemus quod ſumus conditi, à peccatis redempti, & quicquid habemus uirtutum. Quid tam auget fiduciam, inflammat affectum, lætificat humilem animam, ſicut deum uerum uelle à fidelibus uocari pater? Deut 32. Nunqd non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit & fecit & creauit te? Mat. 23. Vnus eſt pater ueſter qui eſt in cęlis. Oſtendit quanta bona ſimus cõſecuti, facti filij dei, Ro. 8. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum dei, in quo clamamus, abba pater. Nam nos ſemel infeliciter genitos ex Adam, rurſum cælo genuit, ubi nobis à terrenis rebus ſubuehẽdis, regnum & hęreditatẽ ęternã parauit. Gal. 4. Quod ſi filij, & hæredes p deum. Vide ergo orationis uim, ſurſum te ducit, pſuadetq; tibi quoniã nominas patrẽ deũ, ne oĩno ſimilitudine eius careas, ſed enitaris ſimilis fieri patri imitatione. Noſter intulit, non meus, ut omnes quaſi fratres unius patris habeas. Mat. 23 Oẽs uos fratres eſtis. & ne qs ſibi ꝓprium aliqd uindicet, quũ ex unius bñficentia proficiſcat oĩbus qcqd habent. Hinc pater uocat q̃ benignũ & clementem intelligas. Pſal. 102. Quomodo miſeret pater filiorũ, miſertus eſt dñs timentibus ſe. In cælis habitare dicit, q̃d quũ impleat oĩa, Hie. 23. Cælũ & terram ego impleo. Eſa. 66. Cælum ſedes mea, terra aũt ſcabellum pedum meorũ. nihil habet fæcis aut infirmitatis terrenæ, & illic excellentius operetur, ſeipſum oſtendens, q̃uis nullo loco circunſcribat, & quo nobis patriam oſtendẽs, mentes noſtras in cælos ſubuehat, & à terrenis abducat. Si ergo uis deũ: cælum, non terram, ſpecta. Vel in ſanctis, quorũ cõuerſatio

in cælis est. Phi. 3. & templũ dei sunt. 2. Cor. 6. Vos estis templũ dei uiui, sicut dicit deus (Leuit. 26.) qm̃ inhabitabo in illis. Pater noster q es in cęlis, nos autem filij tui in terris, patrẽ nescim⁹ nisi te: ex te uno pendemus, à quo nobis petẽda sunt oĩa q̃bus opus est ad ueram uitam. Fiat ergo, ut p nos tuo bñficio puros & integros, tua potentia, tua sapiẽtia, tua bonitas magis ac magis innotescat hoĩbus: & sic p nostram doctrinã ac uitam, inter hoĩes fiat inclytũ & glorioſum nomẽ tuum, & intelligãt oẽm gloriam tibi deberi. Non eñ est nostra gloria, quũ tui muneris sit, q̃cq̃d à nobis recte gerit. Esa. 8. Dñm exercituũ sanctificate. Sed heu nomen dei p multos blasphemat inter gẽtes. Ro. 2. Facito ergo nos sanctos, ut & tu p nostræ cõuersationis ornatũ glorificeris. Hactenus toto orbi regnauit sathanas p peccatũ cui seruierũt hoĩes illecti cupiditatibus impijs: tu fac ut sublatis peccatis, aboleat tyrãnis sathanæ, nec regnet peccatũ in nostro mortali corpore. Ro. 6. ut in dies magis ac magis inualescat regnũ tuũ, q̃d nõ opibus aut satellitio, sed modestia, pudicitia, lenitate, tolerãtia, fide, charitate constat, ut „pfligatis uitijs unà cũ malis cupiditatib⁹, uim suã exerant inter hoĩes, tuæ uirtutes cælestes, ac sic regnes tu sol⁹ in nobis, citoq; trũphantis ecclesiæ regnũ cõsummet, ac cito ueniat ut trãsferamur de uia ad patriã. Hoc gratissimi oĩno serui est, neq; inhærere p̃sentibus, neq; magnũ aliq̃d q̃ uidẽt putare, sed ad patrẽ semp urgeri, semp̃q; in futura gestire, q̃d certe de optima orit cõscientia, & mente terrenis rebus oĩno exuta. Et is neq; uitæ huius opib⁹ inflat, neq; humiliat aduersis, sed tãq; iã ĩipso cęlo habitãs, utriusq; hui⁹ ineq̃litatis imunis ẽ,

Fiat tandem per gratiam tuam, ut quemadmodum in cælis, unde præcipitatus est lucifer cum suis coniuratis, pacata sunt omnia, & nulla aduersus tuam uoluntatem rebellio: ita inter dei filios, succesſuros in locum angelorum, ſublatis peccatis, & effuſo tuo in eos ſpiritu, tuæ uoluntati pareant omnes, cũctis (quantũ patitur imbecillitas humanæ naturæ) iam hoc meditantibus, quod perfecte continget in futura uita. Ale pater q̃s genuiſti, „ſpice nobis, ne nos deficiat panis ille tuus p̃cipuus, gratiæ ac doctrinæ. Eccl. 15. Cibauit illum pane uitæ & intellectus, nec non ſuperſubſtantialis ille panis, filius tuus. Ioh. 6. Ego ſum panis uerus q̃ de cælo deſcendi. ut eo q̃ti die ſumpto, confirmemur & adoleſcamus, uegetiq̃ reddamur ad tua iuſſa perficiẽda. Luc. 11. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Vbi non pro diuitiis & delicijs, non pro precioſæ ueſtis ornatu, ſed pro cibo tantum quotidiano iuſſit orare. Prou. 30. Mẽdicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria, ne forte ſatiatus illiciar ad negãdum, & dicam, quis eſt dominus? aut egeſtate compulſus, furer, & periurem nomen dei mei. Ac ne quando noſtris delictis offenſus, alienes animum tuum à nobis, ſed pro tua clementia ignoſce nobis delicta quæ per infirmitatem uitæ committimus, ut tecum pacem habeamus, quemadmodum & nos inuicem condonantes, ſi quid alius in alium deliquit, mutuam alimus concordiam. Luc. 11. Et dimitte nobis peccata noſtra, ſiq̃dem & nos dimittimus debitoribus noſtris. Qui nũc dicũt ſe culpã dimittere, nõ pœnã, niſi p̃lati ſint, uideant q̃modo eis deus pœnas relaxet. Habet em̃ me deus ut exẽplar:

& quod facio alij, facit & mihi. Te ergo ꝓpicio, nihil timemus: & concordia fulti, firmiores ſumus aduerſus hoſtē cōmunem. Cui q̄ſumus ne tradas nos tentandos, ſi fieri poteſt. Nouimus enim illius malitiam, nouimus improbitatē & uerſutiam. Quod ſi patieris nos incidere in tentationē, ut explores animi noſtri conſtantiā, tu pater optime libera nos à malo illo & peſſimo, cuius eſt tentare, ne ei ſuccumbamus, hoc eſt, dæmone qui p ſe & ſuos impugnare nos non ceſſat. 1. Pe. 5. Aduerſarius ueſter diabolus tanq̄ leo rugiens circuit, quærēs quem deuoret. Sciendū q̄ deus intentator malorū eſt, qa neminem tentat Iac. 1. loquendo de tentatione deceptoria, q̄ ordinat ad malum tentati, ſed electos tentat, ꝓbando & exercitando, quæ ordinat ad purgationem & exercitationē tentati, nō ut ſibi aliquid innoteſcat, ſed alijs, atq; ſeipſum cognoſcat. Sic Gen. 22. Tentauit deus Abraam in filij immolatione. Deu. 8. Vt affligeret atq; tentaret, & nota fierent q̄ in animo tuo uerſabant, utrum cuſtodires mandata illius an non. Sap. 3. Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos ſe. Hinc Tob. 12. Quia acceptus eras deo, (ait Raphael) neceſſe erat ut tentatio probaret te. Oramus ergo ut in hac tentatione det nobis conſtantiam: de alia uero quæ à malo per carnem uel mundum, petimus uictoriā, ne in ipſam inducamur, q̄is ipſa inducat in nos per impugnationem. Inducit in hanc deus permiſſiue, iuſte ſubtrahendo auxilium ſuum, noſtris exigentibus demeritis, iuxta quem modum dicitur & indurare, Exo. 7. 9. 10. Sic 2. Theſ. 2. Mittet illis deus ſpiritum erroris, ut credant mendacio. Apertiſſime claret 3. Reg. 22. in ſpiritu malo, qui di

xit deo: Egrediar & ero spiritus mendax in ore oīm prophetarum. Quod & factum fuit domino pmittente. Quo magis caueamus, ne quãdo excidamus à charitate patris tam benigni, commonet nos illius improbi sathanæ, qui nunq̃ non insidiatur pijs, ut eos in suam retrahat tyrannidem. Amen, hæc uota tua bonitas rata uelit esse. Crebro dominus hac dictione in euangelio usus est, sed hic non sine causa. Est enim orationis signaculum fructuosum, & animi recollectiuũ. Nam dicẽdo Amẽ, affectus summatim fertur ad omnia præinducta, & renouatur affectio impetrãdi: sicq; oratio cum feruore finita, pleniorem sortitur effectum. Frustra ergo cõpellat patrem is, qui non est huius cõtuberniĳ, qui deum nec ueretur, nec amat: qui sibi uiuit, qui suæ gloriæ seruit magis q̃ dei, qui mundanis opibus & regno inhiat, qui mauult assequi grata animo suo q̃ quæ placita sunt deo, qui terrena sectatur potius quàm æterna, qui corporalia bona posthabet animi dotibus, qui dissidium habet cum fratre, qui p luxum & uoluptates socorditer agit aduersus insidias diaboli.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & uobis pater uester cæleſtis delicta uestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater uester dimittet uobis peccata uestra.

Non absque singulari ratione hanc solam persequitur particulam, quæ nos aut filios ostendit, aut nothos. Non enim agnoscet pro filio, cui non conuenit cum fratre. Nihil sic odit ut crudelitatem. Idcirco patris memoriã inculcat, ut reuereamur eum,

quum simus eius filij, & non exasperemus. Non uis ignoscere conseruo, in quem tu aliquando uicissim peccasti: & postulas à deo, ut tibi condonet tuum admissum, qui cum nulla tibi possit esse pensatio mutui delicti. Eccl. 28. Qui uindicari uult, à domino inueniet uindictam: & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini reseruat iram, & à deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse dum caro sit, reseruat iram, & propiciationẽ petit à deo? Quis exorabit pro delictis illius? Memento nouissimorum, & desine inimicari.

Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut pareant hominibus ieiunantes. Amen dico uobis, quia receperũt mercedem suam. Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne uidearis hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi. Matt. 6. X

Non sufficit, malum non facere, sed necesse est ut & bonum bene fiat. In uoluntate enim, prima radix est meriti uel demeriti. Est autem ieiunium actus abstinentiæ, quæ est pars temperantiæ, moderata scilicet alimenti carentia, ad multa utilis. Carnis refrenationem. 1. Corint. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. 2. Corin. 6. In ieiunijs multis. Diuinæ offensæ placationem. Ion. 3. Vidit deus opera eorũ, qa cõuersi sunt à uia sua mala, & misertus est

ſuper malitiam quam loquut⁹ fuerat, ut faceret eis, & nõ fecit. Ioel. 2. Cõuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio & fletu & planctu. Pſal. 34. Humiliabam in ieiunio animam meam. Satanæ deiectionem. Mat. 17. Hoc genus dæmoniorum nõ eijcitur niſi in oratione & ieiunio. Ieiunantes ergo, ne uelitis imitari quoſdam non ieiunatores, ſed ieiunij ſimulatores, quum re ipſa non hoc agant ob quod ieiunium debet adhiberi, uel ob placandum deum, uel ob corporis caſtigationem, quo liberior ſit animus deo & ſacris rebus uacaturus, ſed hoc fuco laudem inanem captant apud homines. Mat. 23. Oñia opera ſua faciunt ut uideantur ab hominibus. Demoliuntur facies ſuas, tetrici, parumq; alacres, uultu inamœno ac ſeuero, animo forte lætante. Secũdum diuerſas enim animæ affectiones, facile immutatur facies. Vnde regina Heſter triſtem celauit animum facie iucunda, Heſt. 15. Sunt autem quatuor ſpecies hypocriſis. Vna, qua fingit ſe homo facere uel habere quod non habet, quemadmodum uirgines fatuæ lampades ſine oleo, Matth. 25. Altera, quum facit ob uanam gloriam, ut hic: ſed recipiũt tales mercedem, ſed non à deo. Iob. 20. Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Tertia, cum mala bonis obumbrationibus depinguñ. Tales ſepulchris dealbatis dñs comparat, Mat. 23. Quarta, quum ſimulat ſe uelle latere, quum uideri quærat, ne hypocrita, ſed humilis uideatur. Ecce q̃ infeliciſſimum genus, animo ſemper inquietum. Chry. Si bonum eſt eſſe bonum, ut quid uis nõ eſſe, quod uis apparere? Nam quod turpe eſt apparere, turpi⁹ eſt eſſe. Quod autem formoſum eſt in apparentia, formoſius eſt in exiſtentia.

Hypocriſeos ſpecies quot.

Aut ergo esto quod appares, aut appare quod es. Iob.36. Simulatores & callidi prouocant iram dei. Placere hominibus ex charitate, & ob ipsorum profectum, utile est. Ro.15. Vnusquisq; uestrū prximo suo placeat in bonū ad ædificationē. 1.Cor.10. Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salui fiant. Sed ob lucrū uel gloriam inanē, non est bonū. Gal.1. Si adhuc hominibus placerē, Christi seruus nō essem. Tu aut tē uncto capite & facie lota, lætitiā præ te feras: & is qui uidet in abscondito (Scrutatur em̄ corda & renes, Hier.17. Apo.2.) pater tuus, Mala.2. Nunquid non pater unus est omniū nostrū? pro inani laude mortaliū, solidam mercedē tibi reponet. Sapi.10. Reddet deus mercedē laborum sanctorum suorū. Prisci in gaudij signum habebant, ungi post lotionem. In om̄i ergo opere bono in deo est lætandū. Phil.4. Gaudete in domino semper. 2.Cor.9. Hilarem enim datorem diligit deus. Sed Iob 27. Nunquid poterit (hypocrita) in omnipotēti lætari, & inuocare deum omni tempore? Est ergo mens spirituali lętitia infundenda. Psal.44. Vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ. Est aliud oleum pernicioſum. Psal.140. Oleum autem peccatoris nō impinguet caput meum. Et facies lauanda, id est, conscientia. Hier.4. Laua à malitia cor tuum. Esa.1. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum uestrarum. Non enim respicit deus in oblationē iniustorum. Eccl.34. Patum est enim abstinere à cibis foris, si mens intus uitijs æstuet. Esa.58. Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij uestri inuenit uo

luntas uestra,& omnes debitores uestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis,& percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut usq; in hanc diē, ut audiatur in excelso clamor uester. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem hominem affligere animam suam? Nunqud contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? Nunquid istud uocabis ieiunium & diem acceptabilem domino? Nonne hoc est magis ieiunium q̄d elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos,& omne onus dirumpe, Frange esurienti panem tuum,& egenos uagosq; induc in domum tuam: cum uideris nudum, operi eum: & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumē tuum,& sanitas tua citius orietur. Et anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria domini colliget te. Tunc inuocabis,& dominus exaudiet: clamabis,& dicet, ecce adsum. Tob. 12. Bona ē oratio cū ieiunio & eleemosyna, magis q̄ thesauros auri recondere.

5 *Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem uobis thesauros in cælo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim thesaurus tuus est, ibi est & cor tuum.*

Post q̄ inanis gloriæ morbum eiecit, de inopia loquitur. solent enim homines ob uanæ gloriæ studium, multa in terris possidere. Ostendit aūt q̄ inutile. Qui recte erogauit diuitias suas, is in tuto demū collocauit. Alioqui quod defoderis, nec tibi est

nsui: ærugini & furibus obnoxium est, ut iam hinc ad te nihil redeat præter calamitosam parandi seruandiq; solicitudinem. Et tamen in hoc studium plerique mortales omnes curas suas conferunt, quasi paupras miseros efficiat, diuitiæ felices. Nolite itaq; thesaurizare inordinate, superflue congregare, per solicitudinem distrahentem, & hoc in terra. Heb. 13. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Psal. 38. Aduena ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei. 1. Par. 29. Peregrini enim sumus corã te & aduenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra supra terram, & nulla est mora. Dum enim sectantur peruersi hæc falsa bona, moxq; suos dominos relictura, relinquũt æterna bona, quæ uere felices reddunt, & eripi non possunt. Omnis thesaurus aut de metallo est, hunc ærugo siue rubigo consumit ac demolitur: aut uestibus, hunc tinea: aut preciosis lapidibus ac margaritis, quem fures tollunt. Stultum ergo thesaurizare in terra, ubi diu manere non possumus, & ubi omnia relinquenda, & quandoque minus gratis. Psal. 48. Diues cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum illo gloria eius. Iob. 27. Diues cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet. Claret in diuite epulone, Luc. 16. & in alio, qui ampliatis horreis longam sibi pollicebatur quietem, Luc. 12. Vnde thesaurizare ex affectu auaritiæ & absque intentione necessitatis propriæ uel alienæ, malum est. 1. Tim. 6. Qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.

Radix enim omnium malorum cupiditas: quã quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem ô homo dei hæc fuge. Iac. 5. Agite nũc diuites, plorate ululantes in miserijs uestris, quæ aduenient uobis. Diuitiæ uestræ putrefactæ sunt, uestimenta uestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum uerum æruginauit, & erugo eorum in testimonium uobis erit, & manducabit carnes uestras sicut ignis. Sed ex prouidentia, ut quis sibi & suis in necessarijs prouideat, non est malum, si licito fiat modo. 2. Cor. 12. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parẽtes filijs. Cum enim temporalia ad spiritualia ordinentur, rationẽ habent instrumenti: quare aliter appetenda uel exquirenda non sunt, nisi inquãtum ad spiritualia bona adipiscenda, augenda uel conseruanda, prosunt & conferunt. 1. Tim. 6. Habentes uictum & amictũ, his contenti simus. Prou. 15. Melius est parũ cum timore domini, q̃ thesauri magni & insatiabiles. Vos contrà toto studio properantes ad optima perfectaq̃, quo uere diuites efficiamini, recondite uobis thesauros in cælis, copiose colligendo & prudenter reponendo. 2. Cor. 8. Qui parcè seminat, parcè & metet. Vobis ergo, non alijs tantũ, prouidere thesauros, quorum custodia uos non cruciat anxia solicitudine. 1. Timo. 6. Diuitibus huius seculi præcipe, non sublime sapere, neq̃ sperare in incerto diuitiarum, sed in deo uiuo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum: bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant uitam bonam. Sed heu sunt qui thesau

rizant sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, secundum duritiam suã & cor impœnitens. Ro.2.& Amos.3.Nescierunt facere rectũ,dicit dominus,thesaurizantes iniquitatem & rapinas in ędibus suis. Iaco.5. Thesaurizastis uobis iram in nouissimis diebus. Est & aliud malum,nimia solicitudo & distractio,quod enim uehementius amatur, hoc frequentius cogitatur. Hinc in terris thesaurizantes immoderate,cor in cęlestibus habere non possunt. Chrysostomus:Si nihil horũ eueniat, quòd thesaurus ærugine,tinea uel fure amittatur,non paruã tamen sustinebit iacturam inferioribus affixus,&eorum seruus effectus,à cælestibus cadens, & nihil cel sorum cogitare ualens. Augustinus:Tantus in hac mortali uita debet esse amor & desiderium perueniendi ad id, ad quod factus es, & dolor quòd ibi necdum es,ac timor ne forte non peruenias,ut nullam lætitiam sentire debeas,nisi de his quæ tibi aut auxilium,aut spem cõferunt perueniendi.Sic Apostolus desiderium habuit dissolui & esse cum Christo,Phil.1.Hic thesaurus commodius non acquiritur,nisi per contemptum thesauri temporalis,in uisceribus pauperum inclusi. Tob.4.Si exiguum tibi fuerit,etiam exiguum libenter impartire stude. Thesaurizabis enim tibi præmiũ bonũ in die necessitatis.& Mat.19.Si uis perfectus esse,uade & uẽde oĩa quæ possides,& da pauperibus,& habebis thesaurũ in cælo.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuũ lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus

tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

Pulchrè affectum ordinat post thesaurizationē. Si enim corruptus est animus uel inanis gloriæ, uel auaritiæ morbo, totum quod geritur, uitiosum sit oportet. Quod enim est in domo lucerna, quod est oculus in corpore, id ē animus in homine. Si lux animæ non est uitiata caligine falsarum opinionū, malarumq; cupiditatum, si mentis oculus non alio dirigit aciem, q̄ ad uerum scopum, quicquid agitur in uita, gratum deo est, nihilq; non conducit ad cumulum felicitatis. Vt ergo in corpore hoc maxime prouidemus, ut oculos habeamus incolumes, sic etiā in anima intellectus & affectus cōseruemus salutē. Dedit enim nobis intellectum deus, ut ignorātiam fugemus è mentibus, ut rectū teneamus, atq; ad alia huiusmodi dirigamur, ac contra diuersarum impugnationū uarios incursus, hoc quasi quodam scuto usi ac lumine, maneamus innocui atq; muniti. Hieronymus: Quomodo corpus, si oculus non fuerit, totū in tenebris est: ita anima si principalē fulgorē suū perdiderit, uniuersus sensus in caligine uersabit. Si ergo adiecisti animū opum solicitudini, extinxisti lucernā, obtenebrasti animā. Quod si mens obtenebrata fuerit, quæ uice luminis data est, quāta erit caligo reliquarū partiū, quæ ex se lumen nō habent?

Mat. 6. Z *Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis deo seruire & mammonæ.*

Ostendit quòd mundana cupiditas à seruitio dei retrahit, animam spiritualiter percutit, hominem ignobilē reddit, ac deo diffidere facit. Ne ergo putes audiendos istos, qui se deo & hominibus, qui se terræ cæloq; partientes, ita sequuntur æterna, ut tamen temporalia hæc nolint contemnere. Nihil em̃ aliud efficiunt, nisi dū utrunq; captant, neutro potiant. Inter hoīes non reperies duos tā cōmodis moribus, ut idē seruus possit duobus satisfacere. Ita fit ut alter sit deserendus, aut neutri fiet satis. Quod si dñi sint inter se diuersis moribus, aut simultate quapiam graui dissidentes, necesse est ut seruus, si uelit alteri probari, alterum illum non deserat solum, sed alteri adhærens, oderit etiam quē deseruit. Qui uero sic inter se pugnant, ut deus & mammona? Deus imperat ut tua largiaris egenti: mammona iuber, ut per fas nefasq; rapias aliena. Deus, ut consulas fratri tuo periclitanti: mammona, ut tibi uiuas. Christus humilitatem docuit & mititatem. Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Diabolus superbiam, quia rex super omnes filios superbię, Iob. 41. Vnde & dei æqualitatē appetijt. Esa. 14. In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meū: sedebo in montibus testamenti, in lateribus aq̃lonis: ascendam super altitudinem nubiū, similis ero altissimo. Hinc adorari à Christo uoluit. Mat. 4. Hæc oīa, inqt, tibi dabo, si procidens adoraueris me. Aut ergo hunc habebit odio, & alterū illū diliget: aut huic adhærebit, & alterum illum negliget. Nos diabolum facimus dominum nostrum, sicut & uentrē deum. Phil. 3. Quorum deus uenter est, Ro. 16. Huiuscemodi dño nostro Iesu Christo

non seruiunt, sed suo uentri. Augustinus: Nemo diabolum, diligit, & si sua cupiditate implicatus, subdatur ipsi. Sic nec deum potest quis uere, secundum quod consideratur ut creator ad esse, & conseruator in esse, & glorificator in perfecto esse, odisse: licet, quantum ad id quod est punitor & uindicator culpæ, à peccatoribus habeatur odio. Ioh. 15. Odio habuerunt me gratis. Nunc autem uiderunt & oderunt & me & patrem meum. Psal. 73. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Frustra uobis blandimini, si creditis fieri posse, quod fieri non potest, ut simul deo seruiatis & mammonæ. Vt dominus manifeste ostenderet qui essent isti domini, apte demonstrauit diuitias; seruos, etiam diaboli seruos esse. Hinc Apostolus auaritiam idolorum nominat seruitutem, Col. 3. Solerter notandum quod non dixit, non potestis deo seruire, & diuitias possidere, sed mammonæ seruire: quia multos legimus sanctos diuitias possedisse, & deo seruisse, ut Abraam & Loth, Gen. 13. Iob. 1. Non enim custodierunt diuitias ut serui, sed dispensarunt ut domini, tenentes eas in usu, non in desiderio. Hieronymus: Audiat auarus, audiat qui cœlestur uocabulo Christiano, nō posse se deo simul seruire & diuitijs. 2. Cor. 6. Quæ enim societas Christi ad Belial? Ambrosius: Durum & pernicioſum patitur dominū, quisquis seruit mammonæ, sua enim cupiditate implicatus subditur diabolo, & nō diligit eū, quia durissimis imperijs amatores seculi quærit. Hier. 9. Vt iniquè agerēt laborauerunt. Contemnet deum, nec timebit. Contemnitur enim ab illis, qui peccantes, de impunitate scelerum sibi blandiunt, putantes aut nescire deū scelera

sua, aut uisa statim indulgere, qui nesciunt quod dis simulando eos diuina bonitas ad pœnitentiam ,p- uocet. Ro.2. Cuius enim tanta misericordia credi potest, sicut eius qui donat omnia peccata conuersis, Ezech.18. & oleastrum facit participem pingue dinis oliuæ? Ro.11. Et cuius tanta seueritas, q̃ eius q̃ naturalibus ramis non pepercit, sed propter infidelitatem fregit? Ro.11. Non potest ergo diues & iniustus deo & mammonæ seruire.

Ideo dico uobis, ne soliciti sitis animæ uestræ quid ꝛ manducetis, neque corpori uestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca? & corpus plus q̃ uestimentum?

Quoniam autem diuitum uulgus, auaritiæ morbum excusare solet prætextu necessitatis humanæ, huic morbo dominus obuiare curauit: quia naturæ minimis contenta est necessitas, & undelibet talib⁹ quod sufficit, facile suppetit. Aut em̃ succurre- obuia liberalitas bonorum, aut opera manuaria suppeditabit quod necessitati medeatur. Postremo si nihil horum, pater nõ destituet suos, totis animis inhiantibus ad cælestia: uel non solicitis hæc leuiora adiiciet, qui maiora largitur. Tangit autem duo ad naturæ sustentationem necessaria, alimentum & tegumentum. Si ergo solicitudo prohibetur circa necessaria, quanto magis circa superflua & inania? Hinc serpens callidus & astutus, 2. Corinth.11. mentem hominis terrenis immergere studens, solicitat de tẽporalibus tanq̃ necessariis q̃rendis. Ge.3. In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Psal.127. Labores manuũ tuarum qa mãducabis, beatus es. 2. Thes.3.

Qui non laborat, non mãducabit. His habitis, ſolli-
citat ad ſuperflua, contra quod Philip. 3. Nihil ſolici
ti ſitis, ſed in omni oratione & obſecratione petiti-
ones ueſtræ innoteſcant apud deum. Vltimo captiu-
um inducit ad media illicita, utpote per uſuras, ra
pinas, fraudes. Proue. 1. Sic ſemitæ omnis auari, ani
mas poſſidentium rapiũt. Videtur notare guloſos,
d. Ne ſoliciti ſitis uitę ueſtræ quid manducetis. & ua
ne glorioſos in ueſtitu, in utroq; auaros. Luc. 16. Ho
mo quidam erat diues, & induebatur purpura, &
epulabatur quotidie ſplendide. Nonne uita res eſt
precioſior quàm cibus, & corpus ueſtimento? Hæc
tanto meliora qui dedit non ſolicitis, an grauabi-
tur uilioribus hiſce rebus alere tueriq; quod dedit?
Triplici ex cauſa ſolicitudo temporalium uitioſa.
Si ipſa tanquam finem quęramus, quemadmodum
diues ille Lucæ 12. Anima mea, habes multa bona
poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe,
epulare. Altera ob ſtudium ſuperfluum, quo homo
à melioribus retrahitur. Solicitudo enim ſeculi ſuf-
focat uerbum, Matt. 13. Qui autem laborat & ſpem
in deo habet, is citra ſolicitudinem uiuit. ſolicitudi-
nem enim ut à deo abducentem reſecat dominus.
Non enim ſolis neceſſarijs ſolicitudo contenta eſt,
ſed ſemper amplius quærit & maius, & ideo dici-
tur elatio in ſublime. Lucæ 12. Nolite quærere quid
manducetis, & quid bibatis, & nolite in ſublime tol
li. Hiero. Ergo quod omnibus natura tribuit, & iu-
mentis ac beſtijs, hominibusq; commune eſt, huius
cura penitus liberamur. Labor exercendus, ſolicitu
do cauenda. Cæterum de ſpiritualibus cibis & ueſti
mentis ſemper debemus eſſe ſoliciti. Sed heu de his

nouissima nobis cura. Tertia, ob timorē supfluū, ne deficiāt. Hoc triplici dñs excludit exemplo. Primo, preciosiore largitione. Chrys. Vult dicere dñs: Quū dederim uobis animam tam nobilem, & corpus tam bene ornatum, nō remanet uobis locus de minoribus solicitandi, esca & uestimento. Secundo, animalium nutritione.

Respicite uolatilia cæli, quæ non serunt neq; metunt, neq; congregant in horrea, & pater uester cælestis pascit illa. Nonne uos magis pluris estis illis? Quis autem uestrum cogitans, potest adijcere ad staturam suam cubitum unum?

Si quæritis exemplum, intuemini reliqua animantia, quæ uestra gratia condidit deus, qui condidit omnia. Lucæ 12. Considerate coruos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellariū, neq; horreum, & deus pascit illos. Potuisset dominus adferre in exemplum Iohannem uel Heliam, sed meminit auium, ut ostendat nos illis brutiores esse. Pascit autem, quia naturalem eis indidit industriam, ad colligendas escas. Notanter dominus dicit, non congregant, quia de futuro non solicitæ, uiuunt in diem, quod obuiam datur sumentes cum omni alacritate. Non enim uult excludere prouidentiam & laborem: nam ad uictum habendum circunuolant, sed auaritiam & solicitudinem. Psalm 146. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Et pater, qui scit: uester, qui uult: cælestis, qui potest. Raba. Quis rex militibus deuotis debitam non procurat alimoniam? Quis dominus

famulis suis non ministrat cibaria? Quis pater filijs non dat alimenta? Et uos ergo destituet, qs tãto plu ris facit q̃ auiculas? Si uos illi curæ estis, sicut utique estis, nõne supuacua est uestra solicitudo? Si destitu at ille, qd uobis ꝓderit uestra solicitudo? Vt corpus dedit suo arbitratu, ita & uictũ dabit suo arbitratu. Chryſ. Nisi deus uellet cõseruare q̃d est, ipsum non creasset: qa uero ipse instituit, ut aïa cibo, corpus ue stimento conseruet, ideo utrunq; tribuit. Quis aũt uestrũ cogitando tota sagacitate qua potest, adijcere potest ad staturã & ætatẽ suã? Cuiusque corpus, ipso ne cogitante q̃dem, suis auctibus crescit usq; ad p̃scriptam à deo magnitudinẽ. Siue curã abijcias, ni hilo breuius habebis corp⁹: siue cura distorquearis, nihilo habebis ꝓcerius. Luc. 12. Si ergo neq; q̃d nimũ est potestis, qd de cæteris soliciti estis? Hiero. Si uolatilib⁹ quor aïa mortalis, q̃ cum esse cessauerint, semper non erunt, deus ꝓuidet: quanto magis hominibus, quibus æternitas promittitur? Pascit pa ter familias seruos, pascit & animalia, sed in obsequi um filiorum: quãto magis filios? Tertio, florum pul chritudine.

Et de uestimentis quid soliciti estis? Considerate li lia agri quomodo crescunt, non laborant neq; nent. Dico autem uobis, quoniam nec Salomon in omni glo ria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si enim fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, deus sic uestit: quanto magis uos modicæ fidei?

Amb. Dandum erat etiam documẽtum propter uestimentum, sicut datum est propter alimentum.

Hinc exhortationem de ueſtimento, ſatis congruo confirmat exemplo. Chryſ. Hoc dicendo, cognoſcite liliaagri, non opus prohibuit, ſed ſolicitudinem. Non ocioſe agri additur, quod hortēſia lilia nonni hil debere uideri poterant curæ humanæ, quemad modum ante dixerat uolucres cæli, ut diſtingueret ab altilib⁹. Liliis autem ſic proſpicit, ut nec Salomon rex opulentiſſimus ac ſplendidiſſimus, unquam ſic amictus fuerit, etiam cum maxime ſtrepitum diuiti arum ſuarum oſtentaret, quemadmodum quodli bet ex his contemptis neglectiſq; liliis. Nihil enim tam elegans præſtare poteſt hominum cura, quàm præſtat ipſa naturę prouidentia. Hiero. Reuera nec ſericū regumq; purpura, pictura, textura poteſt flo ribus comparari. Quid ita rubet ut roſa? qd ita can det ut lilium? Violæ uerò nullo ſuperari poſſunt co lore. Raban. Ipſe color ornamentum eſt florum. Bed. Salomon ueſtes habuit alienas, lilia proprias, quas natura illis miniſtrat. Illi homines, iſtis deus miniſtrat. Non ergo ornatus curandus, qui cadu corum florum eſt, & quo ornatur fœnum. Chryſo. Statuto tempore lilia formantur in frondibus, ueſtiuntur candore, implentur odoribus: & quod ter ra radici non dederat, deus inuiſibili operatione lar gitur. Exiguæ fidei uocat, quia ſi nec de his fidentes ſumus, quomodo inuiſibilia ſperamus? Permodica fides eſt, quæ nec de minimis certa eſt.

Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes: quid manducabi mus? aut qd bibemus? aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater ueſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum re-

gnum dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.

Chrys. Qui in rebus humanis fortunam credunt esse, non prouidentiam, neque iudicio dei uitam suam gubernari æstimant, uel incerto duci euentu, Iob. 22. Circa cardines cæli perambulat, nec nostra considerat, ideo timent & desperant, quasi qui neminem habeant gubernatorem. Qui autem se credit dei iudicio gubernari, escam suam in manu dei constituit. Hebræ. 13. Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus: ipse enim ait Iosue. 1. Non te deseram. glo. Quid amplius habet fidelis à gentili, cuius animam infidelitas solicitat? Ethnicorum ergo uoces sunt, nõ Christianorum: siquidem illi aut deum esse non credunt, aut non agere curam mortalium, neque didicerunt aliam esse potiorem uitam, ad quam omnis cura sit dirigenda. Itaque dei præsidijs diffisi, & in his quę corporis sunt felicitatem hominis constituentes, magna solicitudine parãt, quæ ad uictum uestitumq; aut reliqua corporis commoda faciunt. Gestiunt gaudio, cum hæc obtigerint: examinantur metu, quum ijs imminet periculum: discruciantur mœrore, ac nonnunquam ad laqueum currunt, quum hæc eripiuntur: ac per has curas affixi rebus perituris, nec hic uiuunt suauiter, nec ad cęlestium bonorum studium possunt animum erigere. Chrys. Qui creauit naturam, scit indigentiam. Quod si pater, non potest despicere filios. Nam patres etsi filijs non dent superflua, tribuunt tamen necessaria. Nec ergo aliunde nascitur ista solicitudo, nisi ex diffidentia erga patrem & potentissimum

& liberalissimum & prouidentissimum. Sed dicet quis, quid igitur? An non parabimus opera manuaria, quo nos uxorem, liberosq; nostros alamus? quo pauperum inopiam subleuemus? Maxime, sed absque solicitudine. Siquidem miserum uulgus conduplicat suam miseriam, simul laborans corpore, & animo solicitum. Postremo ad copiam spectant, non ad præsentem necessitatem: & in longinquum congerunt, quasi certum sit illos diu uicturos, & nihil unquam satis est. Prima cura sit eius boni, ad quod ista collata, nullius sunt momenti. Huius iustitiam ante omnia quærite, sitam in his rebus, quas ante docui, & toto animo hoc agite quod est omnium maximum. Lucæ 11. Qui quærit, inuenit. Regnum dei summum bonum, quod solum satiat appetitum. Psalm. 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua. & 35. Inebriabuntur ab hubertate domus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos. Ibi plena sufficientia, hic miseria & deficientia. Iob. 14. Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miserijs. Ibi finis, hic uia. Hebræ. 13. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Psalm. 119. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Huius regni claritatem & magnitudinem antiqui patres agnoscentes, summo studio clamabant Esaiæ 64. Vtinam disrumperes cælos & descenderes. Hoc nobis ingeritur Mat. 13. Lucæ. 10. Multi prophetæ & reges uoluerunt uidere q̃ uos uidetis, & non uiderũt. Habet hoc regnũ 4. cõditiones sup oĩa regna mundi, q̃re solerter q̃rendũ. Aeternitas. Psal. 144. Regnũ tuum, regnũ oĩ-

Regni cęlestis conditiones quatuor.

um seculorum. Dan. 7. Potestas eius potestas æterna, & regnum quod non corrumpetur. Speciositas. Sapiē. 5. Accipient regnum decoris & diadema speciei de manu domini. Puritas. Matt. 13. Mittet angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Hubertas. Lucæ. 22. Ego dispono uobis sicut dispositit mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Esaiæ. 65. Ecce serui mei comedent, & uos esurietis: ecce serui mei bibent, & uos sitietis: ecce serui mei lætabuntur, & uos confundemini: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & uos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis. Ostendit autem modum perueniendi. Et iustitiam eius, non legis. Roman. 10. Ignorantes dei iustitiam & suam uolentes constituere, iustitiæ dei non subiecti. Hinc Philippen. 3. Vt CHRISTVM lucrifaciā, & inueniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Iesu Christi, quæ ex deo est iustitia in fide. Roman. 3. Arbitramur enim hominem iustificari per fidem sine operibus legis. Complectitur autem hæc iustitia tria: Vnum, ut regni insignis figuremur. Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire regnum dei. Alterum, ut inimicis reluctemur, qui sunt mundus, caro & diabolus. Lucæ. 11. Qui non est mecum, contra me est. Tertium, ut opera regni operemur, quæ sunt, quasi statuta quæ Christus docuit obseruare. Vnde regnum quærere & iustitiam eius, est ipsam operibus implere, (quam, imitādo Christum

& mandata eius implendo, assequimur) tantum ut deus glorificetur, & ut nos ei per omnia placeamus. Vult ergo temporalium solicitudinē abijcere, quæ ab illo regno abducunt: nam tunc adijcientur omnia necessaria liberalitate dei. Nam & nos curam illorum agimus, qui se totos nobis manciparint, de quibus solliciti sumus, tametsi seipsos ipsi negligant: quanto magis dominus? Ambrosius: Hic manifestissime dominus ostendit, non esse appetenda hæc, tanquā talia nostra bona, ut propter ipsa debeamus benefacere, si quid faciamus, sed tamen esse necessaria. Regnum ergo dei & iustitia dei (non nostra) bonū nostrū est, & hoc appetendum, & ibi finis constituendus, propter quod omnia faciamus quæcunq; facimus. Sed quia in hac uita militamus, ut ad illud peruenire possimus, q̄ uita sine his necessarijs agi non potest: adponentur, inquit, hęc uobis, sed uos regnū dei & iustitiam eius primum quærite. Cum enim dixit illud primum, quia hoc posterius quærendū est, nō tempore, sed dignitate: ostendit illud tanquam bonum nostrum, hoc tāquam necessarium nostrū, necessarium autem propter illud bonū. Neq; enim (uerbi gratia) ideo debemus euangelizare, ut manducemus: sed ideo manducare, ut euangelizemus. Si ergo quærimus cibum ut habeamus regnum dei, facimus q̄d debemus. Augustinus: Illud quod primum debet intendi, id est, æternitas, datur: & illud quod non debet intendi nisi per accidens, id est, tēporalitas, superaddit uel adijcitur. Quàm ergo stulti sunt, qui nimiam curam circa temporalia acquirenda, uel acquisita conseruanda apponunt? Hinc Phil. 4. Scio abūdare, scio & penuriā pati. 1. Tim. 6.

Nihil intulimus in hunc mundū, haud dubium qā nec quicquam auferre possumus. Habentes ergo uictum & quibus tegamur, his contenti sumus. Contingit sæpe, ut quo maiori amore stringūtur, eo uelocius ad modum anguillæ elabātur. Luc. 12. Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te: & quæ parasti, cuius erunt? Augustinus: Non est intelligendū q̄ semper adijciantur, quū Apostolus dicat, 1. Cor. 4. In fame & siti, in frigore & nuditate, sed pro dispositione diuinæ prouidentię aliquando dantur, aliquando subtrahūtur pro hominis bono. Cum eī dantur, ad gratiarum sunt actionem: quum subtrahuntur, ad probationem, ut in Iob & Tobia, & humilitatis cōseruationem. Eccl. 27. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Sicut ergo in usu ipso hæc transitoria sunt habenda, ita etiam in oratione transitorie sunt postulanda.

Mat. 6. *Nolite ergo soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibijpsi. Sufficit diei malitia sua.*

Non uult uos grauari curis, quæ faciunt afflictiores, meliores non faciunt. Quod hodiernus dies obtulit, accipite cum gratiarum actione. Quid crastinus dies sit allaturus, ipsi curandum relinquite. Si quid adferet boni, non pendebitis spe: si quid mali, nō præuenietis afflictionē metu futuri mali. Quod & si ,p crastino solicitus fueris, quādo uacabis deo? Habet hæc uita suas afflictiones, quas nihil est necesse metu cōduplicari. Satis est eī eas ferre quū uenerint, ut nō timor etiā nobis præsentes reddat, anteq̄

accidant. Chryſoſt. Satis malorum adfert ipſum tempus, ut nõ affligamus nos ſolicitudine futurorum malorum. Eph. 5. Videte itaq; fratres, q̃modo caute ambuletis, nõ quaſi inſipientes, ſed ut ſapiẽtes, redimentes tp̃s, qm̃ dies mali ſunt, afflictionib⁹ & calamitatib⁹ pleni. Craſtinus ergo dies curã habebit ſuipſius.

Deſcendens cum diſcipulis, ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum eius, & multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa & Hieruſalem, & maritima Tyri & Sidonis, qui uenerant ut audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Et qui uexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia uirtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Luc. 6. A

Oſtendit non in his quæ mundus quærit, ſed longe contrarijs ueram cõſiſtere beatitudinem. Deſcendit ergo in planitiem multitudinis capacẽ. Aderat multitudo promiſcui populi. Mat. 4. Abijt opinio eius in totam Syriã. Multos pellexerat & pertraxerat è longinquo auiditas audiendi ſermonẽ euangelicum, quo à morbis curarẽtur animorum. Chryſoſtomus: Si iuſtitiam facere non uis, ut qd prædicatorẽ iuſtitiæ audis? quare magiſtrũ uocas, cuius non uis eſſe diſcipulus? Et forte non pauci fama attracti, ut facie uiderent de quo tanta audierant. Sic regina Saba Hieroſolymã uenit audire ſapientiam Salomonis, 3. Re. 10. & Lu. 11. Et ecce plus q̃ Salomon hic. Nonnullos ſpes ſanitatis tũ aiæ, tũ corporis, Pſal. 6. Miſerere mihi dñe, qm̃ infirmus ſum: ſana me, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Hier. 17. Sana me

domine,& ſanabor: ſaluum me fac,& ſaluus ero,q̃niam laus mea tu es. Et qui uexabantur. Quatuor indicant ſpiritus maligni conditiones. Naturæ ſubtilitas, quia ſpiritus. Eph. 6. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinẽ, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. 1. Pet. 5. Aduerſarius ueſter diabolus, tanquã leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Culpæ fœditas, quia immundus, quare ſordibus peccatorũ gaudet. Luc. 11. Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida & inaquoſa, quærens requiem, & non inuenit: quia in cœno luxuriæ & carnalis uoluptatis quieſcit. Matth. 8. Si eijcis nos hinc, mitte in porcos. Malitiæ peruerſitas, quia ex pura malitia & inuidia homines uexant, quum nihil hinc utilitatis, ſed calamitatis plurimum acquirant. Sap. 2. Inuidia diaboli intrauit mors in orbem terrarum. Nequitiæ modalitas: nam per dominum refrenantur, ne tantum poſſint quantum uolunt, ut claret Iob. 1. Ideo Iac. 4. Reſiſtite diabolo, & fugiet à uobis. 1. Pet. 5. Cui reſiſtite fortes in fide. Erat autẽ in eo fons ac plenitudo uirtutis diuinæ, quæ proficiſcebatur ab eo non ſecus ac lumen à ſole, calor ab igne, ac ſalutem adferebat omnibus. Prophetæ & ſancti uirtutem ſuam ſuperne acceperunt, nec habuerunt à ſe egredientem, quia non fontes, ſed riuuli, Sic & diſcipuli. Mat. 10. Conuocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorũ ut eijcerent eos, & curarent oẽm languorem & omnẽ infirmitatem. Iohan. 14. Qui in me credit, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horũ

Spiritus maligni cõditiones quot.

faciet. Eph. 4. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatẽ, dedit bona hominibus. De quibus donis 1. Corin. 12. Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad utilitatem, scilicet ecclesiæ. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodẽ spiritu, alij gratia sanitatum in uno spiritu, alij operatio uirtutum &c. Hæc aũt omnia operatur unus atq; idem spiritus, diuidẽs singulis prout uult. Cum ergo sine pœnitentia sint dona & uocatio dei, Ro. 11. claret & sanctos nunc apud deum pie inuocantibus opitulari posse, quemadmodum & magis q̃ antea in terris, quum conditio eorum melior, & perfectior charitas effecta sit, nec cedat in detrimentum, sed potius augmentũ glorię diuinæ, quum huiusmodi operibus apud Christum se uiuere testentur. Legimus ad contactum ossium Helisei mortuum reuixisse, 4. Reg. 13. Sic ad contactum sudariorũ Pauli & semicinctiorum languores recedebant, & spiritus immuudi egrediebantur, Actu. 19. Quotquot ergo & nunc Christum pio tangunt affectu, sanat omnes. Tangit autem, qui credit in eum: tangitur à Christo, qui firmatur ab eo. Iac. 4. Appropinquate deo, & appropinquabit uobis. Qui ergo sic tangit & tangitur, uirtute spiritus eius sanatur.

Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes, quia uestrum est regnum dei. 2

Beda: Etsi generaliter omnibus loquitur, specialiter tamen in discipulos seruator oculos leuat, ut iis qui uerbum intenta cordis aure percipiunt, latius saporis intimi lumen aperiat: & quibus in mon-

te ſedens os aperuit ut magna ꝓferret, in eos ſtans in campo oculos dirigit, ut audita patienter intelligant. Conſtituunt mundi amatores felicitatē in rerum abundantia, quū tamen multis occaſio ſit malorū multorū. Pſal. 143. Beatum dixerunt populū cui hæc ſunt: (quæ præmiſerat) beatus populus cuius dñs deus eius. Mal. 3. Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, ſiquidem ædificati ſunt facientes impietatem, & tentauerunt deū, & ſalui facti ſunt. Contrā dñs pauperes beatos pronunciat, qui opes terrenas ſpernunt quo liberius deo uacent. Ex ſpontanea paupertate cæteræ uirtutes exordiū quoddā & originem ſumunt, ſicut econtra radix omnium malorum eſt cupiditas, 1. Timoth. 6. quę fidem impedit. Lucæ 16. Audiebant hæc omnia phariſæi qui erant auari, & deridebant eum. Imò à fide excidere facit. 1. Timoth. 6. Quam quidam appetentes, à fide exciderunt. Hinc idolorum dicitur ſeruitus, Epheſi. 5. Neceſſario ergo prima ponitur. Gregorius: Qui nihil habet in mundo quod diligat, nihil eſt in mundo quod pertimeſcat, & ideo nihil eſt ei moleſtum. Ad hoc enim Chriſtus paupertatem amplexus eſt, quo ſuo exemplo affectus noſtros à terrenis auocatos, uirtutibus diteſcere faceret. 2. Corin. 8. Scitis gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter nos egenus factus eſt, cum eſſet diues, ut illius inopia nos diuites eſſemus. Vnde Luc. 14. Niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Contemnentes theſauros terrenos, cæleſtes aggregant. Iaco. 2. Nōne pauperes elegit deus in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromiſit deus diligentibus ſe? Pſal. 9.

Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor, & 33. Iste pauper clamauit, & dominus exaudiuit eū, & ex omnibus tribulationibus eius saluauit eū. Claret in paupere Lazaro, Luc. 16. Secundo, ut bene sit homini in corpore, quo ad cibum & potum. Sap. 2. Venite, fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tāquam in iuuentute celeriter. Vino precioso & unguentis nos impleamus, & non pereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit quod nō pertranseat luxuria nostra. nemo uestrum exors sit luxuriæ nostræ. Vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra. Esa. 22. 1. Cor. 15. Comedamus & bibamus, cras enim morietur. Sed audiamus cælestem doctorem.

Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.

Qui nunc tenues esuritis, sititis, contenti frugalitate spernitis opes ac luxum huius mundi, 1. Corin. 7. Qui utuntur hoc mundo, tanquam non urantur. Est enim esuries, prout est actus uirtutis, scilicet abstinentiæ, qua quis sponte propter deum corpus affligit & spiritui subijcit. 1. Cor. 9. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo. 2. Corin. 11. In fame & siti, in ieiunijs multis. Heb. 11. Circuierūt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti. Beati ergo qui spretis delicijs esuriunt animi cibū, qui est sermo diuinus, & sitiunt aquam uiuam euangelici spiritus, quoniam continget eos salubribus delicijs expleri, quas desiderant. Psal. 102. Benedic anima mea domino, & noli obliuiscī omnes retributiones eius. Qui replet in bonis desideriū tuū,

& 33. Timete dominum omnes sancti eius, quoniã non est inopia timentibus eum. Diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem dominum, non minuentur omni bono. Prou. 13. Iustus comedit & replet animam suam, uenter autem impiorum insatiabilis. Ambrosius: Qui esurit, esurienti compatit, compatiendo largitur, largiendo fit iustus, æqualẽ se inferioribus præstat, dolum excludit, ueritatẽ requirit. Tertio, ex rerũ abundantia & uita uoluptuosa sequitur inepta lætitia. Prou. 2. Lætantur cũ male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Iob. 21. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitũ organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.

Beati qui uosipsos orbastis ultro uoluptatibus huius mundi, studio pietatis euangelicæ, præferentes ea quæ per temporarias afflictiones, perducunt ad æternæ uitæ gaudia, quia ueniet tempus, ut uersis rerũ uicibus, dolor uester uertatur in gaudiũ, & luctus in risum. Est em̃ tempus uitę prę sentis, tẽpus luctus & tristitiæ, tum ratione culpæ sine qua non transigitur. 1. Iohan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. tum dilatę gloriæ. Canti. 5. Nunciate dilecto quia amore langueo. Psal. 118. Exitus aquarũ deduxerunt oculi mei, quia non custodierũt legem tuam. Sic & super aliorum miserijs. Luc. 19. Videns (Iesus) ciuitatem, fleuit super illam. Iob. 30. flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Ridebit ergo talis in die

nouissimo, Pro. 31. Quarto quæritur honor, unde in superbiam eleuantur. Hinc uulgus felices appellat, quibus applaudit populus, qui ad honores prouehuntur, qui magnificis titulis celebrantur. Mat. 25. Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus rabbi.

Beati eritis quum uos oderint homines, & separauerint uos & exprobrauerint, & eiecerint nomen uestrum tanquam malum propter filium hoïs. Gaudete in illa die & exultate: ecce enim merces uestra multa est in cælis. 3

Beda: Docet eos ab hominibus insectandos, sed super homines esse beandos, qui enim in terris aduersa sustinent pro Christo, in cælo recipient plurima dona. Vos ergo me autore beati eritis, quũ uos oderint corde, quia signum quòd non estis de mũdo. Iohã. 15. Si de mundo fuissetis, mundus uticq; q̃d suum erat diligeret. Gala. 1. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Ro. 15. Vnusquisq; proximo suo placeat in bonũ. Et exprobrauerint, uerbo. Verbũ enim crucis pereuntibus stultitia est, & quum uos ut execrabiles è contubernio suo eiecerint. Ioh. 9. Iam enim conspirauerant Iudæi, ut si quis eum Christum confiteretur, extra synagogam fieret, quum in uos mea causa multa probra cõgesserint, 1. Cor. 4. tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usq; adhuc, quũ nomen uestrum ac memoriam, uel abolere prorsus, uel abominabilem posteris reddere studuerint, idq; nulla uestra culpa, sed odio filij hominis, cuius

doctrinam & gloriam prædicabitis. Distinguit inter eos qui mala patiuntur. Nam quidam ob flagitia. 1. Pet. 4. Nemo uestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, nõ erubescat, glorificet autem in isto nomine deũ. 1. Pet. 2. Quæ enim est gratia, si peccantes colaphizati sustinetis? Sed si benefacientes patienter sustinetis, hęc est gratia apud deum. De his hic, qui propter Christũ & 1. Pet. 2. Hæc est enim gratia, si propter dei conscientiam sustinet quis tristitias patiẽs iniuste. Ne quid ergo ob hoc displiceatis uobis, quin potius gaudete, quum hæc uobis acciderint, corde, & exultate corpore. Psalm. 83. Cor meum & caro mea exultauerunt in deũ uiuum. Ro. 12. Spe gaudentes. Phil. 4. Gaudete in domino semper. Beda: Non hoc à quolibet patiente, sed ab eo q̃ supernæ tantum mercedis intuitu patitur, prçceptũ impleri potest, ut scilicet inter odia cordium, inter probra linguarũ, inter manus persequentiũ, æquali, imò lætiori adhuc corde uersetur. Tales fuerunt de quibus Actu. 5. Ibant gaudentes à conspectu concilij, qm̃ digni habiti sunt pro nomine Iesu cõtumeliam pati. Odiant licet homines corde nefando, dilectum cor Christi lædere non possunt. Separent, à synagoga depellant, Christus inuenit & conseruat. Exprobrent nomẽ crucifixi, ipse commortuos sibi conresuscitabit, & consedere faciet in cælestibus. Ecce enim merces uestra, quæ deus est. Gene. 15. Ego ero merces tua magna nimis, ait deus Abraæ. Multa, ait. Esa. 64. 1. Cor. 2. Oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit deus diligentibus se. Nam Rom. 8. Existimo q̃d

non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Et uere, quia pro paupertate temporali regnum datur æternum, pro momentaneo luctu lætitia sempiterna, pro fame horaria satietas plena, pro uilitate modica gloria perpetua. Et hoc in cælis, in loco tuto & amœno. Etenim si non respondebit meritis fauor hominum malorum, tamẽ manet copiosa merces benefactorum in cęlis. Homines non poterunt abolere nomina, quæ scripta sunt in cælis: nõ poterunt obscurare suis probris gloriam bonorum, quæ cũ gloria Christi semper iũgetur. Hic aperit ergo cæleſtis ille doctor arcanam illam suam philosophiam, quã ut traderet suis, è cælis descenderat in terras: & hãc Christianorum uulgus libenter antiquari finimus, ac uelut oboleſcere, & alias nugas agimus, cũ hæc inculcanda in primis sint animis omnium. Quod si fieret, non ita passim omnes pro rebus friuolis, pro pecuniola, pro uanissimis imperij titulis, pro quauis iniuriola digladiaremur. Hęc demum sunt quæ ueros reddunt Christianos.

Secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum. Veruntamen uæ uobis diuitibus qui habetis consolationem uestram. Luc. 6.

Qui uobis interim placetis, oblectantes animos uestros opibus, honoribus & illecebris huius mũdi, nec cogitatis breui futurũ, ut ista uana felicitas uobis auferat, Lu. 12. Stulte, hacnocte repetũt à te aïam tuã: & q̃ parasti, cuiꝰ erũt? & succedat infelicitas ęterna. Iac. 5. Agite nũc diuites, plorate ululãtes in miseriis uestris q̃ aduenięt uobis. Claret in diuite epulõe

Luc.16. Hinc Eccl.31. Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec spera uit in pecuniæ thesauris. Diuitiæ ergo si adfluãt, no lite cor apponere, Psal.61.

Væ uobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.

Qui deliniti rerum fluxarum successu nunc ridetis, dulciq; fortuna ebrij: nam mox uersis rerum uicibus flebitis, ac momentanea uoluptas in perennẽ cruciatum commutabitur. Chrysostomus: Dic mihi, cur rides? nunc enim tempus flendi. Iac.4. Risus uester in luctum uertetur. Eccẽs.2. Risum reputaui errorẽ, & gaudio dixi, quid frustra deciperis? Prou. 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.

Væ qui saturati estis, quia esurietis.

Non necessitatem carnis, sed uoluptatem quærẽtes, Lu.21. Videte ne grauentur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius seculi, & superueniat in uos repentina dies illa. Ro.13. Carnis curam ne feceritis in desiderijs. Ro.8. Debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Ideo Esa.5. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandã, & potandum usq; ad uesperam, ut uino æstuetis. Cithara & lyra & tympanum & tibia & uinum in conuiuijs uestris, & opus domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis.

Væ quũ benedixerint uobis oẽs homines. Secũdum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum.

Beda: Adulatio nutrix & fomentum est peccati, sicut oleum flammæ. Psal. 140. Corripiet me iustus in misericordia, oleū aūt peccatoris non impinguet caput meum. Esa. 3. Populę meus, qui beatū te dicunt, ipsi te decipiunt. Ne ergo placete uobis, quum ob falsam felicitatis speciē uobis gratulantur & applaudunt hoīes, ignari ueræ felicitatis, quū ea quæ turpiter & impie à uobis geruntur, laudibus uehūt. Psal. 9. Qm̄ laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Laus ista non liberabit uos à uindicta dei, sed grauioribus etiam supplicijs dignos reddet, q̄d non solū non puduerit impiorū facinorū, ueꝝ etiam ex malefactis laudē quæsieritis. Decet q̄dē ut ab hoībus laudemur, sed prius à deo.

Estote ergo misericordes, sicut & pater uester misericors est. Luc. 6. B

Ostendit quib⁹ modis & quare proximis nostris misericordiam impēdere debeamus, misericors dominus, nos miseros consolando, suam misericordiam nobis proponendo. Non ait, Estote potentes: quia angelus similitudinem potentię dei affectans, deiectus fuit, Esa. 14. & Luc. 10. Sic neq; sapientes. Nam scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria spoliauit, ut dicit Bernardus, & claret Gen. 3. dicente serpente: Eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Esa. 5. Væ qui sapientes estis in oculis uestris, & coram uobismetipsis prudentes. Sed misericordes. Nam per misericordiam culpa purgatur. Pro. 15. Per misericordiā & fidē purgant peccata. & 16. Misericordia & ueritate redimit iniquitas. Dan. 4. Peccata tua eleemosynis redime, & iniqtates tu-

as miſericordijs pauperũ. Gratia datur & augmentatur. Pro. 3. Miſericordia & ueritas te nõ deſerant: circunda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam bonam, & diſciplinã coram deo & hominibus. & 22. Qui pronus eſt ad miſericordiã, benedicet: de panibus em̃ ſuis dedit pauperi. Gloria accumulat. Eccl. 16. Omnis miſericordia faciet locum unicuiq; ſecundum meritũ operũ ſuorum. Hinc Mat. 5. Beati miſericordes, qm̃ miſericordiam conſequentur. Non ſolum aũt miſericordes eſſe docemur, ſed etiã quomodo ſimus inſinuatur. Sicut pater ueſter. Mat. 23. Vnus eſt pater ueſter qui eſt in cælis. Mal. 2. Nunquid nõ pater unus oim noſtrũ? Nunquid non deus unus creauit nos? Quare ergo deſpicit unuſquiſq; ueſtrum fratrem ſuum? Ipſe aũt miſericors eſt, expectando noſtrã conuerſionem. Eſa. 30. Expectat dñs ut miſereatur ueſtri. 2. Pet. 3. Non tardat dominus promiſſionem ſuã, ſed patienter agit propter uos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Inſpirando compunctionem. Oſe. 2. Ducam eam in ſolitudinẽ, loquar ad cor eius. Hier. 31. Poſtq̃ cõuertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtq̃ oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Remittendo tranſgreſſionem. Aba. 3. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Eſa. 43. Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorũ non recordabor. Augendo retributionem. Pſal. 102. Qui coronat te in miſericordia & miſerationib⁹. Huius ergo exemplo quãtum in nobis eſt, prodeſſe ſtudeamus uniuerſis: & bonis, q̃ fiant meliores: & malis, ut noſtra mãſuetudine prouocent ad meliorẽ frugem.

Nam & ipse solem suũ oriri facit super bonos & malos, Mat. 5. Quũ ergo duplex sit miseria, Vna culpę, Pro. 14. Miseros facit populos peccatũ. Altera pœnæ, s. aduersitatis & indigentiæ. Iob. 14. Homo natus de muliere, repletur multis miserijs. maxime prim̃ę succurrendũ, qa excludit à regno, ducens ad ęternam miseriam. Eccl. 30. Miserere animæ tuę placẽs deo. Sed qm̃ altera nonnunq̃ adiutorio est ad gratiam & gloriam, 2. Cor. 4. Id q̃d in præsenti est momentaneũ & leue tribulationis nostræ, supra modũ in sublime, æternũ pondus gloriæ operabitur in nobis: nobis tñ dei iudicium ignotum, (Quis enim cognouit sensum dñi? aut quis consiliarius eius fuit? Ro. 11.) ideo q̃tum in nobis est, subleuanda. Pro. 11. Benefacit animę suæ uir misericors. Quisquis igitur bona temporalia uel spiritualia alijs pro amore diuino largitur, quisquis in se peccantibus indulgentiam misericorditer tribuit, sicut sibi à dño misericordiam præstari rogat, hic proculdubio imitator dei efficitur. Licet autem ipsum imitari debeamus, nũquam tamen possumus ei æquari, quum nõ solum misericors, sed & ipsa sit misericordia. Psal. 58. Deus meus misericordia mea.

Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. 2

Mat. 7. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Non prohibet iudicare, sed docet rectũ modum. nam & Paulus iudicauit scortatorem Corinthium, 1. Corin. 5. & Petrus Ananiam & Saphiram Actuum. 5. Est enim iudicium ordinarium, sine quo politia stare non posset, ad quod requiritur pri-

mo legitima institutio, ne sit usurpatum. Rom. 14. Tu quis es qui alienum iudicas seruum? suo domino stat aut cadit. Sic dominus Luc. 12. dicenti, magister, dic fratri meo ut diuidat mecum hæreditatem, respondit: Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem inter uos? Secũdo, iusta prosecutio, quo ad intentionem, quæ est iustitiæ conseruatio in paucorum defensione & malorum repressione. Id maxime dominus exquirit. Psalm. 81. Iudicate egeno, humilem & pauperem iustificate. Esa. 1. Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam. Item quo ad executionem, quæ est in causæ iusta defensione. Deutero. 16. Iuste quod iustum est exequeris. non ergo mẽdacijs, dolo & fraude &c. Est & iudicium temerarium, uel altera uel utrisque carens conditionibus: id hic prohibetur. Omnem siquidem morbum difficilem ab animab⁹ nostris abmouet dominus, radicẽ dico suspicionis, Nam qui seipsum non considerat, & solum attendit res proximi, illasq; taxare uult, certum quod suspicione capitur, & obliuiscitur sui. Omnino enim de se quasi nõ peccet sentit, & propterea alios peccantes reprehendit, & in eo quod alios iudicat, peccat. Sic scribæ & pharisæi sibi in grauissimis peccatis ignoscentes, tamen erga fratrẽ iudices agebant inclementissimos, etiam ea calumniantes quæ recta sunt, siniſtre interpretantes quæ dubia, exaggerantes quæ leuia erant: denicq; si quem uidissent in aliquid grauius crimen prolapsum, magis hoc agebant ut perderent, quàm ut sanarent. Atq; hinc quoque iustitiæ famam sibi uenabantur, quo magno supercilio sæuirent in lapsus alienos, quum id facerent nõ

amore proximorum, quos extinctos maluerunt q̃ correctos, & traductos magis q̃ emẽdatos, nec odio uitiorum, quum ipsi suis uitijs lõge grauioribus indulgerent. Est autem hoc Christianæ mansuetudinis & pietatis ac simplicitatis, proximi dicta factaq; quæ quo animo fiant, dubia sunt, in meliorem interpretari partẽ. Syncerus enim animus semper propensior est ad bene opinandum, q̃ ad male suspicandum. Aug. Non est sibi contraria diuina lectio, sed sobrium intellectum quærit. In conuersatione em̃ humana sunt aliqua, quæ rationabiliter reprehenduntur: sunt quæ non sine peccato iudicãtur. Aperta enim mala & argui & iudicari debent. Illa autem quæ ignoramus, an bono malove fiant animo, iudicare non debemus, sed in meliorem semper partem interpretari. Veniet enim tempus quo iudicentur, quando illuminabit dñs abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, 1. Cor. 4. De illis ergo iudicare nobis permittitur, de q̃bus manifestum est quia bono animo fieri non possunt: qualia sunt quæ ab Apostolo opera carnis nominantur, Gal. 5. de quibus dominus Mat. 7. A fructibus eorum cognoscetis eos. Gre. Nazian. Non ergo cum acrimonia præcipites sententiam, ne similia patiaris. Fit em̃ ut iniqui nonnun q̃ iudicij exemplum in ipsos autores recidat, & alios uicissim experiantur suę uitæ censores tales, quales in alienam egerint. Qui male loquitur de proximo, peius audiet. Hinc dñs Iohã. 7. Nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate. Condemnatio uero ex iudicio nascit. Quemadmodum autem non quodcunq;, sed inordinatum iudicium prohibetur, ita non quæuis alio-

rum condemnatio, sed iniusta. Non enim sine causa principes gladium portant. Ro. 13. Ministri enim dei sunt, uindices in iram ei qui male agit. Exo. 22. Maleficos nõ patieris uiuere. Pro. 17. Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, uterq; abominabilis est apud deũ. Hinc Esa. 5. Væ qui dicitis bonum malum, & malũ bonum, ponentes lucẽ tenebras, & tenebras lucẽ, ponẽtes amarũ dulce, & dulce amarũ.

Dimittite, & dimittemini: date, & dabitur uobis. Mensuram bonam & confertam & coagitatam & superefluentem dabunt in sinum uestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur uobis.

Aug. Quum multa sint eleemosynarum genera, quibus adiuuamur ut dimittantur peccata nostra, nihil tamen magis illa, quum ex corde remittimus quod in nos quis peccauit. Si contracti parciq; fuerimus erga proximum, talem sentiemus & remunerationem. Marc. 11. Quum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, ut & pater uester qui in cælis est, dimittat uobis peccata uestra. Mat. 18. Sic & pater meus cæleſtis faciet uobis, si non remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus uestris. Augustinus in psona dei: Aliqd cõtra te teneo, aliqd tu cõtra aliũ tenes: remitte, & ego remittam. Hinc docuit in oratiõe Mat. 6. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Hinc Col. 3. Induite uos sicut electi dei uiscera misericordiæ, benignitatẽ, humilitatẽ, modestiã, patientiã, supportantes inuicẽ & donãtes uobismet ipsis, si qs aduersus aliquẽ habet q̃relam: sicut & dñs donauit uobis, ita & uos. Benefici etiã simus in oẽs,

propter eum qui dat omnibus affluenter, & nõ improperat, Iac. 1. Aug. Dicit tibi Christus, da mihi, dedi tibi: habuisti largitorẽ, habe debitorẽ, habe & fœneratorẽ. Pro. 19. Fœneratur dño qui miseretur pauperis. Eccl. 4. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandũ collecta. 2. Cor. 9. Qui parcè seminat, parcè & metet: & q seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et quia inuitauit ad meritum, ostendit præmium. Et quoniam oñia disposuit in numero, pondere & mensura, Sapien. 11. Hinc & in domo patris mansiones multæ sunt, Iohan. 14. & differens resurrectio erit mortuorum, quemadmodum claritas stellarum, 1. Corinth. 15. Possunt & ad diuersos referri respectus. Mensura bona, ad temporalia. 1. Tim. 4. Omnis creatura dei bona est. Gene. 1. Vidit deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Prouer. 11. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alia rapiũt aliena, & semper in ege state sunt. Prouer. 3. Honora dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus: & implebuntur horrea tua saturitate, & uino torcularia tua redundabunt. Mensura conferta, ad bona naturæ: Coagitata, gratiæ: Superefluens, gloriæ. Iacob. 1. Qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Psalm. 83. Gratiam & gloriam dabit dominus Glo. Dabunt illi, quibus iam opera impenditis misericordiæ: quia causa erunt ut deus det, quanquã & q hinc pauperes ad felicia regna cõmigrãt, illic diuites facti, suffragijs & interpellatiõibus apud deũ abunde bñficia terrena inse collata compẽsant, & insup de⁹ ꝓ his & ꝓ aliis suã addit gloriã. Luc. 16. Facite uobis amicos de mãmona iniqtatis,

ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna taberna cula. Hinc in sinum dicitur dari, quia securum & cha rum, id est, in intimũ cordis, ut intellectus æternam ueritatem contempletur, & in ea reficiatur, uolũtas summa bonitate fruatur. Esaiæ 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in reqe opulẽta. Amb. Non iniqua mensura rependet deus, sed est ac si di-cat: Ipsa iniquitas iudicandi, & iniqua mensura tibi nocet, te punit, & sæpe non illum de quo agis. Vel si recte iudicas & metiris, tibi prodest, te saluat, etsi aliquando non illum cui hæc impendis. Sic & in ele emosyna, quæ tñ magis pensatur quoad affectum q̃ effectum. 2. Cor. 8. Si uoluntas prompta est, secun dum id q̃d habet, accepta est, nõ secundũ id q̃d non habet. Patet in uidua duo minuta offerẽti, Mar. 12.

3 *Dicebat autem illis & similitudinem: Nunquid po test cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam ca dunt? Non est discipulus super magistrum. Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.*

Quo magis hęc infigeret animis suorum, adiecit similitudinem. gaudet enim harum rerum collatio nibus uti, quæ sensibus omnium notissimæ sunt. Si tu q doctor uideris esse & dux, laberis: omnibus mo dis cadet is, qui docetur & ducitur. Qui ẽm uias dei ignorat, & iustificationes eius, cæcus est, qui secun-dum sensum carnis & non secũdum intelligentiam spiritus incedit. 2. Pet. 1. Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide uestra uirtutem, in uirtute autem scientiam, in scientia autem abstinen tiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraterni

tatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hęc enim si uobiscum adsint & superent, nõ uacuos, nec sine fructu uos constituent in dñi nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis ueterum suorum delictorum. Purus sit ipse ab omni crimine oportet, q uelit alteri pire. Quid sit agendum quomodo docebit alium, qui ipse tenetur errore? Mat. 15. Sinite eos, cæci sunt & duces cæcorum. Hier. 50. Grex perditus, factus est populus meus, pastores eorum seduxerũt eos, feceruntq; uagari in montibus. Cadunt ergo primum in lacũ desperationis. Pro. 18. Impius quum in profundũ peccatorum uenerit, contemnit. Demum infernalis damnationis. Sed quoniam durum est, aliquorum petri obstinatam malitiam, hinc se proponit in exemplũ. Matt. 23. Vnus est magister uester Christus, Glo. Si magister uester q deus est, suas non ulciscit iniurias: discipuli q homines sunt, magistrum secundum regulam perfectionis imitari debent. Ioh. 13. Vos uocatis me, magister & domine, & bñ dicitis. Non enim par est, potiorem esse discipuli conditionẽ q̃ magistri. satis erit perfectus, si magistro equetur, & ipsum magistrum imitetur. Quasi ergo discipulus supra magistrũ erigit, quũ Christianusqs iniurias audire dedignat, seq; suis uiribꝰ ulcisci conat. Aug. Sũma religiõis Christianæ ẽ, imitari quẽ colis.

Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ est in oculo tuo, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo, frater, sine, eiiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem

nõ uides? Hypocrita, eijce primũ trabẽ de oculo tuo, & tũc pſpicies ut educas feſtucã de oculo fratris tui.

Feſtuca q̃ ſubito q̃dẽ oculũ tangit, ſed cito deficit ne oculũ lędat, leuia ſunt peccata, q̃ difficulter uitãt, ſed faciliter purgãt. 1. Ioh. 1. Si dixerimus q̃a peccatũ nõ habemus, noſipſos ſeducim⁹, & ueritas in nobis nõ ẽ. Iac. 3. In multis eñ offendim⁹ oẽs. Si ergo tua leuia, alior̃ grauia æſtimas, uere cæcus es. Quur inī quũ iudicẽ te p̃bes, pximo, ipſe grauiorib⁹ malis ob noxius? quur in alior̃ uitꝭ tam oculatus es, cũ ad tua ipſius mala cæcutias, trabẽ in tuo oculo nõ cognoſcẽs, aut ſi cognoſcis, diſſimulãs? Oculus, intẽtio cordis ẽ: feſtuca, ira ſubita: nã nõ iraſci impoſſibile, quũ iraſcibilis ſimus naturæ. Pſal. 4. Iraſcimini, & nolite peccare, ſed coercẽda, ne limites excedat. Ira aũt inueterata, conuertit in odiũ & fit trabs, inter q̃d & homicidiũ nihil intereſt. 1. Ioh. 3. Qui odit fratrẽ ſuũ, homicida eſt. Talis aũt rationabiliter dicere nõ poteſt, etſi impudẽter, frater, ſine, eijciã feſtucam de oculo tuo. Nã reſpõderi illi poteſt: Medice, cura teipſum, Lu. 4. & Ro. 2. In q̃ aliũ iudicas, teipſum condẽnas. Quod eñ eſt iſtud p̃poſterũ iudiciũ? In ſuis q̃ſq; malis eſſe debet iudex acerrimus, in alienis mitior: ad ſua quẽq; uitia decet eſſer oculatũ, in alienis nõ pinde curioſum. Et ſibi primũ q̃ſq; debet eẽ medicus, priusq̃ alteri manus admoueat. Sic phariſæi, nedũ diſcipulos, ſed & ipſum Chriſtũ improbe notare conati ſunt: In peccatricis admiſſiõe, Lu. 7. peccatoꝝ cõuiuatiõe, Mat. 9. Lu. 15. manuũ ablutione, Mar. 7. Mat. 15. ſpicaꝝ cõfricatione, Mat. 12. imò & Iohannẽ, Lu. 7. Venit aũt Iohãnes baptiſta neq; mã

ducãs panẽ, neq; bibẽs uinũ: & dicitis, dæmoniũ habet. Venit filius hoïs mãducãs & bibẽs, & dicitis: ecce hõ deuorator & bibẽs uinũ, amicus publicanorũ & peccatorũ. Ideo Mat. 23. Duces cęci excolãtes culicẽ, & camelũ glutiẽtes. Audi simulator iustitiæ, q̃ nõ ex tuis bonis, sed ex alienis malis sanctimoniæ laudẽ uenaris apud hoïes: si uere uis esse iustus, primũ eiẽce trabẽ de oculo tuo. Pro. 18. Iustus in princĩpio accusator est sui. Carpturũ em̃ alios, immaculatũ oportet esse: magnis em̃ obtenebratus peccatis, minora in fratre cernere nõ potest. Sed sunt q̃ subditorũ parua errata grauiter puniũt, sua magna negligẽtes: aliq̃ arguũt aliorũ errata, q̃ ipsi iusti appareant. Greg. Imperitus est medicus & improb⁹, q̃ mederi me appetit, & uulnus ꝓprium nescit. Charitas em̃ ordinata eẽ debet, ut hõ primo suiꝑ ipsius, deinde ꝓximi curã agat, & p exẽplũ idoneus reddat. Basi. Cõsiderandũ q̃ntę sit difficultatis alios iudicare, q̃a oportet primo seipsos cõspiciãt & emẽdẽt, q̃d oĩm grauissimũ est: q̃a cũ oculus cũcta exteriora uideat, tñ sup se uisum nõ uertit: ita & intellectus, cũ alienũ uelociter corrigat peccatũ, lentior est, ꝓprios ꝑcipere defectus. Priuata iudicia, ꝓhibẽt: nã aliãs iudicare licitũ, cũ nõ hoïs, sed dei exerceant iudiciũ. 2. Par. 19. Noli ergo effici iudex amarus, quasi hostis exigens uindictam.

Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas uestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis: & canes conuersi, dirumpant uos. Matt. 7. E

Hier. Porc⁹ nõ recipit ornatũ, q̃ ✠ sat̃ i uolutabr̃ luti, Pro. 11. Circul⁹ aure⁹ i narib⁹ suis, mulier pulchra

& fatua. Pura ergo fidei mysteria canibus, hominibus passionibus deditis, infidelibus in impietate uiuentibus, & spem conuersionis in melius nõ habentibus: & margaritæ preciosissimæ cælestium gratiarum, porcis in luto infrenis luxurię iugiter commorantibus, non communicanda. Phi. 3. Videte canes, uidete concisiones. Tit. 1. Malæ bestię, uentres pigri. Fiunt em̃ magis, post q̃ didicerint secreta, temerarij: qui uero benigno sunt animo, honestissima ea iudicabunt. & infra: Non enim ex ijs q̃ didicerunt, emendantur: sed eorum occasione superbius efferuntur, atq; insolentia fœdiori complentur. Et ideo nõ exiguum lucrum est, in sua ignorãtia illos permanere. Si uero discant, geminum est damnum, cũ certe ipsi omnino nihil fructificent, imò magis magisq; lædantur, & tibi negocia ac mille pericula commoueant. Audiant hoc loco qui impudenter omnibus ac temere copulantur, despicabilia ea quę sunt reuerenda, faciẽtes. Nam & mysteria ideo clausis ianuis celebramus, & eos qui nõdum initiati sunt, adesse prohibemũs: non quia infirmitatem aliquam mysteriorum deprehendimus, sed quia ad participationem illorum illi adhuc, quos arcemus, infirmi sunt. Propter hoc ipse multa ad Iudæos in parabolis differebat, quoniam non uidebant uidentes, Matth. 13. Ne ergo detis sanctum canibus, & ne proiiciatis margaritas ante porcos. 1. Corint. 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Esaiæ 28. Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulsos ab huberibus. Ne quando cõculcent inter pedes

suos eas, & canes uersi in uos, 2. Tim. 3. Mali homines proficient in peius, errantes, & in errorem ducentes, lacerent & dilanient uos.

Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Aut quis est ex uobis homo, quem si petierit filius suus panem, nũquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei? Si ergo uos cũ sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris, quanto magis pater uester qui in cælis est, dabit bona petentibus se? z

Imperauit magna, & difficilia ostendit quomodo perficiantur, nempe per preces continuas. Hæc nempe eximia bona, ut non sunt à nobis cõmunicanda quibuslibet, ita non contingunt à deo patre segnibus & oscitantibus. Diues & benignus est, nulli negat, nulli inuidet opes suas, sed agnosci uult earum precium. Non agnoscit autem qui segniter petit. Petite itaq;, si quid opus est, & dabitur uobis: q̃rite, si quid ignoratis, & inuenietis afflatu spiritus paterni, quod humano spiritu percipi non poterat. Pulsate precibus, addendo eleemosynas in ꝓximos, & aperietur uobis. Apud hominem nonnunq̃ incassum funduntur preces, uel quia non potest præstare quod rogatur, uel quia non uult. Verum apud deũ quisq; s, ut par est, petit, accipit: q̃squis auide scrutatur, inuenit: q̃squis instanter pulsat fores, huic aperietur. Hieron. Pulsemus ianuã Christi, de q̃ dictum est Psal. 117. Hæc porta domini, iusti intrabũt in eã.

Porro recte petit, qui petit salutifera. Hinc stimuli carnis ablationem Apostolus petens, non fuit exauditus, 2. Cor. 12. Sic nec filij Zebedęi cõsessum domini, Mat. 20. & qui petit cum fiducia. Iac. 1. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Marc. 11. Omnia q̃cunque orantes petitis, credite quia accipietis, & eue nient uobis. Qui enim magna affectiõe credit, cor suum omnino extendit ad deum, & quid facit? Vnitur illi, & feruefactum cor eius, magnam certitudinem sumit quòd uoti compos fiat. Recte quærit, qui infatigabili studio. Iob. 8. Si diluculo consurrexeris ad deum, & omnipotentem fueris deprecatus, si mundus & rectus incesseris, statim euigilabit ad te. 1. Ioh. 3. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & quæ sunt placita coram eo, facimus. Recte pulsat, qui pijs operibus diuinam bonitatem solicitat. Prou. 28. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Pulsant lachrymæ, & ad ipsum domini conspectum introeũt. Ecci. 35. Nonne lachrymæ uiduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducẽtem eas? A maxilla enim descendunt usq; ad cælum, & dominus exauditor nõ delectabitur in illis. Quod si non protinus accipitis quod petitur, ne diffidite tamen de benignitate patris uestri: dabit quum opus fuerit, & quantum opus erit, si modò perseueraueritis. Differt quãdoq; filiorum audire preces ad uotum, unde uidetur afflictis non attẽdere. Iob. 3. Ecce clamabo uim patiens, & nemo audiet: uociferabor, & non est qui iudicet. Sed nõ minus exorabilis est de-

us erga filios suos, q̃ homo pater erga liberos suos. Vos igitur natura procliui ad malum, Gen. 8. Sensus & cogitatio humani cordis in malũ prona sunt ab adolescẽtia sua. atq; etiam alijs in rebus mali plerunq;, necnon ad deum cõparati, tamen hac in parte nõ uirtute, sed naturæ impulsu seruatis pietatem, ut noueritis utilia & bona dona dare filijs uestris, quãto magis id faciet pater cælestis natura bonus? Nouit quæ conducant ad salutem æternam, hæc libenter donat rogatus. Quod si per errorem rogetur noxia, p̃ bñficio duceret negare, quod male peteret, sed p̃ optatis daret salutaria. Qui em̃ pater est spirituũ, & natura bon⁹, impartiet uobis de cælo spiritũ suũ bonũ, oĩa bona largiturũ, si petieritis ab ipso.

Omnia ergo quæcunq; uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Hæc ẽ enim lex & prophetæ. 3

Breuẽ ad uirtutẽ ostẽdit uiã. Ex nobis ipsis scim⁹ q̃d facto opus sit. Nã si uis bñficia accipere, bñfac: si diligi ab inimicis, dilige inimicos. Impedit etiã orationis effectus p̃ impiã cõuersationẽ. Esa. 1. Cum extenderitis manus uestras, auertã oculos meos à uobis: & cũ multiplicaueritis orationẽ, nõ exaudiã: manus em̃ uestrę sanguine plenę sunt. Nemo aũt sanus sibi nõ bñ cupit: sed uulg⁹ hoĩm sic est amãs sui, ut alienis malis, suis cõsulat cõmodis. Vobis non itidẽ faciẽdũ: sed q̃les optaretis alios eẽ in uos, tales uosipsos p̃state in alios. Hoc ẽ cõpendiũ & summa oĩm q̃ docet lex & pphetæ, q̃s aut si nõ uacat, aut p̃ insciẽtiã literarũ nõ potest aliqs euoluere, certe nemo nõ habet domi regulã, ad quã dirigat act⁹ suos, modo ratiõi q̃ cupiditatib⁹ obtẽperare malit. Est em̃ unũ

principium naturaliter notum in agibilibus, quemadmodum & illud Tob. 4. Quod ab alio oderis fieri tibi, uide ne tu aliquãdo alteri facias, ad quod naturaliter inclinat ſynderesis, ex quo eliciunt & deducunt reliqua præcepta ad proximũ ordinantia.

Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa uia eſt, quæ ducit ad perditionem: & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta & arcta uia quæ ducit ad uitã, & pauci ſunt q̃ inueniũt eã.

Hęc ſi uidentur ardua iis qui mundum diligunt, ſi uidetis maximam multitudinem hominum diuerſa ſequi, ne quid animum ueſtrum cõmoueat. Vos magis ſpectate quò ducat hæc uia, quàm, an cõmodum habeat ingreſſum: malitisq; cũ paucis per anguſtam portam tendere ad uitam æternam, q̃ cum multis ad perditionem æternam. Nequaq̃ ergo ad multitudinem oportet aſpicere, neq; hac exemplorum denſitate turbari, ſed imitari paucos, qui nos itinere cautiſſime incedere cohortantur. Lata uia q̃ abducit, ſeculi uoluptas & ſine timore peccare. Eccẽs. 8. Etenim quia nõ profertur cito contra malos ſententia, abſq; timore ullo filij hominũ perpetrant mala. Anguſta, quę per labores & ieiunia panditur imitatione Chriſti. Ioh. 10. Ego ſum oſtium. Matt. 16. Qui uult poſt me uenire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequat me. 2. Tim. 3. Omnes qui pie uolunt uiuere in Chriſto Ieſu, perſecutionẽ patient. Sed onus leue, ppter futuras retributiones. Pro. 4. Viã ſapientiæ mõſtrabo tibi, ducã te p ſemitas æqtatis: q̃s cũ ingreſſus fueris, nõ arctabunt greſſus tui, & currẽs nõ habebis offendiculũ.

Psal.118. Viam mandatorū tuorū cucurri, cum dilatasti cor meū. Quemadmodū corpulentus uel sarcinis onustus, p̄ angustā neq̄t intrare portam, sic neq̄ diues, neq̄ delicat⁹, sed p̄ latam. Siqdē spatiosa uia, qm̄ neminē arctat legibus pietatis, qm̄ ijs rebus adblandit quæ delectant sensus corporis, quæ blandī unt animi cupiditatibus, facile plurimos ad sese pellī cit: sed ad breue tempus delinitos, p̄ amplā portam transmittit ad æternas calamitates inenarrabiles, et falsis bonis deceptos, æternis & ueris tradit malis. Quàm uero arcta, quæ ducit ad uitam? Nihil enim ostentat quod blandiatur carni, multis aspera est, quæ molesta sunt naturæ, protinus obijcit, paupertatem, ieiunia, uigilias, tolerantiam iniuriarum, castitatem, sobrietatē, sed pauci inueniūt eam. Matt. 20. Multi sunt uocati, pauci uero electi. Eccēs. 1. Stultorum infinitus est numerus. 2. Tim. 2. Nemo coronabitur nisi q̄ legitime certauerit. Hiero. Latā uiā non q̄rimus: nec inuentione opus est, spōte se offert. Angustā portā nec oēs inueniunt, nec qui inuenerint, statim ingrediunt p̄ eā, & certantiū uia est. Siqdem multi inuenta ueritatis uia, capti seculi uoluptatib⁹, de medio itinere reuertunt. Pro. 12. Iter deuium ducit ad mortē, in semita aūt iustitię uita. & 14. Est uia quæ uidetur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.

Attendite à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Matt. 7. D

Ostendit quàm solicite malorum uitandū sit consortium, si rectam & expeditam uitæ prosequi uolu

mus uiam. Chryſ. Magna uirtus boni eſt, cognoſce re malum: & firma tutela ſalutis, noſſe quem fugias. Nulla enim res ſic bonum exterminat ut ſimulatio: quia malum ſub boni ſpecie uelatum, dum non cognoſcitur, minime uitatur. Cauẽdum ergo ab iis q̃ ſe uobis iũgunt, ſpeciem habentes pietatis, quũ ſint pietatis hoſtes, ueluti ouilla pelle tecti, quum intus ſint euangelici gregis laniatores. Blandiloquẽtiam prætexunt, & uitam ſanctam ſimulant, ſed intrinſecus latet aculeus. Hiero. Licet hoc de omnibus qui aliud habitu & ſermone, aliud opere oſtẽdunt, poſſit intelligi, ſpecialiter tamẽ de hæreticis, q̃ quadam pietatis ueſte tecti, uenenato animo & intentione nocendi, lupi ſunt rapaces, uel exterius ſi copia det perſequendo, uel interius corrumpendo. 1. Cor. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Secundum ſcripturas, interpretatores ſcripturæ prophetæ dicuntur, 1. Cor. 14. Neq; enim poteſt quis recte ſenſum ſcripturæ interpretari, niſi per ſpm̃ prophetiæ, ut dicit Chryſ. Non em̃ uoluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed ſpũſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti dei hoĩes. & ante, Omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit, 2. Pe. 1. Dicuntur falſi, ob falſificationem iuſtitiæ, ueniunt enim non miſſi. Ro. 10. Quomodo prædicabunt niſi mittantur? Matth. 9. Rogate dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. Sic Paulus & Barnabas ab apoſtolis per ſpiritum ſanctum miſſi fuerunt. Act. 13. Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos. Iohã. 20. Sicut miſit me pater, & ego mitto uos. Qui autem ſpũſancto ſe miſſum dicit, „pbet ſicuti Paul⁹, Ro. 15. Nõ audeo

aliquid loq eorum quæ p me nō efficit Christus, in obedientiam gentium, in uerbo & factis, in uirtute signorum & prodigiorum, in uirtute ſpiritusſancti. Sed Hier. 23. Nō mittebam prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad illos, & ipſi ꝓphetabāt. Si ſtetiſſent in conſilio meo, & nota feciſſent uerba mea populo meo, auertiſſem utiq; eos à uia ſua mala, & à cogitationibus ſuis peſſimis. Ioh. 10. Quotquot uenerunt ante me, (non miſſi) fures ſunt & latrones. Fur non uenit, niſi ut furet, mactet, & perdat. Secundo, uitæ: quia in ueſtimentis ouium, ſub prætextu iuſtitiæ euangelicæ. Nulla enim falſitas inuenitur, quę non aliqua ueritate pallietur. 2. Cor. 11. Nam pſeudo apoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in apoſtolos CHRISTI. Et non mirum. Ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis. Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur uelut miniſtri iuſtitiæ, quorum finis erit ſecundum opera ipſorum. Dominus iuſtos, oues nominat. Matth. 25. Tertio, doctrinæ, nam intrinſecus lupi ſunt rapaces. 2. Timo. 3. Mali autem homines & ſeductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. Matth. 22. Erratis, non intelligentes ſcripturas neque uirtutem dei. 1. Timo. 1. Finis autem præcepti eſt charitas, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conuerſi ſunt in uaniloquium, uolētes eſſe legis doctores, non intelligentes neq; quæ loquunt, neq; de quibus affirmāt. Cuius cauſa eſt, quia ſpiritu ſancto carent. Iohā. 14. Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiſcū in æternum, ſpm̄ ueritatis, quē mūdus nō poteſt accipe, qā

non uidet eum, nec scit eũ. Habent autem spiritum erroris. 3. Re. 22. Egrediar & ero spiritus mẽdax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit dñs: Decipies & prçualebis, egredere & fac. Hinc Act. 20. Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanct⁹ posuit episcopos regere ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio quoniã intrabunt post discessum meũ lupi rapaces in uos, nõ parcẽtes gregi. Et ex uobisipsis exurgẽt uiri loquẽtes puersa, ut abducãt discipulos post se: ꝓpter ꝙd uigilate. Rapiũt em̃ ueritatẽ ab intellectu, charitatẽ ab affectu, sanctitatẽ ab effectu. Sic animas ab ecclesia & Christo secum in æternum rapiunt exitium. Eze. 13. Væ prophetis insipiẽtibus, q̃ sequuntur spiritum suum, & nihil uident. Quasi uulpes in deserto prophetæ tui Israel. Vident uana, & diuinant mendaciũ, dicentes, ait dominus, quum dominus non miserit eos, & perseuerauerunt confirmare sermonẽ. Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite uniuersæ ætatis ad capiendas animas. Et cum caperent animas populi mei, uiuificabant animas eorum: & uiolabant me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, & uiuificarent animas quæ non uiuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs. Chrysost. Catholici doctores, si peccatores fuerint, serui quidem carnis erunt, non tamen lupi rapaces, quia non habent propositum perdere Christianos. Quia autem plurimi bonos de malorum ingenijs existimant, ut oñi eos excusatiõe nudaret, intulit: A fructibus eorũ cognoscetis eos. Nõ potes ergo dicere,

circunuentus sum atq; deceptus: siquidem manifestam tibi discretionem ex operibus ostendit, & ut etiam discuteres eorum opera, præcepit, ne temere cuncta confunderes. Facile deprehendes simulationis præstigium, si propius inspexeris non titulum aut uestem, sed ipsa facta, quę produnt animum insyncerũ. Nam etsi quando bene docent, tamen hoc ipsum quod docent, nõ prętant. Seneca: Nemo potest diu personam ferre fictam, sed cito in naturam suam incidunt, quibus non subest ueritas.

Nunquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor fructus malos facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neq; arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur & in ignem mittitur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. z

Est suus cuiq; arbori peculiaris fœtus, qui sapore prodit radicem. Chrysostomus: Sub spinis nullum animal requiescit nisi serpentes, ita iuxta malos nemo pacem habet, sed dæmones ibi habent cubilia. Vitis, Christus: palmites, fideles, Ioh. 15. qui uuas bonæ conuersationis ferunt. Sicut autem spina uel tribulus, quacunq; parte tangitur, pungit: sic iniquitate isti pleni sunt, quare euangelicos fructus ferre nõ possunt. Iac. 3. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amarã aquam? Nunquid potest fratres mei ficus uuas facere, aut uitis ficus? Sic neq; salsa dulcem potest facere aquam. Neq; enim q; syncero est animo, potest non factis exprimere synce-

ritatem affectus sui: neq; rursus qui uitiato est animo, potest ea præstare factis, quæ uere bonũ arguunt: tametsi præstigijs ac specie sanctimoniæ nonnunq; imponat incautis hominibus, certe deo non potest imponere. Arbori comparat hominẽ, eoq; potest à sterili peccato in uirtutem inseri. Chrysostomus: Dominus non dixit, impossibile est malum ad bonum conuerti, nec bonũ negat in deterius posse labi, sed q̃ diu malitiæ affixus est, non posse bonum fructum afferre. Proinde qui fucate boni sunt, dent operam, ut omisso fuco fiant boni. Nam si perseuerauerit in peruersa simulatione, metuat ne hoc patiatur à uindice deo, quod arbor infrugifera ab agricola suo. Exciditur. Mat. 3. Iam securis ad radicẽ arboris posita est Luc. 13. Arborem fici habebat quidam &c. Exciditur primo per deuitationem. Tit. 3. Hæreticum hominem post unam & secundã correptionẽ deuita, sciens quòd subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit quum sit proprio iudicio condemnatus. Mat. 18. Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Secundo, per mortem. Psalm. 48. Diues cum interierit, non sumet omnia, neq; descendet cum illo gloria eius. Tertio, per æternam damnationem. Mat. 13. Exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum. Chrysostomus: Duæ sunt pœnæ, excidi, & in ignem mitti. Multi autem gehennam timent & horrent, ego autẽ casum illius gloriæ multo maiorẽ gehenna casum esse aio. Intolerabilis gehẽna: uerum si mille ponat quis gehennas, nihil tale dicit, quale est ab illa gloria beata excidere, odio Christi haberi, audire, non noui uos. Etenim decem millia fulmina melius est sustinere,

quàm faciem mansuetam uidere auersam à nobis, & tranquillum illum oculum non ferentem uidere nos. Si ergo peccatum omissionis pœnam meretur æternam, Ioh. 15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, Mat. 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum: Esuriui, & non dedistis mihi manducare. &c. peccatũ commissionis, qd meretur? Vere, quãtum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum dabitur illi tormenti & luctus, Apo. 18. Sap. 11. Per quæ qs peccat, p hæc & punietur. Quisquis igitur in regno dei aut nullum, aut fructũ edit sua professione indignum, nisi resipuerit, in ignem æternum abijcietur. Secundum Augustinum: Lupi à tribus cognoscuntur: Primum est uiolentia, quia sanguine gaudet. Sic isti dissensionib⁹, sectis. Ro. 16. Rogo uos fratres, ut obseruetis eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam uos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Huiusce modi enim domino nostro Iesu Christo non seruiunt, sed suo uentri, & per dulces sermones seducunt corda innocentium. 1. Cor. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Secundum, calumnia. Chrysostomus: Lupus tect⁹ pelle ouina, per uocem cognoscitur & actum. Ouis balat inclinata deorsum, lupus ululat contra cælum. hoc superbiæ, illud humilitatis est signum. Ouis herbam manducat, lupus carnem. Sic isti contra deum & sanctos latrant. 2. Pet. 2. Fuerũt pseudoprophetæ in populo, sicut & in uobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis: & eum qui emit eos, deum negant, superducentes sibi celerẽ pditionẽ, & multi sequentur eor⁹ luxurias, p qs uia ueritatis blasphemabit, & in auaritia

Lupi quot modis cognoscunt.

de uobis fictis uerbis negociabuntur, quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Tertium impatientia. Lupus enim famis impatiens est. Quum enim propria spectent commoda, non dei honorem nec animarum salutem, cum cœperint hæc eadem aliquibus tentationibus illis subtrahi uel negari, quæ isto uelamine uel consecuti sunt, uel consequi cupierunt, tunc necesse ut appareat utrum lupus in ouilla sit pelle, an ouis in sua. Hæc Augustinus. Si ergo uitam & mores attentius obserues, inuenies eos sibi placentes, suis commodis ubiq; seruientes, elatos, uindices, inuidos, obtrectatores, gloriæ sitientes, nonnunquã & uentri deditos, & omnino suum negocium agentes potius, q̃ gregis & euangelij, quæ quasi ex diametro pugnãt cum fructibus euangelicæ mentis.

3 *Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit uoluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.*

Docet nos, si fidem absq; operibus habuerimus, nihil nobis eam profuturam: neq; ẽm titulus Christianum facit, sed uita: neq; protinus pro discipulis agnoscentur, qui religiosis uerbis dixerint, domine domine, quum reipsa longe alijs dominis seruiant, mammonæ, uentri, ambitioni. Matt. 25. Nouissime ueniunt & reliquæ uirgines, dicentes: Domine domine, aperi nobis. At ille respõdens, ait: Amen amẽ dico uobis, nescio uos. Beda: Quid folia rectæ confessionis iactatis, qui bonos fructus non ostenditis? Iac. 2. Fides sine operib⁹ mortua est. Gal. 5. In Chri-

sto Iesu neq; circuncisio aliquid ualet, neq; prepu-
tium, sed fides quæ per charitatem operatur. Quos
igitur dignabor regno cælorum? Qui uere repudiũ
miserunt terrenis cupiditatibus, & ex animo obtẽ-
perant uoluntati patris mei, cuius uoluntatem ego
uobis prædico. Matth. 3. & 17. Hic est filius meus
dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite. Di-
cendo autem, qui facit, & non, qui fecit semel, signifi
cauit quòd is qui ad mortem usq; perseuerauit. Lu.
9. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciẽs
retro, aptus est regno dei. Mat. 10. ac 24. Qui perse-
uerauerit usq; in finẽ, hic saluus erit. 1. Thes. 4. Hæc
est uoluntas dei sanctificatio uestra, ut abstineatis
uos à fornicatione, ut sciat unusquisq; uestrum uas
suum possidere in sanctificatione & honore, non in
passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant de-
um. Vbiq; nos dominus ad plurimam conuersati-
onis curam hortatur. Neq; enim accidit, ut homo
honeste rectèq; uiuens, atq; ab omnibus uitijs libe-
ratus, aliquando despiciatur à deo: sed & si aliquo
errore teneatur, cito illum deus ad notitiam pertra
hit ueritatis.

Non est enim arbor bona, quæ facit fructus ma-
los: neq; arbor mala, faciens fructum bonum. Vna- Luc. 6.
quæq; enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque E
enim de spinis colligunt ficus, neq; de rubo uindemi-
ant uuam.

Ostendit non in uerbis, sed in factis euangelicam
consistere professionem. Arbor nanq; ad fructũ or-
dinatur, quare nõ ex foliis æstimatur, sed fructibus.
Fructus autem ex radice succum suum trahit: qui si

amarus est, non potest arbor fructum gignere suauem. Sin bonus, non potest arbor alium profetre fructum, quàm suo succo respondentem. Dicitur homo arbor mala non natura, quæ bona à deo creata est. Gen. 1. Vidit deus cuncta quæ fecerat, & erat ualde bona. sed uoluntate, quæ sicut arbor in terra, in anima radicat, & est immediata potẽtia in opus. Si ergo malus est animus & corruptus, malum est quicquid inde proficiscitur: si syncerus, syncerũ est quicquid hinc nascitur. Suauissimus succus fidei & charitatis, fructum fert euãgelicum. Agnosce arborem euangelicam, quum fructus habes euangelio dignos, de quibus Gala. 5. Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, lõganimitas, mansuetudo, fides, modestia, cõtinentia, castitas. Contra arborem malam, cuius radix amaro succo pharisaicæ superbiæ, liuoris & auaritiæ infecta est. Gala. 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt: fornicatio, immũditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comesationes & his similia: quæ prædico uobis, sicut prædixi, quoniã qui talia agunt, regnum dei non consequentur. Tam diu ergo bona arbor nõ facit fructus malos, quàm diu in bonitatis studio perseuerat. Matt. 6. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Et mala arbor tam diu manet in fructibus peccatorũ, quàm diu ad pœnitentiam non conuertitur. Nemo enim permanens in eo quod fuit, incipit esse quod cœperit. Sapien. 12. Erat enim naturalis malitia eo-

rum. Sapient. 4. Fructus eorum inutilis & acerbi ad manducādum. Communiter arbor bona, & putris, & carie uitiata, folia habent similia: sed fructus dissimiles, per quos cognoscuntur. Non ergo te bonū credas, quia bonus prædicaris. Spinæ, seculi solicitudo, Luc. 8. suffocantes uerbum dei, ne fructum quidem faciat. 2. Reg. 23. Præuaricatores quasi spinæ euellentur uniuersi, quæ non tolluntur manibus: & si quis tangere uoluerit eas, armabitur ferro & ligno lanceato: igne q; succensæ, comburentur usque ad nihilum. Sic corda concupiscentiæ, inuidiæ, detractionis uel superbiæ aculeis plena, alijs insuauia sunt & intractabilia: uirtutum exemplā ac doctrinæ ministrare proximis non possunt. Ficus, uitæ cæleſtis dulcedinem: uua, diuinæ dilectionis signat fragrantiam.

Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. 2

Thesaurus cordis, intentio est cogitationis, ex qua prouētum operis internus arbiter iudicat. Est autem uirtus, ut dicit Augustinus, habitus qua nullus male uti potest. Sicut ergo natura est operationum naturalium principium, ita uirtutes & dona proferunt germina uirtuosa. 1. Corin. 15. Plus oīmibus laboraui: non ego autem, sed gratia dei mecum. Nullus autem uere bonus sine charitate, absque qua nihil est homo in conspectu dei. 1. Cor. 13. Hinc est ut plerunq; minora nōnulli maiori cęleſtis

gratiæ mercede operentur, propter cordis intentionem, qua maiora uellent, si possent: & alij maiora uirtutum opera ostentantes, ob cordis incuriam tepidi, minora à domino prçmia sortiantur. Vnde uidua duobus missis in donaria domini minutis, plus omnibus diuitibus dedisse, domino teste, dicit Mar. 12. & Luc. 21. Sic malus interiori malitia, consuetudine praua & habitu uitioso, profert mala. Operatio enim arguit formam. Matthæ. 15. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia: hæc sunt quæ coinquinant hominem. Hier. 13. Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus uarietates suas, & uos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Si igitur in corde regnet atq; abundet uirtus, gratia, charitas, ex ore prodeunt uerba diuina, uirtuosa & sancta: sin autem uanitas atq; peccatum, inania ac iniqua prodibunt. Mat. 12. Ex uerbis tuis iustificaberis, & ex uerbis tuis condemnaberis. Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? Cum autem uoces sint notæ earũ quæ in animo sunt passionum, sæpe humanum fallunt iudicium, q̃d cor proximi nescit nisi ex ore & opere pensare: dominus uero contrà, uerba & opera ex cordis pensat radice. 1. Reg. 16. Homo uidet ea quæ patent, deus autem intuetur cor. Hier. 17. Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego dominus scrutans cor & probans renes, qui do unicuiq; iuxta uiam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum. Illi ergo ex abundantia cordis os loquitur, qui ex qua intentione promantur uerba, non ignorat.

Quid autem uocatis me, domine domine, & non facitis quæ dico? Luc. 6.

Quorsum enim attinet, quòd me honoris gratia compellatis dominum, quum negligatis quę præcipio? Obseruatio præceptorum, arguit fidelem seruum, non honorifica compellatio. Luc. 12. Seruus sciens uoluntatem domini, & non faciens, plagis uapulabit multis. Mat. 7. Multi dicent mihi in illa die, domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam noui uos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Ostendit fidem absq; operum sanctitate, etiam si signis polleat, nihil profuturã iis qui spiritu factisq; ipsius caruerint in illo die, quum iam non humano iudicio, quod sępe fallitur, sed diuino pro suis cuiq; meritis præmia designabuntur, & separabũtur oues ab hœdis. Chrysostomus: In qua dic? In illa, quando operaloquent & ora tacebunt, quando non persona interrogat, sed conscientia discutitur, & persona confunditur: ubi erunt testes non adulatores homines, sed angeli ueraces. Tunc enim nec illa eis profutura, quę nũc inter mortales diuinũ quiddam & homine maius præ se ferunt. Tum enim uidentes iam æternam uitam paratã iis, qui doctrinam euãgelicam sequuti, se declararunt ueros esse discipulos Christi: rursum, æternum supplicium iis, qui ab horum consortio submouebũtur: multi metu territi, uenient & agnosci iam cupient apud deum, quum apud homines simularint pcipuos quosdam & eximios Christi disci

pulos, euangelij præcones. Nonne in nomine tuo ꝓphetauimus? Gratia em̃ per indignos efficax est, sicut per indignos sacerdotes sanctificamur. Hinc & Saul inter ꝓphetas, ꝓphetico spiritu repletus est, 1. Reg. 10. Num & Saul inter ꝓphetas? Et Caiphas, quum esset summus pontifex, prophetauit q̃ Iesus moriturus esset pro gente, Ioh. 11. & Iudas cum cæteris miracula fecit, Mar. 6. Sic non sequentes dominum, dæmonia eijciebant, Luc. 9. & filij Sceuæ, Act. 19. Et in nomine tuo uirtutes multas fecimus, atq̃ his factis nomen tuum illustrauimus. Tot ergo argumentis docuimus nos esse tuos, & non agnoscis nos? Tunc, licet modo dissimulem, Esa. 42. Tacui, semper silui, ut parturiens loquar. Psal. 2. Tunc loquetur ad illos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. confitebor illis: Profecto nunquam agnoui uos, ne tum quidem quum ista faceretis. Cognitio pro charitatiua dilectione accipit. Augustinus: Non nouit eos, apud quos fidei suæ & dilectionis characterem non inuenit. 2. Tim. 2. Nouit dominus qui sunt eius. Discedite à me nũc corpore & anima, qui corde & opere antè discessistis: & accedite illi cuius spiritum habuistis, cuius uoluntati obtemperastis. Chrysostomus: Non dicit, qui operati estis iniquitatẽ, sed operamini: quia iniqui post mortẽ non desinent esse iniqui: nam etsi peccare non possunt, peccandi tamen uoluntatem non amittunt.

Omnis qui uenit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam uobis cui similis sit. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum supra petram. Inundatione autẽ

facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere. fundata enim erat super petram. Qui autē audit & non facit, similis est homini ædificanti domū suam super terram sine fundamento, in quam illisus est fluuius: & continuo cecidit, & facta est ruina domus illius magna.

Quod est radix in arbore, id est in structura fundamentū: & quod folia sunt in arbore, hoc est ædificij species, q̄ foris contēplantibus adblandit. Quēadmodum ergo fructus arboris nō potest esse generosi saporis, nisi radix succū habeat generosum: ita structura q̄is foris magnifica & in altū consurgens, firma non erit, nisi firmo solidoq; fundamento nitatur. Quisqs ergo sine delectu, Ro. 2. Non est personarū acceptio apud deum, nam uult oēs hoīes saluos fieri, & ad cognitionē ueritatis uenire, 1. Tim. 2. uenit ad me p fidē, Heb. 11. Accedētē ad deū oportet credere qa est, & inquirentiū se remunerator sit. Iac. 4. Appropinquate deo, & appropinquabit uobis. & audit sermones meos, Mat. 7. nec audit uerba mea hęc tm̄, sed in intimos affect⁹ suos dimittit, ut factis exprimat q̄d didicit. Ro. 2. Nō auditores legis iusti sunt apud deū, sed factores legis iustificabūtur. Iac. 1. Estote factores uerbi, & nō auditores tm̄: qa si quis auditor est uerbi, & non factor, hic comparabitur uiro considerāti uultum natiuitatis suę, in speculo. Considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit. Hinc Lu. 8. Qui habet aures audiēdi, audiat. Psal. 84. Audiam quid loquatur in me dn̄s deus, qm̄ loquetur pacem in plebem suam. Nota duplex opus. Internum. Ioh. 6. Hoc est opus

Opus duplex.

dei,ut credatis in illum quem misit ille. Alterũ exter num,ex interiori proficiscẽs p dilectionẽ. Gal.5.In Christo Iesu neq; circũcisio ualet aliq̃d,neq; p̃puriũ, sed fides quæ per charitatẽ operatur. Ordinatur em̃ uerbi dei auditio ad operari. Iac.4. Scienti bonum & nõ facienti,peccatũ est illi. Assimilatur uiro,pui- do. Quemadmodum talis ędificator prudenter egit ac fructuose,nec damnum passus est,ita is cuius ani mus fixus est in doctrina promissis q; Christi,à solo deo præmium expectans recte factorum,is aduer- sus omnes malorum iniurias,aduersus impiorum atrocissimas persecutiones, aduersus hæreticorum insidias & insultus,denicq; aduersus oñes machinas satanæ,aduersus mortem ipsam stabit inconcussus infractus q; usq; in diem illum, quum perseuerantia uictrix malorum suam feret coronã. Iaco.1. Beatus uir qui suffert tentationem: quoniam cum probat⁹ fuerit,accipiet coronam uitæ, quam repromisit de- us diligentibus se. Mat.7. Descendit pluuia,& uene runt flumina,& flauerunt uenti,& irruerunt in do- mum illam,& nõ cecidit. Tribus modis inundatio tentationum fideles impugnat. Nam à sua concupi scentia tentatur quisq; abstractus & illectus, Iaco.1. Vel falsorum fratrũ improbitate fatigatur, uel ex- ternor⁹ apertioribus impetitur insidijs. Quæ tenta- menta dominus Mat.16. portas inferi nominat: qa nimirum,si uicerint,in æternum pertrahunt interi- tum. Ose.4. Maledictum & mendacium & homici dium,furtum & adulterium inundauerunt. Chryso stomus: Christianum qui se ædificat super Christũ, nulla res eruere potest. Nam quasi in altum fodien do,suam uigilanter cõscientiam discutit: ne quid in

ea ſordidum lateat, ſolerter inquirit: cunctas à fundo cordis ſuperuacuorum cogitatuum latebras manu ſedulæ diſcretionis exhaurit, quatenus in ſe firmam quietamq; fidem petræ illi, id eſt, Chriſto præparet, ſicq; ut per eius præſentiam inſuperabilis, inter ſeculi terrentis aduerſa, & proſpera blandientis perduret. Sicut enim Chriſtus uarijs hominũ perſonis unam eccleſiam conſtituit, erudit & gubernat, in uitam productus ęternam. Ephe. 4. Et ipſe dedit quoſdam quidem apoſtolos, quoſdam aũt prophetas, alios uero euãgelſtas, alios autem paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorũ, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij dei in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ut iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni uento doctrinę in nequitia hominum, in aſtutia ad circunuentionẽ erroris: ueritatem aũt facientes, in charitate creſcamus in illo per oñia qui eſt caput Chriſtus. Sic bonus auditor uarijs uirtutibus, ſupernam ſibi manſionẽ ædificat, in futuro cum Chriſto ſęturus. Hinc gloſ. ſuper illud Heb. 11. Fides eſt ſperandarũ ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium, hoc eſt, ſubſtans fundamẽtum in ſpirituali ædificio. 1. Cor. 3. Dei ædificatio eſtis. Ephe. 2. Non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorũ & domeſtici dei, ſuperædificati ſuper fundamentum apoſtolorũ & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio cõſtructa creſcit in templũ ſanctum in dño, in q̃ & uos coædificamini in tabernaculũ dei in ſpũſancto. 1. Cor. 3. Fundamentum

aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, qđ est Christus Iesus. 1. Corin. 10. Petra aũt erat Christus. 1. Pet. 2. Ad quẽ accedentes lapidẽ uiuum, ab hoĩbus quidẽ reprobatũ, à deo aũt electũ & honorificatũ, & ipsi tanq̃ lapides uiui superædificamini domos spirituales. Et sicut diabolus obedientes sibi de cælis ad terrena & peccata trahit, ubi nõ est fundamentũ, quia malum est sine substantia, & semper ad deteriora præcipitat, sic malus auditor, siue sit initiatus mysteriis Christi, siue ex toto alienus à Christo, quasi in puteum sine fundo præcipitatus, non inuenit ubi se retineat, sed quũ uenerit in ꝓfundum malorũ, contẽnit. Pro. 18. Mat. 7. Et oĩs qui audit uerba mea hęc, & nõ facit ea, similis erit uiro stulto, qui ædificat domũ suam super arenã, & descẽdit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domũ illam, & cecidit: & facta est ruina illius magna. Chrysostomus: Frequenter mirant homines, quod qdã aut promissionibus flexi, aut terroribus fracti, aut ꝓsuasionibus falsorũ doctorũ circunuenti, relinquunt fidei ueritatẽ, & ad mendaciũ infidelitatis trãsmigrant. Quod si uel unã hãc Christi sententiã caute intelligeremus & recordaremur, nunq̃ de perditione taliũ stuperemus. Quomodo eñ ꝑmaneat apud deũ, qui nunq̃ stetit in Christo? Aut q̃modo illum teneat ueritas, qui nunquam tenuit ueritatẽ? Aut quomodo seruet eum iustitia, q̃ iustitiam non seruat? Quia si supra petram fidei, & non potius super arenã perfidiæ & leuitatis consisterent, labefactari nunq̃ potuissent. Sed quia intentionẽ suam super ista transitoria, carnalia & caduca, in quibus nulla est stabilitas uera, posuerunt, sun-

damento carentes uirtutũ, ideo ruina facta est magna. Corruens enim per peccatum anima, spiritualiter moritur. Sapi. 16. Homo per malitiam occidit animam suam, ab altitudine charitatis & gratiæ ꝑcipitatur, in uitiorum uoraginem mergitur, felicitate quoque priuatur cæleſti, ac calamitate obruitur æterna & infernali. Magna est ruina eorum qui audiunt & non faciunt. Seruus qui non nouit uoluntatem domini, & fecit digna plagis, uapulabit paucis, Luc. 12. Hieronymus: Super hoc fundamentum stabile & firmum, & per se robusta mole fundatũ, ædificatur ecclesia, quod architectus posuit apostolus, quod est dominus Iesus Christus, 1. Corin. 3. Super arenam uero quæ fluida est, & coaugmentari non potest, nec in unam copulam redigi, omnis hæreticorum sermo ad hoc ædificatur ut corruat.

Et factum est cum consummasset Iesus uerba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat autem docens eos sicut potestatem habens, & non sicut scribæ eorum & pharisæi.

Attoniti facti sunt & stupore perculsi, non principes, sed plebs innocua mirabatur, non facundiam uerborum, sed libertatem maiorem quàm prophetæ habebant, qui dicebant, hæc dicit dominus: Christus uero dicebat, Ego dico uobis. Nam & uigor quidam doctrinæ perfectæ, ac genuina quædam ueritatis uis afflabat docilem ac simplicem multitudinem, nihil experrtam simile in suis scribis ac phariſæis, qui sibi autoritatem uindicabant. Nam & miraculis testatus est, quid posſit factis,

De leproso sanato, Mat. viij. Marc. i. Luc. v.

ARTICVLVS XXVII.

Mat. 8. F

CVm autem descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo. mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus tuum quod præcepit Moses in testimonium illis.

Quantum simplex & uera apud deum ualeat fides, ostendit: quoniam doctrina euangelica humanæ rationis transcendit facultatem, neq; argumentis humanis probabilis est, ideo miraculis cõfirmatur. Ioh. 10. Opera quæ dedit mihi pater ut faciam, ipsa opera testimonium perhibent de me. Hieronymus: Post prædicationem atq; doctrinam, signorũ offertur occasio, ut per uirtutum opera præteritus apud audientes sermo firmetur. Facile põdus apud nos illius habet oratio, quem in factis conspicimus potentem. Ergo quum Iesus relicto mõte uenisset in planitiem, hinc atq; inde uariæ hominum caterua ad illum confluebant, quo miracula per eũ edenda, plures haberent testes. Origenes: Docente domino in monte, discipuli ueniunt ad eum tanquã alacres, sicut domestici, sicut proximi, sicut amici, sicut fratres, qbus dominus ait Mat. 5. Vos estis lux mundi. Sed descendente de monte, secutæ sunt turbæ,

quæ in montem ascendere non potuerunt, ut pigri, negligentes & imperfecti. Sic modo uigilantes animç, alacres & fideles, deum timentes & diligentes, regna cælestia desiderantes, dominum semp sequentes, post dominum in illum cælestem mõtem ascendunt. Col. 3. Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera dei sedẽs: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Secuti sunt autem, nõ eadẽ mentis deuotione. Nam quidam ob doctrinæ sanctitatem, quidam propter curiositatem, ut noua audirẽt & insolita uiderent. Alij malignitate, ut obseruarẽt: nonnulli necessitate, ut curarentur, uelut hic. Luc. 5. Et factum est quum esset in una ciuitatum, egrediendo uel ingrediendo. Erat enim hoc hominum genus sic abominabile apud Iudæos, ut procul submoueretur ab hominum consortio, ac lex uetaret contingi, Leuit. 13. & ecce uir plenus lepra, uidẽs Iesum, procidit in faciẽ suam. Marc. 1. & genuflexo, dixit. Chrys. Non illum petebat ut hominem artificem, sed adorabat ut deum omnipotentẽ, humiliter adorans, & ordinabiliter postulans, typo quodam docturus, eos qui lepra laborarent animorum, quę fœdior est ac detestabilior q̃ corporis, unde & qua fide deberent remedium petere. Pudorem adimebat salutis amor, fiduciam addebat Iesu iam spectata in omnes benignitas, spem faciebant tot aliorum exempla, qui sani domum redierant. Sui ergo pudens, prostrauit se in faciem, ac uocem emisit modestię simul & fidutię plenam. Domine, si uis, p. etc. Non potuit erga dominũ plenior esse fiducia, q̃ agnita potestate, beneficij conferendi arbitrium illi deferre, q̃ nouit aliquoties expedire nobis, ut malis corporis

affligamur, & inutilem esse rerum temporaliũ successum. Hiero. Qui uoluntatẽ rogat, de uirtute non dubitat. Nõ dicit, si deum obsecraueris, curabis me, sed si uelis. Volũtas tua opus est. Psal. 29. Vita in uoluntate eius. Ro. 9. Volũtati eius quis resistit? Sap. 12. Subest enim tibi cũ uolueris, posse. & 16. Vitæ & mortis habes imperium. Orig. Dominũ eum facit. & potestatem uniuersorum ei tribuit. Petitio relata in uoluntatem rogati, nullas patitur calumnias, reprehensione caret, omnibus licita est. Si non admittitur, iuste tamen porrigitur, sic omnibus petere licitum est. At Iesus boni pastoris exhibens imaginem, delectatus hominis fide cum tãta modestia coniuncta, qui non ausus sit petere ut mundaretur, nisi uellet ipse qui nouit quid cuiq; expediat, sed tamen non dubitat posse si uellet, nõ auersatus est impurum. Marc. 1. Iesus autem misertus eius, extendit manum suam: & tangens eum, ait: Volo, mundare, quo simul & uoluntatis suæ bonitatem, & potentię suæ magnitudinem declararet. Tactus leprosi lege prohibitus fuit, Leuit. 19. sed non ei qui mundare poterat, sicut & mortui. Hinc & mortuum tetigit Helias 3. Re. 17. & Heliseus 4. Reg. 4. Tetigit ergo, ut ostenderet omnia munda mundis, Tit. 1. & ut humilitatem demonstraret, docẽs nos nullum spernere, nullum contemptibilem ducere, ppter corporis læsionem aut maculationem, quæ à domino immittitur, cuius ipse nouit causam, & quo se dominum legis ostenderet, ac quod sancta eius caro sanctificationem communicet. Quanuis enim solo imperio curare potuisset, frequenter tamen curandis manum imposuit, uel aliud qppiã circa ipsos egit, quo osten

deret nos non solum per diuinitatis potentiam, sed & p incarnationis mysterium redimendos. Fuit em̃ contactus ipsius uirtuosus. Lu. 6. Om̃is turba quærebat eum tangere, qa uirtus de illo exibat, & sanabat omnes. Mat. 6. Quotquot tangebant eum, salui fiebant de quacunq; infirmitate. Sic mulier sanguiflua, Mar. 9. Itẽ ut nobis fiduciã accedendi ad ipsum daret, & oẽm occasionẽ trepidationis tolleret. Mat. 1. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mũdatus est. Secundũ Chrys. q. d. Citius mundatus est q̃ dici possit. Quia ipse dixit, & facta sunt, Psal. 148. Eo sanauit modo, quo leprosus fuerat deprecatus. Leprosus dixit, Si uis: Respondit dñs, Volo. Item potes, ait, mũdus esto. & sic uerbo & tactu mundissimæ suæ carnis sanauit. Ecce quanta ꝓmptitudo diuinæ clementiæ. Sanat enim integraliter totum hominem. Deu. 32. Dei pfecta sunt opa. Augustꝰ. Nunq̃ dñs aliquem sanauit quem non omnino liberaret, quia corpus ab infirmitate, animam à peccati contagione, indicans pœnitentem de omnibus oportere pœnitere. Secũdo celeriter, quàm primum inuenit nos dispositos, sanat. Esa. 58. Frãge esurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domũ tuã: quum uideris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. Augu. Tardius deo uidetur ueniam dare, q̃ peccatori accipere. Sic enim festinat reum à tormento conscientiæ absoluere, quasi plus eum cruciet cõpassio miseri, q̃ miserum passio sua. Tertio faciliter, solo uerbo, quia omnipotens. Mat. 8. Dic uerbo, & sanabitur puer meus. Augu. Multi & magni sunt domine languores mei, sed amplior est

Quotupliciter dominus sanet.

Consolatoria & aurea sententia.

tua medicina. Psal. 40. Sana animã meam, quia pec caui tibi. Hier. 17. Sana me domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quia laus mea tu es. Psal. 29. Domine, clamaui ad te, & sanasti me. Sed sunt q eius medicinam cõtemnunt. Pro. 29. Viro qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus supueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. Mar.
2 1. Et comminatus est ei, statimq; eiecit illum, & dicit ei: Vide nemini dixeris: sed uade, ostende te principi sacerdotum, & offer pro emũdatione tua, quæ præcepit Moses, in testimonium illis. Chrys. Nõ simpliciter prohibet, sed ne, anteq; sacerdoti se ostẽdat, alicui reuelaret, ne sacerdotes ob odium lepræ & Christi, eum quasi leprosum repellerent. Lex enim lepræ iudicium deferebat ad sacerdotes, Leui. 13. Hiero. Mittit ad sacerdotes propter humilitatem, ut sacerdotibus deferat honorem, quibus lex iubet munera offerri, Leu. 14. Secũdo, ne legem uideretur infringere. Tertio, quo maior fides esset miraculo, simulq; eriperetur ansa calumniandi sacerdotibus, q sibi uindicaret autoritatem iudicandi de lepra, & ad se trahere cuperet lucrum, quod ex mũdatis à lepra soleat ad ipsos redire. Et ut tãto miraculo moti crederent, uel si non crederent, essent inexcusabiles. Ac ne pòst calumniam leproso struerent, qui se turbæ admiscuerit: & Christo, qui non potuerit ueram p̃stare sanitatem. Porro quòd interdixit mũdato, ne cui prædicaret quid accidisset, quum sciret non esse taciturum, Mar. 1. Et egressus cœpit prædicare & diffamare sermonem, ita ut iam non posset manifeste introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esse, & conueniebant ad eũ undiq;. Lu. 5. Perambulabat

aũt magis sermo de illo, & conueniebant turbę multæ ut audirẽt, & curarent ab infirmitatib⁹ suis. Ipse autem secedebat in desertũ, & orabat. Suis parauit exemplum, ne quam ex benefactis auram gloriæ uenent apud hoïes, licet deceat eum q̃ bñficio affect⁹ est, gratum esse & officiosum, etiam si non indigeat q̃ bñ meruit. Nec em̃ nostra sunt q̃ deus p nos operat. Felicius aũt sequit gloria fugientẽ, & speciosior cõtingit nõ affectata. Ex huiusmodi mirabilibus factis indies magis ac magis inclarescebat dñi Iesu fama, dum alij q̃d uiderant & audierant, narrãt alijs. Itaq; cõfluebãt undiq; turbę multitudinis indies cõfertiores, partim ut audirent efficacẽ illã doctrinã q̃ sanat morbos aïorum, partim, ut q̃ morbis corpor̃ essent obnoxij, uirtute Iesu sanarent. Iesus aũt facto suo docens opa bona nec ad ostentationem theatri cam, nec ad satietatem esse faciẽda, subduxit sese in desertum: atq; illic semotus ab hoïm frequẽtia, precationibus uacabat, gratias agens deo patri pro beneficijs quæ per filium suum largiretur hominibus. Siquidem hac uicissitudine fit, ut primum intermissio beneficij excludat satietatem, & excitet appetentiam. deinde qui secessit ab hominibus ad diuinum colloquium, non ad ocium, lusus, uoluptatem, sed lectionem sacror̃ libror̃, ad precationem puram, ad gratiar̃ actionem, contemplatiõem rer̃ cælestium denicq; ad expurgationem animi, si quid forte labis contractum est ex populari conuictu, instructior redeat atq; alacrior ad munus intermissum. Pastoris assiduus cum populo cõuictus, plerunq; gignit contemptum: & ꝑdesse non potest, qui se ꝑpetuò subducit ab hominum commercio. Admonemur hic,

ut dona nostra & munera nõ teneamus apud nos, sed dño reddamus, maxime quum à piculis liberamur. Optima qppe beneficiorũ custos, est ipsa bñficiorũ memoria, & ppetua gratiarũ cõfessio: & q̃ non est ullum uitiũ tam fœdum, tam capitale, quod non ilico condonet agnoscenti morbum suum, & pfidem euangelicam imploranti remedium à cælesti medico Iesu. Hiero. Lepra nostra peccatũ primi hominis est, quæ à capite cœpit, qñ regna mundi desiderauit. Radix enim omnium malorũ est cupiditas, 1. Tim. 6. Vnde Giezi auaritiam sequutus, lepra suffundit, 4. Re. 5. quæ sacerdoti uero secundum ordinẽ Melchisedech, Heb. 7. ostensa oblatione mũdat, dicente Lu. 11. Date eleemosynã, & oĩa munda sunt uobis. Signat ergo lepra peccatũ, qa contagiosum. Pro. 13. Qui cũ sapientibus graditur, sapiens erit: amicos stultorũ, similis efficiet. Eccl. 13. Qui tetigerit picẽ, inqnabit ab ea: & q̃ cõmunicauerit superbo, induet superbiam. 1. Cor. 5. Modicũ fermenti totam massam corrumpit. 1. Cor. 15. Corrũpunt bonos mores colloqa mala. Separatiuũ. Nu. 5. Prȩcipe filijs Israel, ut eiiciant de castris oẽm leprosum. Sic angelus ècȩlo. Lu. 10. Videbam satanã tanq̃ fulgur de cælo cadentẽ. Esa. 14. Quomodo cecidisti Lucifer q̃ mane oriebaris? Homo è paradiso. Ge. 3. Emisit eum dñs de paradiso uoluptatis, ut operaret terrã de q̃ sumptus est. Psal. 118. Lõge à peccatoribus salus. Esa. 59. Iniqtates uestræ diuiserũt inter uos & deũ uestrum, & peccata uestra absconderũt faciem eius à uobis, ne exaudiret. Finaliter in leprosorium inferni detrudet. Mat. 13. Exibũt angeli, & separabunt malos de medio iustorũ, & mittẽt eos in caminum ignis. Irre

Lepra quot & quę signet.

mediabile uia humana. 4. Re. 5. Nunquid deus ego sum, (ait rex Israel) ut occidere possim & uiuificare, qa iste misit ad me ut curem hominem à lepra sua? Esa. 43. Ego sum, ego sum ipse q deleo iniqtates tuas, ꝓpter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Lu. 5. Quis enim potest peccata dimittere nisi solus deus? Hinc ipse suis potestatem fecit remittendi peccata. Ioh. 20. Accipite spiritū sanctū: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Ideo Eccl. 21. Quasi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipiēt te. Dentes leonis dētes eius, interficiētes aīas hoīm. Fili, peccasti? ne adijcias iterum, sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittant. Psal. 50. Cor mūdum crea in me deus. Apo. 21. Nihil immundū aut coinquatū intrabit in illā, aut abominationē faciēs & mendaciū, nisi q scripti sunt in libro uitę agni. Habemus hic formā curationis. Venit em̄ sine, ꝑastinatiōe. Eccl. 5. Ne tardes conuerti ad dñm, & ne differas de die in diē. Psal. 33. Accedite ad eum & illuminamini, & facies uestræ nō cōfundent. Procidit cū humiliatiōe. Eccl. 35. Oratio humiliātis se nubes penetrat. Iudith. 9. Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humiliū & māsuetorū semp tibi placuit deprecatio. Petijt cū firma fide. Mar. 11. Quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet uobis.

De seruo cēturionis, Mat. viij. Lu. vij.

ARTICVLVS XXVIII.

CVm autem implesset omnia uerba sua ad aures plebis, intrauit Capernaum. CVM autem intro Lucæ. 7. Matth. 8.

isset Capernaum, acceßit ad eũ centurio, rogans eum & dicens: Domine, *puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Ieſus:* Ego *ueniam & curabo eum. Et reſpondens centurio, ait:* Domine, *non ſum dignus ut intres ſub tectum meum: ſed tantum dic uerbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic, uade, & uadit: & alio, ueni, & uenit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit.*

Milites Romani quã & cur Iudæis inuiſi.

Poſtq̃ Iudæos facto docuiſſet ſynceritatem fidei facilimam eſſe uiam ad ſalutem, ita mox in centurione docet ne gẽtibus quidem eſſe præcluſam, ſi modo adſit fides euangelio digna. Centurio officij nomen, non perſonæ: quia à Romanis præfectus illic poſit⁹ fuerat, q̃bus tũc illa ſubiecta erat. Vnde Ioh. 19. dixerũt: Non habemus regẽ niſi Cęſarẽ. q̃d hoĩm genus duobus noĩbus execrabãtur Iudæi: primũ, q̃ ſint incircunciſi, & à lege Moſaica alieni: deinde, q̃ uitæ genus infame ſit uulgo. At Ieſus nec hũc auerſatus eſt, q̃ uenerat ſanandis oĩbus. Orig. Acceſſit alienigena generatione, ſed domeſticus corde: alienus natione, ſed ꝓximus fide: princeps militũ, ſed ſocius angelorũ, rogans eum p̃ ſeniores Iudæorũ. Luc. 7. Centuriõis aũt cuiuſdã ſeruus male habẽs, erat moriturus, q̃ erat illi precioſus. Ea res diſcruciabat animũ hoĩs, non çſtimantis eũ ex cõditione, ſed ex fide & ſynceritate morũ, & q̃rundam hoĩm interim inhumanitatẽ arguentis, q̃ ſeruos ſuos non alio habẽt loco, q̃ equos & boues. Hinc ait, Puer meus, quem unice diligo, iacet in domo mea, nõ in aliena, & graiter torquet, Eſt autem hoc morbi genus, ut peri-

culosum & molestum, ita non temere cedens arti cu ræq; medicorum. Chrys. Infirmitatem exponit, sed remedium in potestate eius, qui dicit & fiunt, relinqt. Lu. 7. Et cum audisset de Iesu, misit ad eũ seniores Iudæorũ, rogãs eũ ut ueniret, & sanaret seruum eius. At illi quũ uenissent ad Iesum, rogabãt eũ solicite, dicẽtes ei: Quia dignus est ut hoc illi p̃stes. Diligit em̃ gentẽ nostrã, & synagogã ipse ædificauit nobis. Iesus aũt ibat cum illis. Pudoris erat, nõ diffidentiæ, q; p alios dñm interpellat, quia ethnicus & militaris erat ordinis. 2. Cor. 6. Quæ em̃ conuentio luci ad tenebras? Lu. 7. Et cũ iam non longe essent à domo, misit ad eum centurio amicos, dicens: Dñe, noli uexari, nõ em̃ sum dignus ut intres sub tectum meum: propter q̃d & meipsum nõ sum dignũ arbitratus ut uenirẽ ad te. Iesus ut ostenderet apud se nullã esse uilem p̃sonam, quæ fide cõmendaret, ibat eò quò uocabat. Centurio hoc sentiens, p amicos ait: Noli, plus p̃stat tua benignitas q̃ audebã petere. Iudæus non sum, centurio sum, duplici nomine Iudæis abominandus, & ob id indignus cuius tectum subeas. De seruo tm̃ agit, cui piclitãti salutem precor. Eam tu uerbo præstare potes. Bed. Magna fides, q credis dicere esse facere. Hãc fidem partim auditu, Ro. 10. fides ex auditu, partim inspiratione cõcepit. 1. Cor. 12. Alij fides in eodem spiritu. Prudenter, pbat corporalem dñi præsentiam non necessariã, cuius diuinitatis opatiõem ubiq; credit p̃sentem. Ex meipso, inquit, facio cõiecturã. Si mihi peccatori & abiecto homuncioni, ac alteri subiecto, sic obediunt mei, q̃nto magis tuis iussis q nulli subiectus es, obediẽt tui? Quo ostendit, dñm non tm̃ p aduentum corporis,

ſed & per angelorum miniſteria poſſe implere qd uellet: & ſua autoritate imperare morti & morbis, ut recedant: & uitæ ac ſanitati, ut ueniant.

2 *Audiens autem Ieſus, miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. Dico autem uobis, quod multi ab oriente & occidente uenient, & recumbent cum Abraam, Iſaac, & Iacob in regno cælorum. Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Dixit autem Ieſus cẽturioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer ex illa hora.*

Luc. 7. Et reuerſi, q̃ miſſi fuerant, domum, inuenerunt ſeruũ q̃ languerat, ſanũ. Veriſimile eſt, principio ipſum alios miſiſſe, ut Lucas dicit: poſtea uero piculo creſcente, p̃ ſe acceſſiſſe. Gre. Dñs ad filiũ reguli, rogatus ire noluit, ne diuitias honorare uidere tur: ad ſeruilẽ conditionẽ, ne ſpernere uideret, ultro uenire conſenſit: & q̃ uerbo curare potuit, p̃pter humilitatẽ uiſitare dignat: & tñ in medio itinere uerbo ſanat, ne nõ p̃pter humilitatẽ, ſed impotentiam uiriũ corporaliter ire uideret. In quo ſuꝑbia noſtra retundit, q̃ in hoĩbus non naturam q̃ ad imaginem dei facti ſunt, ſed diuitias & honores ueneramur. Iac. 2. Fratres, nolite in perſonarũ acceptione habere fidem dñi noſtri Ieſu Chriſti gloriç. Etenim ſi introierit in conuentum ueſtrum uir annulum aureum habens in ueſte candida, introierit autem & pau p̃ in ſordido habitu, & intendatis in eum qui indutus eſt ueſte p̃clara, & dixeritis ei, Tu ſede hic bñ, pauperi aũt dicatis, Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorũ, nõne iudicatis apud uoſmetipſos, &

facti estis iudices cogitationū iniquarū? Audite fratres dilectissimi: Nōne deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni q̄d repromisit deus diligētibus se? Vos aūt exhonorastis pauperē. Dñs ergo sermone hoīs, q̄ plenus erat affectus erga seruū, & modestæ opinionis de seipso, ac admirabilis fidutiæ erga dñm, delectatus subtitit: admirantis speciē prę se tulit, nō q̄ ignoraret hominis fidem, sed ut omnibus admirabilem redderet. Digna enim uiri fides quam admiremur & imitemur. & quasi exprobraturus Iudæis, qui sequebantur, incredulitatem suam, tantam fidem in Israel se non inuenisse testatus est, quātam in hoc alienigena, qui nec legem nec prophetas habebat. Non q̄ in deipara, in Ioseph diuinorum per angelos conscio, in Iohanne baptista, Simeone, ac similibus non fuerit maior, sed quod dicitur de ijs qui sanandorum languorum gratia ad dominum conueniebant. Orig. Attende quantum & quale sit quod dei filius admiratur: aurum, diuitiæ, regna, principat⁹ in cōspectu eius sunt ut umbra, nihil horum in conspectu dei admirabile est aut precioſum, sed tantum fidem admiratur, magnificat, acceptat. Vndiq; uenient, quos uos ut alienigenas abominamini: per fidē irrumpentes recumbent cum Abraam, Isaac & Iacob, q̄s ob fidem euangelicam pro filijs agnoscent, & adhibebunt suę mensæ, consortes æternæ felicitatis. O dulcissimi conuiuij unanimis cōuentio, hilaris cōgregatio, recūbēt, requescēt, epulabūt. Lu. 22. Ego disponо uobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnū, ut edatis & bibatis sup. mensam meā in regno meo. Hos tres noīat, q̄a ipsis principaliter de terra, p̄missiōis repromissio

Magnitudo fidei centurionis qui intelligenda.

facta fuit, quæ figura fuit patriæ cæleſtis. Heb. 11. & ut ſe nõ contrariũ legi oſtenderet. Multi, dicit. Non enim omnes credunt euangelio, Ro. 10. Pſal. 18. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines terræ uerba eorum. Ioh. 10. Et alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere. Filij autem regni iuxta carnis cognationem & pſumptionem, de quibus Deut. 32. Peccauerunt ei & nõ filij eius in ſordibus. Eſa. 1. Filios enutriui, ipſi autẽ ſpreuerunt me. ob incredulitatem non ſolum non recipient ad felix illud conuiuium, ſed expellent ad pœnas externas, qui lucem oblatam prius cernere noluerunt: ibi dabunt pœnas diffidentiæ ſuæ, flentes ac ſtridentes dentibus ſuis, ſero iã intelligentes, à quanta beatitudine p ſuam malitiã exciderint, & dolorem acuet liuor, quum uidebunt alienigenas ad felicitatem & honorem ipſis, pmiſſum admiſſos. Hinc Iohannes ait Mat. 3. Ne uelitis dicere intra uos, patrem habemus Abraam. Dico enim uobis, quoniam potens eſt deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abraæ. Gre. Tenebræ interiores, cæcitas mẽtis: exteriores, nox æternæ damnationis. Rab. Fletus de ardore, ſtridor dentium de nimio frigore. Hiero. Si fletus oculorum eſt, & ſtridor dentium, uera eſt ergo corporis & eorundem membrorum quæ cecidерant, reſurrectio. Conſcientia arguente, dẽtibus ſtridebunt tam breui uoluptate gaudia ſe amiſiſſe æterna. Pſalm. 111. Peccator uidebit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, deſiderium peccatorum pibit. Quo ſermoni dominus fidem aſtrueret miraculo, uerſus ad centurionem, ait: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Rab. Fidei meritum, oſtendit ſalutem

impetrasse seruo. Nam erat fides p charitatem operans, quę aliquid est apud deum. Gal. 5. Vnde ,p salute obsecrabat Cordialiter. Chrys. Pro se orare, naturæ est: pro alijs uero, gratiæ: pro se orare, rei necessitas cogit: pro altero autem, charitas fraternitatis hortatur. Vnum enim corpus sumus in Christo Iesu, singuli autem alter alterius membra. Ro. 12. habentes donationes secũdum gratiam quæ data est nobis, differentes. 1. Cor. 12. Etenim in uno spiritu omnes nos in unũ corpus baptizati sumus. Et si qd patiť unum membrum, compatiunť omnia membra: siue glorificať unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Ephe. 5. Nemo unq̃ carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus ecclesiam, qa membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Hinc legimus nedum membra, quemadmodum in natura, 1. Cor. 12. sed & caput pro membris solicitũ. Heb. 9. Non em̃ in manufacta sancta Iesus introiuit exemplaria uerorum, sed in ipsum cælum, ut appareat uultui dei ,p nobis. Ro. 8. Christus Iesus qui mortuus est, imò q resurrexit, qui est ad dexteram dei, qui etiam interpellat ,p nobis. 1. Ioh. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrẽ Iesum Christũ iustũ. Et ipse est ,ppiciatio ,p peccatis nostris: & nõ ,p nostris tm̃, sed etiã ,p totius mundi. Quid aũt de spũsanctoꝰ Gal. 4. Qm̃ aũt estis filij dei, dedit deus spm̃ filij sui in corda uestra clamantẽ, abba pater. Ro. 8. Similiter aũt & spũs adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 5

Qui autem ſcrutatur corda deus, ſcit quid deſideret ſpiritus, quia ſecundum deum poſtulat pro ſanctis. Hinc & angeli pro nobis interpellãt diuinã clementiam. Zach. 1. Reſpondit angelus domini, & dixit: Domine exercituum, uſquequo tu non miſereberis Hieruſalem & urbium Iuda quibus iratus es? & reſpondit dominus angelo qui loquebatur in me, uerba bona, uerba conſolatoria. Tob. 12. Quando orabas cũ lachrymis, & ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationẽ tuã dño. Iob. 33. Si fuerit pro eo angelus loquens unus ex millibus, ut annunciet hoïs æquitatem, miſerebit eius, & dicet, libera eum, ut nõ deſcendat in corruptionẽ, inueni in quo ei propicier. Sic & ſancti apud deũ perfectius feliciusq; q̃ hic uiuentes. 2. Mach. 15. Hic eſt fratrũ amator & populi Iſrael, hic eſt qui multum orat pro populo & uniuerſa ſancta ciuitate Hieremias propheta dei. Verba ſunt Oniæ ſummi ſacerdotis, Iudæ apparentis. Perſpicuum eſt, deũ ob merita defunctorũ benefacere uiuentibus. Hinc Gen. 26. Noli timere, ait dñs Iſaac, quia ego tecum ſum. Benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum propter ſeruum meum Abraam. 3. Re. 11. Ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decẽ tribus. (uerba ſunt Ahiæ prophetæ ad Hieroboam.) Porro una tribus remanebit ei propter ſeruũ meũ Dauid, Hieruſalẽ quam elegi, eo q̃ dereliquerit me, & adorauerit deos alienos, & nõ ambulauerit in uiis meis, ut faceret iuſtitiam corã me, & p̃cepta mea & iudicia, ſicut Dauid pater eius. Nec auferã omne regnũ de manu eius, ſed ducẽ ponã eũ cũctis diebus uitæ ſuæ propter Dauid ſeruũ meum quẽ elegi, q̃ cuſtodiuit mandata mea & p̃cepta mea.

Vnde & per merita patrum implorabãt auxilium & bñficium à deo. Exo. 32. Quiescat ira tua, & esto placabilis sup nequitia populi tui. Recordare Abraam, Isaac & Israel seruoꝝ tuoꝝ, q̃bus iurasti dicens: Multiplicabo semen uestrũ sicut stellas cæli, & uniuersam terrã hanc de qua locutus sum, dabo semini uestro, & possidebitis eã. Placatusq; est dñs ne faceret malũ, q̃d loquutus fuerat aduersus populum suum, scilicet q̃ eos deleret ob uituli adorationẽ. Ge. 48. Benedixit Iacob filijs Ioseph, & ait: Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraam & Isaac: deus, q̃ pascit me ab adolescentia mea usq; in p̃sentem diem, angelus q̃ eripuit me de cũctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur sup eos nomen meum, nominaq; patrum meorum Abraam & Isaac, & crescant in multitudinem sup terrã. Quis iam fidelium ambigat, plurima nobis bona contingere meritis sanctorũ, in Christo & cum Christo q̃escenti um, & pro cõmembris solicitorũ, facie ad faciẽ, quẽ auide sitierant, cõtemplantiũ? Hinc sancta mater ecclesia nedum p merita p̃cedẽtia, sed sanctorũ etiam preces & intercessiones deũ rogat. Si eñ in terris pro Christo, piculo suo, militantes exauditi sunt, quanto magis nunc cum ipso gloriose regnantes, commilitonum immemores esse non possunt? Secũdo, Humiliter. Indignũ p̃sentia dñi se iudicans. Sic Petrus Luc. 5. Exi à me dñe quia homo peccator sum. & filius ,pdigus Lu. 15. Iam nõ sum dignus uocari filius tuus. ac publicanꝰ Lu. 18. Publicanus à lõge stãs, nolebat oculos leuare in cælũ, sed pcutiebat pectꝰ suũ, dicẽs: Deus, propicius esto mihi peccatori. Psal. 50. Cor cõtritũ & humiliatũ deus nõ despicies. Tertio,

fideliter. Dic uerbo, ait, & ſanabitur. Sic fiet unicuiq; ſicut credit. Credam⁹ ergo & nos dominum Ieſum Chriſtum omnia poſſe, ubiq; præſentem eſſe, remiſſionem omnium peccatorum eius nobis indulgentia (ſi tñ eius p̃cepta ſeruamus) largiri, ut mereamur audire cũ cẽturiõe: Vade, & ſicut credidiſti fiat tibi.

De filio uiduæ ſuſcitato, Luc. vij.

ARTICVLVS XXIX.

Lucæ. 7. H *ET factum eſt deinceps, ibat Ieſus in ciuitatem quæ uocatur Naim, & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ. Et hæc uidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa.*

Solet diuinæ pietatis dignatio omnibus uere deſolatis, nedum imploratus ſuccurrere, ſed q̃ ſæpe inſperatus occurrere, prout hic oſtendit. 2. Cor. 1. Benedictus deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum & deus totius cõſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Dominus ergo quo latius ſpargeretur ſemen euangelicę doctrinæ, frequenter aliunde alio commigrauit, non curru ſubuectus aut equo, ſed ibat humiliter incedendo, in ciuitatem Naim Galilææ miliario ſecũdo ſub monte Thabor. Aderant diſcipuli & turba nõ parua, uerborum eius dulcedine allecti. Ioh. 6. Domine, ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes. Quotidie enim fama ipſius increbreſcebat. Et ecce noui miraculi occaſio, efferꝛ funus magna hominũ frequentia. O miſera hominum cõditio. Effer

tur mortuus qui erat filius unicus matris uiduę. Sic sic. Diues cum interierit, non sumet omnia, neq; descendet cum illo gloria eius, Psal. 48. 1. Pet. 1. Omis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Exaruit fœnum, & flos eius decidit. Hinc Eccl. 10. Quid superbis terra & cinis? Gen. 3. In sudore uultus tui uescéris pane tuo, donec reuertaris in terrã de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuertéris. Vbi ergo uideris efferri mortuum, ubi pspexeris quẽpiam, qui uel inopia, uel diuitijs & delicijs transegit uitam, agere animam, teipsum agnosce, teq; ad idem para. Eccl. 38. Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie. 2. Reg. 14. Omnes morimur & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. Quemadmodũ triplex mors, ita & triplex sepultura ad quam efferemur. Naturæ, cuius stimulus peccatum, 1. Cor. 15. Gene. 2. Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quacũque enim die comederis ex eo, morte morieris. Ro. 6. Stipendia peccati mors. Sapien. 1. Quoniam deus mortem non fecit, nec lętatur in perditione uiuorũ. Impij autem manibus & uerbis accersierunt illam. Rom. 5. Per unum hominem in hunc mundum intrauit peccatum, & p peccatum mors, & ita in oẽs homines mors ptransiit, in quo omnes peccauerũt. Huius sepultura, terra. Psalm. 48. Simul insipiens & stultus peribunt, & relinquent alienis diuitias suas, & sepulchra eorũ domus illorũ in ęternum. Eccẽs. 2. Moritur doctus similiter & indoctus. Culpæ, quando deus deserit animam. Deute. 30. Elige uitam, ut & tu uiuas, & semen tuum post te, & diligas domi-

num deum tuum, atq; obedias uoci illius, & illi adhæreas. Ipse enim est uita tua, & lõgitudo dierum tuorum. Col. 3. Cum aũt apparuerit Christus uita uestra, tunc & uos apparebitis cum ipso in gloria. Ipse aũt per fidẽ inhabitat corda nostra. Eph. 3. Sap. 16. Homo per malitiã occidit animam suã. Ezech. 18. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Cuius sepultura corpus, q̃d licet à foris pareat hominibus speciosum, intus tñ plenũ est rapina & iniquitate, Matt. 23. Apoc. 3. Nomen habes q̃ uiuas, & mortuus es. Gehennæ, qñ nec anima corpus, nec deus animam delectabiliter uiuificat. Psal. 48. Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Ideo dicit Pro. 11. Morruo hoïe impio, nulla erit ultra spes. Psal. 33. Mors peccatorũ pessima. Huius sepultura in inferno, ut claret de diuite epulone, q̃ in inferno positus, eleuauit oculos suos cũ esset in tormentis. Lu. 16. Vere oculos q̃s modò deliciæ claudũt, tũc pœna aperiet. Esa. 28. Tm̃modo sola uexatio intellectũ dabit audi tui. Preciosa uero in cõspectu dñi mors sanctorũ eius, Psal. 115. Apo. 14. Beati mortui q̃ in dño moriunt. Etiam iam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis. Opera enim illorũ sequunt illos. Parũ est corpus efferri, si anima cũ dño maneat, dicẽs Psal. 72. Pars mea deus in æternum. Maximum, à gratia animã, tametsi per pœnitentiã ad uitã redire licet. Ezech. 18. Nolo mortem morientis, dicit dñs deus: reuertimini & uiuite. Horrendum, à consortio dei & sanctorũ: quia regressus non est ob chaos magnũ & firmatũ inter uiuentes & mortuos, Lu. 16. Ideo Eccl. 14. Memor esto qm̃ mors non tardat, & testamentum inferorũ quod demonstratũ est tibi. Siquidem

ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autẽ iudicium, Heb. 9. Pſal. 88. Quis eſt homo q̃ uiuet, & non uidebit mortẽ, eruet ab inferis animã ſuã? Merito ergo nos q̃tidiana exercitatione ad eam parare debemus, ut dicere poſſimus illud Pſal. 118. Paratus ſum & non ſum turbatus. Virgines enim quæ paratæ erant, intrauerunt cũ ſponſo ad nuptias, inſipientibus excluſis Matth. 25. Hinc admonet dñs Lu. 12. Ideo & uos eſtote parati, qa qua hora nõ putatis, filius hoĩs ueniet. Primũ ergo oĩm quum infirmitate pulſamur, cõſcientia diſpicienda. ait enim dñs paralytico Ioh. 5. Vade, ampli⁹ noli peccare, ne deterius tibi contingat. Vnde Luc. 13. ficũ infructuoſam excidi præcepit, ut ne terrã q̃dẽ occuparet. Si folia, nõ fructus, ferẽti maledixit, Marc. 11. hinc precibus dñs pulſandus. Ezechias lachrymis & precibus, & 15. annoꝝ uitã impetrauit, & ab inimicis liberationẽ, 4. Re. 20. Nonne & dñs patrẽ mortis hora inſtante anxius orauit? Mat. 26. Pater mi, ſi poſſibile eſt, trãſeat calix iſte à me. Cuius exẽplo uolũtatẽ noſtrã ſemp diuinæ ſubĩcere debemus uoluntati, qui nouit q̃bus quid expediat, melius q̃ nos, d. Veruntñ nõ ſicut ego uolo, ſed ſicut tu, Mat. 26. Subinde de ſepultura ordinandũ, exẽplo ſanctoꝝ patrũ. Vnde Abraã agrũ emit, p̃ ſepultura Sarę à filiĩs Heth, Ge. 23. ubi & ipſe ſepultus eſt, Ge. 25. & Iſaac, Gen. 35. & Iacob Ge. 49. maximis ſumptib⁹ ex Aegypto educt⁹. Sic Ioſeph ordinauit oſſa ſua per filios ibi tumulanda, Ge. 50. Hinc Tobias filio ait, ibidem 4. Cum acceperit de⁹ animam meam, corpus meum ſepeli. Cum autem & ipſa cõpleuerit tẽpus uitæ ſuæ, ſepelies eã circa me. loquitur de uxore. Sic Ioſeph iuſt⁹ & nobilis, ac Nicodemus rabbi & phariſæus, cor-

pus domini honorifice, prout mos erat Iudæis, sepe lierũt Iohan. 19. Esa. 11. Et erit sepulchrum eius glorioſum. Sic curauerunt Stephanum uiri timorati Actu. 8. Demum domus ordinãda. Vnde dominus p Esaiam mandauit Ezechiæ Esa. 38. Diſpone domui tuæ, quia morieris tu & non uiues. Inuenimus in ſacris literis, quemadmodum ſancti patres, primo plem benedicebant. Non enim parui momenti benedictio eſt paterna. Eccl. 3. Benedictio patris firmat domos filiorum. Vnde Iſaac de benedictione Iacob ait Gene. 27. Benedixi ei, & erit benedictus. Sic Iacob filijs benedixit Ioſeph Gene. 48. & 49. Benedixit ſingulis, benedictionibus proprijs. Sic dominus ſuis pacem ſuam reliquit & dedit, Iohan. 14. Secundo inſtruebant. Gene. 49. Congregamini & audite filij Iacob, audite Iſrael patrem uestrum &c. Tobias filium inſtituit quemadmodum ſe haberet ad deum. Tob. 4. Omni tempore benedic deum, & pete ab eo ut uias tuas dirigat, & oñia conſilia tua in ipſo pmaneant. Omnibus autem diebus uitæ tuæ in mente habeto deum, & caue ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta dei noſtri. Sic Dauid 1. Par. 28. Tu autem Salomon fili mi, ſcito deum patris tui, & ſerui ei corde perfecto & animo uoluntario. Omnia enim corda ſcrutatur dominus, & uniuerſas mentium cogitationes intelligit. Si quæſieris eum, inuenies: ſi autem dereliqueris eum, pijciet te in æternum. Secũdo, ad ſeipſum. Tob. 4. Superbiam nũquam in tuo ſenſu, aut in tuo uerbo dominari permittas: in ipſa enim initium ſumpſit omnis pditio. Conſilium ſemper à ſapiente require. Tertio, parentem, Tob. 4. Hono-

rem habebis matri tuæ omnibus diebus uitæ eius. Memor esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Quarto, uxorem. Tob. 4. Attende tibi ab omni fornicatione fili, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Quinto, proximum æqualem. Quod ab alio oderis fieri tibi, uide ne tu aliquando alteri facias. Sexto, mercenarium laborantem. Quicunq; tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedē restitue, & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat. Leu. 19. Non morabit opus mercenarij tui apud te usq; mane. Iaco. 5. Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones uestras, quæ fraudata est à uobis, clamat: & clamor eorum in aures domini Sabaoth introiuit. Septimo, mendicum indigentem. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet, ut nec à te auertatur facies domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum, etiam illud libenter impartire stude. Panem tuum & uinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. Panem tuum cum esurientibus & sitientibus comede, & de uestimētis tuis nudos tege. Octauo, substantiam temporalem, indicando pecuniam depositam apud Gabelum. Hinc de Abraam dicit Gene. 25. Dedit q; Abraam cuncta quæ possederat, Isaac: filijs autem concubinarum largitus est munera. Et separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc uiueret, ad plagam orientalem. Sic Iacob rationabili ex causa partem unam dedit Ioseph extra fratres suos, Gene. 48. Eccl. 33. Filio & mulieri, fratri & ami-

co, non des potestatē super ipsa uita tua, & nō dederis alij possessionē tuam, ne forte pœniteat, & depreceris pro illis. Dum adhuc superes & aspiras, nō immutabit te oīs caro. Melius est enim ut filij te rogent, q̄ te respicere in manus filiorꝝ tuorꝝ. Tob. 4. Noli timere fili, pauperē uitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene. O felix & nunq̄ obliuiscendum testamentū. Quid tum restat, nisi pacatissimo animo spiritum patri spirituū commendare? Sic seruator omnibus rite & perfecte in cœna & cruce ordinatis, Pater, ait, in manꝰ tuas cōmendo spiritum meū, Lu. 23. nobis & modum & fiduciam emigrandi cōmonstrans, in se oīm suorꝝ animas membrorꝝ patri offerendo. Exemplo latronis misericordiam postulemus, qui iustitiā prætendere non possumus, Luc. 23.

Quamcū uidisset dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et acceßit & tetigit loculum. Hi autem qui portabāt, steterunt. & ait: Adolescēs, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ.

2 Erat enim flebile, primū quod adolescens in ipso uitæ suæ flore, uitæ exemptus, deinde quod uiduæ filius unicus perisset, quæ mariti solatio orbata, totam uitæ spem collocauerat in filio. Hier. 6. Luctū unigeniti fac tibi, planctum amarꝝ. Ideo dn̄s misertus est eius. Psal. 145. Dominus custodit aduenas, pupillum & uiduam suscipiet. Hieremi. 22. Pupillum & uiduam nolite cōtristare, neq; opprimatis iniquè. Iaco. 1. Religio munda & immaculata apud

deum & patrem hæc est, uisitare pupillos & uiduas in tribulatione eorũ. Esa. 1. Quærite iudiciũ, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduã. Sed heu ibidẽ: Pupillo non iudicant, causa uiduę nõ ingreditur ad eos. Ideo Esa. 10. Væ q̃ cõdunt leges iniquas, & scribẽtes iniustitiã scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, & uim facerẽt causæ humilium populi mei, ut essent uiduæ p̃da eorũ, & pupillos diriperent. Quid facietis in die uisitationis & calamitatis de longe uenientis? Ad cuius cõfugietis auxiliũ? & ubi derelinquetis gloriã uestrã, ne incurue mini sub uinculo, & cũ interfectis cadatis? Deut. 10. Deus magnus & terribilis & potens, qui p̃sonã non accipit nec munera, facit iudicium pupillo & uiduę, amat peregrinũ, & dat ei uictũ atq; uestitum. Eccl. 35. Nonne lachrymæ uiduæ ad maxillas descẽdunt, & exclamatio illarum super deducentẽ illas? A maxilla ascendunt ad cælos, & dominus exauditor nõ delectabitur in illis? Clemẽtissimus misertus uiduę, sese q̃ illi quæ consolatorem nõ habebat, efficacem consolatorem præbuit, & uerbis & re opitulaturus, d. Noli flere. Non spiritualem, sed corporalem, phĩ bet fletum. Nam dominus uidens ciuitatẽ, fleuit super illam Lu. 19. & Apostolus lugebat eos qui peccauerunt, & non egerũt pœnitentiã. 2. Cor. 12. Chrysostomus: Iubens cessare à lachrymis qui consolat mœstos, monet de præsentib⁹ amicis defunctis consolationem recipere, resurrectionẽ sperantes. Sic Dauid, p uita filij orans cum lachrymis, mortuũ flere noluit, d. Propter infantẽ dũ adhuc uiuerer, ieiunaui & fleui. Dicebã enim: Quis scit si forte donet mihi eum dñs et uiuat? Nũc autem quia mortuus est,

quare ieiuno? Nunquid potero eum reuocare amplius? Ego uadam magis ad eum, ille uero non reuertetur ad me. Eccl. 22. Modicū plora super mortuum, quoniam requieuit. Apo. 14. Amodo iam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis. Est enim præsens hæc uita miseriis plena & ærūnis. Iob. 14. Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miseriis. & 7. Militia est uita hominis super terrā. Hinc Psal. 119. exclamat: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. & Apostolus erat desiderium habens dissolui & esse cum Christo, Phil. 1. Hieronymus super illo 1. Thes. 4. Nolumus uos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut cæteri qui spem non habent. Si nos defunctos plangimus, quos tamen resurrecturos credimus, quid faceremus si mori tantum præciperet deus? Voluntas eius sufficeret utique ad solatium, cui nullum præponere iubemur affectum. Pagani & infideles causam habēt lugendi, resurrectionē ignorantes, nō autem Christiani. Ideo cum fideli Iob dicere debemus, qui omni substantia & filiis sublatis, dixit, Iob. 1. Dominus dedit, dominus abstulit: sicut domino placuit, ita factum est: sit nomen domini benedictum. Eccl. 38. Fac luctum uno die uel duobus secundum meritum eius, propter detractionē. A tristitia enim festinat mors. Cyrillus: Non solo uerbo peragit miraculum, sed & loculum tangit, ut cognoscas efficax esse sacrū Christi corpus ad humanam salutem. Est enim corpus uitæ, & caro uerbi omnipotentis, cuius habet uirtutem. Tetigit loculum, inquit. O inops humana cupiditas, cui magna in uita non sufficiunt palatia: in morte non lo-

cus, sed loculus daſ. Hic utraq; turba intenta in euentum, tum ea quæ comitabatur uiduam, tum ea quæ dominum. Diuina enim diſpenſatione factum eſt, ut plures teſtes eſſent miraculo. Ieſus ergo uerſus ad adoleſcentẽ, imperioſe, ſicut habens uitæ & mortis imperium, Sapiẽ. 16. locutus eſt. Ipſe enim claues habet mortis & inferni, Apo. 1. Alij ſancti orãdo & deum inuocando, ſicut Heliſeus, 4. Re. 4. Mar. 16. In noïe meo dæmonia eijcient. Illico uelut à ſomno excitatus, reſedit in loculo. Auguſtinus: Eos q dormiunt nobis, excitare poſſumus ut ſurgãt: ſi quis nobis ſit mortuus, quantumcunq; impellimus, nõ ſurgit: qa uerò Chriſto oẽs dormiunt, ideo facilius facit à morte ſurgere, q̃ nos dormientes à ſomno. Inter dicere dñi & facere, nulla diſtantia eſt. Ipſe eñ dixit, & facta ſunt: mandauit, & creata ſunt, Pſal. 148. Quoq; certius eſſet uitæ redditæ argumentũ, cœpit loqui. Quumq; iam exiliſſet à loculo adoleſcens, ac Ieſu adhærens, per quẽ intelligebat uitã ſibi eſſe redditã, gratias ageret, dñs tradidit illum matri ſuæ, ut uiuũ eum domũ reduceret ſuis inambulantẽ pedibus, quẽ mortuũ quatuor baiulis extulerat. Sic peccator uocẽ audiẽs Chriſti, erigitur per ſpem ueniæ, loquitur per confeſſionẽ fidei & culpæ, redditur matri eccleſiæ per abſolutionẽ. Comparatur enim peccator mortuo, quia frigidus. Hier. 6. Sicut frigidam facit ciſterna aquã ſuam, ſic frigidã facit malitia animã. Chryſoſtomus: Qui non habet illum ignẽ, quẽ dñs uenit mittere in terram, in hyeme eſt, etſi fuerit in media æſtate, & nihil boni fructus, pducit. Matt. 24. Et qm̃ abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multoꝝ. Secundo, quia ponderoſus, Pro. 18. Impius

Peccatoris admonitum comparatio.

cum in profundum uenerit peccatorꝝ, cõtemnit, & sequit eũ ignominia & opprobriũ. Gregorius: Peccatũ q̃d per pœnitentiam nõ diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Imo in infernũ demergit, Luc. 16. Psal. 37. Qm̃ iniqtates meæ supergressæ sunt caput meũ, & sicut onus graue grauatæ sunt sup me. Imo deo grauis. Esa. 43. Veruntñ seruire me fecisti in peccatis tuis, p̃buisti mihi laborẽ in iniquitatibus tuis. Tertio, qa fœtidus. Ioel. 1. Cõputruerũt iumenta in stercore suo. Hinc dęmones in porcos petebãt ingressum, Matt. 8. Filius ꝓdigus pascebat porcos, Luc. 15. Augusti. Tres mortuos legimus à dño suscitatos uisibiliter, millia inuisibiliter. q̃ aũt nõ plures uisibiliter, qs nouit? non em̃ oĩa scripta sunt, Ioh. 21. Sed forte nõ fine causa tres cõmemorati. Quæ em̃ fecit corporaliter, uoluit spiritualiter intelligi. Suscitauit puellam in domo, Mat. 9. & signat peccatũ in conscientia latens. Adolescentẽ in porta, & est peccatũ in actu. Lazarꝰ in sepulchro, Ioh. 11. & est peccatũ in consuetudine. Hier. 13. Si mutare potest Aethiops pellem suã, & pardus uarietates suas, & uos poteritis benefacere, cũ didiceritis malum. Portitores corporis sunt, quatuor elementa, q̃ ob naturalẽ pugnam indesinenter portant ad sepulchrũ. Iob. 14. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit uelut umbra, & nunq̃ in eodem statu permanet. Animæ aũt, qui perseuerantiam faciunt in peccatis, portitores, sunt Fiducia uitæ longioris, quẽadmodũ diues Lu. 12. qui ampliatis horreis longã & quietã sibi in epulationibus promittebat uitã. Dixit aũt ad illum deus: Stulte, hac nocte repetũt à te animã tuã: & quę parasti, cuj erũt? Esa. 38. Dum adhuc ordirer, succidit me. Contẽplatio culpæ alienę. Ecci. 32. Peccator

homo uitabit correptionē,& ſecundū uoluntatē ſuam inueniet comparationē. Præſumptio facilis ueniæ. Eccī. 5. Ne dicas, miſeratio dñi magna eſt, multitudinis peccatorꝝ meorꝝ miſerebitur. Miſericordia em̄ & ira cito ab illo proximāt, & in peccatores reſpicit ira illius. Ne tardes conuerti ad dñm, & ne differas de die in diem. Subito enim uenit ira illius, & in tempore uindictæ diſperdet te. Adulatio nequitiæ fraudulētę. Eſa. 3. Popule meus, q̄ te beatū dicūt, ipſi te decipiunt, & uiam greſſuum tuorꝝ diſſipant. Surge ergo qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus, Ephe. 5. Auguſtinus: Laborat homo ne moriat̄, moriturus: & non laborat ut non peccet, in æternum uicturus.

Accepit autem omnes timor, & magnificabāt deum, dicentes: Quia propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia deus uiſitauit plebem ſuam. 3

Viſo tam inſigni miraculo, à ſeculis inaudito, magnus intuētiū ſubſecutus eſt ſtupor, ita ut laudes dei prius tacētia ora reſonarēt. Nihil aūt adhuc altū de Chriſto Iudæi ſuſpicabant̄, niſi q̄d ꝓpheta q̄ſpiā eſſet inſignis. Propheta q̄dē erat, ꝓut ipſe teſtat̄. Lu. 13. Non capit ꝓphetā perire extra Hieruſalē. & Matt. 13. Nō eſt ꝓpheta ſine honore niſi in patria ſua. Sed ille, de q̄ Deu. 18. Prophetā de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi dñs deus tu', ipſum audies. Dñs em̄ ꝓphetarꝝ, ſicut & rex regū, Apo. 19. & dominus dominantiū. Magnus ergo potentia. Mat. ult. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. & 10. Eum timete, qui poſtq̄ occiderit, habet poteſtatem animam & corpus mittere in gehennā.

Actu.10. Præcepit nobis prædicare & testificari, qꝫ ipse est qui cõstitutus est à deo iudex uiuoꝝ & mortuorum. Clementia. Esa.16. Et præparabitur in misericordia solium eius. Eccl.2. Secundũ enim magnitudinem illius, sic & misericordia illius cũ ipso est. Sapientia. Col.2. In quo sunt oẽs thesauri sapientię & scientiæ dei abscõditi. Gloria. Ioh.1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre. & 17. Pater, ꝙs dedisti mihi, uolo ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut uideant claritatem meam quã dedisti mihi, quia dilexisti me ante mundi constitutionem. Visitauit plebem suam, ut medicus ægrotum. Matt.9. Non est ualentibus opus medico, sed male habentibus. Pastor ouem. Ezech.34. Sicut uisitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum, sic uisitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerãt. Lu.1. Benedictus dominus deus Israel, quia uisitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Vtinam quotidie nos uisitare dignet gratiæ suæ illustratione.

Lucæ.7. *Et exijt hic sermo in uniuersam Iudæam de eo, & omnem circa regionem.*

De uolentibus sequi Christum, Mat.viij, Luc.ix.

ARTICVLVS XXX.

Matth.8. I *Videns autem Iesus turbas multas circum se, iussit discipulos ire trans fretũ. Et accedens unus scriba, ait illi: Magister, sequar te quocunq; ieris. Et dicit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & uolucres cæli nidos, filius aũt hoĩs nõ habet ubi caput suũ reclinet.*

Cupiens ſcriba in numerũ diſcipulorũ illius recipi, quem uiderat à turbis tanti fieri, ob potentiã in miraculis edendis, non ut illius doctrinam uitamq; ſequeretur, ſed ut ex eius miraculis ſibi gloriam & q̃ſtum compararet, uocẽ dignã futuro diſcipulo, ptulit, ſi uoci reſpondiſſet animus. Quocunq; (ait) ieris inſeparabiliter, ſiue, pſpera ſint, ſiue aduerſa. At Ieſus nec importunitatẽ hoĩs reppulit, nec animũ inſyncerum exprobrauit, ſed nec illum ſibi fore diſcipulum idoneũ, nec ſe illi magiſtrũ accõmodum, q̃ quiſq; huius mundi cõmoda ſpectaret, ſtulte ſe illi adiũgeret, q̃ nec opes, nec gloriam, nec regnũ huius mundi uel haberet uel q̃reret, ſed ſummã paupertatem, ignominiam, ſummã afflictionẽ amplecteret, adeò ut nec illa ſuppeterent, q̃ uolucribus & beſtijs non deeſſent. Nam uolucres nidos habent, in q̃bus requieſcũt & pullos ſuos enutriunt. Filius aũt hoĩs, hoc eſt, Adæ, adeò deſtitutus eſt oĩbus huius mũdi præſidijs, ut nihil uſquam habeat, ubi uel caput recli net. Nõ eſt ergo idoneus ſectator, qui quicq̃ habet in hoc mundo, q̃ ſemet oblecter, aut in quo cõquieſcat. Omnibus renũciet oportet, q̃ me ſequi uolet. Sic filijs Zebedæi gloriã regni poſtulãtibus, amaritudinẽ & ignominiã, ꝓpoſuit paſſionis. Mat. 20. Poteſtis bibere calicẽ quem ego bibiturus ſum? Summã tenuit paupertatẽ, q̃ ſe Meſſiam declararet, q̃m ſic prophetæ uẽturũ prædixere. Hier. 14. Quare q̃ſi colonus futurus es in terra, & quaſi uiator declinãs ad manẽdum? Zach. 9. Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem. Ecce rex tuus uenit tibi iuſtus & ſaluator, ipſe pauper. Secundo, ut ueras in cælo diuitias quærendas oſtenderet. Mat. 6. Theſaurizate uo

bis thesauros in cælis. Tertio, ut nobis æternas diuitias procuraret. 2. Cor. 8. Scitis gratiam domini nostri Iesu Christi, quoniam propter uos egenus factus est, cum esset diues, ut illius inopia uos diuites essetis. Hic ergo q̃m integro animo, sed auaro, quẽ admodũ Simon Act. 8. sequi uoluit, reiectus est.

Lucæ. 9. 2 *Alius autẽ de discipulis eius, ait illi: Domine, permitte me primum ire & sepelire patrem meum. Iesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire & sepelire patrem meum. Dixitq; ei Iesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem uade & annuncia regnum dei.*

Dominus uolentes sequi repellit, nolentes retinet. Nã deus est, intus uidet & in cute seruos. Quos uidet esse aptos, retinet & eligit, nõ tam nolẽtes, q̃ uolũtate nutãtes: quos aũt ineptos, repellit nõ tam uolentes, q̃ sequi simulantes. Insinuans aũt dñs, oibus officijs carnalibus p̃ponendũ esse negociũ salutis, ingt: Nihil tibi iam cũ patre mortuo, q te dedicasti uitæ cælesti. Non deerunt q sepeliant. Sine ut terræ mãdent, qui terrena diligunt: mortuũ infodiant terræ, q uiui mortui sunt, atq; etiam sepulti. Vbi em̃ Christus nõ est, mors est, quum ipse sit uita nostra. Col. 3. Qui p fidẽ habitat in cordibus nostris. Ephe. 3. Anima em̃ quæ peccauerit, morietur. Ezech. 18. Sic uidua q̃ in delicijs est, uiuens mortua est, 1. Timo. 5. Oportet sane & parentes uenerari, sed magis uenerari deũ. Voluit ergo nos hinc discere, nihil esse utilius, magisq; necessarium nobis doctrina cælesti, ut

& si magna sint quæ obire urgeant, incũbere tamen omni diligentia atq; uigilantia debemus. Quid eñ facilius, quid ve breuiori tempore peragi potest q̃ sepelire patrem? Quod si nunc tãm breui tempore propter sepulturam abesse à spiritualibus uetitũ est, perpende quo supplicio digni sunt, q̃ semper à doctrina Christi absunt, q̃ uilia nimiumq; abiecta secularium negocia rerũ, necessariis anteponunt. Ego aũt efficaciã doctrinæ illius uehementer admiror. Nam quũ adolescentẽ sibi perpetuo affixerit, à mille uelut immoderato fletu ac dolore, aliorumq; quę hinc oriri solent, eripuit. Erat eñ uerisimile, post parentis sepulturã ad testamenti legisq; latoris confiderationẽ deuenire, dein in aliud ex alio, quasi undarũ fluctibus distractus, pcul à portu salutis iactaretur. Quæ ne illi acciderent, secũ ipsum esse iubet, eumq; suis uolentem affigit ac coniungit. Væ ergo iis qui monasticen professi, ad mundana regrediuntur negocia. Vult enim dominus spiritualia transitoriis præponi: & quicquid impedimentum salutis potest afferre, relinqui.

Et alter ait: Sequar te domine, sed permitte mihi primum renunciare his qui domi sunt. 3 *Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno dei.*

Insinuabat is, quod familiaritatem quandã adhuc habebat cum mundo, & non affectus sit ut apostoli, qui mox ut audierunt Christum, secuti sunt, nihil aliud curiosius perquirentes, Matthæ. 4. & 9. Luc. 5. Excluserat dominus excusationem illorum, qui prætextu pietatis differunt curã & studiũ salutis

æternæ. Sed his deteriores sunt, qui causatione rerum domesticarum prorogant ac procrastinant salutis negocium, quod ad primam statim occasionem pagendum est. Summum & arduum est hoc negocium, quod qui semel aggressus est, eum oportet perpetuo studio progredi ad perfectiora, nec deflectere animum ad curas sordidas rerum fluxarum. Est enim aratrum, quo cordis ager excolitur per uitiorum extirpationem, & spiritualium insertionem ac fœcundationem, quo bonorum operum producat fructum. Non ergo cum uxore Loth respiciendum Gen. 19. quæ in statuã uersa est salis. Mat. 5. Quod si sal infatuatus fuerit, ad nihilum ualet ultrà, nec cũ filijs Israel corde, nedũ corpore, redeundum in Aegyptum, Exod. 16. Qui enim perseuerauerit usq; in finem, saluus erit, Mat. 10. 2. Pet. 2. Melius enim erat illis non cognoscere uiam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mãdato. Contingit enim eis illud ueri prouerbij: Canis reuersus ad suum uomitum, & sus lota in uolutabro luti, Prou. 26.

De quietatione maris, Mat. viij. Marc. iiij. Luc. viij.

ARTICVLVS XXXI.

Matt. 8. K

ET *ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus. Ipse uero dormiebat, & accesserunt discipuli eius ad eum, & suscitauerũt eum, dicẽtes:* Domine, *salua nos, peri-*

mus. Et dixit eis Iesus: Modicæ fidei, quid timidi estis? Tunc surgens, imperauit uentis & mari, & facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia uenti & mare obediũt ei?

Quàm potenter omnium necessitatibus dominus subuenire & possit & uelit, ostendit. Orig. Cum multa & magna & mirãda ostẽdisset in terra, trãsit ad mare, ut & ibidem adhuc excellentiora opa demonstret, quatenus terræ & maris se dominum esse cunctis demonstret. Marc. 4. In illa die cum sero esset factum, ait illis: Transeamus cõtra. Lu. 8. Trãsfretemus trans stagnum. Erat enim lacus magnus, more Hebræorũ mare dictus. Gen. 1. Congregationesq; aquarum appellauit maria. Mar. 4. Et dimittentes turbam, assumunt eum ita ut erat, in nauim: & aliæ naues erãt cũ illo. Chrys. Vbi miraculorum erat ostensio, iubet turbam adesse: ubi autem tentationum & timorum insurrectio, athletas orbis terrarum, quos excitaturus erat, tantum assumit, quatenus eos doceret tãq; pfectos uiros in periculis non deficere, & in honorib⁹ moderata de se sentire. Non enim potuit efficacius eos docere, nihil metuẽdum his qui fidunt Iesu. Sic enim ad tentationes exercebantur, & in fide confirmabantur. Orig. Secuti sunt non duplici corde, sed simplici, mãsueti, pij, spernentes mundum. Secuti sunt autem, non tãtum gressus eius sequentes, sed magis sanctitatem & iustitiã cõsectantes. Lu. 8. Et nauigantibus illis obdormiuit, & descendit procella uenti in stagnum, & compellebantur, & periclitabantur. Mar. 4. Et facta est procella magna uẽti, & fluctus mittebat in nauim, ita ut

impleretur nauis. Et erat ipse in puppi super cerui-cal dormiens. Non ignarus quid uenturum esset. Non enim ex se orta est tempestas, sed eius imperio qui educit uētos de thesauris suis, Psal. 134. Qui po suit mari terminum suum arenam: dixit enim: Vsq; huc uenies, & non procedes amplius, & hic confrin ges tumētes fluctus tuos, Iob. 38. Magna tempestas magnum ostendit miraculū, quo suam ostendit po tentiam discipulis rogantibus. Vult cm̄ dominus rogari, quo occasionem habeat dandi cum largissi-mus sit, quanuis sciat qd opus sit nobis antequàm rogemus eū. Luc. 11. Petite, & accipietis. Dormiebat corpore, sicut ad puteum fatigatus de itinere lassus sedebat. Ioh. 4. corporis humani ueritatem demon strans, sed uigilabat diuinitate. Psal. 120. Ecce non dormitabit neq; dormiet, qui custodit Israel. Dor-mit nobis Christus, qñ fide negligentius agimus. p fidem enim habitat in cordibus nostris, Eph. 3. qua-re nonnūquam tempestas orit tribulationum, quo periculo agnito dominum excitemus. In fidei enim naui, p mare huius mundi ad portum salutis tendi-mus. Sed 2. Tim. 3. Qui pie uolunt uiuere in Christo Iesu, persecutionem patient. Ioh. 15. Si mundus uos odit, scitote quia me priorem uobis odio habuit. Si me persecuti sunt, & uos persequentur. & 16. Hæc locutus sum uobis, ut in me pacē habeatis. In mun-do pressuram habebitis, sed confidite, quia ego uici mundum. 1. Ioh. 5. Hæc est uictoria quæ uincit mun dum, fides uestra. Dormit ergo tepidis, uigilat perfe ctis. Quod capite innix⁹ cruicali, dormiebat, depin xit quodam ænigmate, quantum immineat pericu li rebus humanis, q̄ties ij dormiūt, huius mūdi com

modis deliniti, q uices Christi susceperũt. Ezech. 13. execrat eos q cõsuũt puluillos sub omi cubito, & cer uicalia sub omni capite. Quod tũ exhibuit Iesus, id hodie nobiscũ agit. Quàm alte & piculose indormi unt hodie puluillis huiusmodi & ceruicalibus plati, q uoluptatib⁹ dediti, q regnandi libidine temulẽti, q nummis cõgerendis affixi, nec gregis cõmissi curã ullã agunt, nec suæ salutis meminerũt, neq; tantu lũ cõmuni piculo cõmouent, ut experrecti secũ cogitẽt: Quid facio demẽs? Grex dñi mihi cõcreditus est pascendus, ac ꝓpediẽ ueniẽdum erit ad tribunal æterni iudicis, q ꝓ his ouibus quas meæ curæ cõmi sit, precioſum sanguinẽ suũ fudit. Quid illi respõsu rus sum? Heu piclitat populus, nec est q Christũ excitet. Imò nolũt excitari, & habẽt q somnũ hunc pe stilentissimũ foueant, occinentes ad aurẽ blando su surrio, euge euge. Mar. 4. Et excitant eum, & dicũt illi: Magister, nõ (est tibi curæ) ad te ptinet q ꝓpim⁹? Lu. 8. Præceptor, pimus. Orig. O ueraces, ò benedicti Christi discipuli, saluatorẽ uobiscũ habetis, & piculũ timetis? uita uobiscũ est, & de morte soliciti estis? Nõ credebant se tutos, nisi ipso uigilante, nihil adhuc diuinitatis in illo suspicantes. Chryſ. Mirum certe, salutem ex eo petebant, & tamen eo præsente perire timebãt. Confidere eñ oportet, & si magnæ insurgũt ꝓcellæ, qñ utiliter dispensat oĩa. Proinde Iesus uolens eos aduersus oñes, quanuis atrocium malor̃ insultus, intrepidos & inuictos reddere, tantam illorum formidinẽ increpauit, d. Mar. 4. Quid adeò timidi estis? Necdum habetis fidem? Obiurgantis, non interrogantis, est. Lucæ 8. Vbi est fides uestra? De duobus redarguit, quòd pusillæ men-

tis,& modicæ essent fidei. Nam non solum erat in eis timor naturalis ex imminẽtia periculi,sed ex hæ sitatione fidei.Chrys.Ecce prius eos increpat q̃ ma re. Hunc enim timorem non operabatur tentatio- num inductio,sed mentis imbecillitas.Merito ergo eos nõ incredulos,sed pusillę fidei arguit:qa ex mi- rabilibus quæ iam fecerat,intelligere debuissent di- uinitatem eius,& nihil timere ipso præsente, siue ui gilare siue dormire uideretur, id quod neq; intelle- xere,neq; fecere. Quo autem ostenderet se elemen- torum omnium dominum,increpuit uentos ac ma re.Mar.4.Exurgens,comminatus est uento, & di- xit mari:Tace,obmutesce.Et cessauit uentus, & fa- cta est trãquillitas magna. Quo magis perspicuum esset hæc geri non uiribus humanis,sed uirtute diui na,quæ operatur in instanti, de magna turbatione facta est tranquillitas magna. Nihil em̃ surdius aut impotentius mari commoto, quod naturaliter diu etiam post commotionem concutitur,& tamen ad dñi iussum repente uersum est in summam tranquil litatem.Psal.146.Magnus dñs & magna uirtus ei- us.& 88.Tu dominaris potestati maris,motum au tem fluctuum eius tu mitigas.Chrys.Somnus homi nem monstrauit,tranquillitas deum:nam imperare creaturis,uirtus ipsius est creatoris:quia cui impera tur,imperantem sentit.Omnis enim creatura sentit creatorem,& quæ apud nos insensibilia sunt. Nulla nauis mergitur quæ sequitur Christum:quãtumuis iactetur fluctibus,quantumuis periclitetur, incolu- mes perueniunt ad portum. Ad omne periculum, uel tribulationem usq; ad animæ exitũ, similiter & contra delicias & honores, quæ non minimi aĩam

submergentium fluctuum, fortitudo animi tenēda, ut neq; in bono per superbiā erigamur, neq; in malo per impatientiam frangamur. Et si ipse dñs dormiat, pio somno nostram patientiā & tolerantiam expectans, uel impiorū pœnitentiā & cōuersionem sustinens, alacriter accedamus ad eum orationibus instantes, atq; cum ꝓpheta dicentes Psal. 43. Exurge, quare obdormis dñe? exurge, & ne repellas in finem. Exurge dñe, adiuua nos, & redime nos ꝓpter nomen tuū, Psal. 43. & ipse surgens, imperabit aereis dæmonū spiritibus, malos hoīes in bonorū ꝓsecutionē concitantibus, & cōpescens edicta regū iniq-rum ut uoluerit. Non em̄ est hoīs uia, ut dirigantur gressus eius, Hier. 10. Psal. 68. Saluū me fac dñe, qm̄ intrauerūt aquæ usq; ad aīam meā. Lu. 8. Qui timentes, mirati sunt, ad inuicē dicētes: Quis putas hic est, qa & uentis & mari imperat, & obediunt ei? Mirati sunt Christū imperantē, & creaturā obedientē. Oīno p̄fert qddam hoīe maius, qñquidē nō solū morbi & dæmones, uerū etiā uenti & mare obediūt imperanti. Moses uirga ꝓcutiēs mare rubrū, diuisit Exo. 14. Helias & Heliseus precibus Iordanē diuisere, 4. Re. 2. Hic imperat, & obediunt creaturæ, & non supgrediūt iussionē eius: & solū hoīm genus, q̄d ad similitudinē dei honorificatū est, cui uerbū & prudētia data est, ij soli hoīes resistunt, ij tm̄modo inobedientes sunt, ij soli contemnunt: ideoq; & ij soli iudicio damnabunt, & à iustitia punientur uelut deteriores bestijs, uel his quæ sine spiritu sunt & anima in hoc mundo. Ideoq; & ipsi omnis creatura inobedi ens facta est, Sap. 5. etiam propria caro. Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum.

De duobus dæmoniacis, Mat. viij. Marc. v. Lucæ viij.

ARTICVLVS XXXII.

Matt. 8. L

ET cum uenisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita ut nemo posset transire per uiam illam. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis & tibi Iesu fili dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?

Cum uenisset trãs fretum in terram Gerasenor, ab urbe celebri, quæ est Arabiæ, contigua mõti Galaad in tribu Manasse, haud procul à lacu dissita dicto Tiberiadis, ecce maioris miraculi occasio. Mar. 5. Exeũti ei de naui, statim occurrit de monumẽtis hõ in spũ immũdo, q̃ domiciliũ habebat in monumentis. (Lu. 8. occurrit illi uir qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & uestimento non induebatur, neq; in domo manebat, sed in monumentis.) & neq; catenis iam q̃squam poterat eum ligare, q̃m sæpe cõpedibus & catenis uinct⁹, disrupisset catenas, & cõpedes cõminuisset, & nemo eũ poterat domare, & sempdie ac nocte in monumẽtis & mõtibus erat clamãs, & concidẽs se lapidib⁹. Erãt duo, prout dicit Matthæus, sed unus sæuior, de q̃ Marc. & Lu. in q̃ erat legio. Nemo audebat illos ad Iesum adducere, sed hos adduxit inuitos tacita uirtus Iesu. Quũ em̃ ad strepitũ hospitũ, pcessissent è latebris suis, impetũ facturi in eos quẽadmodũ cõsuẽrũt, mox ut uiderũt Iesum eminus, ui cl̃esti attracti, subitoq; mutati, accurrerunt ad illum. Mar. 5. Videns autem

Iesum à longe, cucurrit & adorauit eum: & clamãs uoce magna, dixit: Quid mihi & tibi Iesu fili dei altissimi? Adiuro te p deum, ne me torqueas. Dicebat em̃ illi: Exi spũs immunde ab hoĩe isto. Lu. 8. Obsecro te ne me torqueas. Bono suo uidit Iesum. Iesus em̃ misertus hoĩs, imperabat spũi ut exiret. Inuitus aũt ille relinquebat uererẽ suã possessionẽ, qn & illud metuebat, iam adesse diẽ, quo forẽt æternis addicendi supplicijs, malorũ oĩm, qbus hic affligũt homines, pœnas daturi, neq; post hac sinerent hoĩbus esse molesti. Tãta em̃ eorũ est malitia, ut grauissimus ipsis sit cruciatus, si nõ liceat lędere homines. Non uoluntatis ista confessio fuit, quam prędmium sequit confitentis, sed necessitatis extorsio quæ cogit inuitos. Veluti si serui fugitiui post multũ temporis dominũ suum uideant, & nil aliud q̃ de uerberibus deprecent. Sic cruciabant impij spũs, nec ferebãt uim diuinã, ut sibi mali conscij, sentirẽt nouũ quendam & occultũ cruciatũ, etiam priusquàm ille loqueret. Amb. Non nouerunt diuini cõsilij dispẽsationem. Si em̃ cognouissent, nunquàm dñm gloriæ crucifixissent, 1. Cor. 2. Hinc secundum Hila. Magis suspicati quàm nosse credendi sunt dæmones dñm. Nũc aũt quum tempus sit meriti & demeriti usq; ad iudiciũ, sicut angeli boni nobis adsunt in bonũ, Psal. 90. Angelis suis deus mãdauit de te, ut custodiãt te in oĩbus uĩs tuis. Heb. 1. Oẽs enim administratorij sunt spũs, missi in ministerium, propter eos qui hæreditatẽ capiũt salutis, ita mali ad nostrã exercitationẽ. Ephe. 6. Nõ est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinẽ, sed aduersus principes & potestates, aduersus mũdi rectores tenebrarũ harũ, cõtra spũalia

negtiæ in cæleſtibus. 1. Pet. 5. Aduerſarius ueſter di abolus tanq̃ leo rugiens circuit, quærẽs quem deuo ret. Hinc licet ſecum portent pœnã, non tamen con ſummatam, quam infernalibus flammis alligati ha bebunt. Mat. 25. Qui paratus eſt diabolo & angelis ei⁹, cui nũc reſeruãt, 2. Pet. 2. cauſant ſe ante tẽp⁹ cru ciari, ſi ab hoĩm cruciatu, nimio odio exagitati, arce ant. Sentiebant etiam Ieſu uocẽ efficacẽ & oĩpoten tem, cui uolentes nolentes parere cogerẽtur. Ieſus, quo oĩbus notior eſſet miraculi magnitudo, Marc. 5. interrogauit eum: Quod tibi nomẽ eſt? Et dicit ei: Legio mihi nomẽ eſt, qa multi ſumus. Et depreca bat eum multum, ne ſe expelleret extra regionem. Nullũ eſt magnũ peccatũ, ſine magna caterua uitio rum. O peruerſam dæmonis malitiam, non depre catur ueniam, non aliud beneficium petit, ut ipſi ſit melius: pro beneficio ducit, ſi liceat illic uiuere, ubi plurima ſit nocendi occaſio. Sap. 2. Inuidia diaboli intrauit mors in orbem terrarum. Sic uenit in para diſum, in ſerpente decipiens mulierẽ, Gen. 3. Sic in trauit Iudam, ut dñi pficeret traditionem, Ioh. 13. Sic commouit Dauid ut numeraret populũ, 2. Re. 24. qd plura⁹ nusq̃ nõ ceſſat impugnare ſanctos. Hinc cõtra Iob affuit inter filios dei, Iob. 1. Vnde Lu. 22. ait dominus: Simõ, ecce ſatanas expetiuit uos, ut cri braret ſicut triticũ. Ego autẽ rogaui pro te, ut non deficiat fides tua. Ecce unde uictoria. Iac. 4. Reſiſti te diabolo, & fugiet à uobis. Sed præmiſit, Appro pinquate deo. 1. Pet. 5. Cui reſiſtite fortes in fide. Non enim quantum uult, poteſt, ſed quantum deus pro noſtra exercitatione permittit, ut patet Iob. 1. & hic, Vnde ſequitur:

Erat autem non multum ab eis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite, At illi exeuntes, abierũt in porcos. Et ecce magno impetu abijt totus grex per præceps in mare, et mortui sunt in aquis. Pastores autem fugerunt, & uenerunt in ciuitatem, & nunciauerunt hæc omnia, & de ijs qui dæmonia habuerant. Et ecce tota ciuitas exijt obuiam Iesu: & uiso eo, rogauerũt eum, ut transirent à finibus eorum.

Dæmones ergo uidentes se uirtute diuina uehementer urgeri, ne sine noxa abirent, tanta erat malitia, hoc deprecabantur, quo uel suffocatis porcis, contristent dominos illorum, ut ne Christum susciperent. Dominus autem qui nouit malis malorum conatibus uti in bonum, cõcedit, quo crudelitatem illorum erga homines cõmonstret, nisi auerterent per deum, & miraculum euidentius redderetur & famosius, ac Gerasenis occasionem præstaret conuersionis, per impetum immaturæ mortis quam fugiunt omnes. Pestilente em̃ flagellato, stultus sapientior erit, Pro. 19. necnon ut hominis nobilitas declararetur, ob cuius salutem, cæterarum rerum q̃is grauis iactura est negligenda. Amb. Dignior best ijs est homo, quum pro duorum hominum salute duo millia porcorum perierint, Marc. 5. Caueant homines, ne porcorum similes inueniantur, in luto uolutatum uersantes: in tales enim animos cõmigrant dæmones, mittẽtes illos præcipiti perditione in mare huius uitæ, ut suffocentur. Solicitudo enim secu- 2

li & fallacia diuitiarum ſuffocant uerbum, Mat.13. Hiero. Erubeſcat Manichæus. ſi de eadem ſubſtantia & eodem autore hominũ beſtiarumq; ſunt animæ, quomodo ob unius hominis ſalutem duo millia porcorum ſuffocantur? Ex hoc intelligimus, q̃ cum ſpiritus maligni intrãt in homines immũdos, nõ mittit eos deus, ſed permittit idipſum efflagitantibus eiſdem ſpiritibus: quodq; ſine diuino pmiſſu non poſſunt ne in porcum quidem uiliſſimum animal intrare, tanto minus quæ bona ſunt contingere. Non enim poſſunt, niſi quantum permittuntur: imò coartantur, ne tantum poſſint quantum uolunt, Iob. 1. Marc. 5. Qui autem paſcebant eos, fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem & in agros. & egreſſi ſunt uidere quid eſſet factum, & uenerũt ad Ieſum. Et uident illum qui à dæmonio uexabatur, ſedentẽ, ueſtitũ, & ſanę mẽtis, (Luc. 8. ad pedes eius) & timuerunt. Et narrauerũt illis q uiderant, qualiter factum eſſet ei qui dęmoniũ habuerat, & de porcis. Lu. 8. Et rogauit eum oĩs multitudo Geraſenorum, ut diſcederet ab ipſis, quia magno timore tenebant. Fugerũt paſtores, tam inſolito ſtupendoq; miraculo territi, & ne damnũ ipſis imputaret. Bonus ille paſtor ouium, ſuccurrit piclitanti gregi, Iohan. 10. Cęterum ubi deplorati perditiq; gregis paſtores ſunt ſimiles, & internecione perit grex, & paſtores territi nihil aliud quàm fugiunt. Viderunt duos homines ex nudis iam ueſtitos, ex phreneticis ſanos, ex rabidis quietos, adeo ut ſederẽt ad Ieſu pedes, agnoſcentes autorem ſuæ ſalutis. Sed quoniã erant craſſi maliq;, magis metuebant uirtutem Ieſu, quàm amabant bonitatem: ac pluris faciebant iacturam por-

cõrum, quàm salutem hominum: tristitia affecti, timebãt ne grauius quiddam essent passuri: rogabãt ut discederet à finibus eorum. Qui si pernouissent eum, obnixe rogassent ut uenire dignaretur in fines eorum, hoc facturus in animis illorum, quod in duobus fecerat dæmoniacis. Erat eñ fuga pastor: occasio salutis, sed ipsi intelligere neglexerunt. Oportebat enim mirari uirtutem seruatoris, & illi credere. Qualis enim esset uita illorum, porci declarabant, quos dæmones hominum uicarios sibi postulatũt. Discere ergo quod ubi uita est porcina, non manere Christũ, sed diabolum. Lu. 8. Iesus autem ascendens nauim, reuersus est, & rogauit eum uir à quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus, dicens: Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit deus. Et abijt per uniuersam ciuitatem, p̃dicans quanta illi fecisset Iesus. Mar. 5. Vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi dominus fecerit, & misertus sit tui. Rogabat ergo ut liceret esse in illius comitatu, cui salutem debebat, & ne, si quando dæmones eum inuenissent solum, iterum se adirent. Dominus autẽ illum sua uirtute saluum remisit, malẽs illum habẽre præconem quàm comitem, quod id magis multorum expediret saluti. Vide q̃ alienus à factu dominus: non enim dixit, annuncia quæ ego tibi feci, sed deus. ipse tamen curatus, diuina illustratiõe edoctus, tanquàm gratus, p oẽs ciuitates p̃dicabat, q̃lis fuisset, & q̃lis esset bñficio Iesu factus. Ea regio decẽ ciuitates cõplectit, unde & decapolis dicta. Nec inanis fuit oĩno dæmoniaci p̃dicatio. credidere multi, & admirati sunt. Mar. 5. Et cũ ascẽdisset Iesus ĩ nauim, rursum trãs fretũ cõue

nit turba multa ad eum, & erat circa mare. Lucæ 8. Et factum est cum rediisset Iesus, excepit illũ turba. Erant autem omnes expectantes eum. Hac imagine nimirum docuit nos dominus Iesus, nullis quãlibet impijs, non esse non offerendam euangelij gratiam: inuitis tamen & aspernantibus non esse obtrudendam, sed rursus ita discedendum ab illis, ut scintillam aliquam relinquamus ueræ pietatis, olim fortassis per occasionem emicaturã. Reuersus est itaq; Iesus unde uenerat, uidelicet in Galilæam, ubi iam celebris erat & admirandus omnibus. Redeuntem excepit ingẽs multitudo, quæ magnis desiderijs expectarat Iesu reditum à Gerasenis.

De paralytico sanato, Matth. ix. Marc. ij. Luc. v.

ARTICVLVS XXXIII.

Matt. 9. M

ET ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, & uenit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Videns autem Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat.

Ostendit diuinæ benignitatis magnitudinem oĩbus obuiam & paratam, quæ plus semper præstat q̃ postuletur. Conscensa ergo naui traiecit, quo naturæ assumptæ declarat ueritatem, & nos informat, mare huius seculi non nisi per lignum crucis transire, & ad salutis portum peruenire. Chrys. Nauigio transiit, qui pedes potuit: non sic mũdani, qui ambulant in magnis & mirabilibus supra se, humilia de se

non sentientes. Mar. 2. Et iterum intrauit Capernaum post dies octo, & auditum est q̄ in domo esset, & conuenerunt multi, ita ut non caperent neq; ad ianuam, & loquebatur eis uerbum. Lu. 5. Et factum est in una dierū, & ipse sedebat docens. Et erant pharisæi sedentes & legisdoctores, qui uenerant exōi castello Galilææ & Iudęę & Ierusalem, & uirtus dñi erat ad sanandum eos. Hinc hoīem difficilimi morbi sanat, ut sanando tm̄ morbum, sanaret & mirabilem pharisæorū insaniam, qui non ad discēdum, sed insidiandū aduenerāt Iesu, cuius gloria suam obscurari tenebant. Vere uirtus dñi erat ad sanandū, non tā corporaliter q̄ spūaliter in aīa. Psal. 102. Qui ꝓpiciat oībus iniquitatibus tuis, qui sanat oēs infirmitates tuas. 1. Cor. 1. Nos p̄dicamus Christū crucifixū, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autē uocatis Iudæis atq; Græcis, Christum dei uirtutem & dei sapientiam. Verū uirtutem, q̄cunq; fugias, sua sequit̄ gloria, non aliter q̄ umbra corpus. Quemadmodū em̄ dñs Bethleem cunis suis nobilitauit, Nazareth educatiōe celebrem reddidit, Aegyptum fuga sua felicem fecit, ita Capernaū frequēti commoratione, atq; inibi proditis miraculis uelut adoptauit in patriam. Huc autem ueluti furtim reuersus est, prius abdens sese in domum, q̄ aduentus ipsius innotesceret uulgo. Verum ut non potest latere sol, ita non potest esse clām dñs Iesus. Beata domus, in quā immigrauit dñs Iesus, & à q̄ nunq̄ recedit. Ioh. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. 1. Ioh. 4. Deus charitas est, & q̄ manet in charitate, in deo ma

ner,& deus in eo.Dominus ergo docens nos, ubiq; primam habẽdam esse rationem animarum, poste riorẽ corporũ,in primis impartiebat eis sermonem euangelicũ,quo sanant animorũ morbi. Totus aũt Iesus,qm̃ fons erat oĩs salutis, nihil aliud spirabat, q̃ uim quandam diuinã ad sanandos homines, cuius rei gratia uenerat in terras. Luc.6. Virtus de illo exibat,& sanabat oẽs.Lu.5.Et ecce uiri portãtes in lecto hominem. (Mar.2.qui à quatuor portabat.) qui erat paralyticus, & quærebant eũ inferre,& ponere ante eum:& non inuenientes qua parte illũ inferrent p̃ turba, ascenderunt sup tectũ, & p tegulas summiserunt eum cum lecto in mediũ ante Iesum. Morbus erat insanabilis,iam̃q; inueterat⁹,aditus importunus,& tamen certã spem illis porrigebat dñi bonitas cum pari potentia cõiuncta. Tantũ in hoc labor erat,ut miser ueniret sub oculos Iesu.Sigdem ille iam sanitati proximus est,q relictis latebris peccandi,ut miserabilis semet offert conspectui Iesu,suam agnoscens calamitatem,& illius expectans benignitatẽ.Hiero.Paralysis,typus est corporis, quo piger iacet in mollitia carnis,habens desiderium salutis:& corporis ignauia, & duplis cogitationibus, ac si eneruatus in mẽbris,offendit:quẽ quatuor portant,quorũ per fidẽ paralytico dimittunt peccata,s. prudentia & fortitudo,tẽperantia & iustitia. Morbus erat nulli non miserandus,sed longe miserabilior erat animus uitijs obnoxius.Vnde dñs declarãs morbum esse ex peccato,primum soluit peccatum. Turba ergo q̃ in foribus nolebat locũ dare misero, coacta est ex alto labẽti cedere. Quid aũt inter hęc mitissimus medicus? Nõ exprobrat impudentiã &

importunitatē, non destomachat abominando spectaculo irruptū sermonem suum, sed potius approbās ardorē fidei baiulorum, quanuis oportuit non minorem esse fidem ægroti, q sic demitti se uel iusserit, uel passus sit, ostendēs simul, esse diuinius ac magis appetendū, liberari à morbis aīorū, quàm corporum, conuersus ad decumbentē, ut circunstantibus fidem etiam atq; etiā cōmendaret, bono aīo, inqt, esto fili. Hier. O mira humilitas, despectū & debilē & totis membrorū cōpagibus dissolutum, filiū uocat, quem sacerdotes tangere dedignabant. Filius siqdem creatiōe. Deut. 32. Nonne ipse est pater tuus, q possedit, fecit, & creauit te? Nunc aūt fide & peccatorum remissione. Ioh. 1. Dedit eis potestatē filios dei fieri, his q credunt in noīe eius. Gal. 3. Oēs uos filij dei estis per fidē quæ est in Christo Iesu. Sic & Zachæus quærens uidere dñm qs esset, filius dictus est Abraę, Lu. 19. Confide, ait, oīa eñ possibilia sunt credenti, Marc. 9. Sic cæcis ait, Matth. 9. Creditis quia hoc possum facere uobis? Secundū fidem uestrā fiat uobis. Lu. 5. Homo, remittūt tibi peccata tua. Aug. Hominem uocat, quia peccator: filium, qa peccata remittunt. Glo. Tu homo peccator es, ego deus qui peccata dimitto. Amabilis iste medic⁹ q purgat naturam, annihilat culpam, & p̄stat gratiā. Lu. 5. Et cœperunt cogitare scribæ & pharisæi, dicētes: Quis est hic qui loquit blasphemias? Quis potest dimittere peccata nisi solus deus? Quū foris non auderent ꝓpter turbā, in corde murmurabant, deum non reuerentes, sed homines. Eruditio enim literarum sacrarum eos nihilo reddebat meliores, sed ad calumniandum propensiores. Non enim dixerat, Ego re-

mitto, sed remittuntur. Sed ipsi ad calumniandum nunquam non procliui, sic acceperunt, quum diuinam quandam potentiam hæc uox sonaret. Sacerdotes pro peccatis orabant, Leuit. 5. &c. hic autem homo quum sit, dei potestatẽ sibi usurpat. Esa. 43. Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas. Hinc morti ipsum obnoxium iudicabant, quum blasphemus iubeatur lege occidi, Leu. 24. Iob. 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptũ semine? nõne tu qui solus es? Hinc Psal. 50. Cor mundũ crea in me deus, & spiritum rectum innoua in uisceribus meis. Sciendum quod autoritatiue & principaliter peccata remittit deus, ministerialiter homo. Iohan. 20. Quorum remiseritis reccata, remittũtur eis. gratia formaliter, tanquam forma omne contrarium sibi expellens. Quia ergo, ut dicit Beda, pro culpa animę corpus infirmatur, ideo prius animam oportuit curare, docens hoc medicos, uerus medicus animarum, ut quum ad corporum curam uocantur, ꝙ primum & ante omnia ingerant ægrotis, ut animarum medicos aduocent.

Et cum uidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus uestris? Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge & ambula? Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Et surrexit & abijt in domum suam. Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorificauerũt deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Iesus autem qui diuinam potestatem suam remittendis peccatis subindicauerat scribis, etiam peculiari signo declarat eandem, declarãs sese non latere, quid quisq; cogitet. 1. Reg. 16. Homo uidet ea quæ patent, deus aũt intuetur cor. Hier. 17. Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego dominus scrutans cor & probans renes. glos. Volens dominus saluos facere peccatores, & occultorum se reuelatione deum demonstrat. q. d. Ea potestate qua cogitatiões uestras intueor, possum etiã hominibus peccata dimittere. Vt quid peruerse iudicatis inuidia excæcati? siquidem ex scripturis & operibus cognoscere poterãt, ipsum esse per quem salus promittebatur. Iohã. 5. Scrutamini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam æternam habere. Illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Si crederetis Mosi, crederetis utiq; & mihi. de me enim ille scripsit. Iohan. 10. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Hieronymus: Vtrũ isti paralytico peccata dimissa fuerint, ipse solus nouerat qui dimittebat: surgere autẽ & ambulare, omnibus manifestũ erat qui uidebant. Fit ergo uisibile signum, ut probetur inuisibile. Accipite ergo uisibile documẽtum, quod filius hominis habeat in terris remittendi peccata cunctis, qui syncera fide q̃runt ipsius opem. In terra, ait, quia in inferno nulla est redemptio. Psalm. In cælo non est peccatum. Mat. 16. Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis. Mar. 2. Tibi dico, surge. Ad hanc uocem alacer erexit sese, quasi nunquam sensisset aliquam paralysim: ac sublato in humeros lectulo, per

confertam hominum multitudinẽ egressus est. Datus est locus exeunti, qui negatus est aduenienti: & qui prius decumbens gestabatur à quatuor baiulis, nunc etiã lecto gestando sufficit. Chrysostomus: Id q̃d fuit signũ infirmitatis, fit signum sanitatis. Glos. Magna uirtus, ubi sine mora salus imperium comitat. Lu. 5. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectũ suum in quo iacebat, & abijt in domũ suã magnificans deũ. Quemadmodũ in miserijs ad deũ recurrimus auxiliũ petentes, Psal. 6. Miserere mei dñe q̃m infirmus sum. 2. Par. 20. Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solũ habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. sic post acceptum beneficium gratias agere debemus, ne ingrati inueniamur. Psalm. 102. Benedic anima mea dñm, & noli obliuisci omnes retributiones eius. 1. Thes. 5. In oibus gratias agite. Lu. 5. Et stupor apprehendit oẽs, & magnificabant deum, & repleti sunt timore, dicẽtes: Quia uidim⁹ mirabilia hodie. Mar. 2. Abijt inde coram omnibus, ita ut mirarentur omnes & honorificarent deum, dicẽtes: Quia nunq̃ sic uidimus. Glos. Merito qui aderant, relictis blasphemijs, stupentes ad laudem conuertuntur tantæ maiestatis. Ex tãto nanq; prodigio, magnitudinẽ potentiæ, sanctitatemq; domini Iesu pensantes, suam mox fragilitatem & culpã clarius aduerterunt, Imò quasi coacti sunt intueri, unde orta est formido ultionis diuinæ, & pauor reuerẽtialis ad autorem miraculi, nõ intelligentes q; Christus in hoc uenerat, non ut pderet nocentes, sed ut redderet innocentes. Glorificauerunt deum, qui talem potestatem dedit hominibus, ut simplici uerbo & peccata cõdonaret, & mor

bum insanabilem adimeret. Dicebant aũt inter sese: Conspeximus hodie mirabilia, quæ nec audiuimus unquam facta, neq; legimus. Scribis aũt sic erat impositum silentium, ut magis etiam exacerbarentur inuidia, nimirum magis quęrentibus suã gloriam q̃ dei, qua per Iesum indies illucescentem se uidebant obscurari. Quanto anima præstantior corpore, sic curatio animæ difficilior curatione corporis. Sicut autem dominus non solum morbos curat, sed & uirtutem dat, sic in morbis animæ curandis uirtutem infundit, ut operemur mãdatum. Surgendum ergo à carnis illecebris, & caro spiritui subigenda. Gala. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerũt cum uitijs & concupiscentijs. & in domum interioris conscientiæ redeundum, ne peccemus. Psal. 118. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. ac semper corde festinandum in domum non manufactam, æternam in cælis, 2. Cor. 5. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus, Heb. 13.

De conuiuio Matthæi, uide supra ar. 24. m. 2.

De ieiunio discipulorum Iohannis, Mat. ix. Mar. ij. Luc. v.

ARTICVLVS XXXIIII.

Tvnc accesserunt ad eum discipuli Iohannis, dicentes: Quare nos & pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Et ait illis Iesus: Nunquid possunt filij sponsi lugere quàm diu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum aufe- Mat. 9. N

retur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Nemo autẽ committit commissuram panni rudis in uestimentum uetus. Tollit enim plenitudinem eius à uestimento, & peior scissura fit. Neq; mittunt uinum nouum in utres ueteres, alioquin rumpuntur utres, & uinum effunditur, & utres percunt. Sed uinum nouum in utres nouos mittunt, & ambo conseruantur.

Discipuli Iohannis qui quodam humano affectu subinuidebant Iesu, de magistro suo Iohanne ueluti de præstantiori gloriantes, iuncti pharisæis, adeunt Iesum: nec uerẽtur illum in os calumniari, quod nimis indulgẽter haberet suos discipulos, minusq; seuere institueret, q̃ Iohãnes suos, quũ arctiorẽ quãdam disciplinam uideretur polliceri. Iohannes em quum esset cõfinium legis mox cessaturæ, quædam tradebat quæ non prorsus horrebant ab institutis pharisæorum, quum Christus, qui multorum opinione Iohanne uidebatur inferior, indulgentius ac mollius haberet suos, in his duntaxat quæ ad corporales obseruationes pertinent. Duabus autem reb⁹ pharisæi potissimum captabãt apud populum opinionẽ sanctimoniæ, ieiuniis & precationibus. Mar. 2. Et erant discipuli Iohannis & pharisæi ieiunãtes. Luc. 5. Quare discipuli Iohannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & pharisæi, tui autem edunt & bibunt? Non est dubium quin præcepta legis ieiunia obseruarẽt. Peccarunt in hoc primo, quia secundum Hieronymum iungebãt se pharisæis, quos nouerant à magistro suo Iohanne condemnatos, Matth. 3. Secundo, quod Christum calumniabantur, quem magistri sui uocibus sciebant p̃-

dicatum. Tertio, se de ieiunio iactitando. Matth. 6. Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne uidearis hominibus ieiunans, sed patri tuo qui uidet in abscondito. Ad hanc quęstionẽ, quoniam ipsum petebant, non discipulos, dominus clemẽtius respondit, quàm paulo ante fecerat, discipulis suis patrocinans, nos interim docens euangelicam charitatem, quæ lenis est malis propriis, diligentiorem esse in propellendis malis alienis. Hinc responsionem ab Iohannis testimonio mutuatur. Is enim apud eos qui ipsum Christum suspicabãtur, de Iesu testificans, ait: Qui habet sponsam, sponsus est, Iohan. 3. quod cooptet sibi nouam sponsam, id est, ecclesiã, ueteri mortua, hoc est, synagoga, Iesum indicans sponsum, se autem amicũ sponsi. Hunc ser monẽ eis ad memoriam dominus reuocauit. Psal. 18. Tanquam sponsus procedens de thalamo suo. 2. Cor. 11. Despondi uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Filij sunt, qui fidem habent per dilectionem operantem, Gal. 5. & 3. Omnes uos filij dei estis per fidem. Luc. 5. Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? In his quæ corporis sunt, & ad legis accedunt cæremonias, lenior est nostra institutio: sed in his quæ sunt animæ, longe seuerior est. Teneri adhuc sunt, ac toti pendent à sponso. Huius nõ erit illis diuturna copia. Veniet autem tempus quum orbabuntur sponso: tum hausto spiritu cælesti facti firmiores, non solum ieiunabunt, idq; sua sponte, uerumetiam fortiora magisq; mascula præstabunt uolentes & alacres. Nolite eis interim inuidere hanc lætitiam, non diu duraturam. Sinite illos hac indulgentia leniter

duci ad perfectiora. Nam gaudij magnitudo nõ sinit eos, quàm diu cum ipsis est sponsus, meminisse tristium. Mœstum autem quid est ieiunium, non natura sui, sed comparatione illorum qui adhuc infirmiores sunt. Nam perfectioribus qui ad sublimioris philosophiæ fastigium peruenire uolunt, iucunda quædam res est & ualde amabilis. Discipuli mei, quoniam per me custodiũtur, ieiunio non indigẽt: quum autem corporalem abduxero, per ascensionem, ipsis præsentiam, Ioh. 16. Exiui à patre, & ueni in mundum: iterum relinquo mundum, & uado ad patrem, diuinitate semper cum ipsis permansurus. Matt. 28. Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi, & missi fuerint ad prædicandum, tunc ieiunabunt & orabunt, utpote ad maiora se pparantes. Actu. 13. Ministrantibus autem illis & ieiunantibus. Mar. 2. Nemo assumentum panni rudis
5 assuit uestimento ueteri: alioqui aufert supplementum nouum à ueteri, & maior sciffura fit. Vetera ueteribus, noua nouis congruunt: quæ si misceas, non solum inanem consumis operam, uerumetiam eos quos in melius mutare conaris, reddis deteriores. Donec renatus quis fuerit, & ueteri homine deposito per passionem meam, nouum hominem induerit, non potest sæuiora ieiunij & continentiæ sustinere præcepta, ne per austeritatem nimiam, etiam credulitatem quam nunc uidetur habere, amittat. Ro. 12. Rationabile obsequium uestrum. Eccës. 7. Noli esse iustus multum, neq; plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas. Vinũ nouũ in utres nouos mittẽdum est, & utraq; conseruant, Lu. 5. quia ferũt uim uini, nec dissiliunt feruescente uino. Ego meos

totos nouos esse uolo, eosq; mihi paulatim sic fingo, ut olim fortes ac firmi queant euãgelicæ doctrinę uim pferre. Iohãnes ueruſtis utribus nõ est ausus aliud, q̃ uetus uinũ cõmittere. Nihil eaꝝ rerũ meis p̃cipio, q̃ quicq̃ habẽt confine cũ carnali legis obseruatione, ne si uel paululũ admisero, toti relabant eò unde uolo eos totos esse alieniſſimos. Scio q̃ sit difficile, nouã hanc & spiritualem doctrinã cõmendare iis q̃ iam diu ueteribus assueuerunt. Vix em̃ placet quicquã diuersum cuiquã, ab eo cui diu assueuerit. ,ptinus enim offendit ad gustũ inusitatæ rei. Lu. 5. Et nemo bibẽs uet⁹, statim uult nouũ: dicit enim, uetus melius est. Nam carnalib⁹ spiritualia dulciter nõ sapiũt, quanuis in se dulciſſima sint. 1. Cor. 2. Animalis homo non pcipit ea q̃ sunt spiritus dei. Eph. 4. Deponite uos secundũ priſtinã conuersationem ueterẽ hoiem, qui corrumpit secundum desideria erroris. Renouamini aũt spiritu mẽtis uestræ, & induite nouum hominem, qui secundum deum creatus est, in iustitia & sanctitate ueritatis. Suggillat seruator phariſęorum inueteratam in maiorum traditionibus mentẽ, & ob id minus idonei euangelio.

De puellæ ſuſcitatione & de hæmorrhoiſſa, Mat. ix. Mar. v. Luc. viij.

ARTICVLVS XXXV.

Matt. 9.

HAec illo loquente ad eos, ecce princeps unus acceßit & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta est: ſed ueni, impone manum tuã ſuper eam, & uiuet. Et ſurgens Ieſus, ſequebatur eũ & diſcipuli eius.

O

Quàm benigne dominus pijs supplicantium succurrat uotis, declarat, quo nobis fiduciam postulandi tribuit. 2. Cor. Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Luc. 8. Et ecce uenit uir cui nomẽ Iairus, & ipse princeps synagogæ erat, & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum, ut descenderet in domum eius, quia unica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur. Mar. 5. deprecabatur eum multum, dicẽs: quoniam filia mea in extremis est. Quia enim proprium est rogãtium, ptopriam augere miseriam, ideo ut amplius prouocaret dominum, dixit eam mortuam, prout Matthæus dicit. Ilico ergo benignus Iesus, Marc. 5. abijt cum illo, & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum. Ecce inter eundum alterius occasio miraculi.

2 *Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim, accessit retro & tetigit fimbriam uestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum uestimentum eius, salua ero. At Iesus conuersus, & uidens eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.*

Mulier bis misera, post q̃ malę ualetudini accesserat inopia. Mar. 5. quæ fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat oñia sua, nec q̃q̃ profecerat, sed magis deterius habebat, cum audisset de Iesu, uenit in turba retro, & tetigit uestimentum ei⁹. Dicebat eñ etc. Post q̃ ergo cœpit diffidere medicis, cœpit esse saluti uicinior. Deus enim nulli libentius opitulatur, q̃ quẽ humana destituere prę-

sidia. Hæc cum summam fiduciam de Iesu concepis set, quum immunda esset, ob pietatem non accessit manifeste, ne repulsam pateretur: & quanuis putabat se latere, sperabat tamen se sanitatem consecutu ram si rangeret: & accessit retro, atq; tandem eluctata per collidentium se globos hominum, tetigit extremam oram uestis illius, quę in compressu multitudinis huc & illuc ferebatur. Luc. 8. Accessit retro, & tetigit fimbriam uestimenti eius. Iudæi enim sicut religione, ita & uestitu erant distincti ab aliis nationibus. Num. 15. Loquere filiis Israel, ut faciant sibi fimbrias p angulos quatuor pallioꝝ, ponentes in eis uittas hyacinthinas: quas cum uiderint, recordabuntur oīm mandatoꝝ domini, nec sequentur cogitationes suas, & oculos per res uarias fornicantes, sed magis memores præceptorū domini faciant ea, sintq; sancti deo suo. Mar. 5. & confestim siccatus est fons sanguinis eius, & sensit corpore quia sanata esset à plaga. Rabanus: In desperatis causis magna est gratia extrema necessitas. unde desperans hæc mulier ab omni humano auxilio, didicit ex uestimentis Christi habere salutem: & docuit nos, quantum sit corpus in sacramento susceptum, quæ in fimbria tantum monstrauit salutis. Credidit, dixit, & tetigit: quia his tribus, fide, uerbo & opere, omnis salus acquiritur. Sanguinis patitur fluxum, qui ingenti carnalium delectationum fluxu pollutus fluit, atque à cœtu iam fideliū segregatur. Psalm. 50. Libera me de sanguinibus deus deus salutis meæ. Tangat ergo manu fidei, quia uirtus de illo exit & sanat omnes. Luc. 6. Iac. 4. Appropinquate deo, & appropinquabit uobis. Mar. 5. Et statim Iesus cognoscens in se-

metipſo uirtutem quæ exierat de illo, conuerſus ad turbam, aiebat: Quis tetigit ueſtimenta mea? Glo. Non quęrit ut doceatur, ſed ut mulier confiteaſ ad miraculi manifeſtationẽ, in dei laudem, & aſtãtium ædificationem, ac archiſynagogi confirmationẽ. Ieſus enim pro ſuo beneficio nihil aliud præmij flagitat, niſi confeſſionem mali, & agnitionem clementiæ diuinæ. Luc. 8. Negantibus autem omnibus, dixit Petrus & qui cum illo erant: Præceptor, turbę te comprimunt & affligunt, & dicis, quis me tetigit? Etenim Ieſum euntem in ædes archiſynagogi denſiſſima hominum turba comitabatur, partim quia non poterat diuelli à Ieſu, partim quo ſpectatores fierent rei gerendæ, & rogãtis nobilitas acuebat ſpectandi deſiderium. Et dixit Ieſus Luc. 8. Tetigit me aliquis. Nam & ego ſenſi uirtutẽ de me exiſſe. Subindicabat non ſe de uulgari contactu loqui, de quo ſentiebant diſcipuli. Marc. 5. Et circunſpiciebat uidere eam quæ hoc fecerat. Lu. 8. Videns autem mulier quia non latuit, tremens uenit & procidit ad pedes eius, & ob quam cauſam tetigerit eum, indicauit coram omni populo, & quemadmodum confeſtim ſanata ſit. Hæc dominus teſte turba prædicari uoluit, non ut pudefaceret mulierculam, aut ſibi laudem apud homines uindicaret, ſed ut exemplo doceret oẽs, quãtum ualeret firma fidutia, ac mulieris exemplo confirmaret fidem archiſynagogi, quam intelligebat nonnihil uacillare, ſimulq; phariſæis ſuam exprobraret incredulitatẽ. Hieronymus: Iuxta legẽ qui mulierẽ menſtruatã & ſanguine fluentem tetigerit, immundus eſt, Leui. 15. hæc ideo tangit dominũ, ut ipſa ſanguinis uitio curaretur. Marc. 5. Ille

autem dixit ei: Filia, fides tua te saluã fecit. uade in pace, & esto sana à plaga tua. Pius dominus mulierem trepidam ac metuentem, ne iratus dominus tum beneficium repeteret, consolatus est. Bono animo esto filia. fides tua te saluam fecit. Ideo filia, quia fides tua te saluã fecit. Non ait, Ego te saluam feci, quo uanam gloriam uitandam ostenderet, & fidei meritum extolleret. Vade cum pace, tranquillo ac securo animo. Volo eñ ut hoc meũ beneficiũ sit tibi ppetuũ. Mar. 5. Adhuc eo loquente, ueniunt nunciĩ ad archisynagogum, dicẽtes: quia filia tua mortua est, quid ultra uexas magistrũ? Nã uiuæ salutem dare posse credebant, mortuæ uero uitam reddere non posse, & ideo non esse causam, ut pergat molestare Iesum. Luc. 8. Iesus autem audito hoc uerbo, respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantũ, & salua erit. Vidit enim obstupuisse & consternatum esse animum ipsius, quare blando ipsum subleuauit alloquio.

Et cum uenisset Iesus ad domum principis, & uidisset tibicines, & turbam tumultuantẽ, dicebat: Recedite. non enim est mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum ejecta esset turba, intrauit & tenuit manum eius, & dixit: Puella, surge. Et surrexit puella. & exijt fama hæc in uniuersam terrã. 3

Luc. 8. Et cum uenisset ad domum, non permisit intrare secum quenq̃, nisi Petrũ, Iacobum & Iohannem, & patrem & matrẽ puellæ. Flebant aũt oñes & plangebant illam. Solet enim uulgus hominum acerbius ferre mortem iuuenum quàm senum, quum nihil sit optabilius quàm tum emori, quum

dulcissimum est uiuere, priusquam animus multis huius uitæ malis contaminatus est. Non enim refert q̃ diu uixeris, sed quàm bene. Sapi. 4. Senectus enim uenerabilis est, non diuturna, neq; annorũ numero computata. Cani aũt sunt sensus hominis, & ætas senectutis uita immaculata. Placens deo factꝰ est dilectus, & uiuens inter peccatores, trãslatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia. Consummatus in breui, expleuit tempora multa. Placita eñ erat deo anima illius. propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Esa. 65. Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus. Quod autem deriserunt eum, scientes quia mortua esset, Luc. 8. testimonium amplius dederũt miraculo q̃ uere mortuam suscitarit. Erat quidẽ alijs mortua, à quibus excitari nõ potuit, sed non ipsi, qui facilius à morte posset excitare, quàm alius à somno. Deo enim omnia uiuũt. Sed ipse ob hoc non desistebat ab incepto, docens nos, nõ ob prauorum derisionem iter bonorum operum desere re inceptum. Sic Dauid à Michol derisus, ait 2. Reg. 6. Ludam coram domino, & uilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. Hieronymus: Non erant digni ut uiderent mysterium resurgentis, qui resuscitantem deridebant, & ne gloriam affectare uideretur. Mar. 5. Et tenens manum puellæ, ait: Thabita cumi, quod est interpretatũ, Puella, tibi dico, surge. Syrorũ lingua est. Et confestim surrexit puella & ambulabat. Quo certior esset fides

miraculi, non solum uitam reddidit, sed & uires & alacritatẽ. Si mortuus fueris peccatis, tũc surges qñ apprehendet manũ tuam, ita ut opereris. Psal. 143. Emitte manum de alto, libera me & erue me. & 72. Tenuisti manũ dexterã meã, & in uoluntate tua deduxisti me, eiecta turba, & tumultuatione sedata. Beda: Nisi secularium curarũ multitudo à corde eiiciatur, anima quæ intus iacet mortua, non suscitatur. Dum enim se per uniuersas cogitationes spargit, ad considerationem sui sese nullatenus colligit. Notandum quod mulierem saluauit fide propria, filiã mortuam fide aliena. Hinc admonet Iohannes 1. Ioh. 5. Qui scit fratrẽ suum peccare peccatum nõ ad mortem, petat, & dabitur ei uita peccanti non ad mortẽ. Ro. 6. Stipendia peccati mors. Ideo Ro. 10. Fratres, uoluntas quidem cordis mei & obsecratio ad deum fit pro illis ad salutem. Quisquis ergo à morte animæ, Christo manum sibi confortante, resipiscit, nõ modo resurgere à sordib⁹ uitiorum, sed & in bonis continuo proficere debet operibus, ac tunc necesse habet pane uerbi satiari diuini. Eccl. 15. Cibauit illũ pane uitæ & intellectus. Matt. 4. Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod pcedit de ore dei. & sacrosancti altaris particeps effici. Luc. 8. Et iussit illi dare manducare. Mar. 5. Erat autem annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore magno. Et prçcepit illis uehementer, ut nemo id sciret. Quo mors fuerat flebilior ob tenerã puellæ ætatem, hoc huberius erat gaudium de resuscitata. Iesus autem nec præmium exigens ab illis, nec gratiarum actionem, tantũ mandauit ut darent illi cibum. Nam edere, non solum uitæ, sed & prosperæ ualetudinis in-

dicium est. Promulgari autem prohibuit, simul ut ipse uitaret suspicionem affectatæ gloriæ. Hoc potissimum agendum erat apud synagogę primores, qui nihil non faciebant ad laudem humanam emerendam, simul ut illi maiori cum fide prædicarent quod gestum erat, etsi tacere iussi, tamen pharisæis suis, & synagogæ proceribus rem gestam quam uiderant, denarrarent. Virtus enim diuina occultari nō potest. Marc. 6. Et egressus inde, abijt in patriam suam, & sequebantur eum discipuli eius.

De duobus cæcis, Mat. ix.

ARTICVLVS XXXVI.

Mat. 9. P

ET transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes & dicētes: Miserere nostri fili Dauid. Cum autem uenisset domum, accesserunt ad eum cæci, & dicit eis Iesus: Creditis quia hoc possum facere uobis? Dicunt ei: Vtiq; domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem uestram fiat uobis. Et aperti sunt oculi eorum. Et comminatus est illis Iesus, dicens: Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa.

Ex rumore miraculorum spem conceperant adipiscendæ salutis, præsertim quum audissent illius beneficentiam nulli non patere, quantumuis humili. Sed quum eum nec cernere possent nec adire, ingenti clamore, quem sanitatis amor & ardor fiduciæ exprimebat, procul appellabant Iesum, ac precibus addentes blandimentum, filium Dauid nominant in salutem missum. Matthæ. 22.

Quid uobis uidetur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei: (pharisæi interrogati) Dauid. Distulit dominus in uia beneficium, quo euidentius fieret miraculum, semper hoc agens, ut Iudæos ad credulitatem prouocaret, ac pharisæis suam incredulitatem multis modis & rebus exprobraret. Porro quũ uentum esset ad ædes, admissi sunt, qui pertinaci spe fuerant secuti. Hieronymus: Primum eorum discutitur fides, ut sic ueræ fidei lumen accipiant. Omnia enim possibilia sunt credenti. Marc. 9. Dominus ex humilitate fugiens iactantiæ gloriam, prohibuit diuulgari: illi autem gestientes noua felicitate, tanto magis sparserunt famam Iesu per uniuersam illam regionẽ, non ut inobedientes, sed ut grati. Nam etsi gloria uana fugienda, beneficiatus tamen esse debet gratus. Et ob id dominus apud se manẽtes uult nihil dicere, narrare uero apud alios gloriam dei. 2

Egressis autem illis, ecce obtulerunt illi hominem mutum, dæmonium habentem: & eiecto dæmonio, loquutus est mutus: & miratæ sunt turbæ, dicentes: Nunquam apparuit sic in Israel. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eijcit dæmones.

Longe miserrimus oblatus est, dæmonio obnoxius, q̃d linguæ usum adimebat, ut homo nec mentis esset compos, ut salutem optaret: nec linguæ, ut postularet. Vnde quũ non esset morbus naturalis, p alios est adductus, neq; fides ab eo exacta, sed statim curatus. Hieron. Sicut cæci lumẽ recipiũt, sic & muti ad loquendũ lingua laxat, ut confiteatur eum quẽ ante denegabat. Turbæ ergo demirantes tantã 3

celeritatem miraculorum, æque paratam in omni (quamlibet immedicabilium) genere, dicebant: Nullus unquam exortus est in gente Israelitica, qui tam multa prodigia tam facile patraret. Nam potestate, non precatione curabat ut prophetæ. Ioh. 15. Si opera non fecissem in eis quæ alius nemo fecit, peccatũ non haberent. Contra pharisæi iam indies glisscente liuore cæci, quum quæ gerebantur in oculis omniũ, inficiari non possent, tamen ut animos multitudinis illum suspicientis, ab eo alienarent, calumniantur illũ eijcere dæmonia non uirtute diuina, sed ope principis dæmoniorum Beelzebub. Hieronymus: In turba confessio nationum est: pharisæi autem quia uirtutem dei negare non poterant, opera calumniantur, de quibus Mich. 3. Audite principes Iacob & duces domus Israel: Nunquid non uestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malũ? Qui uiolenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ. Summæ stultitiæ sermones ipsorum. Esto quod dæmones eijceret uti seruiens principi dæmoniũ, quod est impossibile: morbos igitur & peccata quomodo soluebat, & regnũ dei prædicabat? Dæmon enim contrà morbos auget, (ut patet Iob 1.) & à deo separat.

De admiratione turbæ super doctrina Christi, Mat. xiij. Marc. vi.

ARTICVLVS XXXVII.

ET facto sabbato, cœpit in synagoga docere: & multi uidentes, admirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia? Et quæ est sapientia quæ data est illi? & uirtutes tales quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic est faber filius Mariæ, frater Iacobi & Ioseph & Iudæ & Simonis? Nonne & sorores eius hic apud nos sunt? Et scandalizabantur in illo. Marc. 6. Q

Tam atrox malum inuidia, ut semp obscuret bona, nec illa ab inuidis uideri sinat. In synagogis publice & libere docuit, quare non potuerũt calumniari à lege diuersa eum docuisse. Hic obfuit euangelico negocio, quod tamẽ prodesse debuerat, nisi uulgus hominum notis ac familiaribus inuidere mallet quàm fauere, quum exotica stulte miretur, hoc ipso præclarum esse iudicans aliquid, quod è longinquo uenerit aliquid. Hinc comprobãtur inuidi & insipientes, existimantes ignobilitatem & obscuritatem in causa esse q̃ qs min⁹ placeat deo. Quid obstarer, magnum illum in miraculis? Oportebat sane magis gloriari, q̃ tantum bonum patria illorum protulerit. Mat. 15. Et ueniẽs in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur & dicerent: Vnde huic sapientia hæc & uirtutes? Nonne hic est fabri filius? Hiero. Mira stultitia Nazarenorum, mirantur unde habeat sapientiam sapientia, & uirtutem uirtus. 1. Cor. 1. Nos prædicamus Christum dei uirtutem & dei sapientiam. Suspicãtur fabri filium, sed error Iudæorum, salus nostra est & hæreticorũ condemnatio. In tantum enim cernebãt hominem Iesum Christum, ut fabri putarent filium. Luc. 3. Vt

putabatur filius Ioseph, Ioh. 7. Quomodo hic literas scit cum non didicerit? Hila. Vere fabri filius, sed qui fabricat corpus & animã & omnia nostra, æternæ uitæ reddit membrorum ministeria. Nam ipse fabricatus est auroram & solem. Mat. 13 Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus & Ioses, & Simon & Iudas? & sorores eius nonne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? Vnde iste subito factus alius, ad nos redit, docens ac miraculis pollens? An credit sese nobis ignotum esse?

Fratres quot modis dicantur.

Docet Hiero. quatuor modis dici fratres. Natura, ut Esau & Iacob, Petrus & Andreas. Secundò gẽte, qua omnes Iudæi inter se fratres uocantur. Exo. 21. Si emeris fratrẽ tuum qui est Hebræus. Et Apostolus Ro. 9. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. Tertiò familia, cum ex una radice multa generis turba diffunditur. Gene. 12. Abraam filium fratris sui Loth, fratrem nominauit. Ne sit iurgiũ, inquit, inter me & te, fratres enim sumus. Quartò, affectu. Psal. 132. Ecce quàm bonum & q̃ iucundum, habitare fratres in unum. Istis ultimis duobus modis loquitur euangelium hic.

Et dicebat illis Iesus, quia nõ est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. Et non poterat ibi uirtutem ullam facere, nisi paucos infirmos, impositis manibus curauit, & mirabatur propter incredulitatem illorum.

Chrys. Quemadmodum in operibus atq; signis non accusant quæ facta sunt, sed falsas confingunt causas, d. In Beelzebub eiicit dæmonia, sic etiam hic non uilipendunt doctrinam, sed ignobilitatem ge-

neris respuunt. Ipse uero non conuiciatus est, sed mirabili mansuetudine respondit, taxans illorum crassum ac nimis populare iudicium, qui hominem non ex ipsius uirtutibus, sed ex fortunæ generisq; splendore æstimarent. Nam Amos sycomoros uellicans & pastor, in propheram electus, Amos. 7. Hieremias puer spiritu prophetico illustratus, Hier. 1. Hieron. Propemodũ naturale est ciues semper inuidere ciuibus. Solemus enim familiares homines contemnere, & externos in admiratione habere. Quemadmodum autem medicus non potest benefacere ægroto, qui non recipit pharmacum, non quòd ars medici sit inefficax, sed quòd culpa sit in ægrotis, sic dominus ob incredulitatem illorum pauca signa fecit. Hieron. Non quòd dominus illis incredulis facere non potuerit uirtutes multas, sed ne multas faciens, ciues incredulos grauius condemnaret. pauca tamen fecit, ne excusationem haberent incredulitatis.

De operarijs in messem mittendis, Matth. ix.

ARTICVLVS XXXVIII.

ET circuibat Iesus omnes ciuitates & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans euangelium regni, & curans omnem languorem & infirmitatem. Videns autem turbas, misertus est eis, quia erant uexati & iacentes, sicut oues non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Matt. 9. R

Iesus itaq; tãquam bonus pastor obambulabat, magnis & paruis euangelium prædicans, non considerando potentiam nobilium, sed salutem credentiũ, animis simul & corporibus omnium mederi studẽs in synagogis, quo ad audiendum uerbum dei solebant conuenire, docens euãgelium regni cælorum: per ipsum enim demonstratur, & ad ipsum ingressus habetur. 1. Cor. 15. Notũ uobis facio fratres euãgelium quod prædicaui uobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini. Vnde Ro. 1. Non erubesco euãgelium. Virtus enim dei est in salutem omni credenti. Obiter etiã sanauit oẽm morbi genus, oẽmq; speciem malę ualetudinis, quo sermoni fidem faceret, & ipsos inexcusabiles ostenderet. Ioh. 15. Si opera nõ fecissem in eis quæ alius nemo fecit, peccatum non haberent. Nunc aũt excusationem non habent de peccato suo. 1. Cor. 1. Qm̃ & Iudæi signa petũt, & Græci sapientiam quęrunt. Sic Moses mittendus in Aegyptum, ait Exo. 4. Nõ credent mihi, neq; audient uocem meã, sed dicent, non apparuit tibi dñs. Tunc dñs dedit ei signum uirgæ, quę proiecta, uersa fuit in serpentẽ etc. Porro quum Iesus uideret turbas undequaq; confluentes, & indies frequentiores, iam auidas salutis ac doctrinæ melioris, in pharisæis autem lupos agentibus, non pastores, nullam esse spem gregis, iamq; populum miraculis utcunq; præparatum ad accipiendam euangelicam doctrinam, dixit: Excitatus est ardor plurimorum, qui maturi uidentur audiendæ euangelicæ doctrinæ. sed ubi sunt qui suscipiant prædicandi docendiq; negocium? Vbi, qui pure syncereq; doceãt, neq; gloriam humanam neq; quæstum affectantes,

sed ea synceritate tradentes, qua me uidetis tradere? Ezech. 34. Væ pastoribus Israel, q pascebāt semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascūtur? Lac comedebatis, & lanis cooperiebamini, & q̄d crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis: & q̄d ægrotum, non sanastis: quod confractum, non alligastis: & quod abiectum, nō reduxistis: & quod perierat, non quæsistis. Sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia, & dispersæ sunt oues meæ, eo q̄ non est pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri. Et dispersæ sunt, & erraue runt greges mei in cunctis montibus, & non erat q̄ requireret. Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam ut ultrà non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos: ecce ego ipse requiram oues meas, & uisitabo eas. Et ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciā, dicit dominus. Quod perierat, requiram: & quod abiectum erat, reducā: & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo: & quod pingue & forte, custodiam: & pascam illas in iudicio. Vos aūt greges mei, hæc dicit dominus deus: Ecce ego iudico inter pecus & pecus arietum & hircorum. Non ergo oportet negligere tantam hominum multitudinem iam flagrantem studio cælestis doctrinæ. Rogate ergo ut ipse mittat. Ro. 10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Non enim parui est momenti, sanum habere pastorem. Eccl. 10. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector ciuitatis, tales & inhabitantes eam. Hinc Moses ora-

bat. Nu. 27. Prouideat dominus deus spirituum oīs carnis, hominem qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos, & educere eos & inducere, ne sit populus domini sicut oues absq; pastore. Hiere. 3. Dabo uobis pastores iuxta cor meū, & pascent uos scientia & doctrina. 1. Pet. 5. Pascite q̄ in uobis est gregem dei, prouidētes non coacte, sed spontanee, secundum deum: neq; turpis lucri gratia, sed uoluntarie: neq; ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo: & cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. 1. Tim. 5. Qui enim bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in uerbo & doctrina. Vnde 1. Cor. 15. Plus omnibus laboraui, non ego autē, sed gratia dei mecum. Gratia dei sum id quod sum.

De missione apostolorum, Mat. x. Mar. vi. Lu. ix.

ARTICVLVS XXXIX.

Mat. 10. S

ET conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem. Hos duodecim misit Iesus, præcipiens eis & dicens: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel.

Marc. 6. Et uocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos. Hactenus quidem dominus per se gessit

euangelij negocium, duodecim apostolos interim uarijs modis formans atq; instituens, uelut post acceptum spiritum sanctum in prædicandi munus sue cessuros, eoq; factorum ac sermonum suorum perpetuos testes esse uoluit. Verũ ut interim ipsi quoque specimen aliquod sui darent in tanti muneris functionem, & uiuo adhuc domino, sui periculum facerent, quos ad hoc munus ut prestantissimos selegerat, simul collectos omnes eodem instruit sermone, ne quid inter se discreparent, ab eodem præceptore missi, & ijsdem mandatis astricti, docendi munus cum autoritate delegat, ut ad exẽplar quod in præceptore conspexerant, alibi docerent populum. Ab uno mittuntur omnes pari potestate, ne qua nascereturinter eos æmulatio. Bini, ut fraterne concordiæ meminissent, & frater fratrẽ subleuaret. Frater enim qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma, Proue. 18. Nunc operæ precium est audire quid illis mandauerit, quove uiatico suos legatos instruxerit. At primum quidem præscribit eis prædicandi limites, non quod ullum hominum genus abominandum duxerit, sed ne Iudæis daret ansam causandi, se spretos fuisse, sibiq; gentes ac Samaritanos fuisse prælatos: simulq; quoniam sciebat Iudæos maxime rebellaturos euangelio, noluit illis quicquam excusationis esse reliquum, sed omnibus esse perspicuum, eos suapte peruersitate submotos à regno dei, & gentes sua simplici fide fuisse receptas. Actu. 13. Vobis oportebat primum loqui uerbum dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternę uitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim nobis præcepit dominꝰ. Postq; eñ resurrexit, &

glorificatus est, daturus spiritum sanctũ, dixit Matt. 28. Euntes docete omnes gentes. Act. 1. Eritis mihi testes in oñi Iudæa & Samaria, & usq; ad ultimũ terrę. Sed ad oues, inquit, ite, ut respiscant ad salutẽ. nec eñ oĉs pharisaica sunt malitia infecti, sunt enim & inter hos, oues, simpliciter per ignorantiam errantes, quæ doctæ monitæq; respiscent, acuocẽ audient boni pastoris. Sic Paulus 1. Timo. 1. Qui prius blasphemus fui & persecutor & contumeliosus, sed misericordiam dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.

Euntes autem prædicate, dicentes: Appropinquabit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite. Gratis accepistis, gratis date.

Sic auspicabimini prędicationem, quẽadmodum à me factũ uidetis. Primus enim iustitiæ gradus est, abstinere à peccatis: & primus ad sanitatem gradus est, agnoscere morbum. Eodem modo & Iohãnes prædicauit, quo & discipuli iussi sunt, Mat. 3. ut desinente lege, secundũ Hieronymum euangeliũ oriat. Secundum Chrys. apostolis concessum est id prædicare. Nihil eñ quod ad corpus pertinet, nihil quod ad hos sensus, nec similia Mosi & propheratum, sed noua quædam & inaudita, qualia priores non docuerunt, q terrena hæc bona, pmittebant, sed regnum cælorum, & totam illam beatitudinem prædicare iubentur. Erat enim regnum diaboli in hoc mũdo, Mat. 4. de quo non est regnum Christi. Ioh. 19. Regnum meum non est hinc. Sancti autem per fidem uicerunt regna, Hebræ. 11. Euangelicã autem fidem

hæc sequitur gratia, quã comitatur colluſtratio animæ: quo fit deinde regnum animæ, quo Chriſtus in nobis regnat. Luc. 17. Regnũ dei intra uos eſt. Proinde ne deſit fides, & obſcuris doctoribus & noua docẽtibus, armat eos miraculis, quo ſermoni fidem faciant. Nihil autem ſic decet doctorem, ut humilitas & diuitiarum contemptus. Ne ergo ſuperbirẽt quòd talia dona haberent, & darent, ait: Gratis accepiſtis, & ut diuitiarum eſſent contemptores, adiecit: Gratis date. 1. Cor. 4. Quid eñ habes quod non accepiſti? Si autẽ accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Hinc 1. Pet. 4. Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrũ illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ dei. 1. Cor. 12. Vnicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatẽ. Hieronymus: Sicut ego ſine precio do uobis hanc poteſtatẽ, & uos gratis date, ne euangelij gratia corrũpatur uenalitate. Gloſ. Ne Iudas qui loculos habebat, de prædicta poteſtate pecuniã congregare uellet, (quẽadmodum Simon Act. 8.) nequitiã eius reprimit dominus.

Nolite poſſidere aurum & argentum, neq; pecuniam in zonis ueſtris, non peram in uia, neq; duas tunicas, neq; calceamẽta, neq; uirgam. Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.

Volo uos expeditos hanc obire legationem, nullis onuſtos ſarcinis, nulla ſolicitudine obſtrictos, q̃ toti uacetis delegatæ functioni. Hiſce tribus rebus ſolet cudi moneta, quæ primum ærea fuit ac ferrea: utrunque eñ ſignificat dictio Græca, deinde argen-

tea, postremo aurea, ut contra acciderit pecuniæ & moribus hominũ, qui ex aureis degenerarũt in plus q̃ ferreos. Mar. 6. Et præcepit eis ne quid tollerent in uia, nisi uirgam tantum: non peram, non panem, neq; in zona æs, sed calceatos sandalijs & ne induerentur duabus tunicis. Qui diuitias detruncarat, ꝓpemodum & necessaria uitæ amputat, ut apostoli doctores ueræ religionis, qui instituebãt omnia ꝓuidentia dei gubernari, seipsos ostenderent nihil de crastino cogitare. Quicquid remoratur euangelij negocium, reijciendũ est. Virga subleuat ambulantem, nec remoratur iter, sed promouet. Baculus autem ut onerat, ita aduersus uim gestari solet: quare non tollendus in uia, neq; pera reponendo commeatui, neq; zona reponendis nummis, neq; binas tunicas. In duabus tunicis uidetur duplex uestimentũ ostendere. Non q̊ in locis Scythiæ & glaciali niue rigentibus, una quis tunica debeat esse contentus, sed quo in tunica uestimentum intelligamus, ne alio uestiti, aliud nobis futurorum timore seruemus. Sandalijs uero, ut plantas pedum aduersus saxorum aut ueprium iniuriam defenderent. Nec est quod soliciti sint, cogitantes unde nudis suppeterẽt necessaria. Pater enim cælestis cuius agũt negocium, non sinet operarios fraudari mercede sua. Dixit aũt, cibo, non luxu. Neq; enim deliciari oportet doctorem.

3 *In quamcunq; autem ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis. Intrantes autem domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et siquidem fuerit do*

mus illa digna, ueniet pax uestra super illam: si autē non fuerit digna, pax uestra reuertetur ad uos.

Luc. 19. Et in quamcunque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis. Nec opus est diuerti in diuersoria meritoria, sed primum interrogate num quis sit illic probitate uitæ commendatus, & auidus regni cælestis, in eius ædes diuertite, non mutantes hospitium, donec euangelij negocium hortabitur in aliam demigrare ciuitatē. Hieronymus: Testimonio uicinorum eligēdus est hospes, ne eius infamia prędicatio lędatur, qui dignus efficitur tam quod accipiat quàm conferat. Ambrosius: Dat constantiæ mandatum generale, ut hospitalitatis ac necessitudinis iura custodiant: & ideo domus eligenda, ut mutandi hospitij necessitudinisq; uiolandæ causa non supperat. Apostolica doctrina est 1. Timo. 3. Oportet episcopum testimonium habere ab ijs qui foris sunt. Neque discurrant, ut leues iudicentur aut uentri dediti. Domum ingressi, priores salutate eam. nec enim erit inanis uestra salutatio. benedictio siquidē uestra apud solos dignos manebit.

Et quicunq; non receperit uos, neq; audierit sermones uestros, exeuntes foras de domo uel ciuitate, excutite puluerem de pedibus uestris. Amen dico uobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij quàm illi ciuitati.

Marc. 6. in testimonium illis. Luc. 9 super illos. Nolo igitur adeo cuiquam uos esse supplices, aut adulantes ob res necessarias, ut si non receperint,

puluerem excutiatis pedum in teſtimonium laboris ueſtri, quòd prædicatio euangelica ad illos peruenerit. Sibi imputent exitium ſuũ qui perire maluerint, quum licuerit ſanari: uos nihil aliud uenatos eſſe apud illos, niſi ſalutem proximorũ, ut ne puluueris quidem iactura uolueritis illos afficere. Tolerabilius. Ergo & inter peccatores diuerſa ſunt ſupplicia.

Mat. 10. T

Ecce ego mitto uos ſicut oues in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.

Armauerat eos miraculis, de cibis bonam fiduciam illis fecerat apertis dignorum ianuis, *inſtruit* nunc de uera prudẽtia & inuicta patientia, *plenaq;* in deum fiducia, grauia quæ uentura erant prædicens, & ſuam præſcientiam manifeſtans. Conſolatur uero quod dicit, Ego mitto. Iſtos ergo puniendos deo relinquite, uos aduerſus omnes iniurias ſeruate manſuetudinẽ: & ita uelitis omnibus prodeſſe, ut nec à malis laceſſiti referatis iniuriam. Non eſt quod metuatis. mittimini uelut oues inermes, ſimplices, innoxiũ, in mediũ luporum, ſed à me mittimini. Nolim uos quoque malis illorum irritatos, uerti in lupos: ſed hoc modis oñibus agere, ut lupi ueſtra lenitate deliniti, uertantur in oues. Chryſoſtomus: Erubeſcant igitur qui cõtrafacientes, quaſi lupi ſuos aduerſarios perſequuntur, cũ uideant innumeros lupos ab ouibus uinci pauciſſimis. Et certe quouſque oues ſumus, aduerſarios facile uincimus: cum uero in naturam luporũ tranſimus, tunc ſuperamur, nullum enim tunc à paſtore nobis adeſt

patrocinium, qui non lupos, sed oues pascit. Sola in ijs erat mittentis uirtus. Vt sciatis quomodo cõuersandũ in medio nationis prauæ atq; peruersæ, præstabit serpentina prudentia, ne quã præbeatis ansam calumniandi doctrinam: columbina simplicitas, ut de omnibus bene mereri cupientes, neminẽ lædatis, ne prouocati quidem. Per prudentiam malum deuitandũ, per simplicitatem non faciendum. Quemadmodum serpens colligit se in gyrũ ac circulum, ne caput quo modo offendatur: ita nobis faciendum est, ut tueamur caput nostrũ Christum, qui per fidem habitat in cordibus nostris, Ephesi. 3. reliqua eueniant utcunque fas est, & auris obturanda, ne uocem audiamus incantantis, Psal. 57. Sit ergo prudentia simplex, non uulpina, Iob. 36. Simulatores & callidi prouocant iram dei. Ecci. 2. Væ duplici corde, & labijs scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus uijs. Prouerb. 14. Vir uersutus odiosus est. Sit & simplicitas non rudis aut indiscreta. Prouer. 11. Simplicitas iustorum diriget eos. Sapien. 1. Sentite de domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illũ. Hinc 2. Cor. 11. Timeo ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita & sensus uestri corrũpantur, & excidant à simplicitate quæ est in Christo Iesu.

Cauete autem ab hominibus: Tradent enim uos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt uos, & ad præsides & reges ducemini propter me in testimonium illis & gentibus. Cum autem tradent uos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. dabitur enim

uobis in illa hora quid loquamini. Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis.

2 Cauete ergo ab illis hominibus malis, ne detrimentum salutis & gratiæ inferant uobis terrendo uel blandiendo. Hiere. 9. Vnusquisq; se à proximo suo custodiat, & in omni fratri suo nõ habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & uir fratrẽ suum deridebit, & ueritatem non loquentur: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium. ut iniq; agerent, laboraueruntMich. 7. Ab ea quę dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui: quia filius contumeliam faciet patri, & filia consurget aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam: & inimici hominis, domestici eius. Eccl. 32. A filijs tuis caue, & à domesticis tuis attende. Excitabit uestra doctrina magnos in orbe tumultus, ideo animus iã præparandus aduersus omne malorum genus, ne conturbent cum inciderint. Tradent enim uos tanquam maleficos, in concilia & consessus iudicum & senatorum, flagellabunt ut sceleroſos, quin etiam ut reipublicę subuersores producemini ad præsides, non ob uestra demerita, sed mea causa. Atque hæc omnia quum prohibere liceat, fieri patiar, ut omnibus testatum sit ac perspicuũ, illos suopte uitio perire, qui tot miraculis, tot beneficijs, q tam obuia doctrina, qui uestra simplicitate, lenitateq; prouocati, tam odiose reiecerint salutem oblatam. Quum igitur ad tam multos pauci, ad tam potentes infirmi & inermes, ad tam eruditos idiotę producemini, ne

fitis anxij quomodo causam uestram fitis acturi, iu diciorum, legum, foricq; rudes & imperiti. Vt uictus uobis ubicq; citra uestram solicitudinem supperet, ita suppeditabitur oratio. Non prohibet sagacem considerationem, quum 1. Pet. 3. dicatur, Parati sem per ad satisfactionem omni poscenti uos rationem de ea quę in uobis est spe. sed ne in nobis simus prę sumentes. Est enim nostrum, confiteri: sapienter re spondere, dei. Ne ergo suspiceris naturalem in re spondendo esse idoneitatem, ait spiritum sanctum loqui in ipsis. Huius præsidio fretos, non oportet ul lis malorum procellis turbari. Lu. 21. Ego dabo uo bis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij uestri. Actu. 6. Non poterant resistere & contradicere spiritui qui lo quebatur.

Tradet aũt frater fratrẽ in mortem, & pater filiũ, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit.

Nullus enim inter eos pietatis affectus, quorum fides diuersa. Nam frater oblitus germanæ charitatis, pater oblitus pietatis naturalis, filius abiecta omni reuerentia, pios persequetur. Quid multis? Omnibus inuisi reddemini propter odium nominis mei. Non feret hic mũdus superbia, ambitione, auaritia, cæterisq; uitijs & cupiditatibus undiq; corruptus, doctrinam cęlestem, nimiũ aduersantẽ studijs suis. 1. Iohã. 3. Nolite mirari fratres, si odit uos mundus. Ioh. 15. Si de mundo fuissetis, mũdus utiq; q̃d su

um erat diligeret. Quia uero de mundo nõ eſtis, ſed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Gala. 1. Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem, (ſcilicet in malo.) Nam Rom. 15. Vnuſquiſq; proximo ſuo placeat in bonum ad ędificationem. 1. Cor. 10. Sine offenſione eſtote ludęis & gentibus & eccleſiæ dei, ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalui fiant. Qui perſeuerauerit in fide per dilectionem operante, ſaluus erit. Luc. 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno dei. Ezech. 33. Cum receſſerit iuſtus à iuſtitia ſua, fecerit́q; iniquitates, morietur in eis: & cum receſſerit impius ab impietate ſua, fecerit́q; iudicium & iuſtitiam, uiuet in eis.

3 *Cum ergo perſequentur uos in ciuitate iſta, fugite in aliam. Amen dico uobis, non conſummabitis ciuitates Iſrael, donec ueniat filius hominis.*

Cum illa quæ plena horroris erant abſoluerit, ad feliciora rurſus animum deducit. Nõ iuſſit cominus perſecutores accedere, ſed fugere, nõ ſolum quo incolumes perſeuerent, uerumetiam ut hac occaſione latius ſpargatur rumor euangelicæ doctrinæ. Si fuga uergit in detrimentum fidei, iuſtitiæ, ſubditorũ, nequaquam fugiendum. Bonus enim paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, Iohan. 10. Imò Iohan. 3. In hoc cognouimus charitatem dei, quoniã ille pro nobis animã ſuam poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. O deus meus, quid reſpondebimus in extremo examine, qui non ſalutem tuorum, ſed tua ad luxum quærimus? Sin autẽ

personalis est aut uidetur persecutio, pro utilitate ecclesiæ fugiendum. Sic Christus quandoq; fugit, Matth. 12. Iohan. 8. 10. 11. & Paulus Actu. 9. Helias, Iezabel, 3. Reg. 18. Non peragetis omnes ciuitates Israel, antequam ueniat filius hominis. Cæcitas ẽ ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gẽtium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, Ro. 11.

Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius: & seruo, sicut dominus eius. Si patrẽfamilias Beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius? Ne ergo timueritis eos.

In hoc, exemplum uobis edetur, quanta toleranda sint euangelij præconibus. Quæ omnia quidem uel hoc nomine uobis debent tolerabiliora uideri, quòd me uidistis nullum non probri & afflictionis genus esse perpessum. Non est discipulus supra magistrum, alioqui iam non discipulus, quia superior & potior. 1. Iohan. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Hortatur ergo ne timeant propter eum infamiæ maculis conspurcari, suam erga ipsos familiaritatem manifestans, domesticos uocans. Ephe. 2. Non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici dei. Hinc ecclesia, domus dei dicitur. 1. Timo. 3. Si ergo me patremfamilias tam indignis conuicijs affecerunt, ut spurcissimo conuicio Beelzebub appellarint, quid mirum, si idem audebunt in seruos familiæ? Scio graue malum uideri infamiam, ac morte propemodum acerbius. Prouer. 22. Melius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ, super argentum

enim & aurũ gratia bona. Eccẽs. 7. Melius est nomen bonum quàm unguenta preciosa. Prouer. 15. Fama bona impinguat ossa. sed laus est, non infamia, quæ ob euangelium infertur ab impijs. Diu pressa laus, maiori cum luce solet erumpere. Hinc 1. Corinth. 4. Per infamiam & bonam famam, etc. Quid eñ glorioſius quàm pro Christo pati? Phil. 1. Vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.

Mat. 10. V

Nihil est enim opertum, quod non reueletur: & occultum, quod non sciatur. Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.

Ostendit liberè euangelicam doctrinam omnibus proponendam, nec ob ullius aut gratiam aut metum ueritatem deserendam, quæ finaliter triumphabit. Hiero. Nolite timere persecutorum scquitiam & blasphemantium rabiem: quia ueniet dies iudicij, in quo & uestra uirtus, & illorum nequitia demonstrabitur. Licet nunc traducant, postea tamen claros reddent uos. Sapien. 5. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatę salutis, gementes prę angustia spiritus, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos aliquãdo habuimus in derisum, & in similitudinem improperij: nos insensati uitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce

quomodo computati sunt inter filios dei, & inter sanctos sors illorum est. Apocal. 22. Ecce uenio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Hinc 1. Corinth. 4. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoad usque ueniat dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à deo. Hoc ergo agendum ut laude digna geramus, non ut laudem affectemus. Nihil habet pudendum aut celandum euangelica doctrina. fucos nescit, uult in lucem omnium proferri, nec cuiusquam ueretur conscientiam Rom. 1. Non erubesco euangelium. uirtus enim dei est in salutem omni credenti. 1. Corinth. 1. Nos prædicamus CHRISTVM crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem uocatis Iudæis & Græcis, Christum dei uirtutem & dei sapientiam. Quod ergo in secreto uos docui. Matth. 13. Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem nõ est datum. Marc. 4. Seorsum discipulis suis disserebat oĩa. publicè & liberè prædicetis. Esa. 58. Clama, ne cesses. quasi tuba exalta uocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. & 40. Super montem excelsum ascende tu q euangelizas Sion, q euãgelizas Hierusalẽ, exalta in fortitudine uocẽ tuã. Nam etsi non oẽs obediant euangelio, Ro. 10. inueniet tñ in quibus fructifi cet. Esa. 55. Et quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc ultra non reuertitur, sed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit uerbum meum quod egreditur de ore meo, non reuertetur

ad me uacuum: sed faciet quæcunq; uolui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.

Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & corpus & aiam perdere in gehennam.

Dicendi libertatem pericula sequuntur. Erũt fortasse qui contemnãt infamiam, cæteraq; mala, mortem uero quis posset contemnere? Sed breuib' uerbis de immortalitate animæ orationem fecit, lure enim timendi, si totum hominem occideret: Nunc autem etsi maxime uelint, non possunt: quare nõ timendi inordinato & carnali timore. Pro. 29. Qui timet hominem, cito corruet: qui sperat in domino, subleuabitur. Hinc Esa. 51. Quis tu ut timeas ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnũ ita arescet, & oblitus es domini factoris tui? Psal. 13. Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, ubi non erat timor. Lu. 12. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Animæ enim uitam naturæ nec gratię auferre possunt, quum immortalis sit. Sap. 3. Iustorum animæ in manu dei sunt, & non tãget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Non excludit timorem naturalem. Cœpit enim Iesus pauere, Mar. 14. Hic tamen timor per rationem moderandus. Is uere metuendus, qui ut totum hominem cõdidit, ita potest totum hominem æterno damnatum exitio tradere gehennæ. Hiere. 10. Quis nõ timebit te ô rex gentium? Chrys. Eum qui potest animã perdere, non timemus: eum qui nõ potest corpus perdere, sed in-

terficere, timemus. Corpus enim quod tyrannus ad tempus extinguit, non perit omnino: reddetur ẽm in resurrectione lõge melius, sed idem. Quid autem refert, an persequutor auferat uitam, an morbus aliusve casus? Certe glorioſius est ob euãgelium mortem oppetere, quæ quanq̃ est uiolenta, non tamen ueniet ante diem. Quandocunq; ueniet, non ueniet absq; prouidẽtia diuina: nec patietur occidi nos deus, niſi quum maxime expediet nobis mori. Chryſ. Timidorum est mortem formidare. nunc enim munus est neceſſarium naturæ iam corruptæ, quę non est fugienda, ſed tanq̃ malor̃ terminus amplecten da. Fiat uoluntariũ, quod futurũ est neceſſariũ: offeramus deo pro munere, quod pro delicto redditur. Stipendia ẽm peccati mors. Ro. 6. & 5. Per unũ hominem peccatũ in mundũ intrauit, & per peccatum mors. Hiero. Vallis nemoroſa erat plenaq; deliciis, ut Hier. 7. in qua lucus idolo conſecratus, ubi filios ſuos dæmoniis initiabant, quæ gehennon appellabatur, id est, uallis filiorũ Ennon, & cõminatur dñs locũ illũ ſe impleturũ cadaueribus mortuor̃, ut nequaq̃ uocet topheth & Baal, ſed polyandriũ, id est, tumuli mortuor̃: quare futura ſupplicia huius loci uocabulo deſignant. Duplicẽ aũt esse gehennam, ni mij frigoris & ignis, in Iob. 24. pleniſſime legimus.

Nonne duo paſſeres aſſe ueneunt? & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre ueſtro. Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis uos.

Hortatur conſideratione diuinæ diſpoſitionis, oia ordinantis & præmiantis, cor nos habere ſecu-

rum & imperterritum. Pro. 28. Iustus quasi leo confidens, absq; terrore erit. Hiero. Si sine dei, puidētia parua aīalia non decidunt, quanto magis homo q̄ apostolica fultus est dignitate? Sap. 8. Attingit à fine usq; ad finem fortiter, & disponit oīa suauiter. & 11. Oīa in mensura & nūero & pōdere disposuisti. et 12. Tu aūt dñator uirtutis cū tranqllitate iudicas, & cū magna reuerētia disponis nos. Subest ēm tibi cū uolueris, posse. Ne tan q̄ derelicti turbarent, ait: An metuitis uos, q̄s ex oībus delegit ad hoc negocium, ne passurus sit ante tēpus interire, q̄d adeo nō negligit, ut etiā oēs capitis uestri pilos habeat numeratos? Hiero. Immensam dei erga homines ostendit prouidentiam, & ineffabilem signat affectum, q̄d nihil nostrum lateat deum: etiam parua & ociose dicta, eius scientiam non effugiant. 1. Corin. 15. Mortui resurgent incorrupti. Hinc de martyribus in 2. Mach. 7. legimus: Postt tertius illuditur, & linguam postulatus, cito protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia, ait: E cælo ista possideo, sed propter dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Si ergo pluris estis patri passeribus innumeris, nō est q̄d metuatis, ne q̄d in uos possint hoīes secus q̄ illi uisum est, qui uestri iugem agit curam. 1. Pet. 5. Humiliamini sub potenti manu dei, ut uos exaltet in tempore uisitationis, omnem solicitudinem proiicientes in eum, q̄m ipsi cura est de uobis. Heb. 13. Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus. Ipse enim dixit: Non te deseram, neq; derelinquam, ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor est, non timebo quid faciat mihi homo.

Omnis ergo qui cõfitebitur me corã hominibus, ẽ confitebor & ego eum coram patre meo qui in cælis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cælis est.

Ostendit quanta sit merces deum, non homines, timentium. Act. 1. Eritis mihi testes in Hierusalem & in omni Iudæa & Samaria usq; ad ultimum terræ. Psal. 118. Et loquebar de testimonijs tuis in cõspectu regũ, & non confundebar. Chrys. Non solũ ille, pdĩtor est ueritatis, qui mendacium pro ueritate loquitur: sed etiam qui non liberè pronunciat ueritatem quam oportet, aut non liberè defendit. Iohan. 12. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus qui in cælis est. Non est autem delicata hæc professio. non enim profitetur, nisi qui uita quoque declarat se credere dictis meis. Abnegauit autem qui sic uiuit, ut quicquam anteponat mihi. Lucæ 6. Quid uocatis me, domine domine, & non facitis quæ dico? Tit. 1. Confitentur se nosse deum, factis autem negant. Quid ergo timerẽr, quandoquidem habituri sunt ante cælestis patris conspectum, filium coæqualis dignitatis, potestatis & regni, confitentem eos, & negantem interfectores eorum, acà consortio beatorum excludentem, & æternis supplicijs deputantem? Quid enim est confiteri, nisi in consortium beatorum admittere, & participes gloriæ æternæ, & regni cælestis efficere? Lucæ 22. Vos estis qui pmansistis mecũ in tentationibus meis: & ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.

Matt. 10. X

Nolite arbitrari quia uenerim pacem mittere in terram: non ueni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis, domestici eius.

Ostendit doctrinæ euangelicæ energiã, ab omni carnali affectu ac mundano hominẽ separãtis, quo firmius Christo hęreat. Non ẽm diluta res est, nec facilis euangelij professio: præmia quidẽ ingentia, sed ad hæc pertinacibus animi studijs grassandum est, non contingent ociosis, ac oscitantibus & cessantibus. Violenta manu sunt asserenda. Oẽs prophetæ pacẽ denunciant affuturam tẽpore Messiæ, ut quid ergo ipse gladiũ mittit? Psal. 71. Orietur *in diebꝰ* eius iustitia & abundantia pacis. Esai. 2. Conflabunt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens cõtra gentẽ gladiũ, nec exercebuntur ultra ad pręliũ. Domus Iacob, uenite, ambulem' in lumine dei nostri. Sed non ubiq; bona est concordia, sed bonũ quandoq; dissidiũ. Psal. 72. Zelaui super iniquos, pacẽ peccatorũ uidens. Sic dñs in turris babel ędificatiõe dissidiũ misit linguarũ, Gen. 11. Quum ergo euangelica doctrina plerisq; sit inuisa, & hæc tam ardens sui studiũ requirat, ut oporteat oẽs humanos affectus quantũcunq; cedere, fieri nõ potest quin magna dissidia inter coniunctissimos etiã exoriantur: dum & ij qui mundũ deamant, citius sæuient in sibi charissimos, q̃ uitia quibus assueuerũt, relinquant: & quos semel attigit ardor euãgelicæ charitatis, nullis affectibus se patientur auelli ab eo q̃d cœperũt amplecti. Sed felix dissidium, quod synce

ra prouehit, putria resecat: felix gladius, qui noxias cupiditates ab animo recidit. Per se quidem res pacifica est euangelium, sed aliorum uitio concitatur seditio. Omnibus offert salutem: quam si amplecterentur omnes, nullum esset dissidium. Verum expedit resecari noxia, quo magis inter puros cõstet uera sanctaq; concordia. Ioh. 14. Pacem meam do uobis, pacem relinquo uobis: non quomodo mundus dat, ego do uobis. Esa. 57. Non est pax impiis, dicit dominus, scilicet uera & interna. Psal. 36. Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Eph. 2. Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Actu. 10. Verbum misit deus Israel, annũcians pacem per Iesum Christum. Hieronymus: Bellum missum est bonum, ut rumperetur pax mala. Sermo enim fidei, gladius est, nos auellens à consuetudine familiarium & cognatorum, ad pietatem impediẽtium. Eph. 6. Et gladium spiritus, quod est uerbum dei. Heb. 4. Viuus est sermo dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usq; ad diuisionem animæ & spiritus. Sensualis eñ appetitus, à spiritus gratia segregatur. Hinc de Christo Esa. 49. dicitur: Posuit os meũ ut gladium acutum. Vere acutum. Nullus est enim naturæ aut amicitiæ nexus tam tenax, quem hic gladius non queat dirumpere. Psal. 44. Obliuiscere populum tuum & domum patris tui. Gene. 12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Chrysostomus: Non dicit, separare à patre, sed aduersus patrem: quia non corporalem, sed spiritualem ab eo separationem requirit. Non enim uerisimile est, quod corporaliter iubeat relinquere patrem, qui di

cit: Honora patrem tuum, Exod.20. Luc.12. Putatis quia ueni pacem mittere in terrã? Non dico uobis, ſed ſeparationem. Erunt enim quinq; in domo una diuiſi, duo in tres, & tres in duos diuidẽtur. Sed hactenus conſtabit hoc bellum, ut qui ſtant à uobis, contemnant tantum hoſtes, non lædant autem, quod quidem in ipſis eſt: ſeruent etiam, ſi queant.

2 *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, nõ eſt me dignus: & qui amat filiũ aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.*

Danda eſt opera, ne reipublicæ ſtatus turbetur, publicis magiſtratibus in omnibus obtemperandũ eſt, niſi præſcribant impia. Aequum enim eſt ut præſcripta dei, hominum præſcriptis præponderent. Si patris autoritas auocet ab euangelio, magis obtemperandum eſt patri cęleſti quàm terreno. Ordo eñ requirit, ut deus ſuper omnia toto corde diligatur, Matth.22. Deu.6. Hinc anima propria, inde proximus, deinde corpus proprium. Sed inter proximos maxime parentes, nec ob cuiuſquam amorem, fauorem, ſeu intuitum recedendum eſt ab amore & cultu diuino. Impia enim pietas eſt, ſic indulgere parentibus hominibus, ut deum patrẽ offendas. Hinc 1.Reg.2. Magis honoraſti filios tuos quàm me, (ait dominus Heli.) Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem cõtemnunt me, erunt ignobiles. Gene.22. Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti unigenito tuo propter me, benedicens benedicam tibi. Tunc ergo odiendi, quãdo uolunt à Chriſto auertere: alioqui obſequens in talibus, non eſt

Christo dignus, ut ipsius sit discipulus, & ut ipse sit merces eius. Gene.15. Ego ero merces tua magna nimis.

Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui inuenit animam suam, perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

Ne uideatur esse mirum, dei uoluntatem omnibus humanis præferre affectibus, quum nihil sit homini uita charius, nisi quis hanc quoq; contemnat euangelij gratia, & semper paratus ad omne mortis & supplicij genus, tollat crucem suam & sequatur me quotidie, non est me præceptore dignus discipulus. Exeamus ergo ad eum extra castra, improperium eius portantes, Heb.13. Ioh 19. Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum qui dicitur caluarię locum. 2. Cor.4. Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circunferentes, ut & uita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Gala.5. Qui enim Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs suis. 1. Cor.15. Sicut portauimus imaginẽ terreni, portemus & imaginem cælestis. Quemadmodum autem præposterus amor parentum, aut filij, odium est uerius quàm amor, quum utriq; sit noxius, ita præpostera cura seruandæ uitæ, uerum est exitium uitæ. Qui uitam quæ in carne est custodire uolens, ab euangelio deficit, in æternum mittit supplicium. Eccl.18. Si præstes animæ tuæ concupiscentias suas, faciet te in gaudium inimicis tuis. Luc. 6. Væ uobis qui ridetis nunc, quia flebitis. Væ uobis diuitibus qui habetis hic consolationẽ uestram.

1. Cor. 6. Esca uentri, & uenter escis: Deus autem & hunc & has destruet. Iob. 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Hinc mali conqueruntur Sap. 5. Lassati sumus in uia iniquitatis & perditionis, & ambulauimus uias difficiles, uiam autem domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuncius præcurrens. Ioh. 12. Qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit eam. Nec enim perit anima quum ob euangelij professionem occiditur, sed in æternum seruatur. uere autem perit, si breuem in corpore moram impietate depascitur, quanquam ne tum quidem uiuit in corpore, quę uiuit inuisa deo. Apo. 3. Nomen habes quod uiuas, & mortuus es.

Qui recipit uos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicunq; potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico uobis non perdet mercedem suam.

Non est periculum, ne, si contingat à parentibus, cognatis & affinibus ac amicis destitui, non sint q tectum aut uictum suppeditent. Vt enim nũquam defuturi sunt qui aspernentur & persequantur, ita nunquam non erunt qui syncero refocillẽt affectu. Atq; ut illos, uobis non ulciscentibus, sed bene precantibus, olim grauissime puniet deus, qui se spretũ interpretatur, quum uos spernimini: ita his pro uo-

bis, etiam si nihil referatis gratiæ, mercedem amplissimam reponet. Sibi enim deus uult imputari, si qd suis impensum fuerit. 2. Cor. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini deo. Luc. 10. Qui uos audit, me audit: & qui uos spernit, me spernit. Chrysostomus: Quid est, mercedem prophetæ uel iusti accipiet? id est, qualem mercedē ille habet, qui propter deum peregrinatur, talem habet & ille qui suscipit peregrinantem: & fiunt ambo æquales, & qui propter deum refrigerat, & qui propter deū laborat. Eccl. 12. Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam: & si non ab ipso, certe à domino. Hieronymus: In omni professione zizanium mixtū est tritico. Dicit ergo non personas esse suscipiēdas, sed nomina, & mercedem non perdere suscipiētes, licet indignus fuerit q suscептus sit. Chrysostomus: Ne alia quidem causa seculari, neq; propter has caducas mortalesq; res, sed solum quia propheta sit uel iustus. Hilarius: Qui prophetam recipit, habitātem in propheta recipit, isq; dignus mercede ,pphetæ. Non enim peccatis hominis, sed discipuli nomini honor p̄stitus est. Ab hoc lucro nec fortunæ tenuitas quenquam arcebit. Hic enim affectus dātis æstimatur in ratione præmij, non doni precium. Vt autem non refert, quantum sit quod datur, sed quo affectu, cuiusve nomine detur, ita non refert, quantus sit ille cui præstatur officium. hoc satis est, quod meus est discipulus, ut mihi possit imputari pro magno beneficio. Chrysostomus: Qui aquæ frigidæ mercedem constituit, puto & quod sine opere bonæ uoluntati reddet mercedem. 2. Cor. 8. Quod si

uoluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet. Hinc Heb. 13. Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur deus. Ro. 12. Necessitatibus sanctorum cõmunicantes.

Y Et *factum est cum consummasset Iesus uerba hæc, præcipiens duodecim discipulis suis,* (Mat. 11.) *Egressi circuibant castella, euangelizantes & curãtes ubiq;,* (Luc. 9.) *prædicabant ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eijciebãt, & ungebãt oleo multos ægros, & sanabantur,* (Marc. 6.)

Cum finem fecisset mandandi, transiit inde ut doceret & prædicaret in ciuitatibus eorum, Matth. 11. quo semoti à præceptore, sui periculũ facerent, ut & ipse pro sua portione prædicaret euangelium in ciuitatibus Iudæorum. Inuenerunt qui prædicationem pronis acciperent auribus. Nec defuit miraculorũ parata uis, quæ fidem conciliaret dictis hominum, quanlibet humilium & ignotorum. Non erat illud oleum pharmacum, (quis enim eodem pharmaco mederetur morbis omnibus?) sed sacramentum. Oleo uisibili inungebat cutis, & sanabatur corpus: sed oleum euangelicũ per unctum nostrum Iesum erat inungendum animis, mox à morbis uitiorum curandis. Hinc natum apparet, ꝙ hodie sacro oleo inunguntur periculose laborantes, non perinde ut conualescant, atq; ut tutius hinc emigrent. Iaco. 5. Infirmatur quis in uobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, ungẽtes eum oleo in nomine domini. & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit illum dñs; & si in peccatis sit, remittentur ei.

Unctiõis extremę ritꝰ & usus

De interrogatione Iohannis, Mat.xi. Luc.vij.

ARTICVLVS XL.

Iohannes autẽ cum audiſſet in uinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es q uenturus es, an alium expectamus? Mat.11. Z

Quũ paſſim editis miraculis, doctrinaq; mirabili, indies magis ac magis increbreſceret fama Ieſu per uniuerſam Iudæam & in regionibus Iordani finitimis, ubi prius Iohannes prædicauerat ac baptizarat Ieſum, diſcipuli Iohannis iam dudũ ſubinuidentes gloriæ Ieſu, de quo nihil adhuc eximium ſentiebant, tam ob paupertatem ſuam quàm ſuorum, de Iohanne uerò magiſtro ſuo neſcio qd homine maius ſuſpicabantur. Luc.7. Et nunciauerunt Iohanni diſcipuli eius de omnibus his. Iohan.3. Rabbi, q erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium phibuiſti, ecce hic baptizat, & oẽs ueniunt ad eum. q.d. te deſerto. Porro Iohannes uir abſolutæ ſanctimoniæ, gaudens euenire iam quod ipſe prædixerat, ſuam opinionem quæ maior erat decreſcere, Ieſu famã indies inclareſcere, ſentiensq; diſcipulorum ſuorũ ſubinuidos affectus, ut illoꝝ infirmitati mederetur, & ab ſe alienatos, Ieſu uelut ad manum traderet, cõuocauit duos de diſcipulis ſuis, qui ſuis uerbis hæc illi referrent. Duos miſit, ad ueritatis confirmationem. Deut.17. Mat.18. In ore duorum uel trium teſtium ſtet omne uerbum. Vt ergo pluribus argumẽtis certiores eos redderet, mittit ad Ieſum, ut uel uiſis miraculis credant Chriſtum Iohanne maiorẽ

esse. Chrysostomus: Qui à spiritusancto didicerat, Ioh.1. Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem uideris spiritum descendentẽ & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritusancto: & ego uidi & testimonium perhibui, qui hic est filius dei. qui uocem patris audierat, Mat.3. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. qui cęteris p̃dicauerat, Ioh.1. Ecce agnus dei, ecce q̃ tollit peccata mũdi. qui testimonium perhibuerat, Ioh.1. Non sum ego Christus. nunc dubitat? Absit. Non enim minus illuminatus fuit q̃ prophetæ, qui Christum nedum nasciturum, sed & passurum, resurrecturum, & ascensurum prædixerãt. Esa.7. Ecce uirgo concipiet & pariet filium. & 53. Oblatus est, quia ipse uoluit, & non aperuit os suum. Non ergo sibi, sed alijs consulere studuit, quos nimiũ sibi nouit affectos, quo se etiam Messiã negauit, & Christo maiorem. Hinc Iohã.3. Qui de terra est, de terra loquit: qui de cælo uenit, super oẽs est: & quod audiuit & uidit, hoc loquitur. Tu es ille uenturus, in lege & prophetis ꝓmissus, à patribus expectatus? Ge.49. Ipse erit expectatio gentium. Ioh.6. Hic est uere ꝓpheta qui uenturus est in mundum. Actu.19. Iohannes baptizabat baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui uenturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum.

Et respondens Iesus, ait illis: Ite, renunciate Iohanni quæ audistis & uidistis. Cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est qui nõ fuerit scandalizatus in me.

Renunciare iubet, ut ille accepta occasione hac, amplius de ipso testimoniū perhiberet, unde & enumerat miraculorum opera, quæ per prophetas prænunciata fuerant. Lu. 7. Cū autem uenissent ad eum uiri, dixerunt: Iohannes baptista misit nos ad te, dicens: Tu es ille qui uenturus es, an aliū expectamus? In ipsa autem hora multos curauit à lāguoribus suis & plagis & spiritibus malis. & cæcis multis dona uit uisum. Nouerat enim certius esse testimonium quod de factis proficiscitur, quàm à uerbis, præsertim si qs ipsi sibi testis sit. Glo. Cessent uerba, loquātur opera. Ioh. 10. Opa quę ego facio in nomine patris mei, hęc testimonium perhibent de me. Esa. 35. Deus ipse ueniet, & saluabit nos. tunc aperiētur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorū. Esa. 42. Ecce dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum. Denicq; iuxta Esaiæ uaticinium, pauperes & humiles amplectunt lætum salutis æternæ nuncium, quem feroces & arrogantes aspernantur. Esa. 61. Euangelizare pauperibus misit me. Mat. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorū. Iac. 2. Nonne pauperes elegit deus in hoc mundo, diuites in fide, & hę redes regni, quod repromisit deus diligentibus se? Ne in personarum acceptione regnum dei consiste rec rederetur. Spiritualiter cæci sunt, qui infidelitate uel errore cęcatum habēt intellectum. Sap. 2. Excæcauit illos malitia sua. Hinc Mat. 15. Cæci sunt & duces cæcorum. Esa. 42. Quis cęcus nisi seruus meus? & quis surdus nisi ad quē misi nuncios meos? ij necesse habēt à Christo illuminari, qui illuminat oēm

hominem uenientem in hunc mũdum, Iohã. 1. Nam lux est mundi. Iohã. 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Qui ergo præsentia, futuris neglectis, diligunt, diuitias in saccum pertusum congregant, Aggei. 1. & nesciunt qs possessurus sit eas, Psalm. 48. clament ad dominum, Psalm. 12. Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte. Claudi qui obliquum habent affectum, qui sciunt & non faciunt, partim dominum, partim mundum sequentes. 3. Reg. 18. Vsquequo claudicatis in duas partes? si dominus est deus, sequimini eum, ij rectificari habent per charitatem necesse. Aug. Pes animę, amor est: si rectus, charitas: si curuus, cupiditas. Psalm. 118. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. Heb. 12. Remissas manus & genua dissoluta erigite, & gressus rectos facere pedibus uestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Leprosi sunt immunditiam carnalis concupiscentiæ sectantes. Hac laborant diuites & potentes. 4. Reg. 5. Naaman erat uir potens & dives, sed leprosus. 1. Corinth. 6. Qui fornicatur, in corpus suum peccat. ij per dominum necesse habent mundari. Psalm. 50. Cor mundum crea in me deus. Nam de corde exeunt cogitationes malæ, fornicationes, adulteria, furta, homicidia etc. hæc sunt quæ coinquinant hominem. Surdi, ad legem dei. Prouer. 28. Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Item. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. ij necesse habent per gratiam emolliri. Ezech. 11. Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præce-

ptis meis ambulent. Heb.3. Videte fratres ne forte sit in aliquo uestrum cor malum incredulitatis discedendi à deo uiuo, sed adhortamini uosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominat, ut non obduretur quis ex uobis fallacia peccati. Mortui p peccatum. Apo.3. Nomen habes q uiuas, & mortuus es. Sap.16. Homo enim per malitiam occidit animam suam. ij nisi per gratiam Christi resurgere non possunt. Heb.9. Sanguis Iesu Christi emũdabit conscientiam nostram ab operibus mortuis. Iohan.5. Amen amen dico uobis, quia qui uerbum meũ audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam: & in iudicium non uenit, sed transiet à morte ad uitam. Amen amen dico uobis, q a uenit hora & nunc est, quando mortui audient uocem filij dei, & q audierint, uiuent. Beatus autem est, cuius animo successus tantus euangelij non præbuerit occasionem mali. Vt enim operum magnitudo nonnullis mouebit inuidiã, ita corporis huius infirmitas nonnullis erit offendiculo. Hoc modeste taxauit inuidiã discipulorũ Iohannis, sed sic, ut nec apud populum pudesceret, sed taciti secum agnoscerent uitium suũ, tẽperato modis oĩbus responso, ut & ipse fugeret arrogantiæ suspicionem, & maiorẽ fidem faceret discipulis, & illorũ affectioni mederet potius q̃ traduceret: simul subindicans futurũ, ut ignominia crucis, q̃ maxime peragendũ erat mysteriũ regni cęlorũ, multos alienaret à doctrina euangelica. Scandalizati fuerũt quidã in Christo ex infirmitate, sicut discipuli. Matth.26. Omnes uos scandalum patiemini in me in ista nocte. Ideo per Christũ reuocati. Aliq ex malignitate. In prędicatione. Matth.15. Scis (ait Petrus)

quia pharisæi audito hoc uerbo, scandalizati sunt? At ille ait: Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Alij in operatione. Marc. 6. Vnde huic hæc omnia? & scandalizabant in illo. Quidam in corporis communione. Ioh. 6. Multi audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Sciēs autem Iesus apud semetipsum quia murmurarēt de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc uos scandalizat? Quidam in crucifixione. 1. Cor. 1. Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidē scandalū, gentibus autem stultitiam. Greg. Visis tot miraculis tantisq; uirtutibus, non scandalizari quisq; potuit, sed admirari: sed infideliū mens graue in illo scandalū pertulit, cum eum & post tot miracula morientem uidit. Stultum quippe hominibus uisum est, ut pro hominibus autor uitæ moreretur: & inde contra eum homo scandalum sumpsit, unde ei debitor fieri debuit ut honoraret. Nam tanto deus ab hominibus amplius honorandus est, quāto & pro hominibus indigna suscepit.

5 *Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Iohāne: Quid existis in desertum uidere? arundinem uento agitatam? Sed quid existis uidere? hominem mollibus uestitum? Ecce qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis uidere? Prophetam? etiam dico uobis, & plusquàm prophetam. Hic est enim de quo scriptum est, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te.*

Iohannis uitam ut cōstantissimam collaudat, ne populus argueret Iohannem assentationis & leuita

tis. Hiero. Quia enim turba circunſtans interroga
tionis myſterium neſciebat, putãs Iohannẽ dubita-
re de Chriſto quẽ antè mõſtrauerat digito, ut intel-
ligerent Iohannẽ non ſibi interrogaſſe, ſed diſcipu-
lis, quęrit. Amolitur enim ab eo omnem inconſtan
tiæ ſuſpicionem, & illius de ſe teſtimonio fidem &
pondus arrogat, ſic extollẽs illius eximias uirtutes,
ut Meſſiæ titulum non tribuat, quem aliquandiu il
li tribuere conabantur, Ioh. 1. & Luc. 3. Exiſtimante
autem populo, & cogitantibus oñibus in cordibus
ſuis de Iohanne, ne forte ipſe eſſet Chriſtus. Expedi
ebat enim ut populus q̃ optime ſentiret de Iohan-
ne, qui tam prędare teſtificatus fuerat de Ieſu, quod
eſſet filius dei, quod eſſet agnus qui tolleret peccata
mundi, quod eſſet is qui baptizaturus eſſet igni &
ſpiritu ſancto. Ne cui, inquit, obrepat ſuſpicio leuita
tis de Iohanne. Alioqui ſi talis uiſus eſt uobis, qui le
uium hominum more mutet ſententiã, ut quod pri
us affirmauit, poſt reuocet in dubium, Quid exiſtis
uidere? arundinẽ quæ agitatur, nec ſibi conſtat? Sed
ab hac ſuſpicione facile illum uindicat perpetua ui-
tæ totius auſteritas. Sed agedum, quid exiſtis uide-
re? Num hominem mollibus ueſtitum, ut delicijs &
ambitione corrũpi potuerit? Luc. 7. Ecce qui in ue
ſte precioſa ſunt & delicijs, in domib⁹ regum ſunt,
qbus luxus uitæq; deliciæ conueniunt, atq; inter hos
locus eſt inconſtantiæ & adulationi. Illum adulari
neſciſſe carcer indicat, ueſtis & uitæ auſteritas. Mat.
3. Ipſe aũt Iohannes habebat ueſtimentum de pilis
camelorũ, eſca autem eius erat locuſta & mel ſylue-
ſtre. Greg. Nemo putet in luxu & gloria precioſarũ
ueſtium peccatũ nõ eſſe: quia ſi hoc culpa non eſſet,

nequaquam Iohannem dominus de ueſtimenti au
ſteritate laudaſſet, nequaquam Petrus fœminas à
preciosarum ueſtium appetitu cõpeſceret, d. 1. Pet.
3. Non in ueſte precioſa. Triplici ex cauſa homines
ueſtiuntur. Ob indigentiam. Gene. 3. Fecit dominus
Adæ & Euę tunicas pelliceas, & induit eos, & emi-
ſit eum domin⁹ de paradiſo uoluptatis, ut operare
tur terram de qua ſumptus eſt. Secũdo, propter ua-
nitatem & uoluptatem. Lucæ 16. Homo quidam
erat diues, qui induebatur purpura & byſſo. Eſaiæ
3. Erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funicu-
lus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pe
ctorali cilicium. Tertio, propter pœnitentiam ad do
mandam carnem, ut Helias 4. Reg. 1. & Iohannes.
Attende quid dixerit, In domibus regum ſunt, non
pontificum aut ſacerdotum. Non ergo probum de
cet Chriſtianum mollia geſtare, ac rigidam uitam,
auſteramq; prędicationem uitare aulas magnatum,
& mollium hominum palatia declinare. Remota
falſa opinione, commendando indicat quis ſit. Ma
gnum aliquod ſpectaculũ fuerit oportet, quod uos
tam frequentes pertraxerit in deſertum. Si prophe-
tam, non eſtis fraudati ſpe ueſtra. Omnino prophe
tam uidiſtis, & pluſquam prophetam. Ille ſe Meſſi
am non eſſe, palàm teſtatus eſt. Lucæ 1. Et tu puer
propheta altiſſimi uocaberis. Nam uenturum pro-
nunciauit, Iohan. 1. Veniſſe digito demonſtrauit,
Iohã. 1. Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mun
di. Legis & prophetarum finis. Luc. 16. Lex & pro-
phetæ uſque ad Iohannem. Hinc de eo olim uatici
natus eſt Malachias 3. quod præcurſor eſſet Meſſiæ
iam aduentantis, ut non ſolum illum in longũ ora-

Ueſtiendi cauſę quot

culo promitteret, sed & de proximo digito ostende re posset. Hieron. Quia ad priuilegium propheta le baptistæ accessit præmium, ut dominum suum baptizaret, angelum eum dicit non naturæ societa te, sed officij dignitate. Iohan. 1. Fuit homo missus à deo, cui nomen Iohannes. Ante faciem, Iohan. 1. Vt manifestetur in Israel, propterea ego ueni in aqua baptizans. Lucæ 1. Præibis ante faciem domini para re uias eius. Marc. 1. Lucæ 3. Vox clamantis in deser to, parate uiam domini, rectas facite semitas eius. Illud obseruandum, quod digressis discipulis, Iohan nem commendauit, ne adulari uideretur ipsis præ sentibus magistro, & ne ipsi in elationem insurge rent tanta præconia audientes de suo magistro.

Amen dico uobis, non surrexit inter natos mulie rum maior Iohanne baptista. Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo. A diebus autem Iohan nis baptistæ usque nunc, regnum cælorum uim pati tur, & uiolenti rapiunt illud. Omnes enim prophetæ & lex usque ad Iohannem prophetauerunt. Et si uul tis recipere, ipse est Helias qui uenturus est. Qui ha bet aures audiendi, audiat. Matt. 11. A

Lucæ 7. Maior inter natos mulierum propheta Iohanne baptista nemo est. Non cæteris prophetis & patriarchis cunctisq; hominibus Iohānem præ tulit, sed cæteris æquauit. Non enim statim sequi tur, ut si alij maiores eo non sint, ille maior aliorum sit. Qui ergo de Iohāne magnifice sentiūt, recte sen tiunt. Est tñ unus eo maior uirtute & dignitate, qui

tamen iuxta popularem æstimationem, minor est illo in regno dei. Quoniam multas Iohānis laudes dixerat, ut ne putēt quod & se maior sit ille, inquit: Ego minor & natu iunior, & iuxta uestram opinionem inferior, maior illo sum in regno dei, hoc est, in spiritualibus & cælestibus bonis. Iohā. 3. Qui de cælis uenit, super oēs est. Erat & minor angelor, qui natura digniores & comprehensores. Sic & modo sancti cū deo, maiores ijs qui sunt in prælio. Aliud est enim, coronā uictoriæ possidere: aliud, in acie adhuc pugnare. 3. Re. 20. Ne glorietur accinctus æque ut discinctus. Hactenus expectabatur doctrina cælestis, quam patriarcharum typi, quam uatum oracula per ænigmata quædam promiserant: nunc Iohannes animos excitauit multorum ad euangelicæ doctrinæ studium, ut ab exordio prædicationis illius usq; ad hunc diem, ad hāc fidei uiolentia perrumpant, etiam peccatores & ethnici, & nolentibus uobis ui diripiant. Hila. Itaq; regnum cælorum uim patitur, quia gloria Israel patribus debita, à prophetis promissa, à Christo oblata, fide gētium occupatur & rapit. Grandis etiam uiolentia, in terra nos esse generatos, & cælo & sedem quærere: possidere per uirtutem, quod non meruimus per naturam. Relinquere patrem & matrem, & animum suum contemnere, quanta uis? Mat. 3. Pœnitentiā agite, appropinquat regnum cælorū. Gal. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerūt cum uitijs & concupiscentijs suis. Omnes typi quibus lex designarat Messiam uenturum, simul atq; Iohannes uenit, oia propheтarum uaticinia quę promittebant uenturu, desierunt rem futuram promittere. Stulte enim ex

pectatur quod adest. Ego ergo ille de quo loquuti sunt. Non enim impleti fuissent, nisi ego uenissem. Nihil ergo expectetis ulterius. Hiero. Non excludit prophetas post Iohannem futuros. Nam Act. 11. & 21. Agabum prophetasse legimus, & quatuor filias Philippi, Act. 21. sed quod lex & prophetę quos scriptos legimus, quicquid prophetauerūt, de domino uaticinati sunt uenturo, quem Iohānes uenisse monstrauit. Quo clarius constet, non alium prophetam qui Messiam annunciet, uenturum posthac, Iohannes est ille qui quem Malachias 4. sub nomine Heliæ, quem uictus ac uestitus austeritate, quem libertate in arguendis regibus retulit, uenturum esse prędixit, antequam ueniret Messias. Luc. 1. Ipse præcedet ante illum in spiritu & uirtute Heliæ. Si cui sunt aures, ut admittat ueritatem, audiat: si quis obturarit aures suas, sibi imputet exitium suum. Eccl. 3. Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Contra Deut. 29. Nō dedit uobis dominus cor intelligens, & oculos uidentes, & aures quæ possint audire usq; in præsentem diem.

Et omnis populus audiens, & publicani, iustificauerunt deum baptizati baptismo Iohannis: pharisei autem & legisperiti consilium dei spreuerunt in semetipsis, non baptizati ab eo. Ait autem dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis huius? & cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem & dicentibus: Cantauimus uobis tibijs, & non saltastis: lamentauimus, & non ploraſtis. Venit enim Iohannes baptista neq; Luc. 7.

manducans panem, neq; bibens uinum: & dicitis, dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo uorax, & potator uini, publicanorum & peccatorum amicus. & iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis.

Nihil omissum est quod ad mouendos animos omnium facit: & tamen multi tam pertinaciter increduli sunt, ut nec austeritate Iohannis territi, nec domini ciuilitate beneficentiaq; deliniti, recipiant quod tot iam seculis ex fide prophetarum expectarunt. Diuersis uijs tentatum est idem à nobis, neutra profectum est apud quosdam morosos & incredulos. Vereres diuersis harmoniarum *modis*, uarios mouebant affectus. Venit Iohannes *singulari* austeritate uitæ pœnitentiam prædicans, & pœnitentiæ præbens exemplum, & dicunt, dæmonium habet, tantum abest ut imitetur. Matth. 11. Venit ille filius hominis, manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo uorax & potator uini, publicanorum & peccatorum amicus. Quia manducat & bibit cum eis, Matth. 9. Erat uere amicus peccatorum, quos uenit quærere & saluum facere, Lu. 19. Amans naturam, non uitia. Sapien. 11. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Pro quibus & animam dedit, Matth. 20. Hinc sua lenitate & comitate ipsos ad pœnitentiam prouocare studuit. His rebus adeò quidam non sunt commoti ad resipiscentiam, ut quod factum est ad emendandos uos, uertetis ad calumniam. Qui non commouetur austeritate, solet comitate uinci. At ista nario ad

omnem occasionem fit deterior. Sic & multi omia facta & dicta aliorum, in peiorem interpretantur partem, facientes sibi de melle uenenum: & bona quæ uolunt uel non possunt imitari, malunt detrahendo uituperare, quàm humiliter uenerari. Sed quo pluribus modis prouocata est ad salutem, hoc omnibus erit euidentius, eam suapte malitia perisse, ac dei sapientia, cuius hæc omnia consilio geruntur, iustitiæ laudem feret apud suos filios, quum uiderint eos qui magni iustiq; uidebantur apud homines, ob incredulitatem suam repulsos à regno cælorum: contrà, peccatores & publicanos ob fidei promptitudinem admissos ad æternam salutem. Hieronymus: Sapientia non quçrit uocis testimonium, sed operum. Iustificata est ergo, id est, honorata non à phariseis, sed à filijs suis, hoc est, ijs qui susceperunt Iesum & Iohannem. Prouer. 18. Non recipit stultus uerba prudentiæ, nisi dixeris ea quæ uersantur in corde suo. 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei, stultitia enim est illi, nec potest intelligere quia spiritualiter examinatur.

De conuersione peccatricis, Lucæ vij.

ARTICVLVS XLI.

Rogauit aũt illum quidam de phariſæis ut manducaret cum illo: & ingreſſus domum phariſæi, diſcubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, ut cognouit quòd Ieſus accubuit in domo pha Lucæ. 7. G

risæi,attulit alabastrum unguenti:& stans retro secus pedes eius,lachrymis cœpit rigare pedes eius,& capillis capitis sui tergebat,& osculabatur pedes eius,& unguento ungebat.

Ecce consequutum est quiddam, in quo res ipsa poneret ob oculos, quod docuerat de iustis repellendis & peccatoribus recipiendis. Vnde exemplar nobis uerè pœnitentis ob oculos ponitur, in peccatrice illa infami,omnibus modis exibilanda,si pharisæo credimus: sin uerò Christo, ut par est,nemo ea magis idoneus ad euangelium. Rogabat illum quidam pharisæus,quod genus præ cęteris cognitione legis & sanctitatis opinione turgebat, *Actu.23.26.* Nec dedignatus est Iesus, qui nulli sui *negabat copiam.* O qualis hospes. Sap.7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Vere gratioſe inuitãdus,imò affectuoſe ſuſcipiendus qui ſeipſum inuitat. Lu.19. In domo tua oportet me manere, ait Zachæo & Apocalyp.3.Ego ſto ad oſtium & pulſo:ſi quis audierit uocem meam, & aperuerit mihi ianuam,intrabo ad illum,& cœnabo cum illo,& ipſe mecum. Inducitur mulier famoſa in ciuitate,quæ erat peccatrix,quo animemur ad pœnitẽtiam. Dicitur de Maria Magdalena,quòd ſeptem dæmonia ab ea eiecta fuerint,Marc.16.Luc.8.Nihil autem peccato fœdius. Prou.14. Miſeros facit populos peccatum.nihil abominabilius,quandoquidem qui peccat,nõ tam à deo ſe ablegat,quàm gratia priuat,ſtercoribus inquinat.Ioel.1.Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Vt ergo cognouit quòd clemẽtiſſimus IESVS qui nullum repellebat ab ſeſe, qui malis omnium

omnibus promptissime mederetur, illic adesset, sibi tota displicens, sed ingenti fiducia de Iesu benignitate concepta, irrupit in ædes pharisæi, ardor animi omnem pudorem excusserat, quum non esset ignara, quanto fastu sole at pharisaicum genus auersari peccatores, quum ipsi intus grauibus maderent uitiis. Iohan. 6. Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Omnis qui audiuit à patre & didicit, uenit ad me. Rom. 10. Ergo fides ex auditu? Sed non omnes obediunt euangelio. Chryso. Corpore infirma non erat, nec corporis gratia accessit, sed animæ directione, quum tamē plurimi hodie plus corporum quàm animarum quærant salutem, curiosius cibum corporis in mensa, quàm animæ in altari. Est autem alabastrum, ut dicit Bed. genus marmoris, in quo incorrupta seruantur unguēta. Olim qui uoluptatibus carnis seruiebant, unguentis impendio delectabantur, præsertim in cōuiuijs. Quod ergo tempore uanitatis ad uoluptatem, nunc ad pietatem uertit. Et quoniam uereeūdia est quasi principium pœnitentiæ, retro stetit: Sic publicanus à longe stans, non audebat oculos in cælum leuare. Luc. 18. Eccl. 4. Pro anima tua ne confundaris dicere uerum. est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam. Vnde semetipsam intus erubescens, sua peccata melius factis quàm uerbis confessa est, pleniusChristo quàm sibi cognita noscens. Psalm. 61. Effundite coram illo corda uestra. Sed sunt quibus frons meretricis facta est, nolentes erubescere, Hierem. 3. Qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, Prouer. 2. De quibus dominus Lucæ 6. Væ uobis

Alabastrū quid.

qui ridetis nunc, quia flebitis. Omnia ergo quondam inhoneſtæ uoluptatis inſtrumenta, uertit in obſequium illius, qui ſolus eſt amandus. Oculos, quos olim ſpectaculis & ſcenicis ludis inquinauerat, ſtibio ad turpitudinem depinxerat, ſalubri lachrymarum imbre expurgauit. His enim conſcientia mundatur. Pſalm.118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. & 6. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Hiere. 2. Scito & uide, quia malum & amarum eſt dereliquiſſe te dominum, & non eſſe timorem eius apud te. Capillis, quos antehac conſueuerat ad carnis uoluptatem ungere, tingere, comere, auro intexere, pedes terſit. 1. Pet. 3. Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti ueſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu dei locuples. Sic ore, quo uana & laſciua protulerat, IESV pedes oſculabatur. Roma. 6. Sicut exhibuiſtis membra ueſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra ueſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Membra CHRISTI ſuperfluis refocillanda. Matth. 25. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Eccleſia bonorum operum odore inflammanda. 2. Cor. 2. Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Sed Roma. 2. Per uos nomen dei blaſphematur inter gentes.

2 *Videns autem phariſæus qui uocauerat eum, ait*

intra se, dicens: Hic si esset propheta, sciret utique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donauit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon, dixit: Aestimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti.

Pharisæus hæc conspicatus, quum fauere debuerit mulieri tanto affectu se ingerenti, tanta modestia sese deijcienti, tot indicijs testanti uitæ prioris pœnitudinem, cum amare debuerit IESV mansuetudinem, nullum hominem à se repellentis, prouocatur ad utriusque calumniam. Si esset propheta qualis habetur, sciret publicam esse peccatricem, nec se tangi permitteret. Existimabat enim sanctos homines pollui, si cum peccatore uel colloquium habuissent. Hic erat fastus falsæ iustitiæ, qua sibi placebant, deo displicentes. Quæ enim sancta sunt, coinquinari non possunt, nisi uitiorum contagionem participent. Habitauit in Sodomis Loth, Genesis 19. 2. Petri. 2. Aspectu & auditu iustus erat, habitans inter eos qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant. Iob frater fuit draconum & socius struthionum, Iob. 30. Sic sancti lucent in medio nationis prauæ & peruersæ, sicut luminaria in mundo, uerbum uitæ continentes,

Philippen. 2. Glos. Pharisæus de falsa iustitia superbus, nulla compassione motus, suæ fragilitatis oblitus, ægrum reprehendit de ægritudine, & medicum de subuentione. Greg. Necesse est cum peccatores conspicimus, nosmetipsos prius in illorum calamitate defleamus, quia in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus. 1. Corinth. 10. Qui stat, uideat ne cadat. Galat. 6. Fratres, si præoccupatus fuerit quis in aliquo delicto, uos qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans temetipsum, ne & tu tenteris. Gregori. Vera iustitia compassionem habet, falsa indignationem. Respondet dominus ad cogitationem, quo se plusquàm prophetam, deum ostendit. 1. Regum 16. Homo uidet ea quæ patent, deus autem intuetur cor. Hieremi. 7. Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego dominus scrutans cor & probans renes. Familiariter ipsum uocat ex nomine, ut reddat attentum. Ne ergo proderet impiam illius cogitationem conuiuis cæteris, (nam & uiris euangelicis etiam ciuilitas debet esse curę: quia & si proximus sit arguẽdus opportune, importune, tamẽ in omni patientia & doctrina, 2. Timo. 4.) proposuit parabolam, qua eum arrogantem ostendit, proximum iudicando, & insipientem, tot charitatis & pœnitudinis indicia non considerando & fidei. Obserua hic tria. Primum, Iudicem æquissimum deum, qui corda scrutatur & facta, tutaturq; semper suos, ac recipit ad se confugientes. Secundum, peccatricem factis animi mœrorem declarantem, quæ multa quidem debuit, sed ueniam ac condonationem uera confessio meretur. Tertium, phari

sæum iustitia externa turgidum, alienæ famæ obtrectatorem. Debuit hic multa, nempe CHRISTO fidem, sed non præstitit superbia inflatus, debuit & pro peccatis pœnam, sed soluendo non erat. Omnes debitores deo creditori, qui dona sua ad usuram nobis collocauit, Matth. 25. Sed pauca rependimus, & utinam non beneficia magna ingratitudine repensaremus. Nec etiam quisquam ex se soluendo est. Augustinus: Nec antiquorum quicunq; iustorum præter Christi fidem, salutem potuit inuenire. Act. 4. Non enim est in aliquo alio salus. Nemo etiam uiribus suis, dei exclusa pietate, soluendo est. 2. Cor. 3. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex deo est. Quod autem dicit, debuisse quingẽtos & alterum quinquaginta significat quinq; sensibus nos debita contraxisse. Mat. 6. Remitte nobis debita nostra. Donauit ergo insolidum utriq; quod debebat. Vter igitur horum uehementius amare debet creditorem tam liberalem? Quo efficacius concluderet, & Simonis arroganti-am humiliaret, responsum exquirit. Sic Matth. 22. Cuius est imago hæc & superscriptio? Simon non intelligens quorsum tenderet hæc parabola, simpliciter respondit. Existimo &c. glos. Secũdum homines plus fortasse offendit qui plus debuit, sed misericordia domini causa muratur, ut amplius diligat, qui plus debuit, si gratiam consequatur. Exigit em̃ gratitudo, ut eum uehementius ames, à quo tot beneficijs es affectus. Recte iudicasti. Hoc docemur, ueritatem à quocunq; prolatam, non contemnere ex odio uel personæ paruitate.

5 *Et conuersus ad mulierẽ, dixit Simoni: Vides hãc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Oſculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intrauit, non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe: Quis eſt hic qui etiam peccata remittit? Dixit aũt ad mulierẽ: Fides tua te ſaluam fecit. Vade in pace.*

Conuerſus aũt ad mulierẽ animi propenſione, ut mœſtam erigeret: uides, inquit, hanc, quam tu peccatricem uocas, toto corporis habitu præ ſe ferentẽ pœnitentis imaginem? Huius peccatricis pietas longe uincit tuam iuſtitiam qua tibi places. Numerat officia charitatis. Aquam pedibus meis nõ dedisti, quod eſt de conſuetudine hoſpitalitatis. Gen. 18. 19. 24. Hinc Apoſtolus de uidua ait 1. Tim. 5. Si hoſpitio recepit, ſi ſanctorũ pedes lauit. Hæc lachrymis. Chryſoſtomus: Sicut ubi uehemẽs imber prorũpit, fit ſerenitas, ſic lachrymis effuſis oritur mentis tranquillitas, & perit caligo reatuum: & ſicut per aquam & ſpiritum, ita per lachrymas & confeſſionẽ denuo mundamur. Et capillis, qui præcipuũ ſunt ornamentum mulierum. 1. Cor. 11. Mulier ſi comã nutriat, gloria eſt illi. Oſculum in ſignum charitatis. Ro. 16. Salutate inuicẽ in oſculo ſancto. Ipſa pedes plus appreciata etiam unxit. Noli ergo perpẽdere quantũ pec

carit, sed considera quantũ amet. Charitas eñ operit multitudinem peccatorum, 1. Pet. 4. Gregorius: Quid fratres mei dilectionẽ esse creditis? nisi ignẽ? quid culpã, nisi rubiginẽ? Tanto ergo peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne cõcrematur. Pro. 10. Vniuersa delicta operit charitas. Quo ergo grauius peccauit, hoc sibi magis displicet, ac me cuius gratuita clemẽtia liberata est à peccatis, uehementius amat. Vos uobis iusti uidemini ob legis obseruationẽ, neq; multum habere q̃d uobis ignoscat deus, & ideo frigidius amatis cõdonantem. Chrysostomus: Opus est nobis feruenti animo, quia nihil impedit hoiem fieri spiritualiter magnũ. Nullus ergo in peccatis constitutus desperet, nemo uirtuosus dormiter, neq; cõfidat, sæpe eñ meretrix præcedit eum: neq; iniustus diffidat, possibile enim est primos superare. Matt. 20. Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Nihil precata fuerat illa, nihil confessa uerbis, sed euidentius cõfessa ẽ factis, efficacius precata est lachrymis. Psal. 37. Domine, ante te omne desiderium meũ, & gemitus meus à te non est abscõditus. Hinc audire meruit: Remittunt tibi pctã tua. Psal. 31. Beati quorũ remissæ sunt iniqtates, & quorũ tecta sunt pctã. Felix absolutio, sed nõ sine precibus, nõ sine lachrymis. Duo sunt in peccato: Culpa, q̃ ex dei liberalitate remittitur, quũ nullum bonũ meritoriũ possit esse in nobis sine gratia, quam ante culpæ remissionem habere nõ possumus. Sap. 1 In maleuolam animã nõ introibit spũs sapiẽtiæ. Quæ eñ societas luci ad tenebras? 2. Cor. 6. sed dimissa culpa & habita gratia, remanet pœna, ut patet Exo. 32. & 2. Re. 12. ad cui⁹ remissionẽ facit

duo esse

opus nostrum charitate informatum. Obserua q̃d non dixit, ego remitto, causa docendæ humilitatis, & uirandæ scandalizationis, nec tamen potuit. Pharisæi enim scientes scriptum, Esa. 43. Ego sum qui deleo iniquitates tuas, Iob. 14. Quis potest facere mundum de immundo cõceptum semine, nisi tu q̃ solus es? intra sese cogitabant, Quis est hic qui tantum sibi sumit, ut autoritate sua remittat etiam peccata, quod nemo prophetarum, aut patriarcharum usurpauit sibi? Ne sacerdotes quidem aliud sibi uindicant, quàm orare pro peccatis populi. Iesus ergo cognitis illorum cogitationibus, quo magis confirmaret animum mulieris, ac pro mœsta lætam domum remitteret, ait illi: Fides tua te saluam fecit. Gregorius: Cælestis medicus ægrotos respuit, quos de medicamine deteriores fieri uidet. Nõ dixit, ego te saluam facio, quo inuidiam illorum minueret, & illos ad credendum induceret, discentes salutem ex fide esse. Beda: Quia quod petijt, se posse accipere non dubitauit, iam enim spem ab illo acceperat a q̃ salutem quærebat. Ostendit ergo fidem per dilectionem operantem, salutem conferre, quæ aliquid est apud deum, Gala. 5. Vnde præmisit remissa peccata multa, quia dilexit multum, ac indicia ipsa dilectionis subiunxit. Plenitudo enim legis est dilectio, Roma. 13. Et uinculum perfectionis, Col. 3. Vade, inquit, in pace. Beda: Ne à uia iustitiæ labaris in uiam scandali. Rom. 5. Iustificati ex fide, pacem habeamus ad deum. Nam fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, Gal. 5. Esa. 57. Non est pax impijs, dicit dominus. Ioh. 16. In mundo pressuram, in me pacem habebitis. Phil. 4. Et pax dei quæ exuperat omẽm sen

sum, custodiat corda uestra & intelligẽtias uestras. Ipsa enim ad æternam perducit pacem. Lu. 2. Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum uerbum tuum in pace. Quemcunq; ergo sui pigere cœperit, ad Iesum properet: in hunc effundat, quod prius, p- digere solitus est in impias uoluptates. Huius obse- quio consecret omnia membra sua, quæ prius ser- uiebant fœdis cupiditatibus. Sibi patitur imputari, quicquid officij impensum fuerit proximis etiã in- fimis. Iam qualis est conuiuator, tales & conuiuæ.

De occisione Iohannis, Mat. xiiij. Mar. vi.

ARTICVLVS XLII.

ET *cum dies opportunus accidisset, Herodes na* Marc. 6.
talis sui cœnam fecit principibus, tribunis & C
primis Galileæ. Cumq; introisset filia ipsius Herodi-
adis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulq; recũ-
bentibus, rex ait puellæ: Pete à me quod uis, & dabo
tibi. Et iurauit illi, quia quicquid petieris dabo tibi,
licet dimidium regni mei. Quæ cum exisset, dixit ma
tri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Iohannis Ba
ptistæ.

Quum iuxta morem ethnicorum celebraret di- em Herodes natalem, in quo nihil uoluptatum ge- nialium non adhibebatur, quem diabolus ad impi- um facinus idoneum adinuenit. Raro enim conui- uijs malorum deest impietas. Vasthi regina repudi- ata, Hester 1. Amnon occisus, 2. Reg. 13. Natalitium diem celebrauit & Pharao, sed Ioseph è carcere li-

berauit, Gen. 41. Herodes uero, cui libido dominabatur, iustum in carcere decollauit. Prouerb. 23. Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comesationibus eorum qui carnes ad uescendum conferunt: quia cantes potibus & dantes symbola, consumentur. Magis lugenda dies. Iob. 14. Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miserijs: qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit uelut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Cum ergo natalitijs suis cœnam faceret primatibus, tribunis, qui millenis præfecti sunt, lasciua gesticulatione saltauit in medio ad mẽsam filia Herodiadis & Philippi, indecora lasciuaq; gesticulatione ut delectaret conuiuas. Quo enim turpius saltauit, hoc magis placuit regi iam bis insano, ut qui præter amorem incestæ mulieris etiam uino incaluerat, & conuiuis, quo plures haberet suæ crudelitatis testes. Ait ergo regali magnificentia: Et si dimidium usque regni mei petieris, dabo tibi. Pollicetur, haud inscius quid petitura sit, cum iuramento, ut intercedente iureiurando, non posset non interficere innocentem, quasi inuitus, sed lege adactus, lege contra legem abutens. Chrysostomus: Tu perspice quomodo totum illud saranicum erat spectaculum. Nam primum temulentia & deliciis constabat, unde nihil unquam probè factum est. Deinde spectatores omnes erant corrupti, & ille qui conuiuio præerat, omnium corruptissimus. Tertio, uoluptas atque licentia omnia dicendi, audiendi atque faciendi maxima in ipsis erat. Quarto, puella (propter quam matrimonium fieri non poterat) quæ abdi & occultari propter conceptum matris debe-

bat, ingreditur, omnia palam faciens, & omnes meretrices uirgo impudētia ſuperans. Temporis quoque ipſius importunitas, ſcelus Herodis mirum in modum amplificat. Nam quando gratias agere deo oportebat, qui eum eo die in lucem produxit, tunc nefandiſſimam cædem committit: quādo uinctum abſoluere ex gaudio debuit, tunc ad uincula iniquiſſima iuſſu ſuo mors acceſſit. Puella ergo ne perderet tantam occaſionem, & mox hac regij pectoris abuteretur libidine, quemadmodum hanc fabulam matris inſtinctu cœperat agere, non audet ilico petere quid uellet: ſed egreſſa è cōuiuio, conſuluit matrem. At inceſta mulier nihil cunctata, neque quicquam habens charius morte ſanctiſſimi uiri, uerita ne quando Iohanni reconciliatus regis animus, dirimeret inceſtas nuptias, ſuaſit filiæ ne quid peterer, niſi ut abſque mora ſibi daretur in diſco caput Iohannis Baptiſtæ. Digno operi ſaltationis, dignum ſanguinis precium. Chryſoſtomus: Audiatis hęc uirgines, quæ tripudijs communem fœminarum ſexū & ſaltationibus deturpare non uereminī: audiatis uiri, qui magnifica conuiuia ebrietate plena conſectamini. Vbi ſalt⁹ laſciuus, ibi diabolus certe adeſt. Eſa. 3. Pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant & ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant, decaluabit dominus uerticem filiarum Sion, & dominus crinem earum nudabit. Dina egreſſa ut uideret mulieres regionis illius, per Sichem filium Emor oppreſſa fuit. Quare p Simeon & Leui fratres ipſius, ipſe Sichē cū tota ciuitate interfect⁹ fuit, Ge. 34. Filij Iſrael immolatis dijs

hostijs, sederunt manducare & bibere, & postea surrexerunt ludere, Exo. 32. quare quasi 23. millia hominum interfecta sunt.

2 *Cumq; introisset statim cum festinatione ad regem, petiuit dicēs: Volo ut protinus des mihi in disco caput Iohannis Baptistæ. Et cōtristatus est rex propter iusiurandum, & propter simul discumbentes noluit eam contristare: sed misso spiculatore, præcepit afferri caput eius in disco. Et decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in disco, & dedit illud puellæ, & puella dedit illud matri suæ. Quo audito, discipuli eius uenerunt, & tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumento.*

O docilem ad flagitium, & morigerā filiam. Caput, inquit, Iohannis: Velut hunc missum pluris factura, quàm dimidium regni. Hieronymus: Dissimulat mentis suæ malitiam artifex homicida, cum tristitiam in facie, & lætitiam haberet in mente. Scelus excusat iuramento, ut sub occasione pietatis impius fieret. Vultu mœrorem simulans, iurisiurandi religionem prætexit, præsertim quod tot conuiuis testibus interposuisset. Hic mihi uide prepostera regis religionem, quum sit nihil illis familiarius, q̄ omnia fœderum ac religionum uincula dirumpere, hic irreligiosa religione stultissimi iurisiurandi constrictus est. Hieronymus: Vult oēs sceleris sui esse consortes, ut in luxurioso impuroq; conuiuio cruentæ epulæ deferrentur. Si propter iusiurandum fecit, si patris aut matris, uel certe ipsius Herodiadis postulasset interitum, facturus fuerat an non? Nulli

dubiũ qn illi dare ueraciter triſtis abnueret. Quod in ſe ergo repudiaturus erat, contemnere debuit & in propheta. Incautum Dauid reſcidit iuramentum rogatu Abigail, 1. Reg. 25. Hinc dominus admonet Matth. 5. Ego autem dico uobis non iurare omnino. Condigni inuitatore ſuo conuiuę, ubi nullus inuentus eſt, qui innocentis prophetæ, etiam inter feſta mortem uetaret, præſertim cũ rex aſſumpta ſpecie triſtitiæ ſe coactum hoc facere proteſtaretur, eſſetq; opportunũ quo hortatu conuiuantium à ꝓmiſſo ſcelere reuocari deberet, ſi non intellexiſſent illum induſtria hæc præſtruxiſſe, imo etiam ipſos ꝙque par eiuſdem ſceleris amor irretiret. Non ergo mirum, ſi reges aliquando audent nefaria, quum tales habeant animos inceſtis amoribus & crapulæ deditos, cõuictores uel timidos, uel crudelitatis fautores. Ne ergo leuis aut periurus uideretur, iuſſit fieri quod optarat puella. Ad matrem omnium malorum artificem ac fontem redit ferale præmium. Chryſoſtomus: O conuiuium diabolicum, o ſpectaculum ſatanæ, ò iniquum tripudium, & mercedem tripudij multo nequiorem. Cædes enim omnium ſceleſtiſſima excogitatur, & qui coronari, & laudibus in cælum uſq; efferri merebatur, percuſſus ſecuri iacebat. Qui dæmones deuicit, eius caput poſt cædem ad menſam ferebatur. Nam talis res eſt luxuria, quod non petulantes ſolum, ſed etiam homicidas facit. Beda: Sed quid eſt quod electos ſuos dominus tot paſſionibus & mortium generibus patitur conſumi, niſi ut nos his perſpectis, in aduerſis minus doleamus, ac potius diſcamus omne gaudium æſtimare cũ in uarias tentationes inciderimus?

Iac.1. Quem enim diligit dominus, castigat: flagellat autem oẽm filium quem recipit, Heb.12. Non enim erat graue talibus, tormenta pro ueritate temporalia perpeti, quæ perpetuis nouerãt remunerãda gaudijs. Optabilem habebant mortẽ, quæ naturæ necessitate ineuitabilis imminebat, cõfesso Christi nomine, cum palma uitæ perẽnis excipere. Hinc Phil.1. Vobis donatum est non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. Et bene, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, Roma.8. Cum ergo tam eximios regni cælestis hæredes, tanta in huius exilio mortalitatis pati uiderimis, quid nobis restat agendum, nisi ut tanto magis humiliemur in conspectu pij conditoris ac redemptoris nostri, quanto nos patenter aduertimus, eos nec uitæ imitatione sequi posse, nec mortis? Iaco.5. Exemplum accipite fratres exitus mali, & lõganimitatis, & laboris & patientiæ, prophetas qui locuti sunt in nomine domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Discipuli honorifice dederũt sepulturę. Glol. ord. Iohannes apud Sebasten occisus, apud Machæruntа sepultus. Sancti patres solicitam semper de
5 honesta sepultura habuerunt curam. Sic Abraam pro sepultura Sarai agrum emit ab Ephron quadringentis siclis argenti probatæ monetæ. Et confirmatus est ager, & antrum quod erat in eo, Abrahę in possessionem monumenti à filijs Heth, Gen.23. Illic sepelierunt ipsum filij sui Isaac & Ismael, Gene. 25. Adiurauit Iacob filium suum Ioseph, ne in Aegypto, sed in terra promissionis cum patribus suis,

sepeliretur, Gene. 47. Quod Ioseph maximis fecit expensis, Gene. 50. Sic Ioseph ossa sua in exitu filiorum Israel de Aegypto, ordinauit transferenda in terram patribus promissam, Gen. quinquagesimo. Id quod fecerunt Exod. 13. Hinc Tob. 4. Cum acceperit deus animam meam, corpus meũ sepeli. Cum autem mater tua compleuerit tempus uitæ suæ, sepelies eam circa me. Eccl. 38. Fili, in mortuum produc lachrymas: & quasi dira passus, incipe plorare: & secundum iudicium contege corpus illius, & ne despicias sepulturam illius. Actuum 8. Curauerunt Stephanum uiri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum. De domino prædixit Esa. 11. In illa die radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius glorioſum. Hoc claret Iohannis decimonono, quum Ioseph & Nicodemus more Iudæorum dominum sepelierunt.

Et *uenientes nunciauerunt Iesu. Quod cum audisset Iesus, secessit inde in locum desertum.* Mat. 14.

Tam immane facinus renunciantibus discipulis, secessit, speciem quidem præbens humani timoris, reuera docens nos, aliquando principum furori cedendum esse, ne benefactis irritati, & lædant innoxios, & ipsi reddantur sceleratiores. Vitare enim licet impios ad facinus paratos, quo prodesse liceat bonis. Sed & nec omnes eadem constantia perseuerant in tormentis, qua se torquendos offerũt: quare non temere se offerendum tormẽtis. Hinc Matt.

10. Cum persequentur uos in ciuitate ista, fugite in aliam.

De probatica piscina, par. 2. Ar. 9. p

De opinione Herodis de Christo, Mat. xiiij. Mar. vi. Luc. ix.

ARTICVLVS XLIII.

Mat. 14. D

Luc. 9.

IN illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famã Iesu, & ait pueris suis: Hic est Iohannes baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo uirtutes operantur in eo. Audiuit autem & Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant, & hæsitabat, eo quòd dicerentur à quibusdam, quia Iohannes surrexit à mortuis, à quibusdam uero quia Helias apparuit, ab alijs autem quia propheta unus de antiquis surrexit. & ait Herodes, Iohannem ego decollaui. Quis est autem ille de quo ego talia audio? & quærebat uidere eum.

Herodes Antipas, tetrarcha Galilæg, filius eius q pueros Bethleemiticos trucidauit, uarios hominũ rumores de Iesu irridens, ait: Iohannem ego decollaui, & quomodo uos arbitramini ipsum uiuere & miraculis pollere? Quum autem Iesu miracula essent tam crebra, tamtg euidentia, ut nemo posset causari commentitia: tam salutifera, ut nullus calumniari posset ea per malos dæmones geri, dixit suis: Hic de quo tam mira narrant, non est Iesus, qui iam pridem periit interfectus à patre in turba puerorum Bethleemiticorum, sed est Iohannes qui surrexit à mortuis: & ideo iam factꝰ diuinior, claresci

miraculis. Quia enim in uita signum nullum fecerat, Iohan. 10. putauit per resurrectionem eum hoc donum à deo accepisse, ut miracula faceret. Omnium enim opinio futuram resurrectionem credentium, fuit, hominem resurgere excellentioris uirtutis quàm antea, ut semen iactum in terra, maiores & fructus & ramos producit. 1. Corin. 15. Seminatur in infirmitate, surget in uirtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Tu hic aduerte, quàm ingentes habet uirtus uires. nam hic Herodes adeò Iohannem exhorruit, ut à nimia formidine uel de resurrectione philosopharetur. Chrysostomus: Peccatores scientes nescientesq; quemcunque strepitum pertimescunt. peccatum enim, nemine arguente, hominem prodit, nemine accusante condemnat, ac pigrum & timidum reddit delinquentem. Sapien. 17. Frequenter enim præoccupant pessima, redarguente conscientia. Cum enim sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem. Semper enim præsumit sæua perturbata conscientia. Hic iam intellige, quàm sint præpostera impiorum iudicia. Iohannem qui nullis inclaruerat miraculis, credunt reuixisse: Iesum, cuius tot modis diuina uirtus declarata est, pertinacissime negant reuixisse. Quin etiam regum impiorum stoliditatem considera: fatetur Herodes Iohannem reuixisse, fatetur illum nunc demũ plus ualere, quàm ualuerat uiuus: & tamen propemodum iactat quòd illum occiderit. Proinde quærebat occasionem uidendi illum, non ut melior fieret, sed ut suæ satisfaceret curiositati: aut si uideretur, idem huic faceret quod se

cerat Iohanni. Iesus autem quum hæc non ignoraret, non fecit illi sui copiam.

De reditu apostolorum, Luc. ix, Mar. vi.

ARTICVLVS XLIIII.

Luc. 9. E

ET *reuersi apostoli, narrauerunt illi quæcunque fecerant.*

Marc. 6. Et conuenientes ad Iesum, renunciauerunt ei omnia quæ egerant & docuerant. & ait illis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui ueniebant & redibant multi, & nec spatium manducandi habebant, Marci sexto.

Et assumptis illis, secessit seorsum in locum desertum qui est Bethsaidæ.

Redeunt peracta legatione, & simul sese congregant ad Iesum totius negocij caput. Ab eo mandatis acceptis discesserãt cõcorditer, ut in unius nomine agerent pariter, quicquid agerent: ad eundem redeunt concorditer, cupientes approbari quod gestum erat. Exponunt itaque totius legationis historiam, magna alacritate commemorantes singula, & quàm res ex animi sententia successisset. Dominus autem comprobata illorum syncera fide, sed coercita gloria, abduxit illos in locũ solitarium. Quiescere facit eos, ut sciant prælati, laborantes in uerbo & doctrina dignos quibus detur sua quies, & nõ semper intendant laboribus.

ARTICVLVS XLV.

De refectione turbæ, Mat. xiiij. Mar. vi. Luc. ix.

ARTICVLVS XLV.

POst hæc abijt Iesus transmare Galileæ, quod est Tiberiadis. Et sequebatur eum multitudo magna, qa uidebant signa magna super his qui infirmabantur. Subijt ergo in montẽ Iesus, & ibi sedebat cũ discipulis suis. Erat autem proximum pascha dies festus Iudæorum. Ioh. 6. E

Omnipotentiam suam dominus magnifice demonstrauit, doctrinam suam supernaturalem confirmando. Qui enim à communi hominum opinione aliena asseuerare uolunt, sua dicta signis quibusdam insolitis necessum est obfirment, modo suę doctrinæ fidem haberi uelint. Marc. 6. Et ascendentes in nauim, abierunt in desertum locum seorsum, & uiderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi. & pedestres de ciuitatibus cucurrerunt illuc, & præuenerunt eos. Redit Iesus ultra lacum, more Hebræorum mare dictum. Gen. 1. Congregationesq; aquarum appellauit maria. qui ob ciuitatem Tiberiadẽ, in honore Tiberij sic dictam, Tiberiadis dicitur, in prouincia Galilææ. atq; huc proficiscentem secuta est ingens hominum multitudo, partim allecta multitudine miraculorum, quia uiderant eum insolita uirtute tollentem morbos hominum, partim ut ab eo sanarẽtur qui morbis immedicabilibus tenebantur, partim illius inhiantes doctrinæ. Subijt in montem, uolens mystica quædam discipulis cõmunicare, id q̃d semp solebat facere: qa opus est ut ab

omni tumultu liberetur, locumq; quærat securum, & ab omni strepitu purum, si quis talia uelit loqui. Beda: Non simpliciter sedebat cum discipulis suis, sed diligenter loquens eis & instruēs, ad seipsum cōuertit. Miraculum editurus, ascendit in montem: nam quemadmodum à magnitudine pulchritudineq; creaturarum creator laudatur & cognoscitur deus, Sap. 13. sic à signis, deitatis potestas percipitur, & sequentium fides iure laudatur. Obserua quod festum fuerit Iudæorum, non Christi. Esa. 1. Neomeniam & sabbatum & festiuitates alias nō feram. iniqui sunt cœtus uestri. Kalendas uestras & solennitates uestras odiuit anima mea. facta sunt mihi molesta. Amos. 5. Odi & proieci festiuitates uestras, & non capiam odorem cœtuū uestrorū. *Quid de nostris dicturus est festis?* Marc. 6. Et exiens, uidit turbam multam Iesus, & misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem, & cœpit eos docere multa. Luc. 9. Et excepit eos, & loquebatur illis de regno dei: & eos qui cura indigebant, sanabat. Pharisæi cum essent pestilentes & rapaces, non pascebāt populum, sed deuorabant: propterea derelictis illis, ad Christum uerum pastorem turbæ congregantur, unde & ipse alimoniam eis suppeditat, & primum huberiorem & honestiorem, nempe uerbum dei, deinde & corporalem. Ezech. 34. Væ pastoribus Israel qui pascebāt semetipsos. Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam ut non pascant ultra gregem meum, nec pascant amplius semetipsos: ecce ego ipse requiram oues meas, & uisitabo eas, & pascam eas in montibus Israel, in riuis & in cunctis se-

dibus terræ. Mar.6. Et cum iam hora multa fieret. Luc.9. Dies autem cœperat declinare. Matth.14. Veſpere autem facto, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes. Marc.6. Deſertus eſt locus hic, & iam hora præterijt. dimitte illos, ut euntes in proximas uillas & uicos, emant ſibi cibos quos manducent. Matth.14. Ieſus autem dixit eis: Non habent neceſſe ire, date uos illis manducare. Marc.6. Et dixerũt ei: Euntes emamus ducentis denarijs panes, & dabimus illis manducare. Diſcipuli necdum perfecte ſentientes de Ieſu, (ſic enim uiſum eſt ſapientiæ diuinæ, paulatim illos ad perfectionem fingere, quo firmior eſſet rerum geſtarum fides, ſimulq; ipſos doceret, quibus rationibus aliorum infirmitati mederentur) admonẽt præceptorem inſtare noctem. Ieſus autem, ut oſtenderet nõ defuturum cibum his, qui toto pectore uacarent euangelicæ doctrinæ, ſimulq; hoc agens, ut euidens eſſet miraculum quod decreuerat edere, dixit non eſſe neceſſe.

Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & uidiſſet quia multitudo maxima uenit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes ut manducent hi? hoc autem dicebat, tentans eum. ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex diſcipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: Eſt puer unus hic, q̃ habet quinque panes hordeaceos & duos piſces, Sed hæc quid ſunt inter tantos? Iohã. 6. 2

Bed. Quod ſubleuaſſe oculos Ieſus, & ueniẽtem

ad se multitudinem uidisse perhibetur, diuinę pietatis indicium est: quia cunctis ad se uenire cupientibus, gratia misericordiæ cælestis occurrere consueuit: & ne quærendo errare possint, lucem sui spiritus aperire. Vbi ergo turbam doctrina pauit mente, mox cibo pauit corporali corpore, ostendens se esse qui dat escam omni carni & spiritui & menti.

Oculi domini qualee.

Obserua quoniã oculi domini acutissimi sunt perspiciendo. Prouer. 15. In omni loco oculi domini contemplantur bonos & malos. Hebręi. 4. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius. Benignissimi in miserando. Psalm. 118. Aspice in me & miserere mei. 33. Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Amorosissimi in attrahendo. Matt. 9. Vidit hominem sedentem in telonio, & ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum. Sic Petrus & Andreas, Iohannes & Iacobus, Matth. 4. Terribilissimi in discutiendo. Deu. 32. Vidit dominus, & ad iracundiam prouocatus est. Marc. 6. Et dixit eis: Quot panes habetis? Ite & uidete. Et cũ cognouissent, dicunt: Quinque & duos pisces. Sic præparat animos discipulorum suorum ad certi miraculi fidem, ut primum uelit eis notam & animaduersam esse cibariorum penuriam, ac multitudinẽ quę subiecta erat oculis, esse copiosam, & panes quos ipsi porrigerent suis manibus Iesu, ac populo distribuerent, esse ppaucos, postremo cophinos, quos ijdem ẽ cõuiuĩ reliquijs collegerãt, esse multos ac plenos, ne quid uel non intelligerent, uel nõ animaduerterent, uel post non meminissent. Nouerat eñ rudes suorum adhuc & obliuiosos aios. Claret q̃ non soliciti fuerint discipuli Iesum sequentes de commeatu,

quamcq; plebeio uilicq; cibo contenti fuerint. Chryſ. Diſcamus nos qui uoluptati attendimus, qd comederint uiri iſti uenerabiles, apoſtoli dñm ſequentes, cum ſuo magiſtro. Confundimur utiq; intra nos, uidentes regem noſtrum in tanta penuria & paupertate. Eſt tentatio multiplex. Quçdã ad malũ irritãs, ſic tentat diabolus & caro. Iac. 1. Vnuſq; ſq; tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deus aũt intentator malorum eſt. Ipſe enim neminẽ tentat. Alia probans, & hoc tripliciter: Aut ut tentatus innoteſcat tentãti, nec ſic deus tentat, ſed homo: Aut alteri, ſic deus tentauit Abraam Gen. 22. & Tob. 12. Quia acceptus eras deo, neceſſe erat ut tentatio probaret te. & 2. Hanc autem tentationem ideo permiſit illi dñs euenire, ut poſteris daretur exemplũ patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob. Aut ſibi ipſi. Deute. 8. Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te dominus deus tuus quadraginta annis per deſertum, ut affligeret te atq; tentaret, & nota fierẽt quæ in tuo animo uerſabantur, utrum cuſtodires mandata illius an non. Sic tentauit Philippum. Bed. Tentat Philippum, ut tarditatem ſuæ fidei, quam magiſtro ſciente ipſe neſciebat, tentatus cognoſcat, & facto miraculo caſtiget. Viderat enim miraculũ conuerſionis aquæ in uinum: ſed magis expẽdit, quàm exiguũ eſſet ipſis pecuniæ ſubſidium: ad hæc, quàm ingens hominum multitudo: quare reſpondit, ducentorum denariorum panes non poſſe ſufficere, non ad ſaturãdos iſtos, qui iam longa inedia famelici erant, ſed ut uel paululum guſtantes, famis periculum effugerent. Sic ſolet humana ratio ſolum carnalia ſpectare, nec longius quàm ad præſentia

Tentatio quotuplex

prospicere, quæ nisi adsint, iam desperat, nescia quò se uertat. Cõtrà solet fides. Hæc in spem cõtra spem credit, Ro. 4. Philippus igitur in nummos, non in dei uerbum respexit, quo ait Matt. 6. Quærite primum regnum dei & iustitiam eius, & hæc oĩa adiicientur uobis. Hinc Mosi ait dominus Num. 11. Nunquid manus dñi inualida est? Nunc uidebis utrũ sermo meus opere compleatur. & 20. Quia non credidistis mihi, ut sanctificareris me corã filijs Israel, non introducetis hos populos in terrã quam dabo eis. Non ergo ignorans quęsiuit, sed ut cognito defectu, appareat illum non inanis gloriæ studio, sed necessitate ad operandum miraculum procedere. Eodem ferè morbo quo Philippus, tenebatur & Andreas. nec enim omnino diffidebat panes posse crescere, sed ad moderatam portionem, quemadmodum sub Heliseo 20. panes in 100. homines diuisi fuerunt, 4. Reg. 4. quare 5. panes ad sufficientiam multiplicari tantæ multitudinis, impossibile iudicauit. Non sic Dauid Psal. 36. Iunior fui, etenim senui, nec uidi iustum derelictum, nec semen eius quærẽs panẽ. & Iob. 13. Etiã si occiderit me, i ipso sperabo.

Iohan. 6. *Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo uiri numero quasi quinque millia. Accepit ergo Iesus panes: & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. Similiter & ex piscibus quantum uolebat. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis & du-*

obus piscibus, quæ superfuerunt his qui manducauerant.

Chrys. Considera quonam pacto ex oĩbus mentes erigit, & differentiam demõstrat. Si quidẽ non uisis panibus, Mar. 6. Præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super uiride fœnum. Et discubuerunt in partes per centenos & quinquagenos. Vt intelligas quæ non sunt, tãquam ea quæ sunt, ei subdita esse. Roma. 4. Qui uocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Matt. 14. Qui ait eis: Afferte illos mihi huc. Paruerũt apostoli domino, populus paruit apostolis. tanta erat fiducia in pastore Iesu. Neque enim responderunt: nos igitur enecas, si hoc pusillum quod habemus, das istis: sed attulerunt uniuersum commeatum. Lucæ 9. Acceptis autem quinque panibus & duobus piscibus, respexit in cælum, & benedixit illis, & fregit, & distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas. Matth. 14. Et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. & manducauerunt omnes, & saturati sunt. Primo ergo sustulit oculos in cælum, indicans à patre cælesti proficisci quicquid opus est humanis usibus: gratias agens, quo ostẽdit ante cibum gratias deo agere. Secundo, benedixit. Gre. Benedictio dei aliud nihil est, nisi donorum diuinorum collatio. & eorum multiplicatio. Vnde in principio mundi creaturis benedixit, cõferens eis naturalem uirtutem. & quia panum multiplicatio supernaturalis fuit, ideo singulari benedictione indiguit. Quia ergo diabolus nobis p ea quæ ad usum sunt, nocere studet, ut dicit Chrys. ideo p orationẽ cibus bñdicẽdus. 1. Tim. 4.

Omnis creatura dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per uerbum & orationem. 1. Cor. 10. Siue ergo manducatis, siue bibitis, uel aliud quid facitis, omnia in gloriam dei facite. Col. 3. Omne quodcunque facitis in uerbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu facite, gratias agẽtes. Tertio fregit & distribuit. Nã inter distribuentis manus, ipsius arbitratu crescebat, quantum sciebat omnibus saturandis sufficeturum, etiam usq; ad largam redundantiam, quo certior esset miraculi fides. Ipse enim satiat animam inanem, & animam esurientem implet bonis, Psal. 106. Quemadmodum in nuptijs unum fuit optimum, Ioh. 2. sic cibus hic sapidissimus. Nec mirum, quum de manna dicatur Sap. 16. Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & oĩs saporis suauitatem. Comederunt ergo oẽs, non ad luxum, sed ad saturitatem. Docuit ergo & nos, non oportere parcam in pauperes esse beneficentiam. Pro. 3. Honora dñm de tua substantia, & de primitijs oĩm frugũ tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & uino torcularia redundabunt. & 11. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Alio quoq; argumento dñs procurauit certitudinem facti, ne quis præstigium aut imaginationem esse causaretur, iubens colligi fragmenta. Chryſ. Non quidem ostentatio superflua fuit, sed ne putaretur phantasma quod factum erat, ppter q̃d & ex subiecta materia miraculũ fecit. Ego aũt non solũ miror multiplicationẽ panũ, sed & certitudinẽ superfluor̃ cophinor̃, q̃ nec plus nec

minus fecit esse superfluum, sed tantum quantū uo
lebat secundum numerum apostolorū, ne & Iudas
expers relinquat, sed haberet etiam hoc miraculum,
quod sibi deum monstret esse magistrum suum, ac
inde utilitatem capiat, q̄uis ipse ob suam malitiā in
condemnationem uerterit. Nostra etiam hic negli
gentia redarguitur, qui per socordiam multa negli
gimus, multo labore parta, quum nō minor sit uir
tus quærere, q̄ parta tueri. Docuit ergo exemplo, ali
mentorū reliquias prudenter seruari, & utiliter ex
pendi. Mat. 14. Manducātium autem fuit numerus
quinq; millia uirorum, exceptis mulieribus & par
uulis. Virturis magnitudo indicatur. Moses manna
populum pascebat, sed pro singulorū usu dabatur,
nam quod superarat, uermibus consumebatur.
Exo. 16. Helias uiduam pascens, suppeditabat quan
tum satis erat, 3. Reg. 17. Iesus autem ut dominus, re
sidua facit. Bed. Qui signa ac mirabilia domini sal
uatoris nostri recte, cum legunt uel audiunt, accipi
unt: non tam in his quid foris stupeant, attendunt,
quām quid horum exemplo intus agere, quid inde
mysticum perpendere debeant, inspiciunt. Appro
pinquante festo, dominus multitudinem sequen
tem uerbo salutis pariter & opere curationis erige
bat. Pascha autem transitus dicitur: quo datur intel
ligi, quod quoscunque dominus interna munerum
suorum suauitate recuperat, ad salubrem profecto
transitum præparat, ut carnis uidelicet concupi
scentias, mentis sublimitate transcendant, infirma
mundi desideria, prospera pariter & aduersa cæ
lesti spe & amore conculcent: & si necdum anima

Pascha quid.

uel carne ad ſuperna ualeant pertingere, quia hoc nimirum in futuro promittitur, quicquid tamen carnale quaſi altum complecti conſpiciunt, compa ratione æternorum quaſi nihilum deſpiciũt. 1.Ioh. 2.Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Eos ſiquidem ſatiat, qui ſe in deſertum ſecuti, uerbum ſalutis audierant, non qui in ciuitatib⁹, id eſt, mundi luxu gaudebant. Oculi enim eius in pauperem reſpiciunt, Pſalm. 10. Oculos uero ſuperborum humiliabit, Pſalm. 17. Mundani enim filiquis paſcuntur porcorum, Luc. 15. Filij Iſrael non fuerunt paſti manna quandiu fuerunt in Aegypto, nec quandiu farinam habuerũt Aegypti ſecum, nec mare tranſierunt. Super fœnum diſcumbere, eſt carnales uoluptates frenare. Gene. 2. Formauit igitur dominus deus hominem de limo terræ. Eſaiæ 40. Vox dicentis, Clama. Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exiccatum eſt fœnum, & flos eius decidit. Hinc Eccl. 10. Quid ſuperbis terra & ciuis? Cibat pane corporali. Gene. 3. In ſudore uultus tui ueſceris pane tuo. Pſal. 144. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Lachrymarum, Pſal. 79. Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in menſura. Pſalm. 41. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Pſal. 118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. Sed domino frangente, dulceſcunt. Pſalm 93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Verbi diuini, Matt. 4. Non in ſolo pane uiuit homo, ſed in omni uerbo quod

Pane quo tuplici cibemur.

procedit de ore dei. Psalm.118. Quàm dulcia fauci-
bus meis eloquia tua, super mel ori meo. Ecci.15.
Cibabit illum pane uitæ & intellectus, & aqua sapi
entiæ salutaris potabit illum. Corporis dominici,
Ioh.6. Panis quẽ ego dabo, caro mea est ,p mũdi ui
ta. Hordeaceus malis, Iohã.6. Durus est hic sermo,
quis potest eum audire? 1.Cor.11. Qui manducat &
bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non
dijudicans corpus domini. Cælesti, qui totus dulcis.
Lucæ.14. Beatus qui manducabit panem in regno
dei. Luc.22. Vos estis qui permãsistis mecum in ten
tationibus meis, & ego dispono uobis, sicut dispo-
uit mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis su-
per mensam meam in regno meo. Secundum Be-
dã, quinque panes, libri quinque sunt Mosi, hordea
cei ,ppter austeriora legis edicta, & tegmina literæ,
quibus interior sensus erat abditus: quem nemo ni
si Christus, cæteriq; apostoli ab ipso illuminati, ape
ruerunt. Adduntur duo pisces, psalmi & prophetę,
quibus propius acceditur ad diuinitatis mysteria &
humanitatis Christi, qui cibus animæ est. Sunt &
duo pisces, piscatorum libri: quia prædicatio Chri-
sti quæ per apostolos effulsit, euangelica & aposto
lica scriptura resplendet. Ita saluator disciplina legis
spiritalis, & noui testamenti mirabili doctrina, fide-
lium animas ad uitam alit æternam. Iubentur au-
tem populis apponere. Cooperatores enim sumus
dei, 1.Cor.3. Qui nos fecit idoneos ministros noui
testamenti, ait Paulus 2.Corinth.3. Apostoli enim
legis uelamen & prophetarum abdita nobis resera
runt. Deinde & 12. fidei articulos ex omnibus diui-
nis eloquijs, quasi catalogum quendam descripse-

runt, quo totus orbis terrarum cognoscit, colit, & ueneratur deū. Quibus succedunt pastores. Ephe. 4. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios uero euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. 1. Pet. 5. Pascite qui in uobis est gregem domini. Id autem maxime in nobis cauendum, ne diuina in nobis uerba pereant, ne dominicæ passionis fragmenta intereant. Fide colliguntur fragmenta hæc, amorisq; affectu possidentur.

Illi ergo homines quum uidissent quod fecerat Iesus signum, dicebant: Quia hic est uere propheta, qui uenturus est in mundum.

Chrys. Vide gulam uulgi: quum *mirabiliora faceret*, non admirabantur: & ecce propter cibum dicunt, Hic est uere propheta ille iam diu expectatus, qui uenturus erat in mundum. Deu. 18. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis suscitabit tibi dominus, ipsum ficut me audies. Iohan. 7. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cum uenerit, nunquid plura signa faciet quàm hic facit? Bed. Recte dicebant dominum prophetam magnum, magnum salutis præconem in mundum futurum. Ipse enim se prophetam nominat. Luc. 13. Non capit prophetam perire extra Hierusalem. Qui diuinitate nobiscum est usque ad consummationem seculi, in qua uenturus per humanitatem, redditurus unicuique secundum opera sua. Augustinus: Sic propheta dominus, ut dominus prophetarum: sicut angelus, dominus angelorum. Ma

gnificabant ergo CHRISTVM, gratias agentes deo, Iohan. 6. Nihil enim dignum deo proimpẽfis tribuere possumus beneficijs, nisi gratias agendo laudare, id quod à nobis requirit, non ob suum, sed nostrum profectum. Primo, quia bonorum nostrorum non eget, Psalm. 15. Secundo, quia omnia nostra, ipsius sunt dona. 1. Par. 29. Tua domine sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi. Tertio, quia nostrã excedunt facultatẽ. Psal. 115. Quid retribuã dño pro oĩbus quæ retribuit mihi? Calicẽ salutaris accipiam, & nomen dñi inuocabo.

Et statim coegit discipulos suos ascendere nauim, ut præcederent eum transfretum ad Bethsaidam, cum ipse dimitteret populum. Et cum dimisisset eos, abijt in montem orare. Iesus autem cum cognouisset quia uenturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Vespere autem facto, solus erat ibi. Marc. 6. Iohan. 6. Ve Matt. 14.

His rebus peractis, IESVS docere cupiens, ubi satisfactum est necessitati uentris, non ad lasciuiam uel somnum, sed ad precationem esse fugiendum, precationi uero solitudinem competere: compulit suos abire ad lacum, & priores transmittere, se demissa turba sequuturũ. Hieron. Quo sermone ostenditur, eos inuitos à domino recessisse, dum amore præceptoris, ne punctum quidem temporis ab eo uolunt separari, ne illo absente naufragia sustinerent. Docuit suos orare. Nocte orandũ, & seorsum orandũ, qa preces qete & tranqllitate opus habẽt. Oportet eñ sine distractiõe orare. Orat sol⁹ patrẽ:

id ad naturam humanam referas: nam opera eius inter deum & hominem diuisa sunt. Subduxit autem sese solus clanculum, sic, ut non sentiretur aufugisse. Ad regnum uocantibus furtim subduxit sese, ad crucem rapientibus ultro occurrit, Iohan.18. euidens exemplar exhibens his qui uices ipsius essent gesturi. Videntes enim ipsum pium, liberalem & compassiuum, secundo in omnibus sapientem, tertio potentē etiam supra naturam, dignum arbitrati sunt regem ipsum fore, inuitis etiam quibuscunq. Ipse uero re ipsa docet nos, parua esse quæ maxima putantur in hoc mundo. Quærentibus gloriam in cælis, mundi gloria fugienda est. Humilitatis ergo decor amplectendus. Philip.2. Hoc enim sentite in uobis, quod & in Christo Iesu. Reges gentium dominantur eorum, Luc.22. Matth.20. Gene.10. Ipse cœpit esse potens in terra. (scilicet Nemroth.) Ab hoc exiuit prouerbium, Quasi Nemroth robustus uenator coram domino. Fuit autem principium regni eius Babylon. Ose.4. Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterūt, & non cognoui. Iob.34. Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. Hinc Psal.78. Effunde iram tuam in regna quę te non nouerunt. Eccl.10. Sedes ducum superborum destruxit deus, & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus. Regnum à regno trāsfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, ac diuersos dolos. Christus autem rex humilis nunc, olim erectus & magnus. Psal.71. Deus, iudicium tuum regi da, & iustitiā tuam filio regis. Zach.9. Ecce rex tuus uenit tibi iustus & saluator, ipse pau

per. Sed Hier. 23. Ecce dies ueniunt, dicit dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. Lu. 1. Et dabit illi dñs deus sedē Dauid patris ei⁹, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Apocal. 19. Et habet in uestimento suo & in femore suo scriptum, Rex regum & dominus dominantium.

De ambulatione Christi supra mare, Matth. xiiij. Marc. vi. Luc. vi.

ARTICVLVS XLVI.

CVm sero esset, erat nauis in medio mari, & ipse solus in terra. Et uidens eos laborantes in remigando, erat enim uentus contrarius eis. Et circa quartam uigiliam noctis uenit ad eos ambulans supra mare, & uolebat præterire eos. At illi ut uiderunt eum ambulantem supra mare, putauerūt phantasma esse, & exclamauerunt. Omnes enim uidebant eum, & conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, & dixit eis: Confidite, ego sum, nolite timere. Marc. 6. H

Vbi non est Iesus, nox est, periculum est, turbatio est. Glos. ord. Vespere fluctuat nauis, dum sol iustitiæ occidit. Voluit autem absentia sua magis accendere desiderium suorum, atque interim maiori miraculo parabatur argumentum. Abest ille nonnunquam, sed non destituit suos in finem. Ad tempus uidetur interdum destituere, ut exerceat rebus aduersis, ut instituat ad firmam de se fiduciam. Circa

quartam uigiliam noctis, hoc est, sub diluculum uenit. Hieronymus: Quo ostendit tota nocte periclitatos, & extremo noctis atque in consummatione mundi, eis auxilium præbiturum. Ista tria aggrauabant periculum, quia nox, quia in medio maris, & quia iactabatur magnis fluctibus. Matth. 14. Naucula autem in medio mari iactabatur magnis fluctibus. Viderunt ambulantem perinde quasi solidam terram calcaret, ut se non terræ solum, sed omnium elementorum dominum declararet: ac præ se ferebat, ac si uellet eos præterire. Sic enim patitur aliquando suos hærere in malis, quasi negligat, quum nunquam deponat curam illorum. Sic post resurrectionem finxit se longius ire, Luc. 24. quo imperfectionem fidei suorum ostenderet, & desiderium magis accenderet. Matth. 14. Videntes eum supra mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: quia phantasma est. & præ timore clamauerunt. Nam propter noctem & timorem, ipsum non cognoscebant: ideo uelut impotentes facti, quia spectrum credebant, exclamauerunt. Ille autem non passus diutius suos exanimari metu, protinus uoce nota compellabat eos, significans nullam quamlibet atrocem mundi tempestatem, formidabilem esse his, quibus adest dominus. Vbique ergo exigit fidem. Ego sum, non spectrum. Ad hanc uocem ilico redditus est illis animus. At Petrus qui semper singulari amore flagrabat ad Iesum, nihil omnino credens difficile quod ille iuberet, dixit Matth. 14. Domine, si tu es, iube me
2 ad te uenire sup aq̃s. At ipse ait: Veni. Et descendẽs Petrus de naucula, ambulabat supra aquam, ut ueniret ad Iesum. Vidẽs uero uentum ualidum, timu

it: & cùm cœpisset mergi, clamauit, dicens: Domine, saluum me fac. & continuo Iesus extendēs manum suam, apprehendit eum, & ait illi: Modicę fidei, quare dubitastiſ? Non dixit, iube me ire sup aquas, sed uenire ad te. Nam istud ostentationis est, hoc autem amoris ad Christum. Hiero. In oñibus locis ardentissimæ fidei inuenitur Petrus: qua ipsum confitetur filium dei, Mat. 16. eadem uadit ad ipsum. Ardebat eñ fides, sed humana fragilitas turbabat. paulum aũt relinquitur tentationi, ut fides augeatur, & intelligat se non facilitate postulationis, sed potentia dñi conseruatum. Chryſ. Non potuit alios expectare, sed feruore uictus, alios præcurrit, non charitatem suam solum, sed & fidem ostendens, quia non credebat solum Christũ supra mare ambulare, uerũ etiam aliis id posse concedere, ausus est id petere, ut cum eo citius esse possit. Vnde ait: Iube me uenire: non, ora ut ueniam. Ob imbecillitatē uero fidei fluctuat. Naturæ eñ humanæ hæc est conditio, ut difficilioribus nonnunq̃ superatis, fluctuet ac succũbat minoribꝰ: quod Helias, Moses ac Dauid passi sunt. Ad magnitudinem miraculi confert, quòd non supra tranquillum, sed turbulentum mare ambulauerit. Non sufficit autem habere fidem uehementem ac temporariam, sed oportet habere perpetuam ac constantẽ, neq; despicere quantũ sit periculi, aut qd nostræ possint uires, sed quid ipse fidenti possit præstare. Hiero. Quid nobis dicendũ, q huius fidei modicæ ne minimã quidem habemus portiunculam?

Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit uentus, & plus magis intra se stupebant.

Beda: Stupebant quidem carnales adhuc discipuli uirtutũ magnitudinem, necdũ tamen in eo ueritatẽ diuinæ maiestatis cognoscere ualebant.

Non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.

Matt. 14. Qui autẽ in nauicula erant, uenerunt ad eum, dicentes: Vere filius dei es. Conspecto enim tã admirabili signo, sentiebant in illo quiddam homine maius esse. Sic electis suis subuenit, quos licet ad tempus sinat aduersitatibus agitari, tamen quum ꝓspicit quod mox perituri sint, nisi ipse succurrat, manus porrigit adiutrices. Psal. 22. Nam & si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecũ es. Esa. 43. Noli timere, quia redemi te, & uocaui te nomine tuo, meus es tu. Cum pertranseris per aquas, tecũ ero, & flumina nõ operient te. Cum ambulaueris in igne, nõ combureris, & flamma non ardebit in te: quia ego dominus deus tuus, sanctus Israel, saluator tuus. Hinc Psal. 36. Cum ceciderit, non collidetur: quia dominus supponit manum suam. Psal. 117. Impulsus euersus sum ut caderem, & dominus suscepit me. Cæterum ut dñs demonstraret suis, uirtute diuina geri totũ ꝙd gerebaꝫ, nec eam tẽpestatem casu fuisse sedatã, Ioh. 6. statim nauis fuit ad terrã, in quã ibant, quæ paulo ante hinc atq; inde procul aberat à littore.

Et cum transfretasset, uenerunt in terram Genesareth, & applicuerunt. Cumq; egressi fuissent de naui, statim cognouerunt eum: & percurrentes uniuersam regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui ma

le habebant, transferre, ubi eum audiebant esse. Et quocunq; introibat in uicos uel in uillas, aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos: & deprecabantur eum, ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, salui fiebant.

Iam enim ex superioribus miraculis fides illorũ sumpserat incrementũ: quare postquã agnouerunt eum prius uisum, miserunt qui per uniuersam illam regionem diuulgarent adesse Iesum. Obseruabatur enim à multis, quocunq; se conferret: & aderat semp importuna turba, magis solicita de tollendis morbis corporũ q̃ animorum.

De prædicatione eucharistiæ, par. 2. ar. 12. v

De missione discipulorum, Luc. x.

ARTICVLVS XLVII.

Post hæc autem designauit dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum quò erat ipse uenturus, & dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite, ecce ego mitto uos sicut agnos inter lupos. Luc. 10. 1

Ostendit quanta diligentia euangelicum semen spargendum sit & suscipiendum. Hinc enim præter apostolos è numero discipulorum & alios septuaginta designauit, qui sua p̃dicatione p̃pararent animos audientium in aduentum domini, quemadmodũ ante duodecim selegerat apostolos. In cuius

figura, filij Israel uenerunt in Elim, ubi fuerunt duodecim fontes & septuaginta palmę. Binos misit in mutuę charitatis commendationem. Ioh. 15. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Mutuã consolationẽ. Eccẽs. 4. Melius est duos esse simul q̃ unũ. habent enim emolumentũ societatis. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantẽ. Pro. 18. Frater qui adiuuatur à fratre, q̃si ciuitas firma. Veritatis confirmationem. Deut. 17. Mat. 18. In ore duorum uel trium testium stat oñe uerbũ. Et quia duos populos in unũ ouile cõgregaturi erãt. Semper dominus sicut in primo aduentu, & in secundo ad iudicium, sic & ad cor hominis ueniens, præmittit sibi uiam præparantes. Hinc de Iohanne Luc. 1. Præibis ante faciem domini parare uias eius. Instruxit aũt ad munus euangelicæ prædicationis, quemadmodũ prius instruxerat apostolos duodecim, reddens causam quare auxisset numerũ. Late spargitur euangelij rumor, & plures accenduntur auiditate doctrinæ cælestis, apti congregari in horreũ Christi ecclesiã militantẽ per fidẽ & spem, ac post in triumphantẽ per gloriæ susceptionẽ. Nec in uno tantũ agro circunciſionis, sed & in oñi regione præputij. Iohã. 4. Videte regiones, quoniã iam albæ sunt ad messem. Sed qui syncere doceant & uerbo & exemplo, pauci. Beda: Sicut messis multa, est omnis turba credentium: ita operarij pauci, apostoli & imitatores eorum. Gregorius: Ecce mundus totus sacerdotibus plenus est, & tamen in messe domini rarus operarius inuenitur: quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officij non im

plemus. Rogandus dominus, ut ipse extrudat celeriter uel inuitos, qui idoneos facit ministros noui testamenti, 2. Cor. 3. & Iohan. 15. Sine me nihil potestis facere. Ipse enim dominus messis, qui dicit, Ecce ego mitto uos. & Iohã. 20. Sicut misit me pater uiuens, & ego mitto uos. Videat quisq; qualem se operarium exhibeat: qa Mat. 13. In tempore messis dicã messoribus, Colligite primum zizania in fasciculos ad comburendum, triticum autem meũ congregate in horreũ. Hinc 2. Tim. 2. Solicite cura teipsum, probabilem exhibere deo, operariũ inconfusibilem, recte tractantẽ uerbum ueritatis. Veri enim operarij dicendi sunt, qui quærunt opus & onus, sataguntq; prodesse: non qui quærunt ociũ ac honorẽ, & optãt præesse. Sed heus sunt operarij subdoli, 2. Cor. 11. Ite, inquit, non segniter iniunctum implentes munus. Ego, q potẽs sum in aduersis succurrere, mitto uos, sicut agnos, pios, innocentes & obedientes: inter lupos, ob crudelitatẽ, persecutionẽ atq; duritiam. Ioh. 10. Lupus rapit atq; dispergit. Frement potentes & mali aduersus doctrinã uestram. non mitto uos ut quenq̃ lædatis, sed ut simplices & innoxij, studeatis omnibus prodesse, & ex lupis facere agnos. Esa. 11. Habitabit lupus cum agno.

Nolite portare sacculum neq; peram, neq; calceamenta, & neminem per uiam salutaueritis. In quamcunq; domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax uestra: sin autem, ad uos reuertetur. In eadẽ autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. 2

De uictu ne quidem ſoliciti ſitis. nunquam uobis deerit quod naturæ neceſſitati ſatis eſt. Expediti ite ad negocium euangelicũ. Omnem illorũ uſum ſuppeditabunt hi, qui à uobis docent. quid ergo uobis neceſſarius ſacculus, uel pera? Luc. 22. Quãdo miſi uos ſine ſacculo uel pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit uobis? At illi dixerunt: Nihil. Ambroſius: Tanta p̃dicatori debet eſſe cum deo fiducia, ut præſentis uitæ ſumptus, etſi non prouideat, ſibi tamen certiſſime non defuturos ſciat, ne, dum mens occupat ad temporalia, minus p̃dicet æterna. Nam cum nullus ſit dominus, qui operarium ſuum cibo diurno dignum non æſtimet, ne putes dominũ cæleſtem & ſuperbonum, ſuum operarium dignum cibo, ſua indies ad neceſſaria quæcunq; prouidentia, nõ exiſtimaturũ. Ne occupemini in hominum ſaluationibus & curioſitatibus, quibus à prædicatione impediamini. Non prohibet offerri ſalutem, quum domũ præcipiat ſalutandam, & ipſe fœminas ſalutauerit, Matth. 28. ſic Maria Elizabeth, Luc. 1. ſed ne occaſione ſalutationis, remoraretur prædicationis negociũ. Sic Heliſeus præcepit Giezi 4. Reg. 4. Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum: & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas ei. Ac ne de tecto quidẽ ſitis ſoliciti. erunt qui uos excipient. tantum p̃ſtare uos puros & incorruptos euangelicæ prædicationis miniſtros. Intrantes domum, primũ precemini pacem toti familię, pacem inquam pectoris, quę eſt tranquillitas mentis ex remiſſione peccatorũ & reconciliatione ad deum. Ro. 5. Iuſtificati ex fide, pacem habeamus ad deum. Ephe. 2. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit utraque unum. Hinc angeli cecine-

runt Luc.2. Gloria in altissimis deo, & in terra pax. Psal.118. Pax multa diligentibus legē tuam. Hæc p-ducit ad æternam pacem in cælis. Esa.32. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta. Quod si fuerit homo mitis, auidusq; mansuetę doctrinę, pderit illi uestra precatio, & amplectetur hospitem bene ominantē: si minus, nō pœniteat bene precatos fuisse. non em̄ peribit uobis merces oblati officij. Esa.26. Domine, dabis pacem nobis: pacem, quoniam in te speramus. Non paruum donum, dei pcipere pacē, quæ exuperat omnem sensum, Phil.4. Quicunq; libenter receperit uos ac prompte, apud illum manete, non affectantes delicias, edentes quę ab illis offerūtur, sine delectu nulloq; fastidio. Erant qui dicerent, quasdam creaturas suapte natura malas, quod improbat Apostolus 1. Timo.4. Omnis creatura dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione pcipitur, sanctificat enim per uerbum dei & orationem. Alij ob legis prohibitionem immunda reputabant, quæ p Christum fuit abolita. Actu.10. Quod deus purificauit, tu ne immundum dixeris. Hinc 1. Cor.10. Si quis infidelium uocat uos ad cœnā, & uultis ire, omne quod uobis apponitur, manducate, nihil interrogātes propter conscientiā. Vbi de idoloth ytis loquitur. Sic Ro.14. Non tamen excludit ordinationē ecclesiæ, quæ per spiritum sanctū regitur, qui omnē docet ueritatem, Iohan.16. de delectu ciborū certis temporibus habendo, quemadmodū apostoli ordinarunt, ut fideles abstinerēt ab immolatis simulacrorū, & sanguine & suffocato & fornicatione, Actu.15. Væ ergo his qui prę ter neces-

sitatem (quæ legem non habet) in scandalum proxi morum, ecclesiæ ordinationem contemnunt: Ro. 14. Si propter cibū frater tuus contristatur, iam nō secundum charitatem ambulas. noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Bonum est non manducare carnem, neq; bibere uinum, neq; in quo frater tuus scandalizatur aut offenditur aut infirmatur. Mat. 18. Væ homini per quem scandalum uenit. Aequum est autem, ut qui laborat in euangelico negocio, uiuat ex eorum liberalitate quibus laborat, si aliunde non suppetat unde uiuat. Nam laborantem agricolam oportet primo de fructu suo edere, 2. Tim. 2. Sic dominus ordinauit his qui euangelium annunciant, de euangelio uiuere. *Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnū est si uestra carnalia metamus?* 1. Corin. 9. Illud item cauendum, ne ex illis ædibus in alias demigretis: quasi fastidito priori hospitio, lautius & instructius quæratis.

Et in quācunq; ciuitatem intraueritis, & susceperint uos, manducate quæ apponuntur uobis, & curate infirmos qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquabit in uos regnum dei.

Quo gratiores sitis hospites, maioriq; cum fide prædicetis regnum dei, curate ægros, idq; gratis & prompte, neminem reijcientes. Non terrena, sed cælestia promittite, 2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Videris argumenta uirtutis diuinæ, præparate animos uestros ad innocentiq; studium. Pelluntur morbi corporum, affligabuntur & animorum morbi peccata. Cum enim in anima quis sanatus fuerit, tunc uenit in eum regnū

dei. Ab ægrotante eñ longe eſt, quãdoquidẽ peccatum in eo regnat. Quo contra Ro. 6. Peccatum nõ ꝛ regnet in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentijs eius. Lu. 17. Regnum dei intra uos eſt.

In quamcunq; autem ciuitatẽ intraueritis, & non ſuſceperint uos, exeũtes in plateas eius, dicite: Etiam puluerem qui adhæſit nobis de ciuitate veſtra, extergimus in uos. Tamen hoc ſcitote, quia appropinquabit regnũ dei. Dico uobis, quia Sodomis remiſſius erit in illa die, q̃ illi ciuitati.

Si nemo fuerit uos dignatus hoſpitio, nolite illic ſupplices ambire hoſpitium: ſed publice palam q̃ dicite, Gratis obtulimus uobis nunciũ ſalutis æternæ: qñ autem ſpernitis officium noſtrũ, nihil uolumus à uobis beneficij: etiã puluerẽ extergim⁹, in teſtimoniũ à nobis oblati, & à uobis ſpreti felicisſimi nũcij, q̃ nolentib⁹ ingeri nõ debet. Illud tñ ſcitote, q̃ ſiue receperitis, ſiue nõ receperitis, in proximo eſt uobis regnũ dei. Si receperitis, ueniet veſtro bono: ſin minus, ueniet veſtro malo. Hac uindicta uos eritis cõtenti, ſi cubi ſpreuerint uos. Veniet illis ultio ſuo tẽpore. Nam illud affirmo uobis, quod in illo die ſupremi iudicij mitius agetur cum Sodomis, q̃ cum illa ciuitate, quæ tantam benignitatem dei gratis oblatam ſpreuerit. Omnes mirantur ſeueram dei uindictam in Sodomis: ſed hoc illos ſubleuat, quod nõ fuerint tot modis prouocati ad reſipiſcentiam.

De maledictionibus ciuitatum, Mat. xi, Luc. x,

ARTICVLVS XLVIII.

Matt. 11. K

TVnc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ uirtutes, quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corozaim, uæ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent uirtutes quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico uobis: Tyro & Sidoni remißius erit in die iudicij, quàm uobis. Et tu Capernaum, nunquid in cælum exaltaberis? Vsque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent uirtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hunc diem. Veruntamen dico uobis, quia terræ Sodomorum remißius erit in die iudicij, quàm tibi.

Dominus ueluti demiratus quorundam *inuincibilem malitiam, ad aliorum terrorem cœpit exprobrare* ciuitatibus: quæ, quum in his plura miracula prodidisset, & homines sanasset, & tam multa docuisset, tñ ad pœnitentiam uitæ prioris cõpunctæ non sunt. Itaq; non naturæ, sed uoluntatis malitia fuit. Nam si naturæ fuisset, & Petrus & Andreas mali fuissent, quia de Bethsaida. Tyrus & Sidon, gentiles erant ciuitates: Bethsaida autẽ & Corozaim, Iudæę. Dicit ergo Iudæos deteriores Sidoniis, hoc est, gentibus: quia illi naturalem legem transgressi sunt, ipsi aũt cum hoc & Mosaicam, ac beneficia & documenta dñi spreuerunt, sibi placentes q̃ Israelitici generis essent. Luc. 12. Seruus sciens uoluntatem dñi, & non faciens, plagis uapulabit multis. Luc. 10. Olim in cinere & cilicio sedentes pœniterẽt, sicut Niniuitæ ad prædicationẽ Ionæ, Ion. 3. Hiero. Cur ergo eis non prædicauit acturis pœnitentiam? Facilis responsio.

Nam ignoramus dei iudicia, & singularum dispensationum eius sacramenta nescimus. Psal. 65. Venite & uidete opera domini, terribilis in consilijs super filios hominum. Hinc exclamat Apostolus Ro. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, q̃ incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ illius. Propositum fuerat domino, Iudææ fines non excedere, ne iustam pharisæis & sacerdotibus persecutionis occasionẽ daret. Vnde apostolis ante passionem p̃cepit Mat. 10. In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues q̃ perierunt domus Israel. Bethsaida & Corozaim dãnantur, q̃ præsenti domino nõ crediderunt. Tyrus & Sidon iustificãtur, q̃ apostolis illius crediderunt. Non quæras tempora, cum credentium intuearis salutem. Luc. 10. Et tu Capernaũ in cælum exaltata, usq; ad infernum demergeris, eo q̃ talem sortita inhabitatorem, non sis emendatior facta. Christus enim eã inhabitatiõe sua exaltauit, sed nihil profuit non credendo: quia opibus tumẽs, delicijs affluens, animo & elatione cælo appropinquare uidebatur. Psal. 72. Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorũ transiuit in terra. Abdi. 1. Si exaltatus fueris ut aquila, & inter sidera posueris nidũ tuum, inde detraham te, dicit dñs. Iob. 20. Laus impiorum breuis, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit usq; in cælũ superbia eius, & caput eius nubes attigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur: & q̃ eum uiderant, dicẽt, ubi est? Ideo Eccl. 7. Humilia ualde spiritũ tuũ, qm̃ uindicta carnis impij, ignis & uermis. Huiusmodi exprobramina p̃ Esa. 1. traijcit filijs Israel: Filios enutriui & exaltaui, ipsi aũt

ſpreuerũt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum,& aſinus præſepe domini ſui,Iſrael autẽ me nõ cognouit,& populus meus nõ intellexit. Væ gẽti peccatrici,populo graui iniquitate,ſemini nequam,filijs ſceleratis. Dereliquerunt dñm, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael,alienati ſunt retrorſum. Hieronymus: Ideo exprobrat,quia poſt factas uirtutes & ſigna q̃
2 plurima,non egerunt pœnitentiam. Ioh.15. Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit,peccatũ non haberent. Lu.10. Qui uos audit,me audit:& q̃ uos ſpernit,me ſpernit. Qui autem me ſpernit,ſpernit eum qui me miſit. Quanquam eſtis legati,tamẽ quoniam meo nomine uenietis, & inæſtimabile dei num dei annunciabitis.non erit leuis condemnatio ſpernentium.Ne ſitis animo triſti,non eſt iniuria uestra,ſed tranſit in deum. Conſolatio igitur ſit uobis, q̃ hæc dei ſit iniuria,ſicut contra ne gloriemini,uel ſapite ſublime,quod quidam uos audiunt.Non eĩ neſtrum eſt opus,ſed meum. Ezech.3.Domus Iſrael nolunt audire te,quia nolunt audire me.1. Theſ.4. Itaq̃ qui hæc ſpernit,non hominem ſpernit,ſed deum,qui etiam dedit ſpiritum ſuum ſanctum in nobis. Mar.3.Et ueniunt ad domum, & conuenit iterũ turba, ita non poſſent neq̃ panem manducare. Et
3 cum audiſſent ſui,exierunt tenere eum.dicebãt eĩ, quoniam in furorem uerſus eſt. Vbi deſcenſum eſt ad humiliora in domum,tanta importunitate inſtabat turba,ut audirent Ieſum & ſanarẽtur à morbis, ut non eſſet ocium apoſtolis ſumendi cibi.Hæc oĩa quæ gerebantur,ubi rumor pertuliſſet ad cognatos Ieſu,quibus nota erat carnis infirmitas, quum de diuina potentia nihil ſuſpicari poſſent homines craſſi,

Iesum cum humili sodalitio sursum deorsumq; uagari, trahere post se cateruas hominum, noua quædam & inaudita docere, profligare morbos, eijcere dæmones: furori tribuebant, quòd offensi corporis imbecillitate, non poterant ascribere diuinæ potẽtiæ. Itaque quoniam erant cognati, iuxta leges humanas putabant esse sui officij, ut mẽtis impotem, & à spiritu quopiam arreptum, uinculis coërcerent. Sic qui contemptis rebus terrenis omnibus, atque ipsa etiam uita, cælestem philosophiam toto pecto re amplectuntur, insani uidentur his, quibus nil sapit nisi terrenum & caducum. Et hoc tam impium iudicium à suis propinquis tulit dominus, ne quid offendantur sui discipuli, si similia contingat audire à suis.

De dæmoniaco curato, Mat. xij. Luc. xi.

ARTICVLVS XLIX.

ET erat eijciens dæmonium, & illud erat mutũ. & cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et alij tentantes, signum de cælo quærebant ab eo. Luc. 11. L

Quemadmodum gratia, ut fons scaturiens in uitam æternam, Ioh. 4. semper proficere facit in melius, Psal. 83. Ibunt de uirtute in uirtutem, uidebitur deus deorum in Sion. Sic peccatum de malo ruere facit in peius, & tandẽ impios cũ in profundum pec

catorum uenerit, contemnit, Pro. 18. Hoc claret hic, Chrysostomus: Magna & miranda nequitia dæmonis, utrunq; ingressum oppilauerat, per quæ ille creditus erat, auditū & uisum, & tertiū linguā, ne confiteretur. Mat. 12. Tunc oblatus est ei dæmoniū habens cęcus & mutus. Ecce quid malus dæmon agit in animis spiritui sancto reluctantium. Audire enim non possunt sermonem dei, multo minus eloqui ualēt, nisi dominus effugarit omnes dæmoniacas affectiones. Mat. 15. Filia mea male à dęmonio uexatur. Vere male peccatrix anima uexatur. Nam excæcat ne cælestia, terrenis contemptis, contempletur, sed ut talpa in terra uiuat. Psal. 105. Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Sapi. 2. Excæcauit enim eos malitia sua. 2. Cor. 4. In quibus deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio euāgelij gloriæ Christi, qui est imago dei. Ioh. 3. Lux uenit in mundum, & dilexerūt homines magis tenebras q̄ lucem. Redditur mutus à laude dei, Eccl. 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris, Contra Eccl. 51. Dedit mihi dominus linguā mercedem meam, & in ipsa laudabo eum. A proximi ędificatione. 1. Iohan. 4. Ipsi de mundo sunt, & ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. A propriī delicti confessione. Sic Adā in mulierem, mulier in serpentem præcepti transgressionē retorsit, Gen. 3. Sed Pro. 18. Iustus in principio accusator est suiī. Sic Dauid 2. Reg. 12. Peccaui dño. Et ait Nathan: Dñs quoq; peccatū tuū trāstulit à te. Matt. 12. Et curauit eum ita, ut loqueret & uideret: & stupebant oēs turbæ, & dicebant: Nunqd hic est filius Dauid? Hieronymus: Tria signa in uno hoīe facta sunt: cæcus ui-

det, mutus loquitur, obsessus à dæmonio liberatur. Quod tunc quidem carnaliter factum est, sed & q̃tidie completur in conuersione gẽtium, ut expulso dæmone, primũ fidei lumen aspiciant, deinde in laudes dei prius tacentia ora laxentur. Pharisæi quũ audissent uocem populi dicentis, Num hic est ille filius Dauid, quẽ promittunt ꝓphetę̃ Iesum quidẽ ipsum non aggrediuntur, à quo semp discedebant inferiores, sed multitudinis animos conãtur ab illius admiratione diuertere. Mar. 3. Scribæ qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant: qm̃ Beelzebub habet. Mat. 12. Pharisæi aũt dicebant: Hic non eijcit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorũ. q.d. Nõ potest hic esse filius ille Dauid, ut uos suspicamini: siquidẽ ille ueniet suffultus potestate diuina. Remigius: Odio solo agitati, nihil sordidius inuenientes quod dño obijcerent, sustinere non ualentes ut turbæ ipsum laudarent, & Christũ ꝓdicarẽt. Chrysostomus: Inuidia nõ considerat qd, sed tm̃ ut dicat. Nulla em̃ peior malitia inuidia. Adulter breui complet delectationẽ suã, inuidus aũt nunq̃ quiescit: sed sicut scarabæus nutritur stercore, ita inuidus infortunijs aliorũ. Signũ quærebant tẽtantes, ut si nõ ostenderet, causarentur cætera facta ꝑsidio Beelzebub: si ostenderet, tũ aliud in eo reperirent quod calũniarent. Signa petebant, sed credere noluerunt, imo impugnauerunt. 1. Cor. 1. Iudęi signa petũt. Ioh. 4. Nisi signa & ꝓdigia uideritis, nõ creditis. Signanter è cælo petebant, q̃ plane constaret, illum cũ deo habere cõmercium q̃ in cælis est: & cũ dæmonibus immundis, quorũ præstigia nasci solent è terra, nullũ. Quẽadmodũ Iosue solis fecit stationẽ, Iosu. 10. Esaias so

lis retrogressionē, Esa. 38. 4. Re. 20. Helias ignis descensionē qui consumpsit holocaustū, 3. Reg. 18. Itē duos uiros qnquagenarios cū suis, 4. Re. 1. Sed semper paratā habebant calūniam. Si em̄ quæ oculis uidebāt & manu cōtrectabant, calūniabant: respōdissent, utiq; & magos in Aegypto è cęlo signa oñdisse.

2 *Ipse autem ut uidit cogitationes eorum, dicit eis: Omne regnum in se diuisum, desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius, quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia? Si autem in Beelzebub ego eijcio dæmonia, filij uestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices uestri erunt. Porro si in digito dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in uos regnū dei.*

Dominus cognita, etsi non audita, nequitia illoꝝ, conuersus ad pharisæos, sic temperat responsum suum, ut illoꝝ insanum conuicium manifestissima ratione refellat: nec tñ in illos regerat contumeliā, sed potius amanter inuitet ad salutem amplectendam. Sicut em̄ ostendit opus potentiæ, dæmonē expellēdo: sic & sapientiæ, ipsos rationabiliter conuincendo. Mar. 3. Et conuocatis eis, in parabolis dicebat illis. Quo rem omnium sensibus redderet euidentē, exemplis quibus contradici nō potest, aggreditur. Primo, ostendendo se deum qui potest, & hoc cogitationes eorum, ut sibi probe notas, prodendo. Beda: Non ad dicta, sed cogitata respōdet, ut uel sic cogerentur credere potentiæ. 1. Re. 16. Homo uidet ea quæ patent, deus aūt intuet cor. Hiere. 17. Prauū est cor hoīs & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego dñs scrutans corda & renes. Secundo, ex parte com-

munitatis, quæ siue politica sit ut regnum, siue œconomica ut domus familias, diuisa stare non potest. Nam sicut concordia paruæ res crescunt, sic discordia maximæ dilabuntur. Mat. 12. Omne regnũ diuisum contra se, desolabit: & oĩs ciuitas uel domus diuisa cõtra se, nõ stabit. Eccĩ. 26. A tribus timuit cor meũ, & in quarto facies mea metuit: delaturã ciuitatis, collectionẽ populi, calumniam mendacẽ, super mortem oĩa grauia. Dolor cordis & luctus, mulier zelotypa. Pro. 29. Homines pestilentes dissipant cĩuitatem, sapientes uero auertunt furorẽ. Eccĩ. 28. Susurro & bilinguis maledictus. multos enim turbauit pacem habẽtes. Lingua tertia multos cõmouit, & dispersit illos de gente in gentem. Ciuitates muratas diuitum destruxit, & domos magnatorũ effodit. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit. Lingua tertia mulieres uiratas eiecit, & priuauit illas laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescet. Ideo Eccĩ. 25. In tribus beneplacitũ est spiritui meo, quæ sunt probata corã deo & hominibus: cõcordia fratrum, amor proximorum, & uir & mulier sibi bene consentientes. Quomodo ergo consentaneum est, ut quum omnes dæmones sint hostes hominum, nec aliud sitiant q̃ illorũ exitium, quorũ salutĩ miserè inuident, nunc adeo eorum faueant saluti, ut hac de causa dæmon pugnet cũ dæmone? Certum est ergo argumentum, illius regnum in breui casurum: ac destructo illius regno, quid supereſt nisi ut existat regnum dei? Marc. 3. Si sathanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est. non poterit stare, sed finem habet. Tertio, ex parte aliorum

eijcientiũ, ne dicerent quod esset obedientia in principem suum. Quod si hoc persuadet uobis odium mei, me præsidio Beelzebub eijcere dęmonia, isti iuuenes filij uestri, quos uidistis idem facientes, in quo eijciunt? Sola fidutia in deum faciunt quicquid faciunt. Hieronymus: Coartat eos dominus interrogatione prudenti, ut confiteantur spiritussancti opus, q.d. Quod si expulsio dæmonũ in filijs uestris, deo, non dæmonibus, deputatur: quare idem opus in me non eandem habeat causam, qui non longo exorcismo, sed unico uerbo eijcio potenti? Discipuli itidẽ mei simplices & idiotæ, nescientes artes malitiosas magicorum, in meo nomine, sola fidutia ad deum, faciunt quicquid faciunt. Ideo ipsorum simplex credulitas, uestram condemnabit incredulitatem, quæ gloriam dei oppugnat, qui calumniari mauultis q̃ imitari. Luc. 10. Ecce dedi uobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnẽ uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit. Imò & nõ sequentes ipsum, in nomine ipsius eijciebant. Luc. 9. Præceptor, uidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illos Iesus: Nolite prohibere. Qui enim nõ est aduersum nos, pro nobis est. Sic Mat. 7. Multi dicent mihi in illa die, domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dęmonia eiecimus, & in noĩe tuo uirtutes multas fecimus? Et tunc cõfitebor illis, quia nũquam noui uos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Si ergo illi in nomine meo eijciunt dæmonia, manifestum est, mihi opus non esse alterius uirtute. Matt. 12. Si autẽ ego in spiritu dei eijcio

dæmones, igitur peruenit in uos regnũ dei. Quod Iohannes instare dicebat, destructo regno diaboli. Luc. 1. Fecit potentiam in brachio suo. disperfit superbos mente cordis sui. Obserua quod sicut digitus eiusdem substantiæ est cum alio corpore, ita & spiritussanctus est eiusdem substantiæ cum patre & filio. Nam & filius brachium dicitur. Esa. 53. Et brachiũ dñi cui reuelatũ est? Sic Exo. 8. Digitus dei est hic. Huic ergo regno ęquum est uosmetipsos adiungere, & satanę regno mox interituro abducere. Ioh. 12. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Non ergo cedit uolens, neq; ex pacto. Hiero. Peruenit regnum dei de quo Luc. 17. Regnum dei intra uos est. & Ioh. 1. Medius uestrum stetit quẽ uos nescitis. Vel certe quod Iohannes prædicauit. Mat. 3. Pœnitentiã agite, appropinquauit regnum cælorũ. Est tertium regnum scripturæ sanctæ, quod auferetur à Iudæis, & dabitur genti facienti fructus eius, Mat. 21.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens, uicerit eum, uniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit.

Irreuocabile bellum est satanæ cum deo, res nullis conditionibus cõponenda. Aut uincet, aut ui expelletur. Quarto ostendit ex parte potestatis. Mat. 12. Quomodo potest quisq; intrare in domũ fortis, & uasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortẽ? Fortis armatus, diabolus. Iob. 41. Non est potestas sup

terram quæ ei comparet. Armatus est multiformi astutia, longa experientia, naturali industria & scientia. Iob. 1. Circuiui terram & pambulaui eam. Hinc Euam seduxit astutia sua, 2. Cor. 11. Hiero. Nō debemus esse securi. aduersari⁹ noster, fortis uictoris q̄q uocibus comprobat. Atrium, mūdus q totus in maligno est positus, 1. Ioh. 5. in quo usq; ad dñi aduentum, male parto potiebat imperio, qa in cordibus infidelium sine ulla contradictione qescebat. Vnde & princeps mundi dicitur Ioh. 12. Nam captiui tenebant ab eo ad ipsius uoluntatem, 2. Timo. 2. quia falsam & malam habent pacem, cum dño suo dānabiliter cōcordantes. Psal. 72. Zelaui sup inquos, pacem peccatorū uidens. Hanc dñs uenit tollere, Mat. 10. quū sit mortifera. Esa. 57. Non est pax impijs, dicit dñs. Superuenit fortior, qa de cælo. Ioha. 3. Qui de cælo uenit, sup oēs est. 1. Cor. 1. Nos aūt p̄dicam⁹ Christum crucifixum, Iudæis qdem scandalū, gentibus aūt stultitiam: ipsis aūt uocatis Iudæis atq; græcis, Christū dei uirtutē & dei sapientiā. Iob. 9. Si fortitudo q̄rit, robustissimus est. Sapiēs corde est & fortis robore, qs restitit ei & pacē habuit? Vicit, tentationē uiriliter refellēdo, passionē patiēter tolerādo, infernum potēter spoliādo. Ose. 13. Ero mors tua ō mors, morsus tuus ero inferne. Apo. 5. Vicit leo de tribu Iuda radix Dauid. Per quē & nos uincimus. Hila. Cōtusam à se in tētatione prima oēm zabuli indicat potestatē: qa nemo domū fortis intrauit, eius q̄ uasa diripuit, nisi fortē alligauerit. Iaco. 4. Appropinquate deo, & appropinquabit uobis: resistite aūt diabolo, & fugiet à uobis. 1. Pet. 5. Cui resistite fortes in fide. Chrys. Nō solū dæmones uasa diabo-

li sunt, sed uniuersi hoies q̃ male uiuũt, illi adhærẽt. Hactenus Beelzebub tyrannidem exercuit in hoies peccatis obnoxios, malisq̃ cupiditatibus addictos. Christ⁹ sublatis hoim peccatis, Beelzebub cũ suo satellitio ꝓtriuit: & quos ille per iniustitiam possidebat, per innocentiam deo uindicauit, & angelo tradidit fido custodi. Ro. 6. Nũc uero liberati à peccato, serui aũt facti deo, habetis fructũ uestrũ in sanctificationẽ, finẽ uero uitã æternã. Eph. 4. Ascẽdẽs in altũ, captiuã duxit captiuitatẽ. Esa. 8. Vocanomẽ eius, accelera, spolia detrahe, festina ꝑdari. Qui ergo nõ ẽ in parte mea, aduersarius ẽ mihi. & hoc ipso lædit, qa quũ fauere debeat, nõ fauet. Hiero. Opa diaboli opib⁹ saluatoris cõparari nõ possunt: ille cupit aĩas tenere captiuas, Christ⁹ liberare: ille ꝑdicat idola, iste unius dei notitiã: ille trahit ad uitia, iste ad uirtutẽ reuocat. Quomodo ergo possunt habere concordiam inter se, quorum opera sunt diuersa?

Cũ immũdus spũs exierit de hoĩe, ambulat per loca inaquosa q̃rens requiẽ, & nõ inueniẽs, dicit: Reuertar in domũ meã unde exiui. Et cũ uenerit, inuenit eã scopis mundatã. Tũc uadit & assumit septẽ alios spũs nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiũt nouissima hominis illius peiora prioribus. 9

Ostenso rationabiliter se nõ dæmonis, sed dei uirtute miracula opari, declarat causam q̃re tantã sibi imponebãt calumniã, q̃d nunq̃ uel patres ipsorũ alicui fecerunt, simulq̃ ænigmate signans grauius damnandos eos q aliquousq̃ ꝓgressi ad iustitiã, relaberentur ad pristina uitia, quam qui nunquam cognita luce ueritatis euangelicæ perseuerassent in

caligine uitioꝝ. Matt. 12. Ideo dico uobis, om̃ne pec
catum & blasphemia remittetur hoĩbus: spiritꝰ aũt
blasphemiæ, non remittet̃. Et quicunq; dixerit uer-
bũ cõtra filium hoĩs, remittet̃ ei: qui aũt dixerit con-
tra spiritum sanctũ, non remittetur ei neq; in hoc se-
culo, neq; in futuro. Marc. 3. Qui aũt blasphemaue-
rit in spiritũ sanctũ, non habebit remissionẽ in æter-
num, sed reus erit æterni delicti. Hiero. Qui scanda
lizatus carne mea, me hominẽ tm̃ arbitrat̃, quod fi-
lius sim fabri, Mar. 6. & fratres habeã, homo uora-
tor & potator uini, Matt. 11. talis opinio absq; blas-
phemia, quanq̃ culpa non careat erroris, tñ habet
ueniam propter corporis uilitatẽ. Qui aũt manife-
ste intelligens opera dei, cum de uirtute negare non
possit, eadẽ stimulatus inuidia calumniatur, & Chri
stũ deiq; uerbũ, operaq; spiritussancti dicit esse Beel
zebub, isti non dimittet̃, neq; in præsenti seculo, ne-
que in futuro. Error & ignorantia ueniã meret̃: de-
stinata malitia aduersus bonitatẽ dei, ꝓuocantis, q̃-
modo ueniã impetrabit? Om̃e itaq; peccatũ & blas-
phemia in proximũ, deũ, uel sanctos, ꝓueniens ex
ignorãtia uel infirmitate, remissibile est: sed ꝓcedẽs
ex certa malitia, impugnatione agnitæ ueritatis, uel
inuidentia fraternæ gratiæ, ex se irremissibile est cri
men, qm̃ obuiat principio quo fit remissio, hoc est,
bonitati diuinæ. Ioh. 8. Nonne benedicimus nos, qa
Samaritanus es tu, & dæmoniũ habes? Mat. 12. Aut
facite arborẽ bonã, & fructũ eius bonũ: aut facite ar
borẽ malã, & fructũ eius malũ. Siquidem ex fructu
arbor cognoscit̃. Hiero. Syllogismus hic est ineuita-
bilis, qui utroq; cornu premit. Si, inq̃t, diabolus ma
lus est, bona opera facere nõ potest: si autem boni

sunt quæ facta sunt & cernitis, sequitur ut non sit diabolus qui ea facit. Neq; em̃ fieri potest, ut ex bonis malũ, & ex malis bonũ oriatur. Om̃no sicut ex fructu arbor, ita & ego ex miraculis agnoscor. Iohã. 5. Ipsa opera quæ ego facio, testimoniũ phibẽt de me, quia pater misit me. Ioh. 10. Opera quę ego facio in nomine patris mei, hæc testimoniũ phibent de me. Sed uos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Matt. 12. Progenies uiperarũ, quomõ potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala. Dico aũt uobis, qm̃ omne uerbũ ociosum quod locuti fuerint hoies, reddent rationẽ de eo in die iudicij. Ex uerbis em̃ tuis iustificaberis, & ex uerbis tuis condemnaberis. Qm̃ in Abraam, gloriabant, ostendit quod non sint ex Abraã, sed ex ꝓgenitoribus se dignis, dolosis & inuidis. q.d. Ex uobis ipsis coniectu ram facite: nam uos, quales estis talia loquimini, & opa uestra declarant quẽ habeatis spm̃. Vt em̃ ex succo radicis fructꝰ trahit saporẽ, ita ex eo quod reconditũ est in corde, nascit oratio. Mala cogitatio soli cogitanti pestifera est: at oratio mala, cordis uenenũ fundit in multos. Obscœnè loquens, plura habet in corde: qa ibi thesaurus absconditus. Paruam em̃ partẽ declarat, sic & q bona. Ociosum uerbum onus est arboris, nõ fructus, q nulli est usui: & hoc ipso noxius est, quia sine fructu audientis, tẽpus & aures occupat, quum in hoc data sit lingua, ut ea ꝓfimus nobis & ꝓximis, ut hoc organo celebremus gloriã dei. Hiero. Ociosum uerbũ est, quod sine utilitate loquentis dicit & audientis. Si omissis seriis re

bus,de friuolis loquamur,& fabulas narremus anti quas. Cæterꝫ qui ſcurrilia replicat,& cachinnis ora diſſoluit,& aliqd ,pfert turpitudinis, hic non ociosi uerbi,ſed criminoſi tenebit reus. Ex uerbis tuis aut iuſtus pronunciaberis, ſi bona prodierint ex bono corde:aut iniuſtus condemnaberis, ſi mala ex malo corde ,pdierint. Pro.12. De fructu oris ſui unuſquiſq; ſatiabitur bonis,& iuxta opera manuum ſuarum retribuetur ei. Eccĕs.12. Cũcta quæ fiũt,adducet dominus in iudicium,& pro omni errato,ſiue bonum ſiue malum ſit. Hinc Eccĩ.14. Beatus uir qui nõ eſt lapſus uerbo ex ore ſuo,& non eſt ſtimulatus in triſtitia delicti. Hinc Pro.13. Qui cuſtodit os ſuum,cuſtodit animam ſuam:qui autem inconſideratus eſt ad loquendũ,ſentiet mala. Iaco.3. Ecce lingua ignis eſt,uniuerſitas iniquitatis. In ipſa benedicimus deum & patrem, & in ipſa maledicimus homines qui ad imaginem dei facti ſunt. Si quis in uerbo non offendit,hic perfectus eſt uir. Ideo Pſalm.38. Dixi,cuſtodiam uias meas,ut nõ delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam,cum conſiſteret peccator aduerſum me. Ephe.4. Omnis ſermo malus ex ore ueſtro non procedat:ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Cum immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca arida. Matth.12. quærens requiem,& non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam unde exiui.& ueniens, inuenit eam uacãtem, ſcopis mundatam,& ornatam. Bed. Timendus,non exponendus eſt hic uerſiculus,ne culpa quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos uacando opprimat. Quemcunque enim poſt baptiſma ſiue pra

uitas hæretica, siue cupiditas mundana arripuerit, mox omnium prosternit in ima uitiorum. Exul enim ueteri hospitio, obambulat corda sanctorũ, ab omni mollitie fluxarum cogitationum & humore libidinis immunia, callidus tentator explorans, si quos ibi nequitiæ suæ gressus figere possit: sed quietem non inuenit, quia animæ fortes & nequaq̃ molles, suis machinationibus uiriliter resistunt. In solo enim prauorum corde diabolus gratam sibi inuenit requiem, qui à uitijs pristinis in baptismo per gratiam Christi mundati, à bonis operibus uacant, simulatis tantum ornati, sed non armati euangelicarum prę fidijs uirtutum. Videns enim purgatum, sed uacuum hospite esse locum, nec à quoq̃ occupatum, non contentus ipse remigrare solus, plenitudinẽ assumit uitiorũ, quũ non solũ mali sunt, sed & speciẽ bonitatis affectatis uirtutibus p hypocrisim ostẽtare nitũtur. Sic nouissima fiunt peiora prioribus: ga de difficili reducibilis, q se simulatis credit actibus iustũ. 2. Pet. 2. Melius erat uiam ueritatis nõ agnoscere, q̃ post agnitam retrorsum conuerti ab eo, q̃d illis traditum est sancto mandato. Mat. 12. Sic erit generationi huic pessimæ. Quo enim maioribus ostentis & beneficijs, puocati fuerint ad pœnitẽtiam, hoc atrocior eos manet pœna, nisi maturius resipiscant. Exiuit enim spiritus immundus à Iudæis, quando segregati fuerunt per legem à gentibus idololatris: reuertebatur, quando iuit per gentium solitudines quæ domino crediderunt. At ubi uidit eos dei & angelorum præsidio priuatos, ornatos tamen uanis obseruatiunculis legalium, & relapsos ad priora crimina, uenit & inhabitauit cum multo maiore

numero dæmonum. Nam tandem ad hoc impietatis deuenerũt, ut quicquid maiores peccassent in occidendis ꝓphetis, conspirando aduersus Mosen, id septuplo scelerati⁹ renouarẽt in filiũ dei, & in huius discipulos, quẽ ĩ synagogis blasphemare nõ cessant.

Luc. 11. M

Factum est autem cum hæc diceret, extollẽs quædam mulier uocem de turba, dixit illi: Beatus uenter qui te portauit, & hubera quæ suxisti. At ille dixit: Quin imò, beati qui audiunt uerbum dei, & custodiunt illud.

Mira & stupenda spiritussanctus ꝓ simplices operari solet, quo magis ueritas fidei elucescat. Hinc ꝯ. Esd. 4. Magna est ueritas & prævalet. Igitur pharisæis & scribis dñi miracula calumniantibus, mulier simplex doloꝯ carens, admirans sermones dñi tam sapientes & efficaces, illa celebrat, nihil reuerita insipientiũ pharisæoꝝ furorẽ, quẽadmodũ Mat. 21. pueri laudes Christi ꝓdicabãt, quẽadmodũ scriptũ erat Psal. 8. Ex ore infantiũ & lactentiũ pfecisti laudẽ ꝓpter inimicos tuos, ut destruas inimicũ & ultorem. Ostendit aũt ipsum deũ, ꝓ quẽ beatificamur. Nam cũ natura simus oẽs filij iræ, Eph. 2. si ipse beatificat & saluificat, ita ut ꝓ ipsum & ꝓpter ipsum mater beata, necessum est ipsum fore deũ q saluare possit de manu fortis armati. Vnde Mat. 1. Vocabis nomen eius Iesum, ipse eñ saluũ faciet populũ suũ à peccatis eoꝝ. Duo eñ requirebant ad hoc, ut qs humanum saluare posset genus. Vt esset de⁹ q posset, & homo q uellet. Ideo dictus nõ solũ Iesus, sed & Christus, i. unctus. Mat. 1. De q̃ nat⁹ est Iesus, q uocat Christus. Vnctus eñ fuit ꝓ participibus suis oleo lætitiæ. hoc

plenitudine gratiæ, Heb. 1. Vnde Ioh. 1. Vidimus eū plenum gratiæ & ueritatis. Cooperat enim unctio ad redemptionē generis humani: qa nisi plenus gratia, alijs dare non posset. Ioh. 1. De plenitudine eius oēs nos accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex p Mosen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum facta est. Commendat aūt spiritussanctus per os huius mulieris primo à maternitatis dignitate, contra hæreticos ueram carnem in Christo negantes. Beatificat autem corpus tanq̄ magis notū quo Christo ministrauerat, cum tñ nihil habeat beatitudinis nisi ab aīa. Ideo Elizabetha, spirituſancto illuminante, primo aīam, deinde corpus. Lu. 1. Beata q̄ credidisti, qm̄ pficient in te q̄ dicta sunt tibi à dño. Aug. Beatior fuit Maria concipiendo fide Christū, q̄ carne. Secundo, à uirginitatis puritate. Nō em̄ dixit, beati parētes, sed uenter, in quo spūſanctī operatione conceptus. Luc. 1. Spūſanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod nascet ex te sanctū, uocabit filius dei. Matt. 1. Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariā coniugē tuā. Quod em̄ in ea natū est, de spūsancto est. Fuit ergo uirgo sancta corpore & spū, cogitans q̄ dñi sunt, 1. Cor. 7. Nam tanta prole, pmissa, de uirginitate seruanda solicita, ait Luc. 1. Quomodo fiet istud, qm̄ uirū nō cognosco? Gaudet ergo hoc priuilegio sola, ut unica unici sit mater filij, quē cū patre habet cælesti unigenitū. Quis ad tantā uirginis dignitatē nō obstupescat? Imò ad tantā dei humilitatē, ut sese in uni⁹ corpusculi angustias includeret? Phi. 2. Exinaniuit semetipsum, formā serui accipiens. Gal. 4. At ubi uenit plenitudo tēporis, misit de⁹ filiū suū, factū

ex muliere, factũ ſub lege, ut eos q ſub lege erant redimeret, ut adoptionẽ filiorũ reciperem⁹. Ecce quãtum bonũ nobis p matrẽ dñi puenit. Hinc eñ gloriamur in ſpe gloriæ filiorũ dei, Ro. 8. Ipſa autem in ſpe glorię matris dei. Vnde Elizabeth admirabũda ait Lu. 1. Vnde hoc mihi, ut ueniat mater dñi mei ad me? Hinc ipſa ait: Fecit mihi magna q potens eſt, & ſanctũ nomẽ eius. Vere magna, imo maxima ipſe fecit. Apoſtol⁹ ait 2. Cor. 3. Qui nos idoneos fecit miniſtros noui teſtamenti. An nõ matrẽ? Reſpexit, inqt, humilitatẽ ancillæ ſuæ: ecce eñ ex hoc beatã me dicẽt oẽs generationes. Hieremiã in gẽtibus, pphetam futurum, in utero ſanctificauit, Hiere. 1. Iohannem p̃curſorem ſpũſancto repleuit, Lu. 1. cuius natiuitas plurimis cauſa gaudij fuit. Quid de matre dicendũ? Apoſtolo teſte 1. Cor. 6. Qui adhæret deo, unus ſpũs eſt cum eo. Ipſa & corpore & mẽte deo cõiũcta. Habuit 4. cõditiones matrũ ad filios ſolitas, ut claret ex euãgelijs. Autoritas iubẽdi. Prou. 1. Audi fili mi diſciplinã patris tui, & ne dimittas legẽ matris tuæ. Lu. 2. Fili, q̃d feciſti nobis ſic? Deſcendit cũ illis Nazareth, & erat ſubditus illis. Neceſſitas diligẽdi. Eſa. 49. Nũq̃d poteſt obliuiſci mulier infantẽ ſuũ, ut nõ miſereat filio uteri ſui? Sic, pbauit Salomõ uerã infantis matrẽ 3. Reg. 3. Lu. 2. Dolentes q̃rebamus te. Facilitas impetrãdi. 3. Reg. 2. Pete à me (ait Salomõ) mater mea. Nec eñ fas eſt ut auertã faciẽ tuã. Vnde Ioh 2. defectũ uini dñs ad petitionẽ matris ſuppleuit. Ioh. 2. *Fili, inquit, uinum nõ habent. Intimitas compatiendi. Lu. 2. Tuam ipſius animam pertranſibit gladius, Ioh. 19. Stabat iuxta crucem Ieſu mater eius. Tertio, à ſeruitutis ſedulitate, quia hu-

bere de cælo pleno lactauit, haud dubium quin & cę tera q̄ diligētissime ministrauit. Nā deduxit ī Aegy ptum & reduxit, Mat. 2. Subsequuta fuit p̄dicātem, astitit morieti. Quare dñs ipsam singulariter, in extrema mortis suæ anxietate discipulo cōmendauit, non dubium qn in cælis honorifice in throno gloriæ iuxta se collocarit. Ioh. 12. Si qs mihi ministraue rit, honorificabit eum pater meus q̄ est in cælis. In cuius figura de Salomone dicit 3. Re. 2. Surrexit rex in occursum eius, adorauitq; eam, & sedit sup thronum suum. Positusq; est thronus matri regis, q̄ sedit ad dexterā eius. In domo em̄ patris mansiones multæ sunt, Ioh. 14. Vnusquisq; aūt ꝓpriam mercedē accipiet secūdum suum laborem, 1. Cor. 3. Sed qm̄ Christi matrem esse, unicū est & singularissimū donum, non renuit, sed perficit mulieris prædicationem, adiiciens uniuersale præconium, ad quod omnes ualent pertingere. Quin imò sic est, nec tantum hoc, sed & beati qui audiunt uerbum dei. Psalm. 118. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Psalm. 48. Audiam quid loquatur in me dominus deus. Nec hoc satis, sed & custodiunt illud. Psalm. 118. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Sic ergo custodiendum in corde per iugem meditationem. Psalm. 102. Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. In ore per deuotam collationem. Deut. 6. Erunt uerba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. In opere per debitam

executionẽ. Iac. 1. Estote factores uerbi, & nõ auditores tm̃, fallentes uosmetipsos. Ro. 2. Nõ em̃ auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabunt. 1. Ioh. 3. Non diligamus uerbo neq; lingua, sed opere & ueritate. Seruandũ ergo ſic in animo ne effluat, ne diabol⁹ tollat, nec ſolicitudine ſuffocet, ut aliquando producat fructũ ęternæ ſalutis. Sed quis tam ardenter audiuit, tam diligenter custodiuit ut Maria? Luc. 2. Maria autem conſeruabat oia uerba hæc, conferens in corde ſuo. Hanc igitur tantæ dignitatis, eminentiæ uirginem nullo dignabimur honore? Indigni certe habebimur æternæ hæreditatis, cum benedicta hac matre participatiõe in cęlis, ſi nullum ei uolumus deferre honorem in terris, quæ nimirum omni laude eſt digniſſima. Nonne ipſa angelico mirifice prędicata eſt? præconio, & gratia plena, in honorantiſſima ſalutatione quæ è cælo allata eſt? Luc. 1. Nõne à ſancta Elizabeth ſpiritu ſancto plena, benedicta eſſe inter mulieres, ſicut & prius ab angelo eſt pronunciata? Nonne & de illa acclamauit filio eius benedicto in ſecula, mulier illa ſynceræ fidei & deuotionis, uoces blaſphemantium ſcribarum & phariſæorum hac laudatoria confeſſione retundens? Beatus uenter qui te portauit, quam quidem egregiam matris laudem, & ipſe filius reſponſione ſua approbauit. Nos igitur ab angelo tantopere laudatam, & à ſpiritu ſancto in beata Elizabeth, & in illa muliere de turba extollente uocem ſuam, tantis laudum titulis honoratam, nequaquam honorabimus, nec ulla laude celebrabimus? Abſit, quoniam teſte Damaſceno, honor ad ipſam matrem, in illum qui ex ipſa natus eſt, reuocatur.

Quare contrà dei matris inhonoratio, etiam Christi ex ea nati inhonoratio est, quemadmodū in euāgelio de patre testat Ioh. 5. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum.

De matre & fratribus Iesu, Mat. xij. Mar. iij. Lu. viij.

ARTICVLVS L.

ADhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te. At ipse respondēs dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea? & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quicunq; enim fecerit uoluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, soror & mater est. Matt. 12. N

Aduenerūt cognati Iesu, comitantes matrē ipsius, cupientes illum conuenire de rebus aliquibus familiaribus, qui more Hebræo fratres dicuntur. Sic Abraam filium fratris sui Loth, fratrem nuncupauit. Gen. 13. Ne sit iurgium quæso inter me & te, fratres enim sumus. Dominus docere uolēs minimum esse tribuendū talibus affectibus, quoties negocium agitur euangelicum, pluris autem faciendam cognationem animorum quàm corporum, quæ uirtute, non sanguinis propinquitate, conciliatur, quæq; longe patet latius, nuncianti respōdit. Hiero. Non quod negaret matrem & fratres, exire contempsit, sed quod responderet insidianti. Luc. 8. Non pote-

rant adire eũ præ turba. Marc. 3. & foris stantes, miserunt ad eum, uocantes eum, & sedebat circa eum turba, & dicũt ei: Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te. Et respõdens, ait: Quę est mater mea & fratres mei? Et circunspiciens eos qui in circuitu eius sedebãt, ait: Ecce mater mea & fratres mei. Siuere, inquit, cognatos nosse uultis, quicq̃ mihi sunt charissimi, spirituum affinitatem magnifico, non corporum. Hanc sibi quisq̃ parare potest. Vt per euangelium noua natiuitas est, ita est & cognatio. Non agnosco cognationem cuius q̃, nisi per fidem renascatur ex patre cælesti, iamq̃ ut filius germanus patri cælesti ad æterna uocanti obtẽperet. Hiero. Isti sunt mater mea, qui me quotidie in credentium animis generant. Gal. 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in uobis. 1. Cor. 4. In Christo enim Iesu per euangelium ego uos genui. Isti fratres mei, qui faciunt opera patris mei. Fratres ergo sciamus nos eius esse & matrem, si uoluntatem patris eius implemus, ut & cohęredes simus eius qui non in sexibus, sed in factis discernit.

De petentibus signum de cælo, Matth. xij. Lu. xi.

ARTICVLVS LI.

Matt. 12. O TVnc responderunt ei quidam de scribis & pharisæis, dicentes: Magister, uolumus à te signum uidere. Qui respondens, ait illis: Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in uẽ-

tre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

Pharisæi, dissimulato furore animi, blandioribus uerbis aggrediũtur Iesum ueluti iam illi crediturí, si in gratiã suã miraculũ aliq̃d ederet ipsis, seq̃ dignũ, q̃ sibi uindicaret spm̃ dei, & q̃ semp in ore haberet patrẽ cęlestem. Hiero. Sic signa postulãt, q̃si q̃ uidertãt, signa nõ fuerit: & hoc de cęlo, pficiscẽs, q̃d declaret ipsum deo charũ esse, & illius uirtute facere q̃ facit. At dñs sciẽs subdolã illoꝝ cogitationẽ & obstinatã malitiã, q̃ nõ in aliud poscerẽt signũ, nisi ut hic q̃q̃ nouam calumniandi sumerẽt occasionem, pser tim quum facilius sit calumniari q̃ de cælo ostẽdun tur, q̃ ea quæ coràm cernuntur oculis, audiuntur auribus, tanguntur manibus. Non ferens tantam peruersitatem, respondit ueluti auersus ab eis, & apud se indignatus, Luc. 11. Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est, signum quærit, & signum non dabit ei nisi signum Ionæ prophetæ. Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis, sic erit & filius hominis generationi isti. Generationem nequam uocat, quia dolose tentabant, quum ob signa prçcedentia credere & obedire illos oporteret, tunc signum petunt. Adulteram, quia dimiserat uirum, hoc est, deum, & iuxta Ezech. 16. multis se amatoribus copulauerat, hoc est, dæmonibus adhærendo. Malam, siue prauam. Nam ut dicit Chrys. beneficijs semper peiores reddebantur, ut q̃ tanquam ingrati, non cõuertebantur Christi lenitate & mansuetudine. Sic Moses Deuteronomij 32.

Generatio praua atq; peruersa, hæccine reddis dño populo stulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus q̃ possedit te, & fecit & creauit te? Gẽs absque consilio est & sine prudentia, utinam saperent & intelligerẽt, ac nouissima prouiderent. Sequitur: Mea est ultio, & ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum. Iuxta est dies perditionis, & adest festinant tempora. Hinc Psal. 77. Ne fiãt sicut patres eorum, generatio praua & exasperans. Hiero. Moderatio dei ac pietas, solum nostrum reditũ q̃rit, ac cupit lõga sua bonitate saluare. Si non cõuertimur, si duri collisumus, si in peccatis usq; ad mortẽ illicite pseueramus, assidue peccantiũ non miserebit̃ deus. Ro. 2. An ignoras q̃m benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? secundũ aũt duritiã tuam & impœnitẽs cor, thesaurizas tibi irã in die iræ & reuelatiõis iusti iudicij̃ dei, q̃ reddet unicuiq; secundũ opa sua. Generationi ergo huic malæ minimeq; simplici, q̃ gloriaī patrẽ habere deũ, iactans se de ꝓgenitore Abraã, sed lõge alios habet, nẽpe uiperas, Mat. 3. & 12. sat erit signi, si quem sua malitia occiderũt, uideant uirtute diuina reuiuiscere.

2 *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus q̃ Iona hic. Regina austri surget in iudicio cum generatiõe ista, & condemnabit eã, qa uenit à finibus terræ audire sapientiã Salomonis. Et ecce plus q̃ Salomon hic.*

Niniuitę, q̃s ꝓ uobis ut ethnicos & idololatras cõtẽnitis, Hiero. Iudicabũt nõ potestate, sed cõparatione. Ionas triduo ꝓdicauit, ego tanto tempore: ille

Assyrijs, ego Iudæis populo dei: ille peregrinis, ego ciuibus. imò nihil signorum faciens, ego tanta faciens signa, Beelzebub calumniam sustineo. Causam ergo iustissimam damnationis ostendit. Sic & Sodomorum damnationem prius Abraę exposuit, q̃d nec decem uiros iustos offenderit, Gene. 18. 19. Sic Hiere. 7. dicitur: Tu ergo noli orare p̃ populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationẽ, & nõ obsistas mihi, quia non exaudiam te. Nonne uides quid isti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Hierusalem? Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignẽ, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cæli, & libent dijs alienis, & me ad iracundiam prouocant. Ad prophetæ ignoti uocẽ de uentre ceti redeuntis expauefacti, crediderunt, deieceruntq; sese ad pœnitentiam: mihi autem, quũ resurrexero, non credet generatio hæc: quare condemnabitur, q̃ neq; Niniuitas sunt imitati, quanuis maior nunc hic assit q̃ Ionas. Sic regina Saba, ad rumorem è lõginquo allatum, relicto regno patriaq; sua, tam longo itinere profecta est ad regem Salomonem, non metu aliquo commota, sed auiditate sapientię, quæ fuit à legis doctrina aliena. Et tamen in hoc loco quiddã est Salomone maius: & quod adest contemnitur.

Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, Luc. 11.
neque sub modio: sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen uideant. Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lu-

men quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, nō habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum. Et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Ostendit doctrinæ suæ sapientiam, toti mūdo sore conspicuam, non in gente Iudæorum tantū. Esa. 49. Parum est, ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremū terræ. Nec enim incredulorum obstinata malitia bonis obesse debet. Itaq; proferenda est in publicū ueritas, in malorum atrociorem perniciem, in bonorū
9 salutem. Hier. 26. Noli subtrahere uerbū, si forte audiant & conuertantur, unusquisq; à uia sua mala, & pœniteat me mali, quod cogitaui facere eis propter malitiam studiorū eorū. Hinc 25. Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent uerba mea populo meo, auertissem utiq; eos à uia sua mala, & à cogitatiōibus suis pessimis. 2. Tim. 4. Testificor corā deo & Christo Iesu, qui iudicaturus est uiuos & mortuos, & per aduentum ipsius & regnum eius, prædica uerbum, insta opportune, importune. erit enim cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus: & à ueritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Psalm. 118. Lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. Hinc Ioh. 5. dicitur, Iohānes lucerna ardēs & lucēs. Eccl. 48. Surrexit Helias, ppheta quasi ignis, & uerbū ipsius quasi facula ardebat. Quod est domus sine lucerna, quod est corpus sine oculis, hoc est animus

sine cogitatione ueritatis, q̃ per fidem simplicẽ con ringit. Esa. 7. Nisi credideritis, nõ intelligetis. Sap. 15. Vani sunt oẽs hoĩes quibus non subest scientia dei, & de his quæ uident bona, non potuerunt intellige re eum qui est, neq; operibus attendentes, cognouerũt quis esset artifex. Vnde 2. Cor. 4. Quod si opertum est euangelium nostrum, in his qui pereunt, est opertũ, in quibus deus huius seculi excæcauit mẽtes infideliũ, ut nõ fulgeat illis illuminatio euãgelij glo rię Christi, q̃ est imago dei. Sicut ergo oculus corporalis dirigit corpus nostrũ, sic intentio nostri intellectꝰ, corpus operũ nostrorũ. Si ergo oculus fuerit simplex, nullus huius mundi cupiditatibus uitiatus, accipiet lumen æternæ ueritatis, ac totũ corpus fruetur hoc lumine, necubi impingat, sed rectã tẽdat ad deũ, solũ ipsum spectans. Sic dominus unguenti effusionem in corpus suũ, quam discipuli culparunt, ꝓpter bonam mulieris intẽtionem cõmendauit, Mat. 26. Sin fuerit uitiatus, opus sequitur uitiosum, quanuis foris iustum appareat, ut claret in hypocritis. Matt. 6. & 23. à foris iusti apparere cupientibus, orando, ieiunando, eleemosynas dando, minima decimando, &c. Oculus ergo nequam est, qui declinat & diuertit ad creaturas, derelicto deo. Vnde Helias 3. Regum 18. ait: Vsquequo claudicatis in duas partes? si dominus est deus, sequimini eum. Ostendit autem dominus, quòd pharisæi inuidia excæcati, miracula domini calumniabantur. Summa ergo diligentia curandum, ne lumen tenebræ sint. Psalmo 4. Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen uultus tui domine. Ephesi. 4. Hoc igitur dico & testificor in domino,

ut iam non ambuletis, ſicut & gentes ambulant in uanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à uita dei per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis illorum: q̃ deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in auaritiã. Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum, ſi tamẽ illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt ueritas in Ieſu. Eph. 5. Videte ergo quomodo caute ambuletis, nõ quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tẽpus, quoniam dies mali ſunt. Si uero nihil admixtum habuerit tenebrarum, totum lucidum erit. Qui enim offenderit in uno, factus eſt omnium reus, Iaco. 2. Eccẽs. 9. Qui in uno peccauerit, multa bona pdet. Hinc admonet Apoſtolus 1. Theſ. 5. Ab oñi ſpecie mala abſtinete uos. Nam prouidemus bona non ſolum coram deo, ſed etiam coram omnibus hominibus, 2. Cor. 8. Nec enim aliter corpus erit lucidum oculo puro, quàm domꝰ lucida eſt tibi. Eph. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. ut filij lucis ambulate. fructus enim lucis, eſt in oñi bonitate & iuſtitia & ueritate. Igitur bonis ac puris cogitationibus, ſanctis affectionibus, utilibuſq; ſermonibus ac uirtuoſis operibus noſipſos iugiter ornare ſtudeamus. Phil. 4. De cętero fratres, quæcunque ſunt uera, quæcunq; pudica, quæcũq; iuſta, quæcunq; ſancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ, ſi qua uirtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate, quæ & didiciſtis & accepiſtis, & audiſtis & uidiſtis in me. Vnde Pro. 4. Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendeſcens, procedit & creſcit uſq; ad perfectũ diem: uia autem impiorum tenebroſa, neſciunt ubi

corruant. Quod em̃ est lucerna oculo purgato, hoc sermo diuinus est animo à prauis cupiditatibus per fidei simplicitatẽ purgato.

De reuersione discipulorum, Mat. xi. Luc. x.

ARTICVLVS LII.

REuersi sunt autem septuagintaduo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. *Et ait illis:* Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi uobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quod spiritus uobis subijciuntur. Gaudete autem quòd nomina uestra scripta sunt in cælis. Luc. 10. p

Ostendit dominus quod non in tẽporalium successu prospero, sed æternorum desiderio feruido uerum sit gaudium constituendũ. Præmunierat ipsos cõsolatione singulari, ne animo forent dejecto, si q ipsos non audirent, cum talis iniuria non esset ipsorum, sed transiret in deum. Sic & Apostolus 1. Thes. 4. Itaq; qui hæc spernit, non hominem spernit, sed deum, qui etiam dedit spiritũ sanctum suum in nobis. Sic & ne glorientur, si qui ipsos audiunt, neque sublime sapiant, quum non sit opus eorum, sed dei. Sic & hic cum res mirè successisset, reuersi sunt cum gaudio, nonnihil uanæ glóriæ concepto. Domine, inquiunt, qui non solum terræ & mari dominaris, sed & dæmonibus: nam & nobis tua gratia subijci-

untur. Iesus autem quo muniret suorũ animos aduersus morbum inanis gloriæ, qui sanctis etiam solet obrepere, proponit illis exemplũ luciferi, qui ob superbiam à tanta felicitate subito deiectus esset. Vi
2 debam satanam, humani generis inimicũ, sicut fulgur celeriter & terribiliter cadentem. Insignis erat illius dignitas in cælis, & tamen ob animi tumorẽ, subito deiectus est à summis ad ima. Esa. 14. Quomodo cecidisti lucifer qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui uulnerabas gentes: qui dicebas in corde tuo, In cælum conscendã, supra astra dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Veruntamen ad infernũ detraheris, in profundum laci. 2. Pet. 2. Si deus angelis peccantibus nõ pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari, & originali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ prçconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens, & ciuitates Sodomorum & Gomorræorum in cinerem redigens euersione damnauit, exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens, & iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eripuit. (Aspectu enim & auditu iustus erat, habitans inter eos qui de die in diem animã iustã iniquis operibus cruciabant. Nouit deus pios de tentatione eripere, iniquos uero in diem iudicij reseruare cruciandos.) Magis aũt eos, qui post carnem in cõcupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemq; contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas nõ metuũt introducere blasphemantes. Sic Adã eiectus est ob su

perbiam è paradiſo. Ge. 3. Eccl. 10. Initium oīs peccati ſuperbia. Hinc Sauli dicitur 1. Re. 15. Cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribub⁹ Iſrael factus es. Pro eo quod abieciſti ſermonem domini, abiecit te dominus ne ſis rex. Mea uirtute, non ueſtra potestate ſpiritus uobis ſubijciuntur. Iob. 41. Non eſt potestas ſuper terram quę ei comparari poſſit. Factus eſt enim ut nullum timeret. Nec ſerpentes nocebūt. Mar. 16. Signa eos q in me credunt, hæc ſequent: linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferū quid biberint, nō eis nocebit. Actu. 28. Paulus uiperā adhærentem manui ſuæ, excuſſit in ignē. Sed q̄d ſpiritus uobis ſubijciuntur, nolite gaudere. fient iſta etiam p reprobos. Mat. 7. Multi dicent mihi in illa die, domine domine, nonne in nomine tuo, prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunq̄ noui uos. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Verum autem gaudium eſt, in cælis ſcribi, & eſſe in memoria dei. Nam eō uos ſubuehet ueſtra modeſtia, ueraq̄ ſimplicitas, unde corruit per arrogātiam lucifer, ſi perſtiteritis in eo quod cœpiſtis. Nouit enim dominus qui ſunt eius: & diſcedat ab iniquitate omnis q̄ inuocat nomen domini. 2. Timo. 2. Hinc Moſi ait Exod. 33. Inueniſti gratiam coram me, & teipſum noui ex nomine. Diabolus decidit è cælo, homines autem qui infra ſunt, ſcribuntur ſuprà. Ideo admonet Apoſtolus Philippen. 4. Gaudete in domino ſemper: iterum dico, Gaudete, modeſtia ueſtra nota ſit omnibus hominibus. dñs prope eſt. Nam ipſe ait Exo. trigeſimoſecūdo: Qui peccauerit mihi,

delebo eum de libro meo. Psal. 68. Deleantur de libro uiuentium, & cum iustis non scribantur. Vbi ergo? Hiere. 17. Domine, omnes qui te derelinquũt, confundentur: recedentes à te, in terra scribentur: quoniam dereliquerunt uenam aquarum uiuentiũ dominum. Sed quo fine? Apo. 20. Vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est liber uitæ: & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta sunt in libris secundum opera eorum: & dedit mare mortuos suos, qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secũdum opera ipsorum. Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. & q non inuentus est in libro uitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

Matt. 11. Q

In illo tempore respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi domine pater cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parvulis. Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te.

Quantum deo placeat humilis simplicitas, ac superba displiceat prudentia, ostendit. Christus enim hominum amator integerrimus, de multiplici dono per ipsum à patre hominibus collato electis, uehementer gauisus est. Luc. 10. In ipsa hora exultauit in spiritu sancto. Quo exemplo nos instituit, si quid feliciter cesserit nobis conãtibus, exultemus nõ humano affectu, sed gaudio spirituali: non nobis arrogantes ullam gloriam, sed gaudentes illustrari gloriam dei, gaudentes de profectu proximi. Fructus em̃ spiritus, gaudium, pax, charitas. 3. Ioh. 1. Maiorem

horum non habeo gratiam, q̃ ut audiam filios meos in ueritate ambulare. & Apostolus 2. Cor. 9. Gratias ago deo super inenarrabili dono eius. Charitas siquidem congaudet ueritati, 1. Cor. 13. Quàm sæpius legim⁹ sanctos super uictorijs inimicorum dñm collaudasse, quemadmodum Exod. 15. Tunc cecinit Moses & filij Israel carmẽ hoc dño. Sic Delbora & Barach sup occisione Sisarę, Iudic. 5. Item Iudith de occisiõe Holofernis, Iudit. 16. Quanto magis hic sup potestate fidelibus data supra inimicũ & eorum profectu? Maxime igitur nobis ad hoc conandum, ut in oñibus quæ nobis diuina misericordia impartitur donis, ipsum autorem agnoscamus & benemerentem, ne ingratitudinis arguamur. Videmus id in creaturis natura duce præstari. uolucres cæli suũ creatorem agnoscunt, collaudant. Hiere. 8. Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus aũt meus non cognouit iudicium dñi. Esa. 1. Cognouit bos possessorem suũ, & asinus p̃sepe dñi sui, Israel aũt non cognouit me, & populus meus non intellexit. Sed ingrati spes tanq̃ hybernalis glacies tabescet, & disperiet tanq̃ aqua superuacua, Sap. 16. Ideo Psal. 102. Benedic anima mea dño, & noli obliuisci oẽs retributiones eius. Eccl. 32. Super his oĩbus benedicito dñm qui fecit te, & inebriantem te oñibus bonis suis. Eph. 5. Implemini spiritu sancto, loquentes uobismetipsis in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallẽtes in cordibus uestris dño, gratias agentes semp pro oĩbus in nomine dñi nostri Iesu Christi, deo & patri. Col. 3. Oñe q̃dcunque facitis in uerbo aut in opere, omnia in nomine

dñi nostri Iesu Christi facite, gratias agentes deo & patri p ipsum. Sic Christus in patrē regerit oia. Ioh. 11. Pater, gratias ago tibi, qm̄ audisti me. & 8 Ego honorifico patrem meum, & uos inhonorastis me. Sic hic. Est cōfessio fidei. Ro. 10. Corde creditad iustitiam, ore aūt cōfessio fit ad salutem. Matt. 10. Oīs q confitebit̄ me corā hoībus, confitebor & ego eum corā patre meo. Peccati. Psal. 31. Dixi, cōfitebor adsum me iniustitiā meā dño, & tu remisisti impietatē peccati mei. Iosu. 7. Fili mi, da gloriā dño deo Israel. & cōfitere, atq; indica mihi qd feceris, ne abscondas. Iac. 5. Confitemini alterutrū peccata uestra. Beneficij. Psal. 117. Confitemini dño qm̄ bonus, qm̄ in seculū misericordia eius. & 110. Confitebor tibi dñe in toto corde meo. Item 33. Benedicā dñm in omni tēpore, semp laus eius in ore meo. In oīi tēpore dicit, siue ꝓsperitatis, siue aduersitatis, ne simus deūs Psal. 48. Confitebit̄ tibi cū bñfeceris ei. Hinc Ro. 5. Gloriamur in spe glorię filiorū dei. Non solum aūt, sed & gloriamur in tribulationibus, sciētes q̄ tribulatio patientiā operat̄, patiētia aūt ꝓbationē, ꝓbatio uero spem: spes aūt nō cōfundit, qa charitas dei diffusa est in cordibus nostris p spm̄ sanctum, q dat̄ est nobis. Sic Iob. 1. Dñs dedit, dñs abstulit. sicut dño placuit, ita factum est. sit nomen dñi benedictum. Eccl. 51. Cōfitebor tibi dñe rex, & collaudabo te deum saluatorem meum. Gratias ago tibi, cui oīs laus honor & gloria. 1. Tim. 6. Soli deo honor & gloria. Pater, p æternam gñationem, qua me incommutabiliter genuisti in identitate naturæ ex tua substantia. Psalm. 109. Ex utero ante luciferū genui te. & 2. Dñs dixit ad me, filius me⁹ es tu, ego hodie genui te.

Ioh.1. Vidimus gloriã eius, gloriã q̃si unigeniti à patre. Per ipsum aũt nos adoptiõis filij. Gal.4. Q̃n uenit plenitudo tẽporis, misit deus filiũ suũ, factum ex muliere, factũ sub lege, ut eos q̃ sub lege erãt redimerent, ut adoptionẽ filiorũ reciperemus. Hinc nõ cõfundit fratres eos uocare, Heb.2. Ioh.20. Ascẽdo ad patrẽ meũ & patrẽ uestrũ. Quare nos orare docuit Mat.6. Pater noster q̃ es in cælis. & 23. Vnus est pater uester q̃ est in cælis. Vnde seq̃t: Qui dñs es cæli & terræ, cuiusq̃ sapientia regunt uniuersa. Psal.88. Tui sunt cæli, & tua est terra: orbẽ terræ & plenitudinẽ ei⁹ tu fundasti. Esa.66. Cælũ mihi sedes est, terra scabellũ pedũ meorũ. Hiere.23. Cælũ & terrã ego impleo. Psal.138. Quò ibo à spũ tuo? & quò à facie tua fugiã? si ascẽdero in cælũ, tu illic es: si descẽdero in infernũ, ades. Si sumpsero pẽnas meas diluculo, et habitauero in extremis maris. Etenim illuc man⁹ tua deducet me. Sap.11. Quõ aũt posset aliq̃d pmanere nisi tu uoluisses, aut q̃d à te uocatũ nõ eẽt, cõseruaretur? Parcis aũt oĩbus, q̃m tua sunt dñe, q̃ amas aĩas. & 12. Cũ ergo sis iust⁹, iuste oĩa disponis. Hinc oram⁹ Mat.6. Fiat uolũtas tua. Nã idẽ dñs oĩm, diues in oẽs q̃ inuocãt illũ, Ro.10. Hiero. Gratias agit & exultat in patre, q̃ apostolis sui aduentus aperuerit sacramẽta, q̃ ignorauerũt scribæ & pharisæi, q̃ sibi sapiẽtes uidẽt & in cõspectu suo prudẽtes. Abscõdit aũt, nõ ut inuidẽs aut ut autor impitiæ, sed qa dẽgni nõ erãt, cõfidẽtes in sua sapiẽtia, & ideo nec deũ inuocãtes: & ex misericordia, ne magis puniãt, ppẽ gr̃æ collarẽ abusum. Iac.4. Sciẽti cĩ bonũ facere & nõ faciẽti, peccatũ ẽ illi. Esa.5. Væ q̃ sapiẽtes estis in oculis uestris, & corã uobismetipsis prudẽtes. Hie,4

Sapientes sunt ut faciant malum, bene autem facere nescierũt. De qbus Iob. 5. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorũ dissipat. 1. Cor. 1. Perdam sapiẽtiam sapientiũ, & prudentiã prudentiũ reprobabo. Hinc Iac. 3. Quis sapiens inter uos & disciplinatus? ostendat ex bona conuersatione operationem suã in mansuetudine sapientiæ. Quod si zelum amarũ habetis, & cõtentiones sunt in cordib⁹ uestris, nolite gloriari & mẽdaces esse aduersus ueritatẽ. nõ est em̃ ista sapiẽtia desursum, descẽdens à patre luminũ, sed terrena, aïalis, diabolica. Terrena, Lu. 16. Filij huj⁹ seculi prudẽtiores filijs lucis sunt in gñationib⁹ suis. Sed 1. Cor. 3. Sapiẽtia hui⁹ mũdi, stultitia ẽ apud deũ. Nã spũ dei caret. Ioh. 14. Ego rogabo patrẽ, & aliũ paracletũ dabit uobis, spiritũ ueritatis, quẽ mũdus nõ potest accipe, qa nõ uidet eũ, nec scit eũ. Aïalis, Rom. 8. Prudentia carnis, mors est: prudẽtia aũt spũs, uita & pax. Qm̃ sapiẽtia carnis inimica ẽ deo: legi em̃ dei nõ est subiecta, nec em̃ potest. Gal. 5. Caro em̃ cõcupiscit aduersus spm̃, & spũs aduersus carnẽ. Hinc Ro. 13. Carnis curam ne feceritis in desideriis, qa Sap. 1. In maleuolã aïam nõ introibit sapiẽtia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Dæmoniaca, quũ spm̃ Christi non habeat. 1. Cor. 2. Nos aũt non spm̃ huius mũdi accepim⁹, sed spm̃ q ex deo est, ut sciamus q̃ à deo donata sunt nobis. Gen. 3. Serpens callidior erat cunctis aïantibus. Sed non est ꝓprie sapientia, sed astutia, sciẽs inuenire accommoda media in malum finẽ. Ro. 1. Dicentes se esse sapiẽtes, stulti facti sunt. Ideo admonet Pro. 5. Ne sis sapiens apud temetipsum. Sic Iudæorũ sacerdotes & scribæ, occidentem sequentes literam,

uelamen habent ſuper cor ſuum, 2. Cor. 3. quanq̃ ſe uidẽtes iactitẽt, Ioh. 9. Nunquid & nos cęci ſumus? Sed cæci & duces cæcorum. Mat. 15. Ideo admonet Hiere. 9. Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitijs ſuis, ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me: qa ego ſum dñs, qui facio miſericordiam & iudicium & iuſtitiam. Eccl. 32. Qui timet deũ, accipiet doctrinam eius. Iob. 28. Dixit homini, ecce timor dñi ipſa eſt ſapientia: & recedere à malo, intelligentia. Eccl. 1. Radix ſapientiæ eſt timere deũ. Hoc eſt quod admonet Apoſtolus Ro. 16. Volo uos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo. Gaudebat autem & gratias agebat non de ſapientum excęcatione de q̃ contriſtabatur. Marc. 3. Circunſpiciens eos in ira, contriſtatus eſt ſuper cæcitate cordis eorum. ſed de paruulorum illuminatione. Sic Apoſtolus Ro. 6. Gratias deo, quia fuiſtis ſerui peccati, obediſtis autẽ ex corde in eã formã doctrinæ, in quam traditi eſtis. Augu. Non dixit, ſtultis & imprudẽtibus, ſed paruulis. Paruuli dicuntur ætate. Eſa. 9. Paruulus natus eſt nobis. Imperfectione. Pro. 1. Vſquequo paruuli diligitis infantiam? Heb. 5. Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ. Paruulus enim eſt. Eſa. 65. Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorũ maledictus. Innocentia & ſimplicitate. 1. Cor. 14. Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote. Chryſ. Docet nos p oĩa flatum ſupbiæ eſſe fugiendum, & ſimplicitatem admirandam. 1. Cor. 3. Si quis uidetur inter uos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat ut ſit ſapiens. 1. Cor. 1. Quę eñ ſtulta ſunt mundi, elegit deus,

ut cõfundat sapiẽtes. Bed. Nõ ait hebetib⁹ & stultis, ut ꝓbet se tumorẽ dãnasse, nõ acumẽ. Est em̃ humilitas clauis sciẽtiæ. Iac. 4. 1. Pet. 5. De⁹ supbis resistit, humilib⁹ aũt dat gratiã. Psal. 18. Sapientiã p̃stãs paruulis. Esa. 28. Quẽ docebit scientiã? & quẽ intelligere faciet auditũ? Ablactatos à lacte, auulsos ab huberibus. Qui em̃ recedũt à malo concupiscẽtię, carnis, supbiæ, auaritię, ij uere sapiẽtes sunt. Chrys. Sapiẽtia est, nõ eloqa dei scire, sed secundũ eloqa dei uiuere. Sensus em̃ uerboꝝ, maxime ad imitationẽ euangelicæ refert̃ pfectionis, nõ modo cognitionẽ, q̃ etiam multi pseudo prophetæ & hęretici multis catholicis doctiores fuere. Veꝝ non habuerunt eam reuelationẽ q̃ bñfacerent, creatorem agnoscerent, agnitũq; colerent. Igit̃ abscondita sunt ab eis, qa se nõ accommodauerunt: & quod scribæ & pharisęi quotidie in lege uersantes non inuenerunt, simplices & piscatores inuenire meruerunt. Mat. 15. Vobis datũ est nosse mysterium regni dei. Ro. 10. Finis em̃ legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Lu. 11. Væ uobis legisperitis, q tulistis clauẽ scientię: ipsi non introistis, & eos q introibãt prohibuistis. Ideo Iac. 1. Si qs indiget sapientia, postulet à deo, q dat omnibus affluenter, & nõ improperat, & dabit̃ ei. Aug. Facti hui-
2 us æqtatem dñs paternæ uoluntatis iudicio confirmat, ut q didignãt̃ paruuli in deum fieri, stulti deinceps in sua sapientia fiant. Sic em̃ diuino placuit cõsilio, humanam damnare sapientiam, & p humilitatem euangelicæ doctrinæ bonos ad se trahere. Gre. His uerbis Christi exemplũ humilitatis accipim⁹, ne temere discutere superna consilia de aliorum uocatione, aliorumve repulsiõe p̃sumamus. Iniustum

esse non potest, quod placuit iusto. In cunctis ergo quæ exterius disponuntur, aperta causa rationis, est occultæ iustitiæ uolũtatis. Hinc Aug. Quem trahat, quem non trahat, quur istũ trahat, & illum non, noli dijudicare, si non uis errare. Pro. 25. Sicut qui mel multũ comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimet à gloria. Chrys. Nunq̃ discutias consilia dei in operibus eius, qd fecit, qua ratione sic fecit: sed q̃modocũq; rem suã uoluit ordinare, gratias agẽs, sufficiat tibi ad testimonium ipsa dei natura: quia deus sine ratione, sine iustitia nihil facit. Non enim iudicem te esse uoluit actuum suorum, sed seruum præceptorum suorum. Boni enim domini est, omnia prouidere quæ ad utilitatem pertinent serui: boni autem serui est fideliter operari, & non discutere domini sui actus. Eccl. 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi deus, illa cogita semper: & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Est enim humiliter reuerenda, quia insuperabilis. Psalm. 134. Omnia quæcunque uoluit dominus, fecit in cęlo & in terra, in mari & omnibus abyssis. Roman. 9. Voluntati eius quis resistit? Esa. 46. Consilium meum stabit, & omnis uoluntas mea fiet. Diligenter adimplenda, quia utilis. Matth. 7. Qui facit uoluntatem patris mei, ipse intrabit in regnum cælorum. Chrysostomus Hæc est uia salutis optima, ut qui respuunt quæ dicuntur, nullo pacto cogantur: ut quoniam uocati non obtemperarunt, nec meliores hinc facti sunt, sed spreuerunt salutem, quoniam electi sunt, resipiscere cogantur, & sic dili-

gentiores fiant qui crediderunt. Si ergo arrogantia illis obfuit, (nam ignorantes dei iustitiam, & suã uolentes constituere, iustitiæ dei non sunt subiecti, Roma. 10.) uos formidate, ut paruulorum statum conseruetis, non ignorantes illud esse quod uobis hæc reuelari effecit, cuius contrarium illos reuelatione priuauit. Non enim quando dicitur, abscondisti hęc à sapientibus &c. rem totam deo tribuit, sed sicut cum dicit Apostolus Roman. 1. quia tradidit illos deus in reprobum sensum, & excæcauit, non operatum hæc deum fuisse asserit, sed illos qui causam præbuerunt. Reuelatur enim paruulis, quia per tumorem mentis obstaculum non ponunt ueritati, quod superbis in propriį cordis oculis denegatur. Ioh. 1. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Iohan. 3. Lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Suo ergo uitio excæcantur. Sic ergo excæcat & indurat iusto suo iudicio gratiam subtrahendo, sicut sol causa est cõgelationis suo recessu. Ipse enim ait Ezech. 18. Nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, 1. Timo. 2. Hinc dedit nobis potestatem filios dei fieri, Ioh. 1. Bene ergo dicit per Ose. 13. Perditio tua o Israel: tãtummodo in me auxilium tuum. Quid est ergo quòd dominus ait Exod. 33. Roma. 9. Miserebor cui uoluero, & clemens ero in quem mihi placuerit? Sed audi ipsum Ezech. 18. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quę operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, uita uiuet & non morietur. Oim

iniquitatum eius quas operatus est, nõ recordabor. Hiere. 18. Ecce sicut lutum in manu figuli, sic uos in manu mea domus Israel. Repente loquar aduersus gentem & aduersus regnum, ut eradicem, & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agã & ego pœnitentiã super malo quod cogitaui ut facerem ei, & subito loquar de gente & regno, ut ædificem & plantẽ illud. Vnde 26. Noli subtrahere uerbum, si forte audiant & conuertantur, unusquisque à uia sua mala, & pœniteat me mali, quod cogitaui facere eis propter malitiam studiorum eorum. Audi rursus & obserua 4. Reg. 17. Et testificat⁹ est dominus in Israel & in Iuda, per manum omnium ,prophetarum & uidentium, dicens: Reuertimini à uijs uestris pessimis, & custodite præcepta mea & cæremonias iuxta omnem legem quam præcepi patribus uestris, sicut misi ad uos in manu seruoꝝ meorum prophetarum. Qui non audierunt, sed indurauerunt ceruicem suam iuxta ceruicem patrum suorum, qui noluerunt obedire domino deo suo. Hie. 2. Quare dixit populus meus, recessimus, non ueniemus ultra ad teꝫ Zacha. 7. Et noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentes, & aures suas aggrauarunt ne audirent, & cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem & uerba, quæ misit dominus exercituum in spiritu suo sancto p manum prophetarum priorum. Quare admonet Apostolus Heb. 3. Videte fratres, ne forte sit in aliquo uestrum cor malum incredulitatis discedendi à deo uiuo, sed adhortamini uosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut nõ obduretur quis

fallacia peccati. Quid clarius dici potest? Hinc Act. 7. ait Stephanus: Dura ceruice & incircunciſi cordibus & auribus, uos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis, ſicut patres uestri, ita & uos. Obſerua qđ dicit Apoſtolus Rom. 9. deum ſuſtinuiſſe uaſa iræ apta in interitum, non dicit quod fecerit apta in interitū. Sic 2. Tim. 2. Cognouit dñs qui ſunt eius, & diſcedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen dñi. In magna aũt domo non ſolum ſunt uaſa aurea & argentea, ſed & lignea ac fictilia: & quædã quidem in honorem, quædam aũt in contumeliam. Si quis auẽ emundauerit ſe ab iſtis, erit uas in honorem, ſanctificatum & utile dño, ad omne opus bonum paratũ. 2. Pet. 3. Dominus patiẽter agit propter uos, nolẽs aliquos perire, ſed oẽs ad pœnitentiam reuerti. Sed Rom. 2. Ignoras quoniam benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum aũt duritiam tuã & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij dei, qui reddet unicuiq; ſecundum opera ſua. Poteſt & eò referri, ut intelligamus beneplacitum patri, per ſtultitiam crucis, perijs abiectos homines ſubijcere ſibi mundum, ne quid humana ſapientia turgeat, ne etiam qui abiecti ſunt mundo, deſperent. 1. Cor. 1. Nam quia in dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiã deum, placuit deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Hæc eſt illa uoluntas, de qua Ro. 12. Probetis quæ ſit uoluntas dei bona, beneplacens & perfecta.

Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Et nemo nouit filium niſi pater, neq; patrem quis nouit niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare.

Hoc omnium bonorum pater est autor, à quo mihi tradita sunt omnia. Chry. Tradita sunt ei oia, secundum quod minoratus est ab angelis, Psalm. 8. Heb. 2. Nam secundū illud quod non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, Phi. 2. unus cum in eo deus & æqualis est. Hiero. Non cælū & terrā quę condidit Heb. 1. ipse, sed hi qui per filium accessum habent ad patrem, & ante rebelles, postea deū sentire cœperunt. Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Antea Iacob inhabitabat, Eccī. 24. Et dixit mihi, in Iacob inhabita, & in Israel hęreditare. Nunc aūt dedit eum caput super oēm ecclesiam, quæ est corpus ipsius, Ephe. 1. Hinc influit mēbris uitā. Ioh. 5. Sicut eī pater suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius q̄s uult uiuificat. Ioh. 6. Oīne q̄d dat mihi pater, ad me ueniet. & Ioh. 17. Nūc cognouerunt qa oīa q̄ dedisti mihi, abs te sunt, & mea oīa tua sunt, & tua mea sunt. Nihil ergo timendum quum talem habeamus dominum. Matt. 28. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Secundum quod natus est à patre, omnia tradita sunt ei, non tanq̄ seruo, sed sicut filio. Nulli sit mirum me omnium esse dominum, quum & aliud maius possim, scire & nosse patrem, sic, ut & alijs reuelare possim. Reuelat pater mysteria paruulis, reuelat filius patrem. Hiero. Aliud est naturæ ęqualitate nosse q̄d noueris: aliud, reuelantis dignatione. 1. Corin. 15. Ex parte cognoscimus. Iohan. 17. Pater iuste, mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & hi cognouerunt quia tu me misisti: & notū feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio quia dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Ioh. 15. Iam nō dicā

uos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci uobis. Sicut ergo de reuelatione qua filius reuelat patrem, testimonium habemus Iohan. 17. Pater, manifestaui nomen tuũ hominibus quos dedisti mihi. ita & de reuelatione qua pater reuelat filium. Matt. 16. Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Non nouerunt quis esset filius, qui dicebant Marc. 6. Nonne hic est faber, filius Mariæ? Iohan. 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Non remouet personam, sed naturam. spiritus enim sanctus deus, & cognoscit quemadmodum & pater & filius. Nam hi tres unũ sunt, 1. Iohã. 5. Nosse ergo patrem, est meruere ut deum, diligere ut patrem, & affici. Mala. 1. Filius honorat patrem, & seruus dominũ suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si dominus ego sum, ubi est timor meus? Filium nosse, est imitari. Nam ut filius imago est patris, sic & nos imaginẽ filij debemus portare. Rom. 8. Nam quos præscíuit & põdestinauit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. 1. Corin. 15. Igitur sicut portauimus imaginẽ terreni, portemus & imaginem cælestis.

5 *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum super uos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugũ enim meũ suaue est, & onus meum leue.*

Hic Iesus animo contemplans, quanta esset generis humani calamitas, misericordia motus, inuitat omnes ad se, omnibus solatium ac remediũ pollicens ultro, si modò simplici synceroq́ pectore sese adeant, & excusso iugo mũdi longe miserrimo molestissimoq́, iugum euangelicæ doctrinæ recipiant. Ob id enim indicat se uenisse ꝓprie, ut leuet, quotquot ex ipso sperant peccati, uel cõscientiæ, uel cuiuscunque mali remedium. Chrysostomus: Non hic uel ille, sed om̃es qui curis, doloribus, peccatis laboratis: non quia glorificari me à uobis opus est mihi, sed quia salutem uestram sitio. Hier. 9. Vt inique agerent, laborauerunt. Sapi. 5. Lassati sumus in uia iniquitatis & perditionis, ambulauimus uias difficiles, uiam autem domini ignorauimus. Psal. 13. Contritio & infelicitas in uijs eorum, & uiam pacis non cognouerunt, nõ est timor dei ante oculos eorum. Possunt per laborantes, Iudæi in operatione mandatorum: per oneratos, gentes onere peccatorũ oppressę intelligi, quos Christus quiescere facit. Credere enim & confiteri quis labor, & baptizari? Quomodo autem non quies, quãdoquidem & hic nihil solicitum esse oportet, de ijs quę ante baptismum facta sunt, & alibi quies susceptura est? Laborabãt Iudæi sub pædagogia illa & exactore lege innumeris cæremonijs, pondus diei & æstus portantes, Matt. 20. quam pharisæi suis cõstitutiunculis aggrauarũt. Matt. 23. Alligant onera grauia & importabilia, & ponunt ea in humeros hominum, digito autẽ suo nolunt ea mouere. Vnde Petrus Actu. 15. Quid tentatis deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neq́ patres nostri portare

potuerũt? Gal.3. Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptũ est Deute.21. Maledictus omnis qui pendet in ligno, ut in gẽtibus benedictio Abraæ fieret in Christo Iesu, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidẽ. De onere peccatorũ ait Psal.37. Qm̃ iniquitates meę supgressæ sunt caput meũ, & sicut onus graue grauatę sunt super me. Esa.58. Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimẽtes. Ioh.1. Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. 1. Pet.2. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignũ, ut peccatis mortui, iustitiæ uiuamus, cuius liuore sanati sumus. Hinc ait Ioh.10. Ego ueni ut uitã habeant, & abundãtius habeant. Hieron y. Grauia onera peccata testat̃ Zach.5. Hæc est iniquitas eorũ in omni terra, & ecce talentum plumbi. Nullo onere grauius premit animus, nil tã uehementer restringit oculos, nihil magis deijcit atq; prosternit, q̃ malæ actæ uitæ ac peccatorũ conscientia: nihil cõtrà sublimiorẽ mentẽ hominis reddit, sicut iustitię & uirtutis possessio. Psal.22. Dñs regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Sup aquã refectiõis educauit me, animã meã conuertit. Vnde admonet Ose.6. Venite & reuertamur ad dñm. Esa.21. Conuertimini & uenite. Chrysostomus: Non illos uocat, qui omnino nõ cõcupiscunt facere iustitiã, sed q festinabant & laborabãt, sed nõ p̃ualebant. Iac.4. Appropinquate deo, & appropinquabit uobis. Ioh.7. Qui sitit, ueniat ad me, & bibat. Ioh.4. Qui biberit ex hac aqua quã ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ saliẽtis in uitã ęternã. Lu.22. Ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnũ, ut edatis & bibatis

super mẽsam meã in regno meo. Nec eñ opes, nec honores, nec uoluptates huius mũdi p̃stant ueram animi tranquillitatẽ. Habet mũdus iugũ suũ prima specie blandũ, sed reuera molestũ & asperũ. Illud excutite, & alacres iugo meo colla uestra submittite. 2. Cor. 6. Nolite iugũ ducere cũ infidelibus. Thre. 1. Vigilauit iugũ iniquitatũ meaꝝ in manu eius, s. inimici. Hoc Christus uenit auferre. Esa. 9. Iugũ oneris eius, & uirgã humeri eius, & sceptrũ exactoris eiꝰ superasti. Esa. 10. Et erit in die illa, auferet onus eius de humero tuo, & iugũ eius de collo tuo, & cõputrescet iugũ à facie olei. Thre. 3. Bonũ est uiro cũ portauerit iugũ dñi ab adolescentia sua. Sed dñs conqueritur Hier. 2. A seculo confregisti iugũ meũ, confregisti uincula mea, & dixisti: Non seruiam. Iugũ euangelicum duos connectit populos. Ephe. 2. Veniens euangelizauit pacem uobis qui longe fuistis, & pacẽ his qui prope: quoniã per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad patrem. Super uos, dicit, nõ sicut scribæ & pharisæi, q̃ dicebant & non faciebãt. Mat. 23. Lu. 11. Væ uobis legisperitis, q̃ oneratis homines oneribus q̃ portare nõ possunt, & ipsi uno dígito uestro nõ tangitis sarcinas. Chrysost. Seipsum exemplũ uobis posuit, quo acceptior hæc doctrina sua, gratiorq̃ esset. Quid possim, miraculis declarauit: & tñ nec opes nec honorem affecto, neq; quicq̃ omnino ambio, quod apud mundũ magnũ & præclaræ uidet. Neminẽ, q̃uis humilẽ & peccatorẽ, fastidio. Mitis ac mansuetus animus, fons est oĩs tranq̃llitatis humanæ. Ipse aũt tanq̃ ouis ad occisionẽ ductus est, & quasi agnus coram tõdente se obmutuit, & non aperuit os suũ. Psal. 144. Suauis dñs uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.

Exinaniuit autē semetipsum, formā serui accipiens, factus obediens usq; ad mortē, mortem autē crucis. Phil. 2. Obserua q̊d ait, humilis corde. Est em̄ q nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Eccl. 19. Humilitas & mititas requiem inueniunt, & imperturbata manent, sicut uana gloria nunquā quieta, nolens humiliari, & semper quærēs sublimari. Chrysostomus: Humilitas uirtus est, & sublimioris philosophiæ mater atq; origo: propterea etiam cum nobis diuina traderet instituta, ab humilitate initium fecit. Matth. 5. Beati pauperes spiritu. & hic magnam pollicetur mercedem. Non enim alijs solum accommodus atq; utilis fueris, sed tibi ipsi firmam stabilemq; requiem cōpræstabis. Hiere. 6. State super uias, & uidete & interrogate de semitis antiquis, quæ sit uia bona, & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus uestris. Animabus dicit. Nam si carni molesta uidentur, spiritui tamen super mel dulcia. Iohan. 16. In mundo pressuram, in me pacem habebitis. Quemadmodum Christus refrigerat suscipientes iugum ipsius, sic satan suos deceptorijs seducit oblectamentis, ne à malis desistant. Docuit hactenus quæ ex ipso discere debeamus, nimirū mansuetudinem & humilitatē: docuit tollendum iugum, ut requiem consequamur conscientiæ, pergit iam rationē dicti assignare. Non est, inquit, quod metuatis. iugum meū durū & graue uidetur incredulis, sed ijs qui toto pectore fidunt bonitati diuinæ, qui conceperunt ignem charitatis euangelicæ, molle & commodum, leuis est sarcina mea. Chrysostomus: Considera quomodo his om̄ibus, ut humilitatē præcipue colant, ipsis persuadet. Pri-

mo his quæ ipſe peregit: Diſcite, inquit, à me, deinde magnitudine retributiõis, quia inuenietis requiem. Præterea ijs quæ ipſe gratis offert, Ego reficiã uos. Ad hæc, quia facile & ſuaue. Nolite, inquit, onus ptimeſcere. ſuauitatis enim eximiæ plenum eſt, & magnitudine præmiorum leue. Aug. Mira res, quomodo ſuaue, cũ eos qui intrepida ceruice ſubierint ſarcinam hanc manſuetiſſimis humeris, tantis cernamus agitari procellis mundi, ut non à laboribus ad quietem, ſed à quiete ad laborem uocati uideantur? 2. Tim. 3. Omnes qui pie uolunt uiuere in CHRISTO IESV, perſecutionem patientur. Quare non magis ait, uenite qui uacatis? Nam & uacantes conducit in uineam, ut ferant æſtum diei, Matt. 20. Vnde Apoſtolus 2. Corinth. 6. In omnibus exhibeamus nos ſicut dei miniſtros, in multa patientia etc. Sed ſpirituſſanctus, qui in exterioris hominis corruptione, interiorẽ renouat de die in diem, 2. Cor. 4. & guſtata requies ſpiritualis, in affluentia deliciarum dei, in ſpe futuræ beatitudinis, omnia præſentia delinit, & aſpera omnia & grauia releuat. Rom. 8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. 2. Cor. 4. Id enim quod in præſenti momentaneum eſt & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum pondus gloriæ operabitur in nobis, non contemplantibus nobis quæ uidentur, ſed quæ non uidẽtur. Quæ enim uidentur, temporalia ſunt: quæ autem non uidentur, æterna. Quot pericula & labores in terra & in mari mercatores ſubeunt ſpe lucri tẽporalis? Secari & uri homines ſuſtinent, ut dolores, non æterni, ſed aliquanto diuturniores,

hulceris redimantur. Aug. Omnia enim sæua & inhumana, prorsus facilia & ꝓpe nulla facit amor. Ro. 8. Quis nos separabit à charitate dei quę est in Christo Iesu? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sicut scriptum est Psalm. 43. Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis, Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Gene. 29. Videbantur (Iacob in seruiendo & alijs septem annis pro Rachel) dies pauci præ amoris magnitudine. Duo coniunxit, suauitatem & leuitatem, quo alliceretur uolũtas. Proinde & apud ueteres promissionibꝰ carnis allexit plurimos, promittens terram lacte & melle manantem, Exod. 3. Deut. 8. Verum ijs delicijs carnalibus crassus ille delectabatur populus, Deute. 28. Qui uero spirituales sunt, has contemnunt, quin etiam asperitatibus gaudent, penuria & miserijs deliciantur, idq; cælestium amore. Quemcunq; enim uere iustus ille cælestium occupauerit, huic nausea erit omnis transitoria uoluptas, huic facile ferre iugum domini. Exẽplo sunt Dauid, Iob, Esaias, Hieremias etc. exemplo sunt, qui gaudentes ibant à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati, Actuũ 5. Esa. 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Hinc Ecci. 23. Nihil dulcius q̃ respicere in mandatis domini. 1. Iohan. 5. Mandata eius grauia non sunt. Imò dulciora super mel & fauum, Psalm. 118. Hiero. In lege multa præcepta sunt, quæ apostolus impleri non posse plenissime docet, Actu. 15. In lege opera requiruntur, quæ qui fecerit, uiuet in eis, Deut 4. In euangelio uolũtas quæritur,

quæ etiam si effectum non habeat, præmium tamen non amittit. Chrysostomus: Si post hæc omnia, ardua difficilisq; uirtus uidetur, uide quanto difficilior uitiositas est: quod ipse occultius significauit, cum antequam de iugo suo diceret, præmisit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, uolens ostendere quantum laborem, quantumq; grauamen peccatum hominibus afferat. Ad hæc iugo mortalitatis omnes premimur. Eccl. 40. Occupatio magna creata est omnibus hominib⁹, & iugum graue super filios Adam, à die exitus de uentre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.

Et cõuersus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi q̃ uident quæ uos uidetis. Dico enim uobis, quod multi prophetæ & reges uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Luc. 10. R

Ostendit dñs q̃ ad salutẽ necessaria sit fides p̃ dilectionem opans. Solat aũt suos, q̃ omnia propter ipsum reliquerant, & multa perpessuri erant: cõuersusq; ad eos, gratulatur illis eam felicitatem, quæ negata esset summis uiris. Beatos ipsos dicit, & oẽs quoq;, qui cum fide ipsum in carne ambulantem uident & miracula operantem. Baruc. 3. Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est. 1. Iohã. 1. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de uerbo uitæ. Hinc Simeon gratulabundus ait: Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum uerbum tuum in pace,

Quia uiderunt oculi mei ſalutare tuum, Quod paraſti ante faciem oñium populorum. Sed ſunt q̃ oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram, Pſal.16. qui terrena ſapiunt, Phil.3. Nec omnium oculi beati ꝙ ipſum uiderunt in carne. Ioh.15. Nunc autem uiderunt & oderunt & me & patrem meum. Sed & uidebunt in quẽ transfixerunt, Ioh.19. Zach.12. & Apo.1. Et uidebit eum omnis oculus, & qui eum pupugerũt. Sed q̃ uident ſicut apoſtoli, eriam p̃ fidem. Imò Ioh.20. Beati q̃ non uiderũt & crediderunt. 1. Cor.13. Videmus nunc p̃ ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Ioh.6. Hæc eſt uoluntas patris mei q̃ miſit me, ut oĩs q̃ uidet filiũ, & credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternã. & 14. Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Cum conſter, deũ à priſcis (ſicut Abraam, Gen.18. Moſi, Exo.32. q̃ facie ad faciem dño loquebatur, & Eſa.6. qui uidit dñm ſedẽtem ſuper ſoliũ excelſum, & alijs patribus) uiſum tẽporibus, q̃d ſibi uult quod dicit, Multi reges etc.? Sed aliud eſt, uidere per fidem: aliud, per ſpeciem. Viderunt præmemorati per ſpeculum in ꝙnigmate & imagines in ſubiecta creatura. Omnes enim manifeſtationes patribus factæ, per angelos peractæ ſunt, Act.7. Hic eſt qui fuit in eccleſia in ſolitudine cum angelo, q̃ loquebatur ei in monte Sinai, & cum patribus ueſtris. Viderunt ergo oculis fidei & in figuris uenturũ, quẽ nos ueniſſe credimus. Ioh.8. Abraã pater ueſter exultauit ut uideret diẽ meũ: uidit, & gauiſus eſt. Iacob Gen.28. Vidit in ſomnis ſcalã ſtantem ſup̃ terram, & cacumen illius tangens cælũ, angelos q̃ dei aſcendentes & deſcendentes p̃ eam, &

dñm innixũ ſcalæ. Itẽ 32. Vidi dñm facie ad faciem, & ſalua facta eſt aïa mea. Sed non uiderunt uerbum carnẽ factũ oculis carnis, quod maxime affectabãt. Eſa. 64. Vtinam diſrumperes cęlos & deſcenderes. Abac. 2. Videbo eum, ſed non modò: quia adhuc uiſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum: quia ueniens ueniet, & non tardabit. Ecce q̃ incredulus eſt, non erit recta aïa eius in ſemetipſo. Iuſtus aũt in fide ſua uiuet. Apoſtoli uiderunt benigne cõuerſantem, ipſum p̃ſentem habẽtes, cum omni familiaritate & conuictu illi familiariſſime adhærentes, quicquid cognoſcere uoluiſſent (non per ſpeculũ in ænigmate, nec p angelos uel uarias uiſionum ſpecies) dñm interrogando diſcebãt, quare merito aliis lege beatitudinis p̃feruntur. Virtuoſe operantem. Ioh. 10. Opera q̃ ego facio in nomine patris mei, hæc teſtimoniũ phibẽt de me. & 14. Alioqn ,ppter opera ipſa credite. Miraculoſe transfigurãtem. Mat. 17. Transfiguratus eſt ante eos. 2. Pet. 1. Nõ indoctas fabulas ſecuti, notam uobis fecimus dñi noſtri Ieſu Chriſti uirtutem & p̃ſciẽtiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Gaudioſe reſurgentem. Ioh. 20. Gauiſi ſunt diſcipuli uiſo dño. Glorioſe aſcendentem. Act. 1. Videntibus illis, eleuatus eſt. Si ergo ænigma beatificat, (quum diuinitatem Chriſti non niſi fide uidere poſſent) & regib⁹ & ,pphetis imprimebat ſui deſideriũ, q̃ optabile nunc eſt uidere & audire ipſum dñm, in ipſa gloriæ & maieſtatis ſuæ ueritate, quam beati amplius non habent in ſpe, ſed in uera iam ſpecie, & ſecura totius boni fruitione? Eſaię 33. Regem in decore ſuo uidebunt.

De Samaritano, Luc. x.

ARTICVLVS LIII.

Luc. 10. S

ET ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum & dicens: Magister, quid faciendo uitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Ille respondens, dixit: Diliges dominũ deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex oĩbus uiribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Dixitq; illi, Recte respondisti. Hoc fac, & uiues.

2 Arrogans fuit legisperitus iste, superbꝰ ac dolosus. Opinabat enĩ q; ex responsis supplantare dñm posset. Hinc surrexit ut ab oĩbus uideret & audiret, ac doctus haberet, ac uelut ex intima legis cognitione q̃stionem propositurus. Amb. Erat uerba legis tenens, sed uim legis ignorans. Magistrũ noiat, q̃ facilꝰ decipiat. Chrys. Significat sanctoꝝ laudatores, non imitatores, uel curiosos doctores, q ore q̃dem magna p̃dicant, & ope nec minima seruãt. Quid faciẽdo, ait. qa nõ auditores legis iusti sunt apud deũ, sed factores legis iustificabunt, Ro. 2. In possessione aũt uitæ æternæ uera consistit beatitudo, q̃ omnem pfectionẽ includit, & impfectionem excludit, Apo. 21. Solus autem beatus q uitam æternam possidet, cum securitate non amittendi, q̃te angeli ante confirmationem non fuerunt beati. Dñs tentatorem legis ad legem reducit, in q̃ mire gloriabat, ut suis uerbis sibi ipsi satisfaceret. Quod quæris ex me, inquit, hoc alij debebant ex te discere, siquidem tu legis sci-

entiam profiteris. In ea quid scriptum est? Respondit quæ legerat, non quæ fecerat. Duo fontes emanant ex anima hominis, alter scaturit in deum, alter in proximũ: in utroq; plenitudo legis & perfectio hominis Christiani. Ro. 5. Charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Est autem deus super omnia diligendus, nec satis diligi potest. Ber. Modus diligendi deum, est sine modo. Quia creator ad esse. Mal. 2. Nunqd non pater unus omnium nostrum? Nunquid non deus unus creauit nos? Quia conseruator. Sapiẽ. 11. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu uoluisses? aut quod à te uocatum non esset, conseruaretur? Quia recreator ad bene esse. Iacob. 1. Voluntarie enim nos genuit uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod creaturæ eius. Iohàn. 1. Qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt. & 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei. Quia glorificator in optimo esse. Psal. 83. Gratiam & gloriam dabit dominus. In toto corde, id est, diligenter, ut omnis affectio & cogitatio tua tendat in ipsum. Prouer. 3. In omnibus uiis tuis cogita illum. & 23. Fili, prębe mihi cor tuum. Sed Psalm. 77. Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius. Tota aia, ardenter, ut uegetatiua & intellectiua uis in ipsum ordinetur. Cant. 5. Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Psalm. 37. Domine, ante te omne desiderium meum. Tota mente incessanter, ut oratio secundum quam ad

similitudinem dei creati sumus, cuius tres sunt uires, memoria, intellectus & uoluntas, in idipsum tẽdat, ut sic cogitationes sint mundæ, affectiones sanctæ, intentiones in omnibus rectæ. 1. Cor. 10. Siue ergo manducatis siue bibitis, uel aliud quid facitis, omnia in gloriã dei facite. Col. 3. Omne quodcunq; facitis in uerbo aut in opere, omnia in nomine dñi nostri Iesu Christi facite, gratias agentes deo & patri per ipsum. Omnibus uiribus constanter. Can. 8. Fortis est ut mors dilectio. Non ergo remisse, sed uiriliter ex omnibus uiribus tam animæ q̃ corporis diligendus, tam intensiue q̃ extensiue super omnia. Deu. 8. Caue ne unq̃ obliuiscaris domini dei tui, & negligas mandata eius. Minus ergo eum diligit, qui quicquam cum ipso diligit, quod non propter ipsum diligit. Hinc sequitur: Et proximũ tuum sicut teipsum. In dilectione dei modus non ponitur, sed proximi, quem eodem affectu diligere, quo nos, iubemur. Aug. Beatus qui amat te, & amicos in te, & inimicos propter te. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes chari sunt in illo, qui non amittitur. Sic ad eundem finem, id est, ad gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Isidorus: Duo circa dilectionem proximi sunt obseruanda, ut beneficij impensione foueatur, & malitia nulla lædatur. Mat. 7. Oĩa quęcũq; uultis ut faciãt uobis homines, & uos facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ. Tob. 4. Quod ab alio oderis fieri tibi, uide ne tu aliquando alteri facias. Et merito, nam omnes fratres sumus. Mat. 23. Omnes autem uos fratres estis. Mal. 2. Nunquid non pater unus omnium nostrum? Quare ergo unusquisq; despicit fratrem suum, uiolans pactũ

patrum noſtrorum? Hinc orare nos docuit Mat. 6, Pater noſter qui es in cælis. Non ſunt ergo dei filij inuidi, ſed diaboli. Iohan. 8. Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris ueſtri uultis perficere. Sap. 2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum, imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius. Eodem fonte regenerati, Iohã. 3. Eodem precio redẽpti, 1. Cor. 6. Empti eſtis precio magno, glorificate & portate deum in corpore ueſtro. 1. Pet. 1. Non eñ corruptibilibus auro uel argento redempti eſtis de uana ueſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed precioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati. Eodem pabulo recreati. 1. Cor. 10. Quoniam unus panis & unũ corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus. Eodem præmio remunerandi. Mat. 20. Acceperunt ſingulos denarios. Ieſus reſponſum approbans ait: Tenes quid ſit optimum, nihil ſupereſt, niſi ut præſtes quod intelligis. Id ſi feceris, uiues. 1. Iohan. 3. Non diligamus uerbo neq; lingua, ſed opere & ueritate. Neq; eñ cognitio legis dat uitam, ſed obſeruatio.

Ille autem uolens iuſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum: Et quis eſt meus proximus? *Suſpiciens autem Ieſus, dixit:* Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum: & plagis impoſitis, abierunt ſemiuiuo relicto. Accidit autem, ut ſacerdos quidam deſcenderet eadẽ uia: & uiſo illo, præterijt. Similiter & Leuita, cum eſſet ſecus locum, & uideret illum, pertranſiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, uenit ſecus §

eum: & uidens eum, misericordia motus est: & appropians alligauit uulnera eius, infundens oleũ & uinũ: & imponens illum in iumentũ suũ, duxit in stabulũ, & curã eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcunq; supererogaueris, ego cũ rediero, reddam tibi. Quis horũ trium uidetur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiã in illũ. Et ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter.

Domini responso tactus phariſæus, quoniam tumebat inani gloria, perinde quasi abunde præstitisset præceptum de diligendo deo, quæstionẽ mouet de proximo, quasi deum diligeret, qui in proximũ immitis ac maleficus esset. Iudæi uero proximũ neminem ferme interpretabãtur, nisi de suæ gentis hominibus, existimãtes sibi fas esse odisse exteros, nec in hos quicquam conferre beneficij. Vnde responsum dñi, quod erat detectio captiosæ interrogationis suæ, in sui laudem & gloriam (prout moris est superborum) conuertẽs quod recte respondisset, uolens doctior & iustior apparere, maioris fauoris factus est auidus. Saluator uero, quoniam conditor ipse erat, sciens nos omnes unam creaturam, non opib⁹ neq; dignitatib⁹, sed natura definit proximũ. Ne igitur putes, inquit, quia iustus es, q; nullus tibi similis sit: Omnes eñ qui eiusdem naturæ sunt, proximi tui sunt. Sis igitur uicissim tu illis proximus, nõ loco, sed affectione. Locuturus dominus de primi hoïs casu, suspexit in cœlũ. Amb. Hiericho, figura huius mũdi est, q; ut luna mutatur, in quã de paradiso, hoc est, beatitudine cælestis Hierusalẽ iectus Adã,

ꝓuaricationis ꝓlapsione descēdit ad miserias & defectū huius uitæ mutabilis & erroneæ cū intumescere cœpit, cui nō loci, sed morū mutatio, naturæ suæ fecit exiliū. Psal. 48. Hō cū in honore esset, nō intelxit: cōparatus est iumētis insipiētib⁹, & similis fact⁹ est illis. Et ꝑ hoc incidit in latrones (potestatē diaboli trāsfigurantis se in angelū lucis, 2. Cor. 11. cū sit angel⁹ noctis.) in q̄s nō incidisset, nisi ijs, mādati cælestis deuius, se fecisset obnoxium. Qui etiam indumenta gratiæ spiritalis, immortalitatis scilicet & innocentiæ, hoc est, iustitiam originalem, auferunt. Vnde protinus hac spoliat⁹ erubuit, faciēs sibi perizomata, cui dn̄s postea tunicas fecit pelliceas, Gen. 3. emittēs de paradiso uoluptatis. Et plagis, hoc est, naturalibus uulneratis, ꝑ culpam, qua humanæ naturæ integritas uiolat̄, & mors q̄si fossis uisceribus inducit̄, impositis. Ro. 7. Scio ꝙ nō ē in me, hoc ē, in carne mea bonū: nam uelle mihi adiacet, ꝑficere aūt nō inuenio. Non em̄ q̄d uolo bonum, hoc facio: sed quod odi malū, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego oꝑor illud, sed q̄d habitat in me peccatum. Inuenio igit̄ legem uolenti mihi facere bonum, qm̄ mihi malum adiacet. Cōdelector em̄ legi dei secundum interiorem hominem. Video autem aliā legē in mēbris meis, repugnantē legi mentis meę, & captiuantē me in lege peccati, quod est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei ꝑ Iesum Christum. Igitur ego ipse mente seruio legi dei, carne autē legi peccati. Gal. 5. Caro em̄ concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hęc enim sibi inuicem aduersantur, ut non quæcunque uultis, illa

faciatis. Abierunt semimortuo relicto, ilico periturо, si nemo succurrisset. Nam immortalitatē eruere, sed rationis sensum abolere nō poterant, quin homo deum sapere & cognoscere posset, quia (secundum Boethiū) mentibus hominum inserta est cognitio ueri & amor boni. Psal. 4. Signatum est super nos lumen uultus tui domine, dedisti lætitiam in corde meo. Habebat autē & ante lapsum, in intellectu lympiditatem, in affectu rectitudinem, in memoria firmitatem, in effectu seu operatiua uirtute fortitudinem, in sensu obedientiæ promptitudinem. At per peccatum, intellectus factus est umbratilis, uoluntas uertibilis, memoria labilis, uirtus ad standum debilis, sensus rebellis. O deploranda commutatio conditionis humanæ. Abierunt autē non ab insidijs cessando, sed occultādo. Mulierem in serpente aggressus est uisibiliter, Gen. 3. nunc aūt nos aggredit inuisibiliter. Psal. 141. In uia hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. Circuit enim terram & perambulat eam, Iob 1. Tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuorer, 1. Pet. 5. Sacerdos uero & leuita eadem uia descenderunt, quia una, qua & omnes, mortis cōditione, preuaricationis & peccati descenderunt: sed nec sacerdos, qui ob religionis professionem potissimū præstare debuerit dei præceptū, nec leuita, à quo merito quis expectasset obseruationem præcepti diuini, quicquam opis attulit fratri ac populari suo. Lex eñ & prophetæ uulnera ostendere, non autem curare potuerunt. Rom. 3. Per legem enim cognitio peccati. Sed nihil ad perfectum adduxit lex, Heb. 7. & 10. Impossibile est sanguine taurorum & hircorū

auferri peccata. Ideo ingrediens mundum, dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocaustomata & pro peccato nõ tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce uenio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam deus uoluntatem tuam. In qua uoluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Christi Iesu semel. Samaritanus quidã, uere qdã, quia singularis, qui potuit & uoluit. Nam dominus qui uenit seruandis omnibus, Luc. 19. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat, aliquando Iudæis probri gratia dictus est Samaritanus. Sed non offendit uniuersas orbis nationes ignominia uocabuli, quum rem nominis experiantur salutarem. Nam Syris sonat custos. Psal. 114. Custodiens paruulos dñs. & 144. Custodit dñs oẽs diligentes se. Erat nimirum uerus pastor, qui nihil è suis perire patiebatur. Iter faciens, Iohan. 16. Exiui â patre, & ueni in mundũ. Greg. Propter nos homo factus, iter præsentis uitæ arripuit. Non autem descendit eadem uia. Quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. 1. Pet. 2. Descendens è cælo, uisere saucium dignatus est, quo'ꝫ facilius opitulari posset, assumpta hominis natura accessit, proxime ad hominem, uidens ac uisus, ac misertus nostræ calamitatis, Heb. 2. Vnde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret & fidelis pontifex ad deum, ut repropiciaret delicta populi. Alligauit uulnera. Mat. 9. Non est ualentibus opus medico, sed male habentibus. Col. 2. Et uos cum mortui essetis in delictis, conuiuificauit cum illo, donãs uobis omnia delicta, delẽs quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium no-

bis. Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. Alligat & quotidie p̃ceptis suis, infundens uinũ compunctionis terrore iudicij. Psal. 59. Potasti nos uino cõpunctionis. Mat. 3. Om̃is arbor q̃ nõ facit fructũ bonũ excidet. & in ignẽ mittet, & oleum consolationis, spem ueniæ pœnitentibus ꝓmittendo. Matt. 3. Pœnitentiã agite, appropinquabit regnũ cælorum. Iumento sauciũ imposuit. Nam ouem perditam humeris imposuit, & gaudẽs domũ reportauit, Lu. 15. 1. Pet. 2. Peccata nostra ipse ptulit in corpore suo super lignũ. Tunc aũt quilibet super iumentũ imponitur dñi, & in stabulum ducit, cum ad baptismũ ueniens, fidem sanctæ trinitatis percipit, & in societatẽ sanctæ ecclesiæ collocatur. Est em̃ stabuli, diuersorium meritoriũ, ubi uiatores suas deponũt sarcinas, & animalia reficiunt. Sic in ecclesia peccatores deponuntur onera, & reficiunt lassi pabulo uerbi diuini, quò null⁹ ingreditur nisi ductu Christi, ut dicit Bed. Curam egit personaliter, q̃ nullũ peccatorẽ q̃uis humilem & abiectũ auersatus est, fidẽ suam, fideiq̃ dogmata dãdo, ne ꝙger præcepta quę acceperat, dimitteret. Sed non uacat Samaritano nostro diu in terra manere, redeundum erat unde uenerat. Itaq̃ altera die. i. post resurrectionẽ suã, quando amplior æternæ lucis splendor, q̃ ante passionẽ effulsit in mũdo, (Prima em̃ dies incarnationis erat, quando sedentibus in regiõe umbræ mortis, lux orta est eis, Esa. 9) protulit duos denarios. i. duo testamẽta. Vnius em̃ regis imaginẽ utraq̃ tenent, nempe q̃ eloquia dei sint. Mat. 13. Ois scriba doctus in regno cælor̃, simili est homini patrifamilias, q̃ profert de thesauro suo noua & uetera. Hinc aperuit illis sensum, ut in-

telligerẽt ſcripturas, Lu. 24. Habet eñ hoſpites ſuos qbus ipſe ꝓficiſcens in cælũ, ſauciũ curandũ cõmittit, ꝓmiſſo in cælis ꝑmio, ſi qd ex abũdantia charitatis ſupra q̃ præceptũ erat, impẽderint ſanãdo miſero, Ioh. 21. Paſce oues meas. 1. Pet. 5. Paſcite q in uobis eſt gregẽ dñi. 1. Cor. 3. Vnuſquiſq; aũt propriam mercedẽ accipiet, ſecundũ ſuũ laborẽ. Reddet autẽ quãdo dicet illud Mat. 25. Euge ſerue bone & fidelis, qa in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te cõſtituã, intra in gaudiũ dñi tui. Adaptat aũt dñs parabolã dicẽs: Vade, & tu fac ſimiliter, alludẽs quæſtioni factæ: Quid faciẽdo? Vtrũq; præceptũ impleuit, q in Chriſto & deũ diligit ſuper oĩa, & hominẽ optime meritũ ut ſeipſum. Diligit aũt in mẽbris ſuis, in qbus & offendit & afficit ignominia. Mat. 25. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Docet itaq; nos, ut parati ſimus ad miſericordiam, & conemur eſſe proximi ijs, qui indigent noſtro ſubſidio.

De miniſterio Marthæ, Luc. x.

ARTICVLVS LIIII.

FActum eſt autem dum irent, & ipſe intrauit in quoddam caſtellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam: & huic erat ſoror nomine Maria. Quæ etiam ſedens ſecus pedes domini, audiebat uerbũ illius. Martha aũt ſatagebat circa frequens miniſterium. Luc. 10. T

Oſtendit dominus quòd in primis animarum cura habenda ſit, ſicq; naturæ neceſſitas curanda, ne

salus negligatur æterna. Ibat dominus omnium pe
des, ouem quærens perditam. Aug. Sic susceptus est
dominus tãquam hospes, qui in sua propria uenit,
& sui eũ non receperunt: sed quotquot receperunt,
ex alienigenis licet, dedit eis potestatem filios dei fi
eri, Ioh. 1. adoptans seruos, & fratres faciẽs: redimẽs
captiuos, & cohæredes faciẽs. Felices qui dominum
in carne susc ipere meruerunt: nec minus felices, qui
nunc in membris susc ipiunt, Mat. 25. Hospes fui, &
susc epistis me. Felicissimi q per fidem, quoniam in
fine ab ipso in æterna susc ipiẽtur tabernacula. Mat.
25. Venite benedicti patris mei, possidete paratum
uobis regnum à cõstitutione mundi. Ephe. 3. Flecto
genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi,
ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nomi-
natur, ut det uobis secũdum diuitias gloriæ suæ, uir-
tutẽ corroborari per spiritum eius in interiore ho-
mine, Christum habitare per fidem in cordibus ue-
stris. Nam uita si aliquãdo fuerat iniqua, ipso intran
te aufugit, & remanent duæ uitæ innocentes, labori
osa & ociosa, inter eas medius est fons uitæ. Intra-
uit castellũ, hoc est, Bethaniam. Iohã. 11. Erat qdam
languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ &
Marthæ sororum eius. Diligebat autem Iesus Mar-
tham & sororem eius Mariam & Lazarum. Par er-
go erat utriq; pietas in dominum, sed diuersa uitę ra
tio, diuersa pietatis functio: quemadmodum in uno
corpore sunt usus membrorũ uarij. ita & in corpo-
re Iesu q̃d est ecclesia, uaria sunt dona spiritus. Nam
Maria feriata à negocijs domesticis, assidebat ad pe
des domini Iesu humiliter, audiens sermones illius
diligenter, qbus adeo rapiebatur, ut oblita cætero-

tum, non posset auelli. Psal. 72. Mihi aũt adhærere deo bonum est, ponere in dño deo spem meam. & 84. Audiam quid loquatur in me dñs deus meus, qm̃ loquetur pacem in plebem suam. Luc. 11. Beati q̃ audiunt uerbũ dei, & custodiunt illud. Contra Martha solicita de apparatu cõuiuij, sursum ac deorsum cursitabat, tumultuabatur, ne quid omniũ deesset, q̃ ad suauiter excipiendum dñm eiusq; discipulos pertinebant. Eadem charitas habebat utranq;, ambę dilectæ à dño. Pro. 8. Ego diligentes me, diligo. Martha solicita quomodo dñm pasceret, Maria uero q̃modo à dño pasceret. Psal. 33. Gustate & uidete qm̃ suauis est dñs. & 118. Quàm dulcia faucib⁹ meis eloquia tua sup mel ori meo. Hinc sponsa Cant. 5. Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Nam Hiere. 23. Nunquid non uerba mea quasi ignis, dicit dñs, & quasi malleus conterens petras? Si tantæ uirtutis in ore seruorum, quid in ore domini?

Quæ stetit & ait: Domine, non est tibi curæ quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adiuuet. Et respondẽs, dixit illi dominus: Martha Martha, solicita es & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimã partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Martha ergo cum ægre sufficeret omnibus obeundis quæ pertinebant ad apparatum, & uideret sororem feriatam assidentem ad pedes Iesu, non expostulat cum sorore, quam sciebat auelli nõ posse, sed Iesum subincusat, qui illam suis sermonibus à necessaria functione remoraretur. Ex persona illorum loquitur, qui adhuc diuinę contemplationis ignari, so

lū quod didicere fraternæ dilectionis opus, deo placitum ducunt: ideoq; cunctos q deo deuoti esse uolunt, huic mācipandos aurumāt. Maria aūt causam suam iudici Christo cōmittit, tacens, interna dulcedine alloquiū Christi refecta. Qui in ocio uiuūt contemplationis, à solo deo pendere debent, sedentes secus pedes eius, quo ad stabilitatem & profundam humiliratem. Thren. 2. Sedebit solitarius & tacebit, & leuabit se super se. Ose. 2. Et ducā eam in solitudinē, loquar ad cor eius. Quāto humilius sedet, tanto amplius capit. Aqua eñ confluit de mōtibus & collibus ad conualles, sic deus superbis resistit, humilibus aūt dat gratiam, 1. Pet. 5. Eccl. 3. Quāto magnus es, humilia te in oībus, & coram deo inuenies gratiam. Qui in negocio actiōis, multū rebus occupati terrenis, impliciti & distracti uiuunt, pīs tū, ue sunt opa misericordiæ, iustitiæ, reifamiliaris, honestæ occupatiōis, & similia, Marthæ negocium agūt. Dñs aūt delectat' utriusq; fœminæ affectu, Marthæ sedulitatē nō improbat, nec obiurgat obmurmurātē sorori, sed Mariā subleuat. Martha Martha, ingr, solicita es. Aug. Repetitio noīs, indiciū est dilectionis, aut forte mouēdæ attentionis. Cæterū unum est necessariū, q̄d semp agendū erat si liceret. Aug. Vnū illud supernū, ubi pater & filius & spūsanctus sunt unū, ipsa trinitas unus deus. 1. Iohā. 5. Et hi tres unū sunt. Ad hoc unum nos non pducit, nisi multi habeamus cor unum & aīam unā. Actu. 4. Multitudinis credentium erat cor unū & aīa una. Et dñs Ioh. 17. Pater sancte, seruaeos in noīe tuo q̄s dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos. 1. Cor. 10. Q̄m unus panis & unū corpus multi sumus, oēs q de uno pane, & de

nno calice participamus. Ro.12. Multi unũ corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autẽ alter alterius mẽbra. Ideo 1.Cor.1. Obſecro aũt uos fratres, ut idipſum dicatis oẽs, & nõ ſint in uobis ſchiſmata: ſitis aũt perfecti in eodẽ ſenſu & in eadẽ ſciẽtia. Phi.2. Vnanimes, idipſum ſentiẽtes, nihil p cõtẽtionẽ uel inanẽ gloriam. Qui aũt adhæret deo, unus ſpũs ẽ cũ illo, 1.Cor. 6.1.Ioh.4. Deus charitas eſt: & q manet in charitate, in deo manet, & deus in eo. Martha ergo turbabat circa tẽporalia & corporalia adminiſtrãda, q̃ occupatio licet fuerit bona, & actus prudẽtiæ, miſericordiæ & liberalitatis, ex charitate imperialiter, precedẽs, nihilominus tñ frequẽter ſtabilitatẽ & pacem mẽtis in deo pturbat, diminuit, & interrũpit. Optimã uero partẽ Maria elegit, q̃ oblita eor̃ q̃ ſunt corporis, tota ẽ in his q̃ ſunt animi. Quæ nõ auferet ab ea, ſed augebit in hac uita, & perficiet in alia uita. 1. Cor.15. Cũ uenerit q̃d perfectũ eſt, euacuabit quod ex parte eſt. Videmus nũc per ſpeculũ in ænigmate, tũc aũt facie ad faciẽ. Apo.14. Beati mortui q̃ in dño moriunt. A modo iam dicit ſpũs, ut requeſcant à laboribus ſuis. Opera em̃ illor̃ ſequũtur illos. Nam abſterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quæ prima abierunt. Et dixit q̃ ſedebat in throno, ecce noua facio omnia, Apocaly. 21. Ecce pars Marthæ quæ aufertur. Non autem dominus hoſpitalitatem prohibet, ſed diſtractionem & turbationem. Magna enim hoſpitalitatis uirtus, id quod Martha oſtendit, & non reiſcienda: maior autem, attendere uerbis magis ſpiritualibus. Per illam em̃ corpus paſcitur, per hoc anima

uiuificatur. Eatenus ergo hoſpitalitas in uenerat-
one ẽ, q̃tenus nõ abſtrahit nos à magis neceſſarijs,
Sic Iob.31. Foris nõ mãſit pegrin⁹, oſtiũ meũ uiato
ri patuit. Sic Abraã in foribus tabernaculi aduentũ
hoſpitũ obſeruans, ad manendũ inuitabat, Gen.18.
Sic & Loth Gene.19. Heb.13. Hoſpitalitatẽ nolite
obliuiſci, per hanc enim placuerunt quidam, ange-
lis hoſpitio receptis. 1. Pet.4. Hoſpitales inuicẽ ſine
murmuratiõe. Et merito. Mat.18. Qui ſuſcipit unũ
paruulũ talẽ in noĩe meo, me ſuſcipit. Mat.10. Qui-
cunq; potũ dederit uni ex minimis iſtis, calicẽ aquæ
frigidæ tm̃ in noĩe diſcipuli, amen dico uobis, nõ p-
3 det mercedẽ ſuã. QVVM ordinatiõe eccleſiæ (quę
ſpũſancto regit. Ioh.14. Ego rogabo patrẽ, & alium
paracletũ dabit uobis, ut maneat uobiſcũ in æternũ
ſpm̃ ueritatis. Vnde & colũna dicitur & firmamen-
tum ueritatis, 1. Tim.3.) hoc euangeliũ in aſſumpti-
onis glorioſæ uirginis matris dñi Mariæ feſto in ec
cleſia legat, hinc non inconuenienter ipſi aptari po
teſt, q̃ utriuſq; uitę energiã ſummẽ habuit. Vnde An
ſel. Caſtellũ dicit q̃libet turris & mur⁹ in circuitu ci-
us, q̃ duo inuicẽ ita ſe defendũt, ut hoſtes p mur⁹ ab
arce, & à muro p arcẽ arceant. Sic Maria turrim ha-
bẽs humilitatis, & mur⁹ uirginitatis, nec ſuperbiã ha-
buit uirginitatis, nec ingnationem humilitatis, ſed
ſemp in ea mãſit & humilis uirginitas, & uirginalis
humilitas. Nã angelo filiũ, pmittenti, de uirginita-
te ſolicita, ait Lu.1. Quõ fiet iſtud, qm̃ uir⁹ nõ cogno
ſco? Sic audito q; filiũ dei ſalua uirginitate paritura
eſſet, reſpõdit: Ecce ancilla dñi. Et, qa reſpexit humi
litatem ancillæ ſuæ. O ſublimis uirgo, mater dei. O
humilis mater, ancilla dei. Quid ſublimius eſſe po-

est? qd humili⁹ de se sentire potuit? Porta p quam intrauit Iesus, fides est. Luc. 1. Beata q̃ credidisti, qm̃ ꝓficient in te q̃ dicta sunt tibi à dño. Nec qa intrauit castellũ hoc Iesus, uiolatũ est. Iesus enim saluat, non uiolat: cõfracta solidat, nõ cõfringit solida. Eze. 44. Porta hæc clausa erit, & nõ aperiet, & uir nõ transiet p eã, qm̃ dñs de⁹ Israel ingressus est p eã. Nihil ergo iuris inimicus unq̃ habuit in hoc castello. Nã fomes radicat in carne, & ascẽdit usq; ad mentẽ, sicut conquerit Apostolus Ro. 7. Scio q̃ non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonũ. Nã uelle mihi adiacet, ꝓficere aũt nõ inuenio. Hinc oẽs natura eramus filij iræ, Eph. 2. sicut & cęteri. Oẽs em̃ peccauerũt & egẽt gloria dei, Ro. 3. Legimus aũt Hiere. 1. Priusq̃ te formarẽ in utero, noui te: & anteq̃ exires de uulua, sanctificaui te, & ꝓpheram in gentibus dedi te. De Iohanne Gabriel angelus ait Luc. 1. Et spũsancto replebitur adhuc ex utero matris suę. Nam nemo mundus à sorde, nec infans cuius est unius diei uita sup terram, Iob. 15. Rationem Dauid assignat Psal. 50. Ecce em̃ in iniqtatibus cõceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Si ergo Hieremias propheta in gentibus futurus, in uulua sanctificatus, Iohãnes præcursor domini spiritusancto in utero repletus, quid de castello in quod receptus dñs, imò de quo suscepit, quod pro salute omnium in cruce dependit? Psal. 45. Fluminis impetus lętificat ciuitatem dei, sanctificauit tabernaculũ suum altissimus. Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam deus mane diluculo. Vere mane diluculo. In prima enim eius sanctificatione, collata est ei tanta gratia perfectiõis, ut eam præseruaret ab oẽi

peccato,& redũdaret in eius sensualitatẽ in tãta abundãtia,ut fomitẽ adeo reprimeret, q̃ nullum esse ętũ ad incitandũ ad malũ haberet. In secũda in qua spũssanctus non tm̃ descendit in mentem,sed etiam in carnem,cum de carne operatus est carnẽ sine macula,reliquam ipsius carnem reddẽs immaculatam, extirpando fomitem & omnem concupiscentiam. Videamus nunc in ea partem Marthæ. Non enim erat in ipsa gratia dei uacua,1.Corinth.15.dei gratia sum,ait Apostolus ibidem.Nec erat domus uacans & superficietenus ornata,Mat.12.Siquidem in utero concepit & fouit. Hier.31.Nouum creauit dominus super terrã,fœmina circundabit uirum. Esa. 7. Ecce uirgo concipiet & pariet filium, & uocabit nomen eius Emanuel. Vnde dicere potuit illud Eccl.24.Et q̃ creauit me,requeuit in tabernaculo meo. Lactauit infantem. Hinc spiritussanctus per os mulieris Luc.11.Beatus uenter qui te portauit,& ubera quæ suxisti. Pannis inuoluit,Luc.2.Duxit & reduxit angelo monente in Aegyptum,Mat.2.Doloroſe triduo quæsiuit absentem, Lucæ 2. Subsecuta est prædicantem, Vidit morientem Iohã.19.Stabat iuxta crucem IESV mater eius. Hic fuit gladius de quo sanctus ille Simeon Luc.2.Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Sicut ergo compassa,ita & conglorificata, Roman.8. 2.Timo.2. Nam & si commortui sumus,& conuiuemus:si sustinebimus, & conregnabimus. Vos estis(ait dominus discipulis)qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono uobis,sicut dispositit mihi pater meus,regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo,Luc.22.Ipsa nunquam defuit pa-

cienti. Qualis autem Mariæ pars in ea? O q̃ magna multitudo dulcedinis dei fuit in ea, quando spiritu-sancto superueniẽte, & uirtute altissimi obumbrante, ipsum dei filium concepit. Quid de deo non sapiebat, in qua sapientia dei latebat, & in cuius utero sibi corpus aptabat? Christus enim dei sapiẽtia & dei uirtus, 1. Cor. 1. In quo sunt omnes thesauri sapientię & scientiæ dei reconditi, Colo. 2. Hæc conseruabat omnia uerba, angelorum, pastorum, magorum, aliorumq; iustorum, necnon ipsius filij, conferens in corde suo, Luc. 2. 1. Cor. 7. Mulier innupta & uirgo cogitat quę domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Quis unquam gustauit & uidit q̃ suauis est dominus? Psal. 33. Inebriabatur enim ab hubertate domus dei, & torrente uoluptatis eius potabatur, Psal. 35. Nec mirum, quoniam apud eam, imò in ea erat fons uitæ, de quo manabat tanta perfectio utriusq; uitæ. Pars aũt ei aufertur Marthæ, sed bono suo: qa pars Mariæ in ea perficitur, quæ non auferetur. Est enim contemplatio per fidem, quædam cõtemplationis inchoatio per speciem habẽdę in patria. Mat. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebũt. O felix uisio, uidere non solum corporis CHRISTI claritatem, (qua conspecta, Petrus, omnium quæ in cælis siue in terris sunt oblitus, ait Matt. 17. Domine, bonum est nos hic esse.) sed & deitatis. 1. Iohan. 3. Videbimus eum sicuti est. Vere oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit deus diligentibus se, 1. Corinth. 2. Quid ergo gignenti, & quod certum est super omnes diligenti? Iohannis 14. In domo patris mei, ait dominus, mansiones multæ sunt.

1.Cor.15.Stella differt à stella in claritate. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Et domino teste, Mat.13. Fulgebũt iusti sicut sol in regno patris eorum. Qua ergo gloria in cęlis ista uirgo colitur, quæ domino cæli prębuit hospitium sui sanctissimi corporis? Exaltata est super choros angelorum. In bonis repletum est desiderium suum, à filio susceptа comitantibus angelis. Lazarum legimus ab angelis deportatũ in sinum Abraæ, Lu.16. Adfuere angeli domino nato, Lu.2. Mulieribus ipso rediuiuo, Mat.28. Discipulis ascendente ipso, Act.1. quis hęsitet quin arcam fœderis, domini templum, sacrarium spiritus sancti, cum iubilo in domum deduxerint Dauid? 2.Reg.6. Quin & filius festiuis illã amplexibus, ut matrem, & talem matrem decuit, iuxta se in throno collocauit, 3.Re.2. Famulo de ergastulo carnis egressuro conspicuũ se præbuit, Act. 7. Ecce uideo cęlos apertos, & Iesum stantem à dextris uirtutis dei. Hinc promisit Ioh.14. Iterum ueniam, & assumam uos ad meipsum, ut ubi ego sum, & uos sitis. Ioh.12. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi ego sum, illic & minister meus erit. Si qs mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Quo honore? Ioh.17. Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut uideant claritatem meam, quam dedisti mihi. Videt ergo deũ facie ad faciem, gaudet cum filio in æternum.

De doctrina orationis, Lucæ xi.

ARTICVLVS LV.

Luc.11. V

ET *factum est, cum esset in quodam loco orans, ut cessauit, dixit unus ex discipulis eius ad illũ.*

Domine, doce nos orare, sicut docuit Iohannes discipulos suos. Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.

Est precatio ueluti purissima uictima religionis euangelicæ, ad quam dominus frequēter secessit, suosq; discipulos consuefecit. Est enim precatio secretus ille cōgressus, qua mens humana, discussis oīnibus curis & phantasmatibus rerum terrenarū, ueluti subuecta in cælum, cum deo miscet colloquium. Quòd post orationem discipulum dominus instruxit, petentem formam & modum orandi, ostendit orationem non interrumpēdam. Quem aūt Iohannes suis discipulis modum dederit orandi, scriptum non est, quemadmodum & alia. Lu. 3. Multa quidē & alia exhortans euangelizabat populo. Potuit autem fieri, ut diuersis locis & temporibus, & diuersis personis eandem orationis proponeret formā, sicut & alia. Cum ergo multis uerbis docuisset suos, Christianorum precationē nec oportere ad ostentationem paratam esse, nec de rebus quibuslibet, præscripsit huiusmodi formam, quomodo & quid petendum sit ostendens.

Vide supra 1. ar. 26. u. 3.

Et ait ad illos: Quis uestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus uenit Luc. 11. X

de uia ad me, & non habeo quod ponam ante illum. & ille deintus respondens, dicat: Noli mihi molestus esse, iam enim ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubiculo, non possum surgere & dare tibi. Et ille si perseuerauerit pulsans, dico uobis, etsi non dabit illi surgens eo quòd amicus eius sit, propter ĩprobitatem tamen eius surget, & dabit illi quot-quot habet necessarios.

Pijssimus deus preces cõstanter & indesinenter ac feruide factas non despicit. Vnde quo magis excitaret suos ad instantiam orandi, & impetrandi fiduciã adderet, adiecit huiusmodi parabolã. Quàm exorabilis, inquit, sit deus natura beneficus erga filios suos, ex uobisipsis coniecturã facite. Amicũ, ueru, nõ flectum. Eccl. 6. Est amicus secũdum tẽpus suum, & non permanebit in die tribulationis. Est enim amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. Eccl. 37. Sodalis amico condolet causa uẽtris. Nullus autem sic amicus ut Christus, qui est primus ĩn aduentu, & ultimus in recessu. Ineffabili enim modo deus creaturis rationalibus præueniendo factus est amicus. Omnia enim diligit, & nihil odit eorum quæ fecit. Sap. 11. Ideo rependendo uelimus esse fidi amici eius, utpote à q̃ utriusq; uitæ necessaria emolumenta poterimus sortiri. Est enim amicus liberalissimus non solum sua, sed & seipsum dando. Ioh. 15. Maiorem hac dilectiõem nemo habet, ut animã suam ponat quis pro amicis suis. Ephe. 5. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo in odorem suauitatis. Fidelissimus, Eccl. 6. Amicus fidelis protectio fortis, qui

inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti, contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum uitæ & immortalitatis, qui metuunt dominum, inuenient illum. Hier. 31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. Piissimus, Eccl. 22. Mittens lapidem in uolatilia, deiiciet illa: sic qui conuiciatur amico, dissoluit amicitiam. Ad amicum si produxeris gladium, non desperes. est enim regressus ad amicum. Si aperuerit os triste, non timeas. Est enim concordatio, excepto conuicio, & improperio, & superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa. In his omnibus effugiet amicus. Ipse autem omnẽ offensam condonat, qm̃ non sumus soluendo. Lu. 7. Non habẽtibus unde redderẽt, donauit utrisq;. Hũc ergo accedere debemus affectu fideli. Heb. 4. Adeamus ergo cũ fiducia ad thronũ gratiæ eius, ut misericordiã cõsequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Psal. 33. Accedite ad eũ & illuminamini, & facies uestræ nõ cõfundent. Iste paup clamauit, & dñs exaudiuit eũ, & ex oĩbus tribulationibus eius saluauit eũ. Iac. 1. Om̃e datũ optimũ, & om̃e donũ pfectũ desursum est, descẽdẽs à patre luminũ. Vnde Psal. 83. Gratiam & gloriam dabit dñs. Esa. 45. Ego dominus & non alter, formans lucem, & creans tenebras: faciẽs pacem, & creans malum. Ego dominus faciens oĩa hęc. Deus iustus & saluãs non est absq; me. Conuertimini ad me oẽs fines terræ, & salui eritis, quia ego deus & non alius. Hinc Hier. 17. Sana me dñe, & sanabor: saluũ me fac, & salu⁹ ero. Ideo admonet Apostol⁹ Ro. 5. Iustificati ergo ex fide, pacẽ habeam⁹ ad

deum, per dominum nostrum Iesum Christum, per quẽ accessum habemus per fidem in gratiam istam in qua stamus. Ephe. 2. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad patrem. Sed heu quoties nobis aditum obcludimus? Esa. 59. Ecce non est abbreuiata manus domini, ut saluare nequeat: neq; aggrauata est auris eius, ut nõ exaudiat: sed iniquitates uestræ diuiserunt inter uos & deum uestrum, & peccata uestra absconderũt faciem eius à uobis ne exaudiret. manus enim uestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti uestri iniquitate: labia uestra locuta sunt mendacium, & lingua uestra iniquitatẽ fatur. non est qui inuocet iustitiam, neq; est qui iudicet uere. Thre. 3. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. Psal. 65. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet dñs. Esa. 1. Cum extenderitis manus uestras, auertam faciem meam à uobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. manus ẽm uestræ sanguine plenæ sunt. Quid ergo? Nunquid desperandum? Nequaquam. Nam iubet ut amicos faciamus de mammona iniquitatis, ut cum defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. Luc. 16. Iussit & pro inimicis orare, Mat. 5. Orate pro persequentibus & calumniantibus uos. Sic Ge. 20. Dixit dñs Abimelech regi Gerarę: Redde uiro suo uxorẽ, & orabit pro te, quia prophęta est, & uiues. Nu. 16. Stetit Aaron inter uiuos & mortuos, deprecans p populo, & plaga cessauit. Fuerunt aũt qui percussi, 14700. absq; his qui perierunt in seditione Chore. Sed & amicis Iob dñs ait Iob. 42. Sumite uobis septem tauros, & septẽ arietes, & ite ad seruũ meum Iob, & offeret holocaustũ pro uobis. Iob aũt seruus

meus orabit pro uobis, faciem eius suscipiã, ut non imputetur uobis stultitia. Sic Apostolus Ro. 10. Fratres, uolũtas quidẽ cordis mei, & obsecratio ad deum, fit pro illis ad salutẽ. Hoc est, Iudæis adhuc incredulis. Quemadmodũ ergo ex charitate pro alijs orare tenemur, ita ex humilitate aliorũ suffragia postulare possumus. Ro. 15. Obsecro ergo uos fratres, per dñm nostrũ Iesum Christum, & per charitatem sanctiſpiritus, ut adiuuetis me in orationibꝰ uestris pro me ad deũ, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa, & obsequij mei oblatio accepta fiat in Hierusalem sanctis, ut ueniam ad uos in gaudio, ꝑ uolũtatem dei, ut refrigerer uobiscũ. Phil. 1. Scio enim ꝙ hoc mihi proueniet ad salutẽ per uestrã orationẽ. Col. 4. Orationi instate, uigilantes in ea in gratiarũ actione, orantes simul & pro nobis, ut deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendũ mysteriũ Christi. Et Act. 12. Petrus quidẽ seruabat in carcere, oratio autẽ fiebat sine intermissione ab ecclesia ad deum pro eo. Legimus sanctorũ patrum meritis defunctorum, uiuis beneficia præstitisse. Pœnam relaxando. Exo. 32. Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit. dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, faciamq; te in gentẽ magnam. Moses autẽ orabat dñm deum suum, dicens: Recordare dñe Abraam, Isaac & Iacob seruorũ tuorum, qbus iurasti per temetipsum. Placatusq; est dñs ne faceret malum quod locutus fuit aduersus populum suũ. Deu. 9. Idẽ 3. Re. 11. factum est igit̃ in tempore illo, ut Heroboam egrederet̃ de Hierusalem, & inueniret eũ Ahias Silonites ꝓpheta in uia opertus pallio nouo. Erant aũt duo tm̃ in agro. Apprehendensq; Ahias palliũ

ſuum nouũ quo erat coopertus, ſcidit in duodecim partes,& ait ad Hieroboã: Tolle tibi decẽ ſciſſuras. Hęc enim dicit dñs deus Iſrael: Ego ſcindam regnũ de manu Salomonis,& dabo tibi decẽ tribus. Porro una tribus remanebit ei propter ſeruũ meũ Dauid, quẽ elegi, qui cuſtodiuit mandata mea & pręcepta mea. Sic & bonũ conferendo. Ge.26. Apparuit dñs Iſaac in Berſabee, d. Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuũ, propter ſeruum meum Abraã. Iacob benedicens filijs Ioſeph, ait Ge.48. Deus, in cui' conſpectu ambulauerũt patres mei Abraam & Iſaac, benedicat pueris iſtis, & inuocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoq; patrum meorum, Abraam & Iſaac. Legimus nihilominus & ꝓ nobis orare. 2. Macha. 15. dictũ fuit Iudæ Machabæo: Hic eſt fratrum amator & populi Iſrael, hic eſt qui multum orat pro populo & uniuerſa ſancta ciuitate, Hieremias propheta dei. Sic angeli nedum preces noſtras domino offerunt, Tob. 12. Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam domino. ſed & pro nobis interpellant, Zacha. 1. Reſpondit angelus domini & dixit: Domine exercituum, uſq; quo tu non miſereberis Hieruſalem, & urbium Iuda q̃bus iratus es? Et reſpondit dominus angelo qui loquebatur in me, uerba bona, uerba cõſolatoria. Iob. 33. Si fuerit pro eo angelus loquens unus de millibus, ut annunciet hoĩs æquitatem, miſerebitur eius, & dicet, libera eum, ut non deſcendat in corruptionem, inueni in quo ei ꝓpicier. Claret igitur, diuorũ implorare ſuffragia, diuinæ non derogare maieſtati, à qua habent ſi quid præſtant. Non em̃ ut dños, ſed ut dñi famulos & amicos ipſos inuocamus. Quid eſt me-

Suffragia diuorũ approbantur.

dia nocte? Tribulatione, tẽtatione, & multiplici peccati ruina. Esa. 28. Tantummodo sola uexatio intellectũ dabit auditui. Ose. 6. In tribulatione sua mane cõsurgent ad me. Esa. 26. Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spũs meus in p̃cordijs meis. Notant hic conditiones bonæ orationis. Prima, ut sit fidelis. Nam Iac. 4. dicitur: Petitis, & non accipitis, eo q̃ male petatis. Vnde hic dicit: Ibit ad eũ, fiducialiter s. Heb. 11. Accedentem ad deũ, oportet credere quia est, & q̃ inquirentibus se remunerator sit. Iac. 1. Si qs indiget sapientia, postulet à deo, qui dat om̃ibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à uento mouetur & circunfertur. Non ergo æstimet homo ille, q̃ accipiat aliquid à dño. Mar. 11. Quæcunq̃ orantes petitis, credite quia accipietis, & eueniet uobis. Sic cęcis ait Mat. 9. Secundum fidem uestrã fiat uobis. Et aperti sunt oculi eorum. Secunda, Cordialis. & dicet illi. Phil. 4. Nihil soliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones uestræ innotescant apud deum. Psal. 9. Desiderium pauperum exaudiuit dñs, præparationẽ cordis eorũ audiuit auris tua. Sic Mosi tacẽti & in terra iacẽti ait dñs Exo. 14. Quid clamas ad me? Vocalis enim oratio, ad mentalem excitandã & inflammandã ordinat: & inquantũ iuuat, usitanda, nisi præcepta fuerit. 1. Cor. 14. Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallã & mente. Alioqui dicitur de nobis Mat. 15. Populus hic labijs me honorat, cor aũt eorũ longe est à me. Ose. 7. Et non clamauerunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis. Ideo orat

Orationis bonę conditiones. 2

Psal.140. Dirigatur dñe oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Tertia, Virtualis. Amice. August. Amor est primum donum in quo omnia bona donantur. Ideo in exordio precis nomẽ amici præmittit, quum charitas ratio sit impetrãdi. Amice q̃ nunq̃ deseris. 1. Ioh. 4. In hoc est charitas dei, non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Hinc Iudæ ait Matt. 26. Amice, ad quid uenisti? Curandum ergo ut nos amici simus per uitam uirtuosam Ioh. 15. Vos amici mei estis, si feceritis q̃ præcipio uobis. Lu. 6. Quid autem uocatis me, dñe domine, & non facitis quæ dico? Tob. 12. Bona est oratio cum ieiunio. Eccl. 7. Exorare & facere elemosynam ne despicias. Cõtra Pro. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Pro. 28. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Patet in Antiocho. 2. Mach. 9. Orabat hic sceleſtus dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Et dominus ait Hier. 7. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, quia non exaudiam te. Et 11. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis. Et 14. Noli orare pro populo isto in bono. Cum ieiunauerint, nõ exaudiam preces eorũ: & si obtulerint holocaustomata & uictimas, non suscipiam ea. Manasses qui multis malis irritauit dominum, ut impleret etiam Hierusalem sanguine propheratum usq̃ ad os, postq̃ coangustatus est, orauit dominum deum suum, & egit pœnitentiam ualde coram deo patrum suorũ. Deprecatusq̃

est eum,& obsecrauit,& exaudiuit orationem eius, reduxitq; eum dominus in Hierusalem in regnũ suum,& cognouit Manasses quod dominus ipse esset deus. Sic Niniuitæ pœnitentes & orantes, misericordia dei non sunt subuersi. Ion. 3. Quarta, Humilis. Nam indigentiam suam manifestare non erubuit. Commoda, ait, mihi. Hæc defuit pharisæo Luc. 18. Hinc Iudit. 9. Nec superbi tibi placuerunt abinitio, humilium ac mansuetorum tibi semper placuit deprecatio. Psal. 36. Subditus esto deo & ora eum. Vt de nos docuit Mat. 6. Fiat uolũtas tua. Sic ipse Lu. 22. positis genubus orabat: Pater, si uis, transfer calicem istum à me. Veruntamen non mea uoluntas, sed tua fiat. Sic magi procidentes, puerum adorauerũt, Mat. 2. Eccl. 35. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet, donec altissimus aspiciat. Quinta, Vtilis. Tres panes. Filij Israel in malum suum petierunt carnes. Num. 11. Adhuc carnes erãt in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor domini concitatus in populũ, percussit eum plaga magna. Consessum regni petentes filij Zebedæi, reprehensi audierũt: Nescitis quid petatis, Mat. 20. Aug. Tria sunt genera bonorum. Infima quæ sunt temporalia, hæc sub conditione & moderamine petenda. Pro. 30. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum uictui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est dñs? aut egestate compulsus, furer & periurem nomẽ dei mei. Aug. Quum à deo petis temporalia, cum modo pete & timore: illi cõmitte, ut si ꝓsint, det: si sciat obesse, non det. Quid eñ ꝓsit uel obsit, nouit medi-

Bona quo tuplicia.

cus,non ægrotus. Media sunt spiritualia,ut uirtutes & dona spiritussancti. Suprema,eterna sunt,hęc absque conditione petenda. Bonum ergo tẽporale petendum in subsidium,spirituale in meritum, cæleste in præmium. Chrys. Illa pete à deo,quæ tibi magis expediunt,& deum magis decet præstare,& te accipere. Si autem semper petis terrena,aut difficile impetras, aut forte non impetras. Quomodo ẽ illa præstabit libẽter,q̃ si habes,admonet ut contẽnas? Panes ergo petit, nõ corporales quibus corpus, sed spirituales, quibus pascitur anima. Intelligentiã trinitatis,qua præsentis uitæ consolantur labores. Vel fides qua intellectus, spes qua irascibilis, charitas qua concupiscibilis pascitur,ut intelligam,diligam, & faciam. Eccl. 15. Cibauit illum pane uitæ & intellectus. Iohã. 4. Meus (inquit Seruator) cibus est,ut faciam uoluntatem eius qui misit me. Hoc cibo reficitur corpus,anima & spũs,ne pereant. Necessitatis insinuat causam. Ber. Ego quidem amicũ ad me uenientẽ, nõ alium existimo q̃ meipsum: q̃ppe quum charior mihi nemo, nemo mihi germanior q̃ ego mihi ipsi. Sed hic quoties ad terrena q̃renda & mundana tractanda uagatur, toties à nobis recedit animus. Hiere. 31. Vsquequo delicijs dissolueris filia uaga? Mat. 6. Vbi thesaurus tuus ẽ, ibi & cor tuũ erit. Reducit autem tribulatione. Ose. 2. Ecce ego sepiam uiam tuam spinis,sepiam eã maceria,& semitas suas nõ inueniet,& sequet amatores suos & non apprehendet eos,& q̃ret eos, & nõ inueniet, & dicet: Reuertar ad uirũ meũ priorẽ, q̃a bene mihi erat tũc magis q̃ nũc,& hęc nesciui. Aut inedia. Lu. 15. Et cũ cœpisset egere,in se reuersus,dixit: Quãti mercenarij in domo patris mei abundãt panibus, & ego hic

fame peo? Surgã & ibo ad patrẽ meũ. Sic animus uiam uitio ꝝ secutus ac uolũtatis ꝓprię, nõ satiatus uolitis, neq; refectus obtentis, ad animi ianuã & rationis cõuertit, cęlesti alimonia refici desiderãs, cũ in se reuers⁹, supna cœperit atq; cęlestia meditari ac spũalia. Esa. 46. Redite p̃uaricatores ad cor. Non aũt uenit de uia q̃ Christus est, direxisset em̃ eũ in uiã salutis & pacis, Lu. 1. sed de uia ꝑditionis. Sap. 5. Ergo errauimus à uia ueritatis, & iustitiæ lumẽ non luxit nobis, & sol intelligẽtiæ nõ est ortus nobis. Lassati sumus in uia iniqtatis & ꝑditionis, & ambulauimus uias difficiles, uiam aũt dñi ignorauimus. Quid nobis ꝓfuit supbia nostra? diuitiaꝝ iactantia qd cõtulit nobis? Transierũt oĩa illa tanq̃ umbra, & tanq̃ nuncius p̃currens. Et non habeo. 1. Cor. 4. Quid em̃ habes q̃d non accepisti? 2. Cor. 3. Non ꝙ sufficientes simus cogitare aliqd à nobis tanq̃ ex nobis, sed oĩs nostra sufficiẽtia ex deo est. Ioh. 15. Sine me nihil potestis facere. Hinc Apo. 3. Dicis qa diues sum, & nulli⁹ egeo, & nescis qa tu es miser & miserabilis & pauꝑ, & cæcus & nudus. Ex nobis ipsis neq; tẽtationibus obsistere, neq; curare q̃ dei sunt possum⁹. Deus aũt oĩa implẽs, aĩabus nostris illabit, intusq; eas occulta inspiratione alloqtur. Psal. 84. Audiã qd loq̃tur in me dñs deus. Christus intus, nos de foris: sed exibit, ut introducat nos ad nuptias, Matt. 25. Noli mihi molestus eẽ. More loqtur humano dñs in scripturis, intelligentiæ nostræ debilitati condescendens. Sic Esa. 1. Laboraui sustinens, facta sunt mihi molesta. Esa. 7. Nũquid parum est molestos uos esse hominibus, quia molesti estis & deo meo? Difficulter exaudit, quia minus sumus idonei. Matth. 15.

Non est bonum sumere panem filiorum & dare ca nibus. Aug. Differt dare, ut ampli⁹ desideres dilatū, nec uilescat cito datū. Claudit ostiū p peccatū. Ioh. 10. Ego sum ostiū. Thren. 3. Nos inique egimus, p̄pterea inexorabilis factus es. Sed pnię hūilitate apetit. Act. 10. Angelus ait Cornelio: Oratiōes tuæ & eleemosynę tuę ascēderūt ī memoriā ī cōspectu dei. Attñ erat gētilis, sed timēs deū, faciēs eleemosynas, & deprecans deū semp. Pueri sunt, q p uirtutē facti sunt filij dei, & recūbūt & qescūt cū, imo ī deo. Apo. 14. Amodo iã dicit spūs, ut requescāt à laboribus suis. Heb. 2. Ecce ego & pueri mei, q̄s dedit mihi deus. De quibus Mat. 18. Nisi efficiamini sicut paruuli, nō intrabitis in regnū cęlorū. Nam 1. Cor. 14. Nolite pueri effici sensib⁹, sed malitia paruuli estote. Quia puer centum annorum morietur, & peccator centum annorū maledictus. Sexta, ut sit stabilis. Si ēm pseuerauerit, nec pudore uictus, nec tædio fatigatus, nec desperatione fractus, tāetsi non surgat eo q̄ amicus est. Virtus ēm amicitiæ quandoq; torpescit in amicis. 1. Ioh. 3. Filioli, non diligamus uerbo & lingua, sed ope & ueritate. improbitate tñ uict⁹, dabit q̄t̄q̄t habet necessarios, nō ad uoluptatē, sed necessitatē. Quod amicus ergo egēs faceret apud amicū hominem, hoc multo magis unusquisque audeat facere apud benignū deū patrē, cui grata est talis importunitas, & q dādo exhauriri nō potest. Ecci. 18. Nō impediaris orare semp, & ne uereris usq; ad mortē iustificari, q̄m merces dei manet in ęternū. Luc. 18. Oportet semp orare & nūq̄ deficere. Rationē adijcit Petrus 1. Pet. 5. Sobrij estote & uigilate, q̄a aduersarius uester diabol⁹ tanq̄ leo rugiēs circuit, q̄rēs quē

deuoret. Matth. 26. Orate, ne intretis in tentationē. Quo aũt grauior instat tẽtatio, eo * anxiꝰ orandũ. Vnde dñs Lu. 22. Factus in agonia, ꝓlixius orabat. Multũ aũt ualet deprecatio iusti assidua. Helias hõ erat similis nobis passibilis, & oratiõe orauit, ut nõ plueret sup terrã: & nõ pluit annos tres & mẽses sex. Et rursus orauit, & cælũ dedit pluuiã, & terra dedit fructũ suũ, Iac. 5. 3. Reg. 17. Si iusti, qd iustoꝝ? Mat. 18. Si duo ex uobis cõsenserint sup terrã, de oñi re quãcũq; petierit, fiet illis à patre meo q in cælis est. Sic Iudith 6. Cõuocatus oĩs populus ꝑ totã noctẽ intra eccleſiã orauerũt, petẽtes auxiliũ à deo Israel. Hinc ꝓcessiones & uenerabilis sacramẽti deportatio. Si adarcę deportationẽ, i q̃ nõ erat nisi urna aurea habẽs mãna, & uirga Aaron q̃ fronduerat, & tabulę testamẽti, Heb. 9. aq̃ Iordanis steterũt, Ioſue. 3. & 4. muri Hiericho corruerũt, Ioſ. 6. hostes cõterriti, 1. Reg. 4. et plagati, 1. Reg. 5. & 6. ad cuius ꝑsenti am respõsa dabãt, Exo. 25. quãto magis hic, quum ꝑsentẽ habeamus eũ, q cũ patre exaudit, & opitulat, necnõ apud patrẽ, ꝓ nobis interpellat? Ro. 8. Christus Iesus q mortuus est, imò q & resurrexit, q est ad dexterã dei, q & interpellat, ꝓ nobis. 1. Iohã. 2. Si qs peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem, Iesum Christum iustum.

Et ego dico uobis: Petite, & dabitur uobis: quæri te, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Quis autem ex uobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem, nunqd pro pisce serpẽtem dabit illi? Aut si petierit ouum, 3

nunquid pro ouo scorpionē porriget illi? Si ergo uos quum sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris, quanto magis pater uester cælestis de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?

Ab hoc igit uotis petendū, si q̄ indigemus. Quærite, ait, si qd ignoratis: & inuenietis afflatu spūs paterni, q̄d humano spū p̄cipi nō poterat. Pulsate precibus, addēdo eleemosynas in ꝓximos. Aug. Petite fide, q̄rite spe, pulsate charitate. Bed. Pēsandū q̄ regnū cęlorū nō ociosis & uacātibus, sed petētibus, q̄rētibus, pulsantib⁹, dandū, inueniendū & aperiendū esse testat. Petēda est ergo regni ianua orādo, q̄rēda uiuēdo, pulsanda pseuerādo. Non em̄ sufficit uerbis tantummō rogare dñm, si nō etiā q̄rimus diligēter q̄liter nobis sit uiuendū, ut digni simus impetrare q̄ poscimus. Mat. 7. Non oīs q dicit mihi, dñe dñe, intrabit in regnū cælorū: sed q facit uolūtatem patris mei q in cælis est. Neq; aliquid prodest bona incho asse, si non studeat quisq; bona quæ inchoauerat, usque ad finem firmum perducere: quin imō melius erat non cognoscere uiam iustitiæ, quàm post agnitionē retrorsum conuerti, 2. Pet. 2. Apud hominem nonnunquam incassum funduntur preces, uel quia non potest p̄stare quod rogatur, uel quia non uult. Verum apud deum, quisquis petit, accipit. Nouit q̄ conducāt ad salutem æternam, hæc libenter donat rogatus. Quid enim petendum, Psal. 26. indicat, d. Vnam petij à domino, hāc requiram, ut inhabitem in domo domini, in longitudine dierum. Beati em̄ qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te, Psal. 83. Ad hoc omnis nostra di-

rigẽda petitio. Tob.4. Pete à domino ut uias tuas dirigat. Nam Hiere.10. Non est hominis uia eius, neque uiri ut ambulet & dirigat gressus suos. Hinc Psalm.118. Vtinam dirigantur uiæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas. Delectare ergo in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Psalm.36. Desiderium enim suum iustis dabitur. Prouer.10. Desiderium uerò peccatorum peribit. Psal.111. Quærenti. Psalm.9. Quoniam non dereliquisti quærentes te domine. Quid quærendum, dominus insinuat Mat. 6. Quærite primũ regnum dei, & iustitiã eius & hæc omnia (ad uictum & uestitum pertinentia) adijcient uobis. Regnũ aũt dei & iustitiam eius q̃rere, est & patriæ cælestis dona desiderare, & q̃bus iustitiæ meritis ad hæc pueniat, indesinẽter pquirere. Hiere.29. Cum q̃sieritis me in toto corde uestro, inueniar à uobis, dicit dñs. Psal.68. Quærite dñm, & uiuet anima uestra. Pulsanti, ostium gratiæ aperietur. Apo.3. Qui habet clauem Dauid, q̃ aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Veniet autem tempus quando nemini aperietur. Mat.25. Quæ paratę erant, intrauerunt cum eo ad nuptias: & clausa est ianua. Nouissimè uero ueniunt & reliquę uirgines, dicẽtes: Domine domine, aperi nobis. At ille respõdens, ait: Amẽ dico uobis, nescio uos. Lu.13. Cũ aũt intrauerit paterfamilias, & clauserit ostiũ, incipietis foris stare & pulsare ad ostiũ, dicentes: dñe dñe, aperi nobis. Et respõdens, dicet uobis: Nescio uos unde sitis. Hinc 2. Cor. 6. Hortamur ne in uacuũ gratiã dei recipiatis, ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nũc tẽpus acceptabile, ecce nũc dies salutis. Quod si p errorẽ rogarẽ

Regnum dei quærere, quid.

noxia, ꝓ beneficio duceret negare q̃d male peteret, sed ꝓ optatis daret salutaria. Sicut em̃ panis, piscis & ouũ, sunt hoĩs cibus, ita & petitiones nostrę utiles esse debent nobis, alioq̃ nõ dabit nobis. Si ergo qs à patre cælesti petierit panem charitatis, piscem ꝓfectæ fidei, ouum spei, dabit ei non cõtraria, sed remõuebit ab eo lapidẽ obdurationis, serpentẽ infidelitatis, & scorpionẽ desperatiõis. Beda: Quia in cõparatiõe diuinę bonitatis, oĩs creatura esse mala ꝓbat, dicente dño Marc. 10. Nemo bonus nisi solus deus. Est em̃ in nobis malũ pœnæ, est & culpæ: quia ab infantia sensus & cogitatio ad malũ prona sunt, Gen. 8. & Iob. 25. Ecce stellæ non sunt mũdæ in conspectu eius, quãto magis hõ putredo, & filiꝰ hoĩs uermis? Si ergo pater carnalis nõ dat malũ petẽti bonũ, multo minus pater cęlestis, q̃ essentialiter bonus est, & à q̃ om̃e bonũ, Iac. 1. Et qa summe bonus, ideo summe cõmunicatiuus: & qa pater, habet ad filios beneuolentiam: quia uester, habet de uobis diligentiam: qa in cælis, habet in dando sufficientiam. Bed. Spm̃ bonum petentibus, dandũ à patre pollicetur: quia siue fidem, spem, charitatem, siue quælibet bona cęlestia desideramus adipisci, nõ aliter nobis hęc quàm per spiritumsanctum donum tribuũtur. Psal. 50. Cor mundum crea in me deus, & spiritum rectũ innoua in uisceribus meis. Quia si non interiora spũs dñi rectus impleuerit, cor in nobis mundum unde est non habebit. Petamus ergo deum patrem, ut spiritus sui gratia nos in uiam rectæ fidei, quæ per dilectionem operat, inducat: & ut optata mereamur ꝓcipere, taliter uiuere studeamus, ne tanto patre simus indigni. Psal. 142. Spũs tuꝰ bonꝰ deducet me in

terrã rectã. Sap. 7. Inuocaui, & uenit in me spiritus sapientiæ. Est enim deus in omni opere suo summe misericors & iustus: & quia misericors, ideo libentissime condescendit humanæ miseriæ per infusionem suæ gratię: quia uero simul cum hoc iustus est, ideo donum perfectum non dat nisi desideranti, nõ dat gratiam nisi regratianti, non impẽdit misericordiam nisi miseriam suam recognoscenti, ut salua sit libertas arbitrij, & non uilescat nobilitas doni, & integer perseueret cultus honoris dei.

De traditionibus pharisæorum, Lucæ xi.

ARTICVLVS LVI.

ET *cum loqueretur, rogauit eum quidam pharisæus, ut pranderet apud se. Et ingressus, recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Et ait dominus ad illum: Nunc uos pharisæi quod deforis est calicis & catini, mundatis: quod autem intus est uestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam quod intus est fecit? Verũtamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis.* Luc. 11. Y.

Seruator qui peccatores uenit sanare & informare, non recusauit, quanquam pharisæorũ non ignoraret liuorem, propter istucipsum quòd mali erant & correctioni indigebãt. Quum ergo dominus accubuisset illotus præter morem pharisęorũ, Mar. 7. Pharisæi enim & omnes Iudæi nisi crebro lauerint

manus,non mãducant,male habuit phariſæũ.Stulti enim putabant,quòd cum corpore quando baptizabatur & lauabatur, ſimul & anima purgaretur. Dominus non ad uerba,ſed cogitata reſpõdit, quo ſe deum,cordis ſecreta rimantẽ oſtendit.Prou.24. Qui inſpector eſt cordis,ipſe intelligit. Atq; exemplo perſuadet eis,q; ſicut nulla quidem utilitas, extrinſecus mundum eſſe poculũ, intrinſecus aũt plenũ ſordibus:ſic neq; ſi corpus baptizetur,anima aũt plena ſit oñi immunditia. Vera puritas in animi ſita eſt innocentia. Vos lauatis res extrarias, & nihil ad uerã pietatẽ facientes, atq; interior & potior ueſtri pars illota, ſcatet ſordibus deo abominandis. Inſinuat duplici eos laborare morbo,auaritia p rapinã,inuidia & q̃ ex inuidia proueniũt p malitiam, & ſic uitijs contra deũ & proximũ. O ſtulti puerſiq; iudicij.Nonne qui condidit corpus,quod multa cura dignaris,idem condidit & animam? Itaq; ſi puritas uſq; adeò cordi eſt, oportebat totum hominem purũ facere. 2.Cor.7.Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationẽ in timore dei. Vt ſapientiſſimus medicus, poſt increpationẽ rigoroſam adiungit informationem benignã,infundens oleũ & uinũ, Inſinuauerat duplici eos laborare morbo,auaritia per rapinã,inuidia autem per malitiam,uno remedio eleemoſynæ utrunq; ſanat,quæ prima eſt filia charitatis deiſi caritis.Si eñ adfuerit dilectio,ubi manebit auaritia & inuidia? Vel exprobratiue accipi poteſt, ut ſit ſenſus:Sed interim uobiſipſis blandimini quaſi abunde puris, ſi corpus & uaſa ſubinde lauetis aqua, & animum fraudibus,rapinis,odio,liuore,ambitione,cæ

terisq́ uitijs inquinatũ, purgetis eleemosyna, quam cum ad ostentationem faciatis, tamen arbitramini sufficere ad summam animi munditiem.

De confricatione spicarum, Mat.xij.Mar.ij.Lu.vi.

ARTICVLVS LVII.

IN illo tempore abijt Iesus per sata sabbato. discipuli autem eius esurientes, cœperunt uellere spicas, & manducare. Pharisæi autẽ uidentes, dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet eis sabbatis. At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit Dauid, quando esurijt & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erãt, nisi solis sacerdotibus? Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum uiolant, & sine crimine sunt? Dico autem uobis, quia templo maior est hic. Si autem sciretis quid est, misericordiam uolo, & non sacrificium, nunq̃ condemnassetis innocentes. Dominus enim est, filius hominis, & sabbati. Mat.12. Z

Luc.6. Factum est autem in sabbato secundo primo. Iudæi omne festum, sabbatũ nominabant. Sabbatum enim quies dicitur. Sæpe aũt occurrebat festum in parasceue, & uocabant parasceue sabbatũ, propter festum: deinde quod proprie est sabbatũ, nominabant secundo primum, eo quôd sequatur festum & sabbatum quod pręcesserat. Hieronymus: Discipuli ob nimiam populi importunitatem, nec

uescendi locum habebant, ideo quasi homines esu-
riebant. Quod autem spicas segetum uellicabant ut
inediam consolarentur, uitæ austerioris indiciũ est,
non præparatas epulas, sed cibos simpliciores quæ-
2 rentium. Pharisæi undiq; captãtes calumniandi ma
teriam, naturalem passionem arguunt, quum ipsi
grauius peccent. Luc. 6. Quidam autem pharisæo-
dicebant illis: Quid facitis quod non licet in sabba-
tis? Quemadmodum autem discipulorum probitas
commendat præceptorem, ita malefacta solent his
imputari qui instituerunt, hinc & dominum aggre-
diuntur, uolentes culpam in ipsum retorquere. Do
minus uero sic patrocinatus est suis discipulis, ut le-
gis Mosaicæ peritos ex ipsa lege refelleret, pro sua
mansuetudine docens, qui reprehendi meruerant,
obiiciens exemplum ex lege non cuiuslibet, sed eius
quem ipsi habebant in primis probatum & incul-
patum Dauid, qui nihil commotus, neq; templi reli-
gione, neq; legis interdicto, uetantes quenquam at-
tingere panes illos, præter sacerdotes, idq; tantisper
donec in templo uersantes sacris operarentur. Hie-
ronymus: Non dubitauit panes dari, si mũdi essent,
melius arbitratus, propheta dicente Ose. 6. miseri-
cordiam uolo, & non sacrificium, de famis periculo
homines liberare, quàm deo offerre sacrificiũ. Ob-
serua quod 1. Reg. 21. dicitur, non habeo laicos pa-
nes, sed sanctos: si mundi sunt pueri, maxime à muli
eribus, manducent. Quia alienus non comedit ex
eis, quum & cibum desiderabilium Christus cũ apo
stolis mãducat, Luc. 22. Desiderio desideraui hoc pa
scha mãducare uobiscũ. Mundos ergo esse congru-
it sacros à mulieribus, quòd peccata carnis maioris

sint infamiæ & immunditiæ.1.Cor.6.Qui fornicatur,in corpus suum peccat.1.Thes.4. Hæc est uoluntas dei,sanctificatio uestra,ut sciat unusquisq; uestrū uas suū possidere in sanctificatione & honore. Nō de spicarum confricatione,quod licebat, Deu.23.Si intraueris segetem amici tui,franges spicas,& manu conteres,falce autem non metes.sed sabbati uiolatiōne accusabant.Sed præcepta talia dispensationem recipiebant & interpretationem. Bernardus: Non sum tam rudis,ut ignorem uos dispēsatores esse positos,sed in ædificationem,nō in destructionem, 2. Corin.10. Vbi ergo urget necessitas, excusabilis est dispēsatio:ubi utilitas prouocat,laudabilis est: utilitas inquam communis,non ,ppria. Ait ergo: Hoc si nescitis esse scriptum,aut si non meministis, q̄ frōte profitemini scientiam legis? Si scitis ac meministis,cur in simili causa Abiathar &Dauid absoluitis, atq; etiam probatis,meos ut nefarij sceleris reos defertis? Si tātum tribuitur sacrificio, ut qui illi seruit, impune uiolet sabbatū,operando manualiter,quur non & illum habetis excusatum,qui necessitati consulit naturæ,necessario beneficio subleuans proximum die sabbati,quandoquidem hoc sacrificiū deus sibi fatetur pluris esse,quàm si quis immolet pecudem? Vos legis peritiā profitemini,& tamen in lege scriptum est,quod si uere intelligeretis, nunquā ob rem leuem & nulli noxiam,culpassetis innocentes. Hilarius:Opus salutis nostræ non in sacrificio, sed in misericordia est: & lege cessante,in misericordia saluamur:cuius rei donum si intellexissent, nunquam condemnassent apostolos,quos insimulaturi erāt transgressæ legis. Mar.2.Et dicebat eis: Sab-

batum propter hominem factum est, nõ homo propter sabbatũ. Illud ergo scitote & habetote pro certo, quod filius hominis, qui dominus est omnium, Apo. 19. Habet in uestimento & in femore suo scriptum, Rex regum & dominus dominantium, dominus est etiam sabbati. Etenim qui condidit sabbatũ, abrogare potest sabbatum. Doctrinam habemus non iudicandi alios.

De sanatione manus aridæ, Mat. xij. Mar. iij. Luc. vi.

ARTICVLVS LVIII.

Mat. 12. A

ET cum inde transisset, uenit in synagogam eorum. Et ecce homo manum habens aridam. & interrogabant eum, dicẽtes: Si licet sabbatis curare? Vt accusarẽt eum. Ipse autem dixit illis: Quis erit ex uobis homo qui habet ouem unam, & si ceciderit hec sabbatis in foueã, nõne tenebit & leuabit eam? Quanto magis melior est homo oue? Itaque licet sabbatis benefacere.

Lu. 6. Factum est autem & in alio sabbato, ut intraret in synagogam, & doceret. Obtulit se rursum, & domino benefaciendi, & pharisæis calumniandi occasio. O malitiam pharisæorum, oculatam ad calumniandum benefacta Christi: cæcã, ad intelligendum doctrinã cęlestẽ. Lu. 6. Et erat ibi homo, & manus eius dextra erat arida. Obseruabãt aũt eũ scribę & pharisæi, si in sabbato curaret, ut inuenirent unde accusarẽt eũ. Hiero. Quia destructionẽ sabbati quã pharisæi in discipulis arguebant, probabili exemplo excusauerat, ipsum calumniari uolunt: ut si nõ cura-

ret,crudelitatis aut imbecillitatis:si curauerit,transgressionis accusarent, quum facti testem haberent multitudinem. Luc.6. Ipse uero sciebat cogitatiões eorum.Et ait homini qui habebat manum aridam: Surge & sta in medium.& surgens,stetit.Nihil quidem rogabat miser, uerum hocipsum erat rogare miserabili,uenire in cõspectũ misericordis Iesu.Cõpellat ergo hominem cui manus erat mãca, quo pasam faceret omnibus,pharisæorum calumniam nõ ex religione proficisci,sed ex inuidia: & quo uitium esset omnibus conspicuum,iussit stare in medium. Luc.6. Ait autem ad illos Iesus: Interrogo uos, si licet sabbatis benefacere,an malefacere? animam saluam facere,an perdere? Hic dominus nõ prodidit quidem populo malitiosas ipsorum cogitationes, sed interrogatione perculit illorum conscientias, dicens: Libens à uobis didicerim, qui profitemini legis scientiam,utrum liceat sabbato iuuare proximũ, an potius deserere proximum in calamitate,cui possis subuenire? Hieronymus:Sic soluit quæstionem,ut interrogantes auaritiæ condemnaret.Mar.3. At illi tacebant. Non enim fallebat illos,quo tenderet hæc cornuta quæstio. Tacentibus illis, Iesus ipse collato exemplo soluebat nodum quęstionis.Si tantũ apud uos ualet auaritia,ut malitis uiolare sabbatũ, quàm unam pecudem interire, rebus uestris consulentes: quanto magis hoc debet impetrare charitas,ut ꝓximum qui longe melior est oue,subleuetis die sabbatis? Palàm est igit,etiã uobis iudicibus,fas esse beneficio iuuare ꝓximũ sabbato.Ostẽdit itaq; ex auaritia dissoluere ipsos sabbatũ,sed ꝓpter inuidiã non ferre ut curaret homo.Marc.3.Et circũspiciens eos in ira,contristatus est sup cæcitate cordis eoꝝ.

2 *Tunc ait homini: Extende manum tuam. & extendit, & restituta est sanitati sicut altera.*

Igitur dominus, quum expectato responso, uideret omnes pharisæos non ignoratione ueri, sed obstinata malitia ueluti cõiuratos obmutescere, ne his quidem uerbis sentiret illorum inuidiam mitescere, nec homines miserandi conspectu, nec ratione tam euidenti commoueri, circũtulit oculos in illos, ipso uultu præ se ferens, quanta cũ ira, quantoq; dolore ferret illorum insanabilem malitiam. Nulla em cæcitas immedicabilior, quàm quum quis sciens & uolens cæcus est. dicto hominem curauit. Simul enim cum dicto protendit manum sanam & agilem non minus quàm erat altera. Erant nobis olim manus sanæ, hoc est, efficax uirtus ad operandum: ubi autem extenta est ad fructum prohibitum, arescere cœpit manus ad operationẽ boni: sed p Christum restituitur, si in medio steterimus uirtutum. Et hoc in sabbato: quia prius cessandum à malo, & post faciendum bonum, Psal. 36. Multi & nunc manus aridas habent, immisericordes: & quando sermone euangelico tanguntur, extendunt ad communicandum. Hieronymus: Auaros signat, qui nolentes dare, uolunt accipere: prædari, non largiri, quib' dicitur ut extendant manus. Ephe. 4. Qui furabat, iam non furetur: magis autẽ laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.

Exeuntes autem pharisæi, consilium faciebant aduersus eum, quomodo perderent eum. Iesus autem sciens, recessit inde. & secuti sunt eum multi, & curauit

eos omnes. Et præcepit eis ne manifestum eum facerent, ut adimpleretur quod dictũ est per Esaiam prophetam, dicentem: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam Esa. 42.
spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nunciabit. Non contendet neq; clamabit, neque audiet aliquis in plateis uocem eius. Arundinem quassatam nõ confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eijciat ad uictoriam iudicium, & in nomine eius gentes sperabunt.

Quum ex his factis debuerint agnoscere uirtutẽ diuinam & legis autorem, uertuntur in amentiam. 5
Luc. 6. Ipsi autẽ repleti sunt insipientia, & colloquebantur adinuicem quidnam facerẽt de Iesu. Hieronymus: Quod moliũtur insidias, liuor in causa est: nam & ipsi calicẽ porrigunt in sabbato. Quem eñ illæ rationes non abduxissent ab errore? Quẽ tam euidens miraculum non excitasset ad glorificandũ deum? Sed hoc tam insigni facto in rabiem acti pharisæi, quum uiderent hanc ansam sibi ereptam calumniãdi Iesum & accusandi, digressi à synagoga, relictaq; turba, quam intelligebant esse propensiori studio in Iesum, ascitis Herodianis, q̃ firmior esset conspiratio, clancularijs inter se cõsilijs agitabant, q̃modo Iesum extinguerent, quẽ ut uidebant potentibus factis longe superiorem, ita nec dictis refelli posse sentiebant. Mar. 3. Exeuntes autem pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciebãt aduersus eum, quomodo eum perderent. Inuidi quãdo beneficijs afficiuntur, insaniunt. Vt ergo egressi sunt à deo, tũc

perdere moliuntur Iesum, sicut Iudas. Psal.63. Firmauerunt sibi sermonem nequam. narrauerunt ut absconderent laqueos. dixerunt, quis uidebit eos? Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes, scrutinio. Iesus non ignarus quid molirentur, cessit: nō uti sibi cōsuleret, sed ut illis subtraheret occasionem impii facinoris: simulq; moneret, euangelicam doctrinam non terroribus, non conuiciis aut contentionibus esse defendendā aduersus rebelles, sed māsuetudine: necnon exemplo nos docens suo, non nunquam ad tempus cedendum [illegible] medicabili malorum peruicaciæ, ne prouocati reddantur sceleratiores. Temere enim se periculis inijcere, deo gratū non est. Et quia necdum uenerat hora eius, & quia non capit prophetam perire extra Hierusalem, Lu. 13. Præluditur etiam ad congregandam gentium ecclesiam, quando synagoga per incredulitatem repellebat euangelium dei. Dans humilitatis exemplum & uanæ gloriæ fugiendæ, præcepit turbæ ne se manifestum facerent. Neq; casu hoc factum est, sed ita futurum, prædictum erat per Esaiam 42. ubi pater filij uictoriam mansuetudine partam, ac salutem euangelicam, ob satis omnibus spectatam Iudæorū pertinaciam, ad gentes delatam describit, quanquā Matthæus aliquanto diuersius citat, quàm uel apud Septuaginta, uel apud Hebræos legatur. Nam Hebræa Hieronymus reddidit in hunc modum: Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi anima mea in illo. Mat. 3. & 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacui. Ioh. 8. Quæ placita sunt ei, facio semper. Dedi spiritum meū super eum. Ioh. 3. Non enim ad mensurā dat deus spi-

ritum. Luc. 4. Iesus autem plenus spiritusancto. Spiritum mansuetum & lenē ac humilem. Iudiciū gentibus proferet. Non solum Israelitico populo, Gen. 49. Ipse erit expectatio gentiū. Agg. 2. Veniet desideratus cunctis gentibus. Iudicium discretionis, inter bonū & malum, & discussionis in fine. Non clamabit, neq; accipiet personā, nec audietur foris uox eius. Non aget per tumultum & uim, nec litigabit, nec uociferabitur aduersus contentiosos. Dabit locum inuincibili malitiæ, sed omnes conabitur ad salutem adducere. Non enim in medio fori, ut gloriæ cupidus, quemadmodum pharisæi, qui omnia opera sua faciebant ut uiderentur ab hominibus, Matt. 23. sed in templo, synagogis, in monte, & littore docebat. Non ergo inordinate & impatienter clamabat. Ephe. 4. Om̄is amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à uobis, cū omni malitia. Sed bene ex charitate. Iohā. 7. Stabat Iesus & clamabat, dicens: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Luc. 8. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Sic in cruce. Luc. 23. Heb. 5. Cum clamore ualido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Non aspernabitur infirmos, in quibus erit aliquid bonæ spei reliquum: hos fouebit potius quàm opprimet. Hieronymus: Qui peccatori non porrigit manum, & non portat onus fratris sui, iste calamum quassatū confringit: & qui modicam scintillam fidei contemnit in paruulis, hic linum extinguit fumigās, quorum Christus neutrum fecit. Ad hoc enim uenit, ut saluum faceret quod perierat. Luc. 19. 1. Thessalo. 5.

Rogamus uos fratres, corripite inquietos, consola mini pusillanimes, suscipite infirmos, patiẽtes estote ad omnes. Gala. 6. Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos q̃ spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Sed heu Ezech. 34. Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. Quod infirmum fuit, non consolidastis: & quod ægrotum, non sanastis: & quod confractum, non alligastis: & quod abiectum est, non reduxistis: & quod perierat, non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. In ueritate educet iudicium. Poterat Iudæos ut calamum contritum confringere, & iram eorum ut linum fumigans, id est, ardens extinguere, sed noluit quo ad dispensationis mysterium adimpleretur. & per omnia uincit eos. Ne enim haberent quod prætexerẽt, omnia sustinuit, donec successu temporis per se uincat ueritas, eoq; sua culpa ꝓruperit uesania impiorum, ut omnes intelligant illos merito repulsos & abiectos. Non erit tristis neq; turbulentus, donec ponat in terra iudicium. Istud secundum Hieronymum uitio scriptorum uidetur omissum. Sequitur: Et legem eius insulæ expectabunt.

Marc. 3. *Iesus autem cum discipulis suis seceßit ad mare, & multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum, & ab Hierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, uenerunt ad eum. Et dixit Iesus discipulis suis, ut nauicula sibi deseruiret propter turbam ne eum comprimerent. Multos enim sa-*

nabat, ita ut irruerent in eum ut illũ tangerẽt, quotquot habebant plagas: Et ſpiritus immundi quum illum uidebant, procidebant ei, & clamabant dicẽtes: Tu es filius dei. Et uehementer comminabatur eis, ne manifeſtarent illum.

Dominus dans locum iræ, Rom. 12. ſeceſſit iuxta mare, quò ingens turba hominum ad ipſum confluxit, adeò ut ob tumultum turbæ ſeſe protrudentis cogeretur ſcapham conſcendere, ut ſibi deſeruiret. Procidebant ſpiritus non ſponte, ſed coacti reuerentiam exhibendo, & filium dei clamant coniecturaliter, non cum certitudine conſtanti & abſoluta: q̃rum teſtimonium, tametſi uerum, dominus renuit, ne ueris falſa miſcerent.

De quatuor parabolis in mari, Mat. xiij. Mar. iiij. Luc. viij.

ARTICVLVS LIX.

ET factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per ciuitates & caſtella, prædicans & euangelizãs regnum dei: & duodecim cum illo. Et mulieres aliquæ quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus, Maria quæ uocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant: & Iohãna uxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. Luc. 8. B

Regnum cæleſte, dei dicitur regnum, à regnante & à dante: ſed cælorum, à loco & ciuibus ibi regnã-

tibus cum deo. Hieronymus: Consuetudinis fuit Iudaicæ, ut mulieres deuotæ de sua substantia victus ac uestitus necessaria prædicatoribus uerbi diuini ministrarent: sed quia in gẽtibus hoc scandalum erat, ideo Paulus non fecit. 1. Cor. 9. Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnum est, si carnalia uestra metamus? Nunquid non habemus potestatẽ sororẽ mulierculam circunducẽdi, sicut cæteri apostoli, & fratres domini, & Cephas? Sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus euangelio Christi.

10 *Cum autem turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinẽ: Exijt qui seminat, seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus uiam, & conculcatum est, & uolucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.*

Ostendit dominus hominum uitio euenire, quod semen uerbi diuini in quibusdam non fructificat. Quanuis autem diuerso dominum turbæ sequerentur affectu, ipse tamen omnibus sua beneficia communicabat, docendo, alendo, sanando. Matthæ. 13. In illa die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in nauiculam ascendens sederet, & omnis turba stabat in littore. Sedit in naui, ut omnes auditores ha-

beret in faciem spectantes, & omnes commodius audirent. Matthæi decimotertio: Et locutus est eis multa in parabolis. Quoniam in ea multitudine non erat eadem mens omnibus, multa proposuit per similitudinis inuolucra, siue quod hoc orationis genus familiare sit prophetis, siue quod accommodatissimum est ad docendum, & ad flectendos animos populi, quod collatio sumpta à rebus, omnium etiam idiotarum sensibus notissima, statim permoueat unumquemliber. Rom. 1. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Siue quod hac illecebra & iucundius irrepunt in animos hominum quæ dicuntur, & hærent tenacius, siue quod hæc admonitio nullum traducens, sed tacite per imaginem taxans cuiusque conscientiam, minus offendere solet, superbis mysteria abscondit, simplicibus uero ansam inquirendi præber & calcar. Matthæi septimo: Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos. Hieronymus: Turba non unius sententiæ est, sed diuersarum in singulis uoluntatum, unde loquitur eis multa in parabolis, ut iuxta uarias uoluntates, diuersas reciperent disciplinas. Est autem parabola, natura discrepantium rerum, sub aliqua similitudine facta comparatio, more prouidentiæ diuinæ, ut qui cælestia capere non poterant, per similitudines terrenas, audita percipere potuissent. Non autem omnia, sed multa loquitur in parabolis: aliàs absque emolumẽto populi recessissent. Perspicua miscet obscuris, ut per ea quæ intelligunt, prouocentur ad eos

notitiam quæ non intelligunt, & requirant: & per apostolos quos contemptos habebant, discant mysterium regni quod ipsi non habebant. Marc.4. Et dicebat illis in doctrina sua: Audite, exijt seminans. Qui ubiq; est, Hiere.23. Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit dominus? Exijt, non localiter mutatus, sed per amictũ carnis appropinquans. Ioh.16. Exiui à patre (quo non erat creaturæ accessus. Lucem enim habitat inaccessibilem, 1.Tim.6.) & ueni in mundum. Augustinus: Exijt à patre, quia de patre est: in mundum uenit, quia mundo suũ corpus ostendit. Nam in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit, Iohan.1. Dicitur etiam deus exire quum in actum procedit, sicut dicitur inter homines ambulare & habitare. Deute.23. Dominus deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, & tradat tibi inimicos tuos. Abac.3. Egressus es in salutem populi tui. Seminãs dicit, nunquã enim cessat, pluens super iustos & peccatores, Matt.5. Heb.1. Multifarie multisq; modis olim loquens deus patribus in prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in filio. Sed quid? Semen suum, quod habebat egregium, non alienum. Dicebant prophetæ, hæc dicit dominus. Iohan.19. Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeã ueritati. Summa ergo attentione audiendum, & diligentia obseruandum, Luco.1. In mansuetudine suscipite insitum uerbum, qd potest saluare animas uestras. Chrysostomus: Quia nos ad eum uenire non poteramus, maceria ingressum & aditũ prohibente, ipse ad nos egreditur: non ut terram uepribus plenam, aut ignaros agricolas

perderet, sed ut optimo cultu terram arãdi fertilem faceret, religionis ac pietatis seminibus diligentius iactis. 1. Cor. 3. Dei agricultura estis. Nunq̃ cessat seminare in aïabus nostris per ea quæ docet & facit, sed dum ille nusquam non iacit semen suum, cupiens prouentum huberrimum, non æque felici solo excepta sunt semina, quare non in omnibus gignit fructum, non docentis uitio, sed audientium. Nec parem in omnibus qui audiunt, sed ut quisq; adfert animum à mundanis curis & cupiditatibus uacuum, ita sermonis auditi maximus est fructus. Hiero. Non dicit se proiecisse in uiam, sed cecidisse. Nam q seminat, ceu in terram bonam proïcit: illa autem si inuenta fuerit mala, semen corrumpit. Sic sermo cadit in audiẽtes. Heb. 6. Terra enim sæpe super se uenientem bibens imbrem, & germinans herbam opportunam his à quibus colitur, accipit benedictionem à deo: proferens autem spinas & tribulos, reproba est & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. Non ergo satis est audisse, ni si q̃d auditũ est, cõferatur in usum pietatis. Hieron. Tres ordines sunt in quibus uerbum perditur. Secus uiam, ubi partim cõculcatur pedibus uiatorum & conteritur: reliquum, quoniam nõ opertum est terra, uolucres cæli comedunt. Tales sunt, parum attenti, ignaui & desides, qui nunquam suscipiunt uerbum, latam uiam ambulantes, Mat. 7. quę ducit ad perditionem. Hierem. 10. Iuxta uias gentium nolite ambulare. Est enim uia, cor sedulo malarum cogitationum transitu attritum & arefactum, ne semẽ uerbi possit accipere, uel germinare. Supra petrã. Mat. 13. Alia ceciderunt in petrosa, ubi non habebant ter

Ordines quidã tres

ram multam,& continuo exorta sunt,quia non habebant terræ altitudinem. Sole autem orto æstuauerunt:& quia non habebant radicem, aruerunt. Quoniam non suberat terra quæ suppeditaret humorem ad iustam maturitatem, ad solis ardorem exaruit. Sic pusillanimes. Spinæ,delicati sunt. Mar. 4. Et aliud cecidit in spinas,& ascenderunt spinæ,& suffocauerunt illud,& fructum non dedit. Nam celerius & dēsius proueniunt, atque altius sese spargunt. Ecce primum semen non germinat, sed conculcatum à uolucribus tollitur. Secundum germinat,sed non multum erigitur,carens humore. Tertium eleuatur in stipitem,sed non fructificat,suffocatum à spinis. Quartum fructificat. Marc. 4. Et aliud cecidit in terram bonam,& dabat fructum ascendentem & crescentem, & afferebat unum tricesimum,& unum sexagesimum,& unum centesimum. Non enim erat omnino irritus seminantis labor. nam fuit semen quod incideret in terram bonam & frugiferam, & feliciter enatū produxit fructum. Erat ēm terra bene culta,à lapidibus & spinis mundata. Sciens autem dominus non ab omnibus intelligi quod dixerat, uolens tamen eos in posterum meminisse parabolæ quæ pertineret ad salutem omnium, & apud se quisque scrutaretur quid sibi uellet hæc parabola,clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Nimirum indicans, non omnes audisse qui audierunt. Manifestat enim quod hæc spiritualiter intelligenda sint ab his,qui spirituales habent aures animæ, tum quidem non explicans inuolucrum ænigmatis, sed suo cuique animo relinquens inuestigandum. Gregorius: Omnes qui illic

aderant, aures corporis habebant, unde proculdubio aures cordis requirebat. Vnde est auditus naturæ: sic multi audierunt. Est & intelligentiæ: sic pauci, quia similes statuis, quæ habent aures, & non audiunt. Psalm. 113. Est tertio obedientiæ. Psalm. 17. In auditu auris obediuit mihi. Tunc enim proprie dicimur præcepta audire, dum obedimus. Quo contra Prouer. 28. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Hieronymus: Pronocamur ad dictorum intelligentiam, quoties his sermonibus commonemur. Bed. Vbicunque hæc admonitio interponitur, mysticum esse quod dicitur, & spiritualiter ac attentius quærendum ostendit, & ideo spirituales aures requirit. Nec. 8. Aures omnis populi erant erectę ad librum.

Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est 2
nosse mysterium regni dei, cæteris autem in parabolis, ut uidentes non uideãt, & audiẽtes nõ intelligãt.

Porro quum ne duodecim quidem illi, quos dñs selegerat rudes adhuc, satis intelligerent quid sentiret hęc similitudo, non ausi sunt palam interrogare. Mar. 4. Et cũ esset singularis, interrogauerunt eũ ij, q̃ cum eo erant duodecim, parabolã. Mat. 15. Accedentes discipuli, dixerunt: Quare in parabolis loqueris eis? Tum Iesus admonens nos, non oĩbus oĩa ꝓferenda, sed pro ratione temporum, proq̃ captu auditorum, dispensandam esse doctrinam euangelicã, ait: Vobis, qui quod datur, simpliciter auideq̃ accipitis, digni estis qbus secretiora q̃dam cõmunicẽt. Mar. 15. Quia uobis datum est nosse mysteriũ regni

cælorum, illis autem non est datum. Mar. 4. Illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt. Quales illi adferunt animos ad audiendum, tales illis propono sermones. Illi sunt qui manifestissima nolunt intelligere, ego tenebris inuoluo sermonem, ut uel sic prouocem ad discendi uestigandique studium. Vobis ergo, quia habetis studium & alacritatem, datum est: illis autem non adhibentibus studium, non est datum. Diuinorum enim intelligentia mysteriorum, dei donum est. Psal. 118. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Qui purificatos habent oculos. Act. 15. Fide purificans corda eorum. Esa. 7. Nisi credideritis, non intelligetis. Mysterium regni, hoc est, statum regni, uel sacras scripturas, quæ ostendunt, promittunt & ad ipsum perducunt, quod auferetur à malis. Mat. 21. Auferetur à uobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Chrys. Secreta diuina indignis non sunt communicanda. non enim decet panem filiorum mittere canibus, Matth. 15. neque sanctum dare canibus, Mat. 7. Si enim sanctum canibus dederis, aut porcis margaritas, nec sanctum canes sanctificat, nec margaritæ nutriunt porcos: sed ecouerso canes sanctum coinquinant, & porci margaritas sordidant uel confringunt. Mat. 13. Ideo in parabolis loquor eis, qa uidentes non uident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, & adimpletur in eis prophetia Esaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & uidentes uidebitis, & non uidebitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Hac de causa loquor illis per inuolucra

parabolarum, utpote ueritatem apertam aut nullo fructu, aut suo etiam malo audituris. quod enim audiunt, non credunt: quod uident, calūniantur. Nam uidentes natura, hoc est, adeo sic facti, ut intelligere possint quantum opus est, Ioh. 1. Illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. non uidēt, uoluntarie. Voluntas em̄ nostra excæcat nos. Esa. 42. Quis cæcus nisi seruus meus? & surdus, nisi ad quē nuncios misi? An non uidebant miracula Christi? Profecto, sed faciebant seipsos cæcos, & taxabāt eum. Ioh. 15. Nunc autem uiderunt & oderūt & me & patrem meum. Psal. 35. Noluit intelligere ut bene ageret. Nimirum in istis completur quod dixit Esa. 6. Non aū ideo loquebatur parabolice, ut illi excæcarentur, sed ad suam prædicationem illorum secuta est excæcatio, & iusto dei iudicio intelligentia illis negata tanq̄ indignis. Nā philosophi iactitabant se uidētes. Ro. 1. Dicentes se sapientes, sed stulti facti sunt. Sic & Iudæi. Ro. 2. Cōfidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantiū, habentem formam scientiæ & ueritatis in lege. Hinc pharisæi dño dixerūt Ioh. 9. Nunq̄d & nos cæci sumus? Sed cæci erant, & duces cæcorum, Matt. 15. & 23. Duces cæci. Hiero. Propheta causam reddit quare uidētes non uident: quia incrassatū est cor, quod ante subtile creauerā. At ne forte arbitremur crassitudinem cordis & grauitatē aurium, esse naturæ, non uoluntatis, subiungit culpam arbitrij. Et oculos suos clauserunt. In parabolis ergo audiunt & ænigmate, quī clausis oculis nolunt cernere ueritatem. Quanq̄ em̄ parabola proponatur, ut simplices melius capiant,

& tenacius retineant, indigni tamẽ ex hoc, tanq̃ lippos & debiles habentes oculos, ex lucis claritate offenduntur. Sua enĩ malitia operam dant, ut ad conuersionem essent inepti & incurabiles, & corporaliter uidendo, & spiritualiter intelligendo diuina. 1. Cor. 2. Animalis homo nõ percipit ea quæ sunt spiritus dei. Mat. 13. Vestri autẽ beati oculi, quia uident: & aures uestræ, quia audiunt. Amẽ quippe dico uobis, quia multi prophetæ & iusti cupierunt uidere q̃ uidetis, & nõ uiderũt: & audire q̃ auditis, & nõ audierũt. Vestri beati oculi, qa uidẽt q̃ facimus, & aures, qa audiũt q̃ loqmur, & beata corda, quia intelligũt uoluntatẽ patris mei. Nõ ẽ uulgaris felicitas. In duob⁹ pcellebãt pphetas apostoli, & corporaliter uidẽdo, & spũaliter intelligẽdo diuina. Hiero. Abraam uidit, & gauisus est, Ioh. 8. sed in ænigmate, non specie. uos autẽ in pſentiarũ tenetis & habetis dñm uestrũ, & ad uolũtatẽ interrogatis, & cõuertimini ei.

5 Est autem hæc parabola: Semen est uerbum dei. Quod autem secus uiam, hi sunt qui audiunt: deinde uenit diabolus, & tollit uerbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam quod supra petram, ij sunt qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt uerbum: et ij radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, ij sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus & diuitijs & uoluptatibus uitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in terram bonam, ij sunt, qui in corde bono & optimo audientes uerbum retinent, & fructum afferunt in patiẽtia.

Hieronymus: Cauendum, ubicunque dominus rogatus à discipulis, intrinsecus sermones suos disserit, ne plus uel minus, aut aliud intelligere uelimus, quàm ab eo expositum est. Ideo hanc per seipsum dignatus est exponere, ut ostenderet se figurate loqui, & rerum significationes etiam in his quæ exponere noluit, quærendas esse doceret. Marc. 4. Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoscetis? Matth. 13. Vos ergo audite parabolam seminantis. Quandoquidem hoc promeretur uestra simplicitas, auiditasq; cognoscendi, exponam hanc, ut assuescatis & ipsi in cæteris scrutari retrusioris sensus arcanum. Mar. 4. Qui seminat, uerbum seminat. Est ergo semen nõ terrenum, sed cæleste: nec ab homine profectum, sed à deo, sermo scilicet euangelicus, per quem annunciatur hominibus uoluntas dei. Nam mentem fœcundat, opus meritorium inchoat, fructum uirtutis producit, animam reficit, & instar seminis in audientium cordibus spargitur. Esa. 55. Et quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc ultra nõ reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedẽti, sic erit uerbum meum quod egreditur de ore meo. Nõ reuertet ad me uacuum, sed faciet q̃cunq; uolui, & ꝓsperabitur in his ad quæ misi illud. Mat. 13. Omnis q̃ audit uerbum regni, & nõ intelligit, uenit malus & rapit quod seminatum est in corde eius: hiç est quĩ secus uiam seminatus est. Non intelligunt, & hoc in illorum bonum: ne enim magis condemnentur, q̃ cognita mysteria spreuerint, ideo ab illis abscondunt̃. Nam leuiter & oscitãter audiunt, q̃re mox

uenit ſatanas (Mar. 4.) priusq; inſideat animis illorum, nõ eſſentiæ illabendo, ſed immiſſis diuerſis cogitationibus, tollit quod audierunt, inuidens illorũ ſaluti. Sapien. 2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarũ. Initium autem ſalutis, fides. Heb. 11. Accedentẽ ad deum, oportet credere quia eſt, & quia inquirentium ſe remunerator ſit. Iac. 4. Reſiſtite diabolo, & fugiet à uobis. Sed quomodo? Iac. 1. Eſtote factores uerbi, & non auditores tantum, fallẽtes uoſmetipſos: qa ſi quis auditor eſt uerbi, & non factor, hic comparabitur uiro conſideranti uultum natiuitatis ſuę in ſpeculo. Conſiderauit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Tales enim audiunt, tanquam audirent humanam quandam fabulã, nec demittunt in animũ ſuum, nec cogitationi infigunt, ut illic radices agat, ſed ad quamlibet occaſionẽ ſinunt proteri & conculcari quod ſeminatum eſt. Id ſentiens ille malus, qui inſidiatur & inuidet exordiis melioribus, protinus immittit in animũ curas aliquas uolaticas, quæ perdant ſemen priuſquam herbeſcat aut radices agat, ut nihilo meliores ſint quã ſi non audierint. Mat. 13. Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt qui uerbũ audit, & cõtinuo cum gaudio accipit illud: nõ habet autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis, facta autem tribulatione & perſecutione propter uerbum, continuo ſcãdalizatur. Hilariter ſuſcipit, ipſa ueritate delectatus: & iuſtitiam ſyndereſi approbans, ad illius regulam inſtituere uitam ſuam ſecum meditans. Sed quoniam non penitus infigit animi medullis, ſed hominum more temporario quodam affectu, leuiter agit quod agit, abſtinens à magnis uitijs, ac mediocribus uirtuti-

bus enitescens, radices non habet, hoc est, firmum & stabile propositum ac fundamentum, ex quibus bona oriuntur opera, ueluti ex radice uirgulta. Audiunt enim, & utilitatem uerbi probant, & desiderium gustant. Ose. 9. Radix eorum exiccata, fructum nequaquam facient. 1. Ioh. 3. Omnis qui natus est ex deo, non peccat, quoniam semẽ ipsius in eo manet. Facile est enim rebus prosperis seruare doctrinam euangelicam, cæterum nisi penitus imbiberis affectum uerę pietatis, ubi res aduersæ robur illud euangelici pectoris desiderant, tum euanescit temporaria illa sanctimoniæ species. Claruit in Petro. Heb. 13. Optimum est gratia stabilire cor. 1. Corinth. 15. Itaq; fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in omni opere domini semper, scientes quòd labor uester non est inanis in domino. Eccl. 5. Non te uentiles in omnem uentum, & non eas in omnem uiam. Sic omnis peccator probatur in duplici lingua. Esto firmus in uia domini, & in ueritate sensus tui & scientia, & prosequatur te uerbum pacis & iustitiæ. Sol oriens, tentatio est, quæ ostendit homines & quales sint declarat, ficut sol manifestat abscondita. Marc. 4. Et alij sunt qui in spinis seminantur: ij sunt, qui uerbum audiunt, & ærũnæ seculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes, suffocant uerbum, & sine fructu efficitur. Tria ergo sunt uerbum dei suffocantia. Solicitudo, non quæcunq;, sed seculi. Matth. 13. Solicitudo seculi istius & fallacia diuitiarum, suffocãt uerbum. Prouer. 11. Expectatio solicitorum peribit. Hinc admonet Apostolus Philippen. 4. Nihil soliciti sitis, sed in omi oratione & obsecratione pe-

Experimẽtum ueri Christiani

Suffocantia uerbũ dei, quot.

titiones uestræ innotescant apud deum. Secundum diuitiæ. Matt. 13. Fallacia diuitiarum. Hiero. Blandę sunt diuitiæ, aliud agentes & aliud pollicentes, lubrica est earum possessio, dum huc illucq; circunferuntur, & instabili gradu uel habentes deserũt, uel non habentes refarciunt. Vnde & dominus asserit diuites difficulter intrare in regnum dei, Matt. 19. suffocantibus diuitijs uerbum dei, & rigorem uirtutum emollientibus. Spinæ dicuntur, quia latibulum sunt serpentium infernalium, & materia ignis infernalis: & quia sub flore mundanæ gloriæ pungunt labore acquirendi, timore conseruandi, & dolore perdendi. Gregorius: Diuitiæ, ueræ spinæ sunt: quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerãt, & cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto uulnere cruentant. Tertiũ, uoluptas uitæ, Mar. 4. quæ opulentiam sequi solet. Diues enim currit ad libitum, labitur ad illicitũ. Hiere. 5. Saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur: eq amatores in fœminas, & emissarij facti sunt. unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. Eccl. 18. Post concupiscentias tuas non eas, & à uoluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ cõcupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Diuitiæ ergo in se non suffocant uerbum, sed fructum faciunt uerbi, in pauperes distributæ: sed si ipsis iungitur solicitudo seculi, & uoluptas uitæ, quia suis importunis cogitationibus guttur mentis, ne bonum desiderium ad cor possit intrare, quasi aditum uitalis flatus strãgulãt. Diues enim, licet bonum quoddam uideatur opus facere, at non crescens, neq; proficiens, solicitudinibus præfocatur. Chrysostomus:

Si seminator terrenus sic seminaret, utique incusandus esset, qa non potest facere de petra nõ petram. Christus uero pcutit petram, & fluent aquæ. Suffocant autẽ, non ex impotentia seminis boni, sed malitia uoluntatis, quæ cum sit libera, semẽ extinguit, qa uolũtarie spinis se immiscet. Pro. 24. Per agrum hoĩs pigri transiui, & per uineam uiri stulti. Et ecce totum repleuerunt urticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidũ destructa erat. Auferẽda ergo uitia & passiones à corde, ut uerbũ dñi cõualescat in nobis. Hiere. 4. Nouate nouale, & nolite serere super spinas. Circũcidimini dño, & auferte præputia cordium uestrorum. Greg. Nihil quietius q̃ nihil huius mundi appetere, nihil inquietius q̃ summo bono relicto, uanis & transitoriis inhęrere. Mat. 13. Qui uero in terrã bonam seminatus est, hic est qui audit uerbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud uero tricesimum. Qui sic transfigũt in affectus animi sui, ut nec morte uelint ab eo deficere, qq̃ semet explicant ab affectib⁹ & sordidis curis diuitiaꝝ, quæ non sinunt animũ esse liberũ, sed se totos p̃bent aurę cælesti. Hiero. Primũ oportet nos audire sermonem & intelligere, ne simus iuxta uiã. Deinde firmiter retinere quod auditũ est, ne simus supra petram: Præterea non esse amatores opũ, sed post intelligentiam fructus reddere doctrinaꝝ. qd em̃ ꝓderit si audiero & retinuero, si diuitiaꝝ amore suffocor? Psal. 118. In corde meo abscõdi eloqa tua, ut nõ peccẽ tibi. Habet ergo terra bona tres bonas cõditiões, oppositas malis terrę malę. Quia retinet, cõtra primos: fructũ facit, cõtra tertios: in patiẽtia,

Necessaria audientibus verbum dei, q̃t ꝛ quę.

Terrę bonę conditiones tres.

contra temporarios. Et in illa & in ista non mutatur substantia, sed uoluntas: & tam incredulorum quàm credentium corda sunt quę semen recipiunt. Vide autem bonitatem dei, quomodo omnes suscipit, & magna & mediocria & parua colentes. Varię enim species uirtutum sunt, uariį & qui proficiunt. Sicut ergo tres ordines sunt, in quibus uerbum perditur, sic & eorum qui proficiunt. Nam q fructum cẽtuplum afferunt, sunt qui perfectam & summam uitam agunt. Qui sexagecuplum, hi mediocrẽ. Qui trigecuplum, qui parui sunt quidem, afferũt tamen & ipsi pro suis uiribus fructũ. Hiero. Possumus centesimum uirginibus tribuere, de quibus Apostolus 1. Cor. 7. Mulier innupta & uirgo, cogitat quæ dñi sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu. Sexagesimũ, uiduis, quæ uerè uiduæ sunt. 1. Timo. 5. Tricesimum casto matrimonio. Heb. 13. Honorabile cõnubium in oĩbus, & thorus immaculatus. Idem: Quod in tricesimo, sexagesimo, centesimo fructu cõtinetur, hoc est, lege, prophetia, & euãgelio: quod in ore uium, mysterium regni in monte ostensum, hoc est, Mosi, Heliæ & Iesu, consistat. Obserua quod dicit, fructum afferre in patientia: & hoc in ijs, q uerbum retinent in corde bono per dona naturę, & optima, per dona gratiæ. Iac. 1. Oĩe datũ optimum, & oĩe donum perfectum, desursum est, descendẽs à patre luminum. Greg. Quia nulla sunt bona quæ agimus, si non æquanimiter etiam proximorum mala toleremus: quanto enim quisq; altius profecerit, tãto in hoc mũdo inuenit quod durius portet. Heb. 10. Patientia uobis necessaria est, ut uoluntatem dei facientes, reportetis promissionem. Iac. 5. Patiẽtes esto-

te fratres usq; ad aduentum domini. Ecce agricola expectat preciosum fructum terræ, patienter ferēs, donec accipiat temporaneum & serotinum. Docu it nos dominus hac parabola, quo studio sit accipiendus sermo doctrinæ cælestis, ne semen animis nostris creditum, obliuione negligētiáve nostra pereat, sed diligenter recondēdum in animo, ut suo tempore prorumpat, fructumq; copiosissimum afferat. Hæc admonitio quo altius insideret pectoribus, addidit parabolam Lu. 8.

Nemo autem lucernam accendens, operit eam uel se, aut subtus lectum ponit: sed supra cādelabrum ponit, ut intrantes uideant lumen. Non est enim occultum, quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palàm ueniat. Videte ergo quid audiatis. Qui enim habet, dabitur illi: & q̄ non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. D

Mar. 4. Nunquid uenit lucerna, ut sub modio ponatur, aut sub lecto? Sicut lucerna ponitur ut luceat, ita & uita uestra omnibus conspicua erit, & oīes ad illam respiciēt: idcirco date operam ut bona sit. Sermo euangelicus, semē est: quod ideo uobis creditur, ut multo cum fœnore proueniat. Lux est p me in uobis accensa, ut uestro ministerio discutiat tenebras totius mundi. Nihil enim nunc priuatim aut parabolis inuolutum traditur uobis, quod post non sit manifestandum toti mūdo: neq; quicquam est nunc tam obscurum & abstrusum ab intelligentia rudium, quod progressu temporis non sit per

uos eruendum, & in omnium notitiam proferendum. Marc. 4. Si quis habet aures audiendi, audiat. Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis, & adijcietur uobis. Rursus, ne excideret quod dixerat, adijcit: Videte ne fruſtra audiatis: & quod accepiſtis, bona fide tradite, ne quid diuerſum ab eo quod accepiſtis, doceatis. Quod habetis, non eſt ueſtrum, ſed eius qui diſpenſandum credidit. Id ſi larga menſura diſpenſabitis alijs, qui dedit ſortem, larga item menſura adijciet incrementum. Qui enim habet, nec ſibi tantum habet, ſed alijs impartit quod habet, ei tanquam bonæ fidei diſpenſatori adijcietur ut abundet. Qui uero non habet, non habet autem, qui theſaurum defoſſum apud ſe ſeruat, non ſolum non erit ditior, uerumetiam hoc ipſum quod uni ſibi uidebatur habere, tolletur ab eo. Hieronymus: Etenim ſecundum menſuram fidei unicuique diuiditur intelligentia myſteriorum, & adijcietur, dum ſcientiæ etiam adijcientur uirtutes. Qui enim habet fidem, habebit uirtutem: & qui habet opus uerbi, habebit intelligentiam myſterij. Et contra qui non habet fidem, deficit uirtute: & qui non habet opus uerbi, intelligentia eius caret: & qui non intelligit, iam auditum perdidit ac ſi non audiſſet. Chryſoſtomus: Cum enim quiſpiam magno ſtudio atque cura uirtutem deſiderat ac quærit, tunc ei ex deo cuncta præſtabuntur: cum autem nullo ſtudio atq; uoluntate ad recte uiuendum pronus eſt, tunc ei diuinum auxilium non conceditur: & quod habet, etiam auferetur ab eo. Non aufert certe deus, ſed non præbet indignis feruorem & patrocinium ſuum.

Sapien. 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & aufert se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate. Hoc & ipsi facimus, dum negligentem adhortamur & admonemus: si persuadere non possumus, silentio utimur, præsertim si ex hoc ad maiorem desidiam deuoluat. Nam & si paruam scintillam quandã boni habeat, & eam non excitet & accendat per spiritum & spiritualia opera, extinguitur.

Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile est regnum cælorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, uenit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt. Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Matt. 13. E

Proponit aliam parabolam, quasi dives patersfamilias, inuitatos diuersis reficit cibis, ut unusquisq; secundum naturam stomachi sui, uaria alimenta susciperet, ostendens & aliam pestem esse cauendam, si quis triticum purum uelit ac syncerum reponere in horreum. Nam priori parabola dixit, quartam partem seminis cadere in terram bonam: in hac ostendit, quod neque hæc ipsa semina in terram bonam cadentia, sinat hostis incorrupta, dum dormimus & ignaui sumus. Ostendit ergo quòd omne bonum à deo proficiscitur, malum autem ab inimico. Hiero. Quæ exposita sunt à dño, his debemus accommodare fidem: quæ aũt tacita, & nostræ intelligẽtiæ derelicta, breuiter pstringẽda, Ipse aũt ĩfra ĩterrogat' à discipulis ĩ domo, ait:

Qui seminat bonum semen, est filius hominis: ager, mundus. Bonum uero semen, hi sunt filij regni: zizania uero, filij sunt nequam. Inimicus autem qui seminauit ea, est diabolus. Dominus ergo quum bonus sit, non potest seminare nisi bonum. Esaiæ 53. Si posuerit pro peccato animam suam, uidebit semen longæuum Genesis. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Viditq; deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Eccl. 15. Deus ab initio constituit hominem rectum, & reliquit eũ in manu consilij sui: adiecit illi mandata atque præcepta sua. si uolueris ea conseruare, conseruabunt te. Hinc Psalm. 4. Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen uultus tui domine. Quod manifestius Apostolus indicat Roma. 2. Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium, in die cum iudicabit dominus occulta hominum, secundum euangelium meum, per IESVM CHRISTVM. Sed quoniam ratio per peccatum obnubilata, adiecit legem scriptam, à malis retrahentem, & ad bonum instigantem Roma. 7. Itaq; lex quidem sancta, & mandatum sanctũ & iustũ & bonum. 1. Tim. 1. Scimus aũt quia bona est lex, si qs ea legitime utat. Nouissime uero (nã nihil ad pfectũ adduxit lex, Heb. 7.) euãgelicã addidit legẽ, uirtutib⁹ tãq; preciosissimis margaritis plenam, Matt. 7. Sed quemadmodũ nunq; aliqs tam purum

granum & bonum seminat, quin malæ herbæ si- 2
mul oriãtur: sic diabolus, qui deo tam male uult, ut
etiam nullo suo bono hominem gaudeat lædere, su
perseminat zizania optimis dominici seminis gra-
nis. Huius saluator duas assignat rationes. Prima,
Prælati negligentia. Augustinus: Cum negligenter
se gererent præpositi ecclesiarum, non attendentes
super grege suo, neq; uigilantes. Hieronymus: Ho-
mines qui dormiunt, magistros ecclesiarum intelli-
ge: seruos patrisfamilias, angelos qui semper uident
faciem patris, Matt. 18. Quamobrem non dormiat
qui ecclesiæ prælatus est, ne per illius negligentiam,
inimicus homo superseminet zizania, hoc est, hære
ticorum dogmata. 2. Timo. 4. Tu uero uigila, in
omnibus labora, opus fac euangelistæ, ministeriũ
tuum imple, sobrius esto. Secunda, Inimici fraudu-
lentia, qui male uult patrisfamilias. Luc. 11. Qui non
est mecum, cõtra me est. Gregorius: Inter malos &
eorum caput, id est, diabolũ, tanta est unitas atq; cõ-
formitas, q; aliquando membra nomine capitis no
minantur. Iohan. 6. Nonne duodecim uos elegi, &
unus ex uobis diabolus est? Aliquando caput nomi
ne membrorum, ut hic nominatur inimicus homo.
Sic inter bonos & Christum. Psal. 104. Nolite tan-
gere Christos meos. Actu. 9. Saule Saule, quid me
persequeris? Vide autẽ astutiam inimici, quid, quan
do, & ubi seminet. Quid, q; zizania, id est, filios ne-
quam. Quum enim omnes homines à deo sint se-
cundum substantiam, superseminatio filiorum ne-
quam, necesse est intelligatur quantũ ad culpæ ma-
litiam. Esa. 1. Væ genti peccatrici, populo graui ini-
quitate, semini nequã, filijs sceleratis. 1. Iohã. 4. Qui

peccat, ex diabolo est. Ioh. 8. Vos ex patre diabolo estis, nã desideria patris uestri uultis perficere. Vnde in cælo superseminauit superbiam. Esa. 14. In cælum conscendã, super astra dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Veruntamen ad infernũ detraheris in profundum laci. Sed non solus, quia angeli eius cũ eo missi sunt, Apoc. 12. In paradiso inobedientiam, cũ Adam neglecto deo dormiuit, nolens contristare delicias suas: & mulier uidẽs lignũ quod pulchrũ esset uisu, & ad uescendum suaue, Gene. 3. quasi tædio ferens domini præceptum. Psal. 118. Dormitauit anima mea præ tædio. Hinc domini mandatũ tanquam molestum aggrauauit, d. Gene. 3. De fructu ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Non enim dixit dominus, ne tãgerent, sed ne comederent, & diffinitiuam dederat mortis sententiam. Gen. 2. Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris. Hinc in anima uitia seminauit: in ratiõali ignorantiam, irascibili infirmitatem, concupiscibili concupiscentiam malã. Gala. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum. Hinc Rom. 7. Videó aliam legem in mẽbris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum. Quando? Cum dormirent homines, & per ignauiã suã locũ darent hæreticis uel malis cogitationibus.

Vigilantibus nocere non potest. Hinc ociosam ingreditur animam, tametsi superficietenus ornatam, Mat. 12. Et se transfigurat in angelum lucis, 2. Cor. 11. 1. Thes. 5. Igitur non dormiamus, sicut cæteri, sed uigilemus & sobrij simus. 1. Pet. 5. Sobrij estote & uigilate, quia aduersarius uester diabolus, tanquã leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Vbi? In medio tritici. Quum em̃ non haberet agrum proprium, superseminauit in agrũ dominicũ. Semper em̃ quçrit malos miscere bonis, quorũ moribus & uita corrũpantur. 1. Corin. 5. Modicũ fermenti totam massam corrũpit. Bernardus: Bonum esse inter malos, tantæ est uirtutis, quantæ difficultatis. Quale nempe est illud, picem tangere, & non inquinari? in igne uersari, & non lædi? Cum ergo creuisset herba per affectum fidei, & fructum fecisset. Col. 1. Ambuletis digne deo per omnia placentes, in oñi opere bono fructificantes, & crescentes in scientia dei, in omni uirtute confortati. Apparuerunt & zizania. Hieronymus: Non apparet differentia in herba zizaniæ & tritici, quia similem quasi herbam habent: ita quantũ ad exteriorem apparentiam, frequenter non est differentia inter semen dei & diaboli, sed in fructu deprehenditur. Matthæ. 7. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Crescit herba seminis Christi, irrigatione gratiæ & pluuia spiritussancti, dũ profectus fit uerus, in intellectu, scripturarum: in anima, uirtutũ: in ecclesia, spiritualiũ uirorum. Cum ergo creuisset herba, hoc est, bonæ spei opera monstrasset, manifestarunt se & hæreticorum dogmata. Chryso. Error nõ habet principiũ nisi à uero, q̃d

rerum euentus ostendit, quoniam post prophetas pseudoprophetæ, post apostolos pseudoapostoli, post Christum antichristus. Postquam fraus innotuit, serui demirantes unde id accidisset, dominum adeunt. Sic sancti, malorum tam hominum quàm errorum multiplicationem considerãtes, per deuotas deum accedunt preces, mirando eorum, per diuinam patientiam, multiplicationem. Ideo & illuminãtur. Psal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies uestræ non confundentur. Psal. 118. Intellectũ dat paruulis.

3 *Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonũ semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerũt ei: Vis imus & colligimus ea? Et ait, non. Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem. & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.*

Inimicus, inquit, homo, tam seminis q̃ seminantis. Mali enim nec bona agunt, nec ab aliis fieri gaudent. Vis igitur abeamus & colligamus ea? Tanquã boni serui parati euellere, domini quærunt uoluntatem. Tali zelo moti Iacobus & Iohannes contrano susciplentes ipsos, dixerunt Luc. 9. Domine, uis dicamus ut descendat ignis de cælo & consumat eos? Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus sitis. Filius hominis non uenit animas per-

dere,ſed ſaluare. Vide hic patiẽtiam nobis in exemplum monſtratam. Non enim audita fraude ſtatim in iram exarſit,ſed ait: Non,ne quando imprudentes,dum euellitis zizania,euellatis & triticum. Ecce diſcretio. Hieronymus: Datur locus pœnitentiæ, & monemur ne cito amputemus fratrẽ: quia fieri poteſt ut ille qui hodie noxio deprauatus eſt dogmate,cras reſipiſcat,& defendere incipiat ueritatẽ. Sinite pariter creſcere ambo. Ecce longanimitas,quæ neceſſaria eſt uſq; ad finem. Interim mali bonis admixti,ſunt ferendi,quando minore pernicie tolerãtur,q̃ tollerentur. Si non ſunt notorij,neq; pertinaces,ac conuicti. Sic dominus tolerauit Iudam. Et ſi nõ per ipſos imminet periculũ uel damnũ eccleſiæ. Alioq; 1.Cor.5. Auferte malũ ex uobiſipſis. 1.Cor.15. Corrũpunt bonos mores colloquia mala. Tolerat enim dominus ut conuertantur,gloſ. Forte triticum futurum. Lu.13. Dimitte illam hoc anno,uſque dum fodiam circa illam,& mittã ſtercora,& ſi quidem fecerit fructum: ſin autem,in futurum ſuccides eam. Item ut boni per eos exerceãtur. Auguſtinus: Omnis malus ideo eſt,aut ut conuertatur,aut ut bonus per eum exerceatur. Hinc dominus ait Iudic.2. Nolui delere eos à facie ueſtra,ut habeatis hoſtes. Tunc ergo tollentur,cum non eſt iam commutandæ uitæ tempus,& proficiendi alijs: tunc non ab hominibus,ſed ab angelis fiet. Mat.13. Mittet filius hominis angelos ſuos,& colligent de regno eius oĩa ſcandala,& eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & ſtridor dentiũ. Malæ herbæ quandoq; celerius huberiusq; creſcunt q̃ bonæ. Sic mali in ſuperbia,auaritia,munda-

Mali qñ & cur uel ferẽdi uel nõ ferẽdi.

nis concupiſcentijs & honoribus. Boni contrà in humilitate, largitate, caſtitate, proficiẽdo de uirtute in uirtutem. Apoc. 22. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & iuſtus iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc. Ecce uenio cito, & merces mea mecũ eſt, reddere unicuiq; ſecundum opera ſua. Porro quum uenerit illud tempus, quũ ſeparabuntur boni à malis, quũ cuiq; pro factis ſuis dabuntur præmia, tunc filius hominis oĩm iudex mittet angelos, neq; quicq̃ offendiculi ſinentur illic reſidere in regno ſuo, quandoquidẽ iam nec boni malis prodeſſe poterunt, nec mali ſinentur amplius bonis negociũ faceſſere, ſed ſeparatos ab alijs cõgregabit, ac tradet illos incẽdio gehennæ. O miſera ſeparatio, ſed nõ totũ. Nam alligabuntur. In hac uita non eſt alligatio, alioqui non tot ab errore reſipiſcerent. Gloſ. Non in uno faſce, pro modulo eñ puerſitatis ſuæ unuſquiſq; punietur. Apo. 18. Quantum glorificauit ſe & in delicijs fuit, tantum date illi tormentũ & luctũ. Iſidorus: Similis culpę reos, ſimilis pœna conſtringet. Gregorius: Sicut in domo patris manſiones multæ ſunt, ꝓ diuerſitate meritorũ & uirtutũ, ſic damnatos diuerſo ſupplicio gehennæ ignibus ſubijcit diſparitas criminũ. Ibi pro momentaneis falſiſq; uoluptatibus, ſupplicijs nunq̃ finiẽdis afficientur, ſubmoti ex area eccleſiæ, & coniecti in ſpecũ tartareũ, hoc eſt, regnũ patris ſui, ubi iam ſera & inutilis pœnitentia, fletũ, eiulatum ac dentiũ ſtridorem extorquebit à miſeris. Eſa. 66. Vermis eorũ nõ morietur, & ignis eorũ nõ extinguet. Apo. 14. Cruciabitur igne & ſulfure in cõſpectu angelorũ ſanctorũ, & ante cõſpectũ agni, Et fumus tormentorũ eorũ

ascendet in secula seculorꝝ. Non habebũt requiẽ die ac nocte. Triticũ aũt, hoc est, electos hic bene tritu ratos, cõgregate in cælestes mãsiones. Hie. 31. Quid paleis ad triticũ? Lu. 3. Cui⁹ uentilabrũ in manu ei⁹, & purgabit areã suã, & cõgregabit triticũ in horreũ suũ, paleas aũt cõburet igni inextinguibili. Porro q̃ ex bono semine ꝓgnati, ꝑseuerauerunt usq; in finẽ, quanq̃ interim hic humiles uident, & ab improbis affligunt, tũc deposita om̃i mortalitatis humilitate, fulgebũt ut sol. Mat. 13. Tunc fulgebũt iusti sicut sol in regno patris eorꝝ. Qm̃ sol om̃ibus stellis p̃lucet, & uidet fulgẽtior, ideo comparat soli iustorꝝ claritatẽ. Mali itaq; primo de mũdo tollent, & ad uaria gehẽ næ tormẽta (ligatis manibus & pedibus, q̃ hic à bonis operibus ligatę erãt) secernent destinabũturq;, ut patet hic & Mat. 25. Et ibũt hi in suppliciũ ęternũ, iusti uero in uitã æternã. Sententia tñ primo dabitur ꝓ iustis. Obserua ergo diligenter, qd semines, qa de malo semine nunq̃ bonũ fructum colliges. Gala. 6. Quæ em̃ seminauerit homo, hæc & metet. Qui em̃ seminat in carne, de carne metet corruptionẽ: q aũt seminat in spiritu, de spiritu metet uitã æternã. Ose. 10. Seminate uobis ĩ iustitia. Quantũ. 2. Cor. 9. Qui parcè seminat, parcè & metet. Hilarẽ enim datorẽ diligit deus. Quando. Eccẽs. 11. Mane semina semen tuũ, & uespere non cesset manus tua: quia nescis qd magis oriatur, hoc an illud, & si utrunq; melius erit. Psal. 125. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Venientes autẽ uenient cum exultatione, portantes manipulos suos. Marc. 4.

Seminãti obseruanda quę ꝛ quot.

Mar. 4.

Et dicebat illis: Sic est regnum dei, quẽadmodum

si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die, & semen germinet & increscat dum nescit ille. VLTRO *enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* ET *cum ex se produxerit fructum, statim mittet falcem, quoniam adest messis.*

Adiecit dominus aliam parabolam, qua doceret suos, nihil ipsis aliud curandum, nisi ut totis uiribus studerent euangelio per uniuersum orbem profundendo: tempus messis olim uenturum, quum ipsi domino uiderentur. Hieronymus: Scripturas nouimus diuinas per similitudines terrenas plerunq; cælestia sacramenta monstrare, sicut totum corpus constat euangeliorum. Regnum dei, ecclesia est, quæ à deo regitur, & ipsa regit homines in quibus regnat Christus per fidem & gratiam, Ephe. 5. Quorum cõuersatio in cælis est, Phil. 3. Hoc autem ænigmate docet tectè euangelij exordium, progressum & consummationẽ: quarum primam & postremã partẽ ipse palam uisibili corpore peracturus esset: mediũ, hoc est, progressum, inuisibili spiritus sancti gratia administraret. Siquidem ipse princeps per uniuersam Iudæam sparsit sementem euangelicam. Mox eo peracto obdormijt, moriens primo, deinde resurgens in quietẽ æternã. Atque hactenus germinat semen euangelicũ, illo, qui primus iecit, uelut dormiente: ac secretis auctibus increscit die ac nocte, hoc est, in prosperis pariter & ad[illegible] per omnẽ occasionem & promouentiũ & reluctantiũ. Non em̃ potest non prouenire quod ille iecit, cuius uoluntati nemo resistit, Hester 13. Rom. 9. Voluntati eius quis resistit?

Esa.46. Consilium meum stabit,& omnis uoluntas mea fiet. Videmus ex q̃ paruis initijs exortũ est euangelij regnum,si rem æstimes iuxta mundi speciem. Hæc erat uelut herba prouenientis euangelicæ seminis,nec definit succrescere usq; ad consummatiõnē mundi,donec maturuerit uniuersa seges. Tum mittetur falx ineuitabilis iudicij, quæ succisis oibus, zizania tradat igni,purum triticum seponat in tutũ. Id semen in singulis etiam Christianis suam habet herbam,suam spicam,suam messem. Catechumeni rudis est seges, nuper per baptismum in Christum renati:herba est,innocentiæ uirore lætam spem de se præbens. Vbi iam excelsiores facti, adoleuerint euangelicæ pietatis profectu,spicas habent:ubi pro suo quisq; modo maturuerit,falce succiditur. Dormit,sinens hominem libero uti arbitrio,siue in bonum,siue in malum. Psal.43 Exurge,quare obdormis domine? Nihilominus tamen die ac nocte uisitat ecclesiam suam. Hieronymus: Dum nescit,hoc est,nescire nos facit,quis fructum in finẽ afferat,dũ dicit Matth.10. Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Vltro terra fructificat, quia deus uoluntatem nostram expectat,dicens Matth.19. Si uis ad uitam ingredi,serua mandata. Herbam est timorem. Psal.110. Initium sapientiæ timor omini. Spicam,pœnitentiam lachrymosam. Plenũ ctum,charitatem. Rom.13. Plenitudo legis est ctio. falx,mors est iudicium quod secat omnia. Nam post triticũ neq; cr scit,neq; decrescit,neq; deterius fit,neq; melius st messis,cõsummatio seculi,in q̃ iusti gaudebũt,q seminauerũt in lachrymis,Psal.125.reportãtes præmiũ laborũ. Mar.4.

2 Et dicebat: *Cui aſsimilabimus regnum dei? aut cui parabolæ comparabimus illud? Sicut granũ ſinapis, quod cum ſeminatum fuerit in terra, minus eſt omnibus ſeminibus quæ ſunt in terra: & quum natum fuerit, aſcendit in arborem, & fit maius omnibus oleribus: et facit ramos magnos, ita ut poſſint ſubumbra eius aues cæli habitare.*

Rurſum uolens ſignificare euangelicam doctrinam, primum in ſpeciem contemptam & humilem per ignominiã crucis, per paucos idiotas quaſi plantatam ui ueritatis, ſic paulatim inualituram, ut totã orbem occuparet, nullumq; genus hominum non complecteretur, quo magis redderet auditores attentos, uelut hæſitans cui rei potiſſimum poſſit conferre regnum cælorũ, ait: Cui rei aſsimilabimus? Sed ut ex re nulli ueſtrum non notiſſima, intelligatis q̃le ſit regnum, Mat. 13. Aliam parabolam ꝓpoſuit eis: Simile eſt regnum cælorũ grano ſinapis, quod accipiens homo, ſeminauit in agro ſuo: quod minimũ quidẽ eſt oĩbus oleribus, & fit arbor, ita ut ueniãt uolucres cæli, & habitent in ramis eius. Quãm diu integrũ eſt, ut minutiſſimũ eſt, ita uiliſſimũ, nec colore nec odore blandiẽs: & ſi quid habet uigoris, intus habet. Sic uerbũ crucis pereuntibus quidẽ ſtultitia eſt, his aũt qui ſalui fiũt, hoc eſt, nobis, dei uirtus. Hoc homo prudens nactus, nõ contempſit, ſed ſeuit in horto ſuo. Enatum eſt ut dies ſtud contemptiſſimũ granũ, & ꝓ uno multa ꝓduxit & magna, adeò ut auibus etiã ꝑbeat umbrã, ac nidiculandi locũ. Ad euangeliũ oẽs confugiunt. Ibi requieſcunt, & nidiculant animæ deuotæ cæli incolæ. Nam & in oẽm ter

ram exiuit sonus eorũ, Psal. 18. Mal. 1. Ab ortu enim solis usq; ad occasum, magnũ nomen meũ in gentibus. Hieronymus: Minimũ in timore, maximum in charitate. 1. Ioh. 4. Perfecta charitas foras mittit timorẽ. Deus eñ charitas est. Omnis aũt caro fœnũ, Esa. 40. Fert ramos misericordię & cõpassionis, sub cuius umbra paupes requiescunt, qui animalia sunt cæli, quũ ipsorũ sit regnũ cęlorũ. Mat. 5. Beati paupes spiritu, qm̃ ipsorũ est regnũ cælorũ.

Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnũ cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatũ est totum. Mat. 13. 5

Subsignificat quo pacto uis euãgelicæ doctrinæ clanculum irrepens, & p pauculos apostolos admixta, totum orbem transformatura foret in suã naturã, tum maxime exeret uim suã. Oportet nos oĩno fermentari & transformari in diuina. Hieronymus: Mulier, ecclesia uel apostolorũ p̃dicatio: fermẽtum, intelligentia scripturarũ: tria farinæ sata, spiritus, anima, corpus, in unũ redacta. Non discrepent inter se, sed ubi cum duobus uel tribus cõuenerint, postulẽt à deo, qui cõgregatis dabit. Mat. 18. Si duo ex uobis consenserint super terrã de omni re quãcunq; petierint, fiet illis à patre meo qui in cælis est. Vel tria sata, ratiõalis, irascibilis, cõcupiscibilis: quarũ primũ dixit Plato in cerebro, secundũ in felle, tertiũ in iecore requiescere. Possideamus ergo per doctrinam euangelicã in anima prudentiã, in ira odium cõtra uitia, in desiderio cupiditatẽ uirtutum. Significant & hæc tria sata, patrẽ & filiũ & spiritũ sanctũ, q non diuersę naturæ, sed unius existunt. Vel fides, spes, charitas, q̃

Tria sata mystice quid.

debent esse coniuncta. Nam hic una sine altera non ualet, nec esse uere potest. Secundum Hieronymũ, Satũ mensura est Palæstinę, unum modium cum dimidio capiens. Sunt uero duo in fermento, humor corruptio, sic comparat peccato. 1. Cor. 5. Modicũ fermenti, totam massam corrumpit. Expurgate uetus fermentum, ut sitis noua cõsperſio. Calor inclusus seu uirtus intus latens, sic capitur hic.

Fermẽto quę duo uiuunt.

Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur quod dictum erat per prophetã dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscõdita à constitutione mundi.

Non autem docuit ut implerẽtur scripturæ, sed quia ipse docuit, impleta est scriptura. Loquutus est in parabolis, quo simul & animos illorum obscuritate sermonis ad discendi studium excitaret, nec ansam tamen daret, occasionem uenantibus calumniandi. Eructabo, inquit. Ipse eñ manifestauit nobis mysteria quæ in cælis sunt. Lu. 10. Multi prophetæ & reges uoluerunt uidere q̃ uos uidetis, & nõ uiderũt: & audire q̃ auditis, & non audierũt. Mar. 4. Et talibus multis parabolis loquebatur eis uerbum, prout poterant audire: sine parabola aũt non loquebatur eis. Quoniam turba indocta erat & imperita, ideo mentionem facit grani sinapis, herbæ & seminis, ut cognatis & consuetis nominibus doceat eos utile quiddã, uel excitet ut accedant & interrogent, sicq; ignorata discant. Mar. 4. Seorsum aũt discipulis suis disserebat oĩa. Hieronymus: Illi eñ digni erant audire mysteria in penetrali intimo sapientiæ, qui re-

motis cogitationũ malarũ tumultibus, in ſolitudine uirtutum pmanebãt. Sapientia enim in tẽpore ociũ diſtribuenda.

Tunc dimiſſis turbis, uenit in domum: & acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum. Qui reſpondens, ait: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius hominis: ager aũt eſt mũdus. Bonũ uero ſemen, hi ſunt filij regni: zizania aũt filij ſunt nequã. Inimicus aũt qui ſeminauit ea, eſt diabolus. Meſſis uerò, conſummatio ſeculi eſt: meſſores aũt, angeli ſunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, ſic erit in conſummatione ſeculi. Mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcãdala, & eos qui faciunt iniquitatẽ, & mittent eos in caminũ ignis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium.

Hæc proxime ſupra patent.

Tunc iuſti fulgebũt ſicut ſol in regno patris eorũ.

Hieronymus: In pſenti ſeculo fulget lux ſanctorũ corã hominibus, ut uideãt bona opera ipſorũ, & glorificent patrẽ qui in cælis eſt, Mat. 5. Poſt cõſummationẽ aũt mundi, ipſi iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorũ. Phi. 3. Noſtra aũt conuerſatio in cælis eſt. Vnde etiam ſaluatorẽ expectamus dñm noſtrum Ieſum Chriſtũ, qui reformabit corpus humilitatis noſtrę, configuratũ corpori claritatis ſuæ, ſecundũ operationẽ uirtutis ſuę, qua poſſit ſibi ſubijcere oĩa. Mat. 17. Transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies eius ſicut ſol. Sicut aũt corpora electorũ fulgida erunt ſicut ſol, ſic ecõtrario reproborũ

obscurissima, secundū quod animę eorū omi lumine interiori, quantū ad rectum usum, omino priuant. Mat. 13. Qui habet aures audiendi, audiat. Quisquis habet aurē non surdam & obturatā huius mūdi cupiditatibus, audiat, ut fugiat æterna supplicia, & uitā assequatur immortalem.

De parabolis in domo, Mat. xiij.

ARTICVLVS LX.

Mat. 13. G

Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscōdit: & pre gaudio illius uadit; & uendit uniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum celorum homini negociatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem una preciosa margarita, abijt, & uendidit omnia quæ habuit, & emit eam.

Ostendit dominus euangelij preciositatem simul & energiam, adhibens alias parabolas, quibus docet euangelicā professionē non esse rē leuiter ac uulgari studio expetendā, sed omībus omissis, hoc unū summo studio conandū, omniumq; bonorū iactura, summū illud bonum esse cōparandū. Virtus eīn & sapientia dei dominus Iesus, non solum ad suscipiendam humanā naturam, hominibus cōpati dignatus est, sed etiam humanæ ignorantiæ condolescens, suis sanctis sermonibus rerū temporalium similitudines frequēter adhibens, ut ex collatione uisibilium, ad inuisibilium amorem animos audientium incitaret. Vnde quū cælestem gloriam studiose amandam doceret, illarum rerū similitudinem adhibuit, quas homines plurimū diligere solēt. Hieronymus:

Thesaurus, Christus est, cui pater oĩa donauit. Mat. 28 Data est mihi oĩs potestas in cælo & in terra. In quo sunt oẽs thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi, Col. 2. Nã & uerbũ latebat in carne. Ioh. 1. Verbũ caro factũ est. Sic ager sacra scriptura, in qua reposita est notitia seruatoris. Ioh. 5. Scrutamini scripturas, in quibus putatis uos uitam æternam habere. Illæ sunt quę testimoniũ perhibent de me. Apud ipsum sunt diuitiæ quę nunq̃ marcescunt, thesaurus nunquam deficiens in cęlis, Mat. 6. 2. Pet. 1. Per quẽ maxima & preciosa nobis promissa donauit, ut per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est cõcupiscentiæ corruptionẽ. Esa. 64. Oculus non uidit deus absq; te, quæ p̃parasti expectãtibus te. Ibi nos thesauros reponere exhortatus est Matt. 6. Thesaurizate uobis thesauros in cælo. Luc. 12. facite uobis sacculos qui non ueterascunt, thesaurum non deficientem in cælo. Modũ Apostolus indicat 1. Timo. 6. Diuitibus huius seculi p̃cipe, non sublime sapere, neq; sperare in incerto diuitiarũ, sed in deo uiuo, qui præstat nobis oĩa abunde ad fruendũ, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant ueram uitam. Esa. 33. Diuitiæ salutis, sapientia & scientia: timor domini ipse est thesaurus eius. Hinc Eccl. 29. Pone thesaurum tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum. Inuenit autem, qui quærit humiliter & diligenter. Matt. 7. Qui quærit, inuenit. Nam à superbis abscondi-
tur. 1. Cor. 2. Sed loquimur dei sapientiam in mysterio quę abscondita est, quã prædestinauit deus ante,

ſecula in gloriam noſtrã, quam nemo principum huius ſeculi cognouit. Abſcondit non inuidia, ſed timore ſeruantis & perdere metuentis. Gregorius: Deprædari deſiderat, qui theſaurum publice in uia portat. Sic ergo ſit opus in publico, ut tamen intentio maneat in occulto. Studium em̃ cęleſtis deſiderij à malignis ſpiritibus cuſtodire non ſufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abſcondit. Hinc ſeruator Matth. 6. docet, quemadmodũ eleemoſyna, ieiunium, oratio, non in hominũ fauorẽ, ſed dei, ſi deo placere cupimus, faciẽda. Ezechias uana motꝰ gloria, ob cæleſtis ſigni præconium, nuncijs regis Babyloniæ oſtendens theſauros, diuino iudicio ijs priuatus fuit, 4. Reg. 20. & Eſa. 39. Mercatur agrũ illum, in quo nouit theſaurꝝ latere raꝝ, ſibiq; felix uidetꝰ, qui nudatus oñibus mediocribus bonis, unico, ſed inſigni, licet ignoto, ſit fundo ditatꝰ. Hieronymus: Abſcondit in corde ſuo, quẽ priſtinis prætulit facultatibus. Gregorius: Quem uenditis oñibus comparat, qui uoluptatibus carnis renuncians, terrena deſideria per cæleſtis diſciplinæ ſtudium & cuſtodiam calcat. Luc. 14. Niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet, nõ poteſt meus eſſe diſcipulus. Hinc Apoſtolus Phil. 3. Propter quem oñia detrimentũ feci, & arbitratus ſum ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifacerem. Sed heu cęleſtia uiluerunt cupientibus uentrẽ implere de ſiliquis porcorꝝ, Luc. 15. Rurſum ſimile dicitur negociatori, qui delectatur bonis margaritis. Hieronymus: Bonæ margaritæ, lex & prophetę, & notitia ueteris teſtamenti. Vnum eſt preciofiſſimũ margaritũ, ſcientia ſeruatoris, & ſacramentum paſſionis Chriſti, & arcanũ reſurrectionis. Matt. 7.

Margarita. ꝓciosa.

Nolite sanctum dare canibus, neq; mittatis margaritas ante porcos. Ecce gratiam euãgelicã, sanctum & margaritas uocat. Nasci feruntur margaritæ in conchis marinis ex rore cęli, ad fulgorem se aperientibus. Sic Christus beatitudo nostra, & obiectiue & effectiue, spiritussancti operatione & illapsu in uirgine conceptus est. Esa. 45. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem. Quemadmodum autem dulcedine concipiuntur & conseruantur, ita aceto dissoluuntur. Sic 1. Pet. 2. Si tamen gustastis quoniam suauis est dñs. Contrà Hiere. 2. Scito & uide, qa malũ & amarũ est reliquisse te dominum deum tuum, & nõ esse timorem eius apud te, dicit dñs deus exercituum. Quod cum inuenerit homo, cum Paulo arbitratur omnia ut stercora, Phi. 3. Non quo inuentio nouæ margaritæ, reprobatio fiat ueteris: sed quo comparatione ipsius, omnis alia uilior sit. Heb. 7. Nihil enim ad pfectum adduxit lex. Ro. 10. Finis autem legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Chrys. Duo ad salutem nobis sunt necessaria, secularium rerum cõtemptus, ac iugis uigilantia. Quærenti, inquit. Qui enim renunciationem omnium bonorũ facit, nullam iacturam facit, sed quęstuosissimam mercaturam. Sumus negociatores, qui de terrenis facultatibus iubemur cælestes diuitias mercari. Lu. 19. Negociamini dũ uenio. Dicit̃ una margarita, quia dei dona unum solum respiciunt, & ad unũ tendunt, per charitatem quæ oĩm charismatum summa est, unum efficiens amantem cum amato. Venditis autem oĩbus comparat̃. Qui em̃ sua paupibus tribuit, & adhuc ꝓprijs uoluptatibus seruit, nondũ preciosum margaritum

Semmę vbi ꝛ qui nascantur.

Necessaria ad salutem duo.

comparauit: quia quod charius poterat, deo offerre renuit. Non enim deus nostra, sed nos quærit, qui terrenam substantiam non nisi propter lucrum cœleste dari præcepit. Quia ergo negociatores sumus, non terreni, de quibus Eccl. 26. Difficile exuitur negocias à negligentia, & caupo à peccatis labiorum. & 27. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium uenditionis & emptionis angustiabit peccatis. Sed spirituales, imitemur eos qui ob terrenum lucrũ, nec maris, nec latronũ, nec frigoris, nec æstus periculis retardantur, sic nec nos ob cœlestes diuitias. Ro. 8. Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculũ? an persecutio? an gladius? Sicut scriptũ est, Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisiõis. Sed in his oĩbus superamus propter eum q dilexit nos. Qui & si qñ in uno negocio iacturam incurrãt, eo fortius instãt in cæteris, quo damnũ resarciant. Sic nos damnum animæ per peccatum si incidimus, bonis operibus recuperare studeamus, quo preciosæ margaritæ lucrum recuperemus, dulcem domini uocem audientes Mat. 25. Euge serue bone & fidelis, quia sup pauca fuisti fidelis, supra multa te constituã, intra in gaudiũ dñi tui. Hæc margarita preciositate sua nulli rei comparari potest, & tamen minimis haberi. Vidua duobus minutis, Luc. 21. Zachæus dimidio bonorum suorum, Lu. 19. Alter calice aquæ frigidæ, Matt. 10. Quicunq; potũ dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico uobis, nõ perdet mercedem suam. Imo bona uoluntate, 2. Corinth. 8. Quod si uoluntas prompta

est, secundum id quod habet, accepta est, non secundū id q̄d non habet. Esa. 55. Venite, emite absq; argento, & absq; ulla cōmutatione uinū & lac. Augu. Venditis rebus nostris, nihil magis eorū accipimus q̄ nosmetipsos: q̄a talib⁹ implicati, nostri nō erim⁹.

Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in uasa sua, malos autem foras miserūt. Sic erit in cōsummatiōe seculi. Exibūt angeli, et separabūt malos de medio iustorū, et mittēt eos in caminū ignis. Ibi erit fletus et stridor dētiū.

Chrys. Deinde ne confidamus plurimū q̄m euangelium suscepimus, neq; opinemur solam nobis sufficere fidem ad salutem, horroris plenā adfert parabolam de iis, q̄ male uiuentes pereūt, & cæteris sunt inferiores, q̄m ueritatem quidem cognouerūt, & in iaculum piscatorum inciderunt, & tamē male uiuendo perierunt. Pulchre autem sagenę comparatur ecclesia, quæ & piscatoribus commissa est, & fidei suæ reti q̄tidie fideles trahit. Mat. 4. Venite post me, faciam uos piscatores hominum. Mare, mūdus fluctuationibus & amaritudinib⁹ plenus. Ioh. 16. In mundo pressuram, in me pacem habebitis. 1. Ioh. 5. Totus mundus in maligno positus est. Contexuerūt autem sibi ex nouo & ueteri testamēto rete euangelicum. Quæ em̄ p̄dicabant apostoli, firmabant miraculis & ꝓphetarum dictis, & miserunt in mare huius mūdi, q̄ usq; hodie in medijs fluctibus tenditur, capiēs de salsis & amaris gurgitibus, q̄cq̄d inciderit. i. bonos & malos. Sic Petrus in linteo submisso è cælo

uidit mũda & immũda animalia, Act.10. Arca Noe malos & bonos, munda & immũda continebat animalia, Gene.7. Congregat autem & continet, ut boni meliorentur, mali uero emendentur, quaꝝ interim nonnunꝝ fiat, ut boni fiant mali per culpam, & mali boni per gratiam, & nondum potest iudicari, qui in uasa sint eligendi, & qui foras mittendi. Sed quum ad littus uẽtum fuerit, tum iudicium uerum secernendorum bonorum & malorum patebit. Oẽs autem infideles, extra sagenam sunt & iudicati, Ioh. 3. Qui non credit, iam iudicatus est. Boni in uasa eliguntur. Ioh.14. In domo patris mei mãsiones multæ sunt. Malos foras miserunt. Apo.22. Foris canes & uenefici, & impudici, homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Canes, nominat Seruator obstinatos & infideles, Mat.7. Apostolus contentiosos. Phi.3. Videte canes, uidete malos operarios, uidete concisionem. Boni nusꝝ sed nisi in cælo, mali autẽ in inferno: sed in sagena ecclesiæ ad finem usq; & boni & mali mixti sunt. Exibunt autem angeli, dispecturi quid trahat rete euangelicum, nec sinent amplius malos bonis admixtos intra eandem sagenam, sed ex meritis, nõ exprofessione quenꝝ æstimabunt. O misera & semper pertimescenda separatio, quam subsequitur horrendum supplicium. Nam quemadmodum boni in æternas colligentur mansiones, sic mali in caminũ ignis mittentur ardentis. Mat.25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Psalm. 20. Pones eos ut clibanum ignis in tempore uultus tui, dominus in ira sua cõturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Aperte prædicit pœnas, ne quis ignoran-

tiæ p̃texat uelamẽ. Erit enim fletus & ſtridor denti um, in teſtimonium intolerabilis doloris.

Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: *Ideo omnis ſcriba doctus in regno cælorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & uetera.*

Quo magis hæc infigeret animis ſuorum, rogat num hæc ſatis intellexerint. Nõ enim ſufficit audire, niſi & intelligamus uerbum, Lu. 8. Subijcit aliam parabolam, qua ſubmonebat eos, hæc & huiuſmodi multa diſcẽda, & in memoriæ penuario reponenda, quo mox ad omnẽ occaſionem poſſent depromere, ſiue præmijs alliciendus eſſet auditor, ſiue ſupplicijorum metu terrendus. Nec enim eadem ſemp dicenda, nec eodem modo, nec omnibus rebus oẽs commoneri. 1. Pet. 3. Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti uos rationem, de ea quæ in nobis eſt ſpe, ſed cum modeſtia & timore, conſcientiam habentes bonam. Habent ſcribæ Iudæorum quod ex libris conſulti reſpondeant: ſed quiſquis uult eſſe ſcriba doctus in regno cælorum, ei non ſatis eſt proferre uetera, niſi proferat & noua. Hiero. Non uult eos audire tantum ut populum, ſed intelligere ut magiſtros futuros, & quicquid in euangelio prædicarent, lege & prophetarum uocibus comprobarent. Pro. 21. Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis. Mat. 13.

Et factum eſt cum conſummaſſet Ieſus parabolas iſtas, tranſiit inde. Et ueniens in patriam ſuam, docebat eos in ſynagogis eorum, ita ut mirarentur & dicerent: Vnde huic ſapientia hæc, & uirtutes?

Comprobantur inuidi & insipientes, existimãtes ignobilitatem & obscuritatem in causa esse quo qs min⁹ placeat deo. Publice & libere docuit, ne postea calumniari possent à lege diuersa docuisse. Quid obstabat, magnum illum in miraculis? Oportebat sane magis gloriari, quòd tantum bonum patria illorum protulerit.

De reprehensione traditionis Iudæorum, Mat. xv. Mar. vij.

ARTICVLVS LXI.

Matt. 15. H

TVnc accesserũt ad eum ab Hierosolymis scribæ et pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lauant manus suas cum panem manducant.

Ostendit dominus in quantam peccatorum uoraginem cæca hoĩm auaritia abducat, diuinorum q̃ præceptorum contemptum. Nam scribæ q̃ ratione scientiæ, & pharisæi q̃ ratione sanctimoniæ p̃celebãt, undiq; uenabant calumniam: sed quo magis impetunt Iesum, hoc magis traducũt suam cæcitatem adeò manifestã, ut populus etiam perspiceret. Hinc discipulos uituperabant quasi parum religiosos, simulq; præceptorem, qui suos parum sanctè instituisset. Mar. 7. Et conuenerũt ad eum pharisæi, & q̃dam de scribis uenientes ab Hierosolymis: & cum uidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, hoc est, non lotis manducare panes, uituperauerunt. Iudæi enim & pharisæi nisi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum: & à foro ueniẽtes, nisi baptizentur,

non manducant,& alia multa sunt quæ tradita sunt illis seruare,baptismata calicũ,&urceorũ,&æramentorũ,& lectorũ. Quum interim mentem habentes intus odio,liuore,ambitione,auaritia, simulatione, cæterisq; pestibus inqnatissimam, non cogitant de lauando aĩo,q̃si liquor aquæ sordes abstergeret animi. Bed. Ortum habuit ex Esa.1. Lauamini,mundi estote,quod spũaliter intelligendum,ipsi carnaliter exponebant. Sequitur enim ibidem,auferte malum cogitationum ab oculis meis. O quot habent imitatores. Aug. Bona uis habere, & bonus non uis esse? quid est quod malum uis habere? nihil omnino, & tamen malam uis habere animam? Hinc admonet dominus Hiere.4. Laua à malitia cor tuum. Alioq, Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ,qui mundatis quod de foris est calicis & parapsidis,intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce,munda prius quod intus est calicis & parapsidis,ut fiat & quod deforis est,mundum, Matth.25. Discipuli ergo domini, docti solam uirtutem amplexari,& in alijs non esse superstitiosos, non lotis manibus manducabant: quia iam superflua despiciebant, ea solum quæ erant necessaria attendentes, & neque lauari, neque non lauari pro lege habentes; sed ut contingebat utrunque facientes, ut dicit Chrysostomus. Pharisæi autem nec hãc calumniandi scabiem poterant intra se premere: cum discipulis non expostulant,sed uelut in atroci facinore dominum ipsum adoriuntur. Mar.7. Et interrogabãt eũ pharisæi & scribæ: Quare discipuli tui nõ ambulãt iuxta traditionẽ seniorũ,sed cõmunib⁹ manibus manducant panem? Non reprehendunt id tãquam

contra legem, sed seniorum traditionem. Dominus autem non ferens tam malitiosam de re nihili criminationẽ, perculit illos atrociore recriminatione,

2 Ipse autem respondẽs, ait illis: *Quare & uos trãsgredimini mandatum dei propter traditionem uestram?* Nam *deus dixit, Honora patrem & matrem: & qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicunq; dixerit patri uel matri, munus quodcunq; est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: et irritum feciſtis mandatum dei propter traditionem uestram. Hypocritæ, bene prophetauit de uobis Esaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.*

Volẽs nos docere dominus, nullum esse pestilentius calumniandi genus, q̃ ubi quis sub prætextu pietatis incessit benefacta proximi, seuere retundit illorum malitiam ac simulatam iustitiam. Hieron. Falsam calumniam uera responsione confutat, non impatientia, sed zelo iustitiæ, innocentes excusando, & inuidos & p̃uaricatores accusando. Indigne eñ alios de paruis accusant, qui magnis subiacẽt uitijs. Matth. 7. Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non uides? Iohan. 7. Nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicare. Chrysostomus: Nõ habet autoritatem legis, quod ab hominibus inuentum est: quocirca non legem, sed traditionem hominum iniquissimorum appellat. Hieronymus: Sæpe traditionibus ho

minum mandata dei cedunt. Obserua esse quædam hominum mandata diuinis contraria, hæc contemnēda. Act. 4. Si iustū est in conspectu dei uos potius audire quàm deū, iudicate. Act. 5. Obedire deo oportet magis quàm hominibus. Esa. 10. Vę q condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scribebant, ut opprimerent in iudicio pauperes, & uim facerent causæ humilium populi mei, ut essent uiduæ præda eorū, & pupillos diriperent. Sic hic erat. Quędam diuinis opitulantia, utpote ieiunium quo caro crucifigitur. Gal. 5. Qui Christi sunt, carnem suā crucifixerunt cum uitiis & concupiscentiis suis. Sic festi dies quibus colitur deus. In talibus obediendum. Heb. 13. Obedite præpositis uestris & subiacete eis. Quædam communem politiam concernētia, diuinis non contraria. Prou. 8. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Hinc Roma. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas nisi à deo. Quæ aūt sunt, à deo ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Mar. 7. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri uel matri, corban, hoc est, donum quodcunq; ex me tibi proderit, & ultra non dimittitis eum quicq̄ facere patri suo aut matri, rescindentes uerbum dei per traditionem uestram quam tradidistis, & similia huiusmodi multa facitis. Ex multis ergo unum accepit, ponens autoritatē quantum ad honoris obligationem, & quātum ad dehonorationis punitionem, ut eos ad sui duceret reatus considerationem. q. d. secundum Hieronymum: Si uos mandata dei contemnitis propter mandata ho

Mandata hominum temnenda aut seruanda quę sunt

minum, quare discipulos meos arguitis, q mandata hoim contẽnunt, ut dei scita custodiãt? Sigdẽ deus naturæ legẽ corroborãs, serio iussit, ut q sigs patrem & matrẽ honoraret, ac sub sidio subleuaret, longeui tatẽ uitæ huius repromittens ac felicitatẽ hoc facienti, mortẽ cõminans secus agenti. Exo. 20. Honora patrẽ tuum & matrẽ tuam. Eph. 6. quod est mandatum primũ in promissione, ut bene sit tibi, & longeuus sis super terram. Hiero. Honor in scripturis non tam in salutationibus & officijs offerẽdis, g in eleemosynarũ & munerũ oblatione attenditur. Leuit. 20. Patri matriq q maledixerit, sanguis eius sup eum. Vos autem consulentes auaritiæ uestræ, quod subleuandis parentibus erat impẽdendũ, uertitis in lucrum uestrũ: docetis homines, sanctius esse ac melius, locupletare donarijs templum, q opitulari parentibus egenis: ac technam monstratis, qua parentibus opem flagitantibus illudant filij, uestra traditione falsẽ præceptum dei exponendo. Munus quod offero templo, tibi collatum puta. Siquidem quod deo offertur summo parẽti, recte collocatũ est. Esa. 63. Tu domine pater noster. Mal. 1. Si ergo ego pater, ubi est honor meus? ac filij pietas proderit & parentibus. Hinc dicitis iam nõ esse opus, ut quicq impartiant egentibus parẽtibus, quod præcepto sit factum satis: & interim superstitione deterretis parẽtes, ne audeant à filijs exigere, quod semel deo dicatum uidetur, ne sacrilegio sese reddant obnoxios. Atq hac arte sub prætextu falsæ pietatis, contra pceptum dei deseritur pater, ut melius habeant sacerdotes. Res ad uos redit, nam ad parentes subleuandos præter uerba nihil redit. Glos. Impietatem sub

nomine pietatis inducunt, qui docent quod oblatio domini, qui uerus pater est, obsequijs parentũ præferatur, & hoc pro lucris suis, unde & parentes, ne sacrilegij crimen incurrerent, deo dicata deuitant, et egestate conficiuntur. Non ergo honorificat patrẽ, qui beneficia nõ pręstat. His dictis, factis, inquit, declaratis rectè meritoq; de uobis hypocritis uaticinatum Esai. 29. Quo grauius ipsos argueret, prophetam adduxit à quo taxãtur. Labijs me laudat & prędicat, legem uerbo, non facto seruans, fictione, non ueritate. Cor autem longe abest. Psalm. 118. Longe à peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non custodierunt. Non tuas, sed suas. Isa. 59. Peccata uestra diuiserunt inter uos & deum uestrum. Ideo Iaco. 4. Appropinquate deo, et appropinqudbit uobis. Frustra colunt, & putant colere se deum, qui per opera illum dehonorant. Vnde Ro. 2. Qui gloriaris in lege, per præuaricationem legis deum inhonoras. Sine causa colunt, quia mercedem à deo nõ recipient, cum ab hoĩbus quæsitam receperint. Mat. 6. Amen dico uobis, receperunt mercedem suã. Omnia enim opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus. Mat. 23. Docentes mandata hominum, contemptis diuinis. Alioqn Mat. 23. Supra cathedram Mosi sederũt scribæ & pharisæi, quæ dicũt uobis, facite: secũdum aũt opa illoꝝ nolite facere. Dicũt em̃, & nõ faciunt. Igit̃ doctrinis uarijs & pegrinis nolite abduci. Optimũ est em̃ gratia stabilire cor, Heb. 13. Col. 2. Videte ne qs uos decipiat p philosophiã & inanẽ fallaciam, secũdũ traditionẽ hoĩm, secũdũ elemẽta mundi, & nõ ſm Christum. Obserua, q̃d dicit, nõ ſm Chr̃m, indicat traditiões ecclesię q̃ secundũ Chr̃m sunt, ob

seruandas. Hinc Act. 15. apostoli coacto cõcilio gen tib' rescripserũt: Visum est spiritui sancto & nobis, nihil uobis ultra imponere oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis uos ab immolatis simulacrorũ, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. A quibus custodientes uos, bene agetis. & infra: Paulus autem electo Sila profectus est, traditus gratiæ dei à fratribus. Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, confirmans ecclesias, præcipiens custodire præcepta apostolorum & seniorum. Videant ergo quo spiritu regantur, qui ecclesiæ (quæ spiritu sancto regitur. Ioh. 14. Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis spiritum ueritatis, ut maneat uobiscũ in æternum, & ob id columna & firmamentum dicitur ueritatis, 1. Time. 3.) decreta contemnunt. Matth. 18. Si ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

Ecclesię traditiões non ut homi num traducendę.

Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite & intelligite. *Nõ quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis quia pharisæi audito uerbo hoc scandalizati sunt? At ille respondens, ait: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos. cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.*

3 Pharisęis hoc priuato sermone coercitis magis q̃ sanatis, Iesus uelut auersus ab eis, utpote incurabilibus, ac nihil aliud aucupantibus q̃ calumniandi ansam, iussit turbas propius accedere, uelut honorem ipsis deferens, ut susciperent sermonem. Mar. 7. Au

dite me omnes,& intelligite.Eccl.5.Esto mãsuetus ad audiendum uerbum dei,ut intelligas. Audite q̃ sint friuola quæ præscribũt pharisæi,de minimis an xiũ,maxima negligentes. Volebat enim turbam de his rebus admonitã esse,ne posthac pharisaicis traditionibus auocarentur ab euangelica synceritate. Marc.7.Nihil est extra hominem introiẽs in eum, quod possit eum coinquinare: sed quæ de homine procedunt,illa sunt quæ coinquinãt hominem.Puritas enim hominis & impuritas,nõ est in rebus extrarijs,sed internis. Nec animus iniquinatur rebus corporeis:quę autem intus sunt in homine,& ab homine exeunt,declarãt impurum hominem.Indicat ergo dominus,illa non ex natura sua,sed ex incidentibus causis uel bona,uel mala fieri,& ob id minoris esse facienda,quàm ea quę semper sunt ex sua natura pia uel impia.Iamq; tempus adesse,ut id genus legis præcepta,quę ad tempus aliquod sunt instituta, nec tam adferunt sanctimoniam, q̃ significant, iam incipiãt obscurari, ac mox ad coruscantem euangelij lucẽ prorsus interitura. Corporalia sunt hæc,nec afficiunt nisi corpus. Animum nec iuuãt,nec lædũt, nisi quis abutatur. Vt autem abutaris,non ciborum uitio fit,sed abutentis. 1. Tim. 4. Omis creatura dei bona est.sanctificatur eñ per uerbũ & orationem. Est tñ occasio immunditiæ spũalis,uel ratione,phibitiõis,ut in lege idolis immolata,& quàm plurima alia immunda erant secundum legem.Hieron. Ipsi quidem cibi & oĩs creatura mũda est p se,sed idolorũ & dæmonũ inuocatio,ea fecit immunda, 1.Cor.8. Hęc aũt,phibitio &immũditia p Christũ sublata et purificata,Act.10.Quod deus purificauit,tu ne com

mune dixeris. Hinc Col. 2. Nemo uos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorũ, quæ sunt umbra futurorum, corpus aũt Christi. Quædam aũt ab ecclesia certis rationibus instituta sunt, non quia lege præcepta, quoad deborũ certis diebus delectũ, & dies festos, ac longeuo usu, qui uim legis obtinet, quæ transgredi filijs ecclesiæ nefas est, quanq̃ nothi & synagogæ satanæ filij contẽnant. Sic & immoderãtiæ abusus coinquinat. 1. Cor. 6. Neq; ebriosi regnũ dei possidebunt. Philij. Quorũ deus uẽter est. Non dixerũt, scãdalizastis: sed, scãdalizati sunt. Non em̃ erat scãdalũ actiuũ, sed passiuũ. Augu. Oculis ægris odiosa est lux. At Iesus docere uolẽs, aliqñ offendiculũ improborũ ex rebus nihili sumptũ, fortiter esse contẽnendũ cũ suis autoribus, p̃sertim quũ illis obsecundando nihil aliud, p̃ficias, q̃ quod alijs illorũ malitiã, nõ sine pernicie simpliciũ, ait: Peribit oĩs institutio, quã hoies ad suum quæstũ & gloriã ex sese, non ad uerã pietatẽ cõmenti sunt. Actu. 5. Si ex hominibus est consiliũ hoc aut opus, dissoluetur: si uero ex deo est, nõ poteritis dissoluere, ne forte deo repugnare uideamini. Hiero. Etiã quæ plana uidentur in scripturis, plena sunt q̃stionibus. Si oĩs, ergo & illa, 1. Cor. 3. Ego plantaui. Soluit quæstio cũ subditur, Deus aũt incrementũ dedit. Dei agricultura estis, dei ædificatio estis. Dei em̃ cooperatores sumus. Si ergo cooperatores dei sumus, ergo plantãte Paulo, & rigãte Apollo, deus cũ cooperatoribus suis plantat & rigat. Abutunt hoc loco, q̃ diuersas naturas introducũt, d. Si plantatio quã non plantauit pater, eradicabit: ergo quã plantauit, nõ poterit eradicari. Sed audiãt Hie. 2. Ego te plantaui uineã electã, oñe semen uerũ. Quomodo

ergo cõuersa es mihi in prauũ uinea aliena? Plãtauit quidem deus, & nemo potest plantatiõem eius eradicare. sed quoniã ista plãtatio in uoluntate est proprij arbitrij, nullus alius eã eradicare potest, nisi ipsa p̃buerit assensum. Sinite suo errore eos turbari, qa obstinati in malitia. Discimus hoc loco, offendi illos, qui sponte offenduntur & incurabiles sunt, non esse damnosum. Scandalum enim ex ignorãtia prouenit. Mat. 17. Nescandalizemus, inquit, eos. Hiero. Saluator præcipit doctores pessimos dimittendos arbitrio suo, sciẽs eos ad ueritatem difficulter posse trahi, & cæcos esse, & cæcum populum in errorem trahere. Tit. 3. Hæreticum hominẽ post unam atq; secundam monitionem deuita, sciens quoniam subuersus est. Iactant sese doctores ac duces ad ueram religionem, quum ipsi nesciant quibus in rebus sit ista uera religio. Nesciunt quod doceant, & stultos discipulos sibi adiungunt. Hinc Mar. 7. Relinquentes mandata dei, tenetis traditiones hominũ, baptismata urceorum & calicum, & similia his facitis multa. Si quis habet aures audiendi, audiat. Significat eam cantionem fruſtra cani surdis auribus. Esa. 56. Speculatores eius cęci omnes, nescierunt uniuersi, canes muti nõ ualentes latrare, uidẽtes uana, dormientes & amantes somnia, & canes impudentissimi nescierunt saturitatẽ. Ipsi pastores ignorauerũt intelligentiam. Oẽs in uiã suã declinauerunt, unusq;sq; ad auaritiam suam, à summo usq; ad nouissimũ. Venite, sumamus uinũ, & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius. Gre. Cũ pastor per abrupta gradit, grex in p̃cipitiũ uadit. Hier. 10. Quia stultè egerunt pastores, & dñm non q̃sierũt, ꝓpterea

non intellexerunt,& omnis grex eorũ dispersus est.

Respondens autem Petrus, dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit: Adhuc & uos sine intellectu estis? Nõ intelligitis, quia omne quod in os intrat, in uentrẽ uadit, & in secessum emittitur? Quæ autẽ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus mãducare, non coinquinat hominem.

Remig. Cõsueuerat dñs parabolice loq, ideo interrogauit eũ Petrus. Mar. 7. Et cũ introisset in domũ à turba, interrogabãt eum discipuli eius parabolam, & ait illis: Sic & uos imprudẽtes estis? nõ intelligitis, qa oẽ extrinsecus introiẽs in hoiem, nõ potest eũ coinqnare, qa nõ intrat in cor eius, sed in uentrẽ uadit, & in secessum exit, purgans omnes escas? Iesus ad exemplũ fidi diligẽtis& ꝓceptoris, pri' excitata, pia obiurgatiuncula, illoꝝ attentione, docuit parabolæ mysteriũ. Hiero. Oĩa euãgelioꝝ loca, plena apud hæreticos & puersos sunt scãdalis, sicuti hic aliq Christũ arguere nituntur physicę dispositionis ignarũ, utpote q cibũ dixit mox in uentrẽ ire, & inde in secessum mitti, de corde uerò exire cogitationes. Mar. 7. Abintus eñ de corde hoim malę cogitatiões, ꝓcedũt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ, neqtiæ, dolus, impudicitiæ, oculꝰ malus, blasphemię, supbia, stultitia. Oĩa hęc mala abintꝰ ꝓcedũt, & coinqnãt hoiem. Nõ ergo statim purus

est, q manus, sed q cor habet lotũ & mundũ. Illic em̃ fontem suũ habent noxiæ cogitationes, quibus fratri struunt insidias. Quæ & si non prodeant per os, tamen impurum reddunt hominem & abominandum in oculis dei. Si prorumpant, uelut è putri cloaca pestilens halitus, ut declarant hominem esse impurũ, ita contagio afflatuq; suo etiam alios inquinãt. 1. Corin. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Hieronymus: Principale ipsius animæ secundum Platonem in cerebro est, sed iuxta domini sententiam in corde: & arguendi sunt ex hac sententia, qui cogitationes immitti à diabolo putant, & non ex propria nasci uolũtate. potest enim diabolus incentor esse malorũ, non actor. Sed occulta rimatur, & ex corporis habitu æstimare solet. Ex malis em̃ cogitationibus, pueniũt mala uerba & opera. Mat. 12. Progenies uiperarũ, quomodo potestis bona loqui quum sitis mali? Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonũ: aut malam, & fructum eius malum. Quod enim est hoc præpostẽ sanctimoniæ genus, lotas habere manus, & mentem simul & linguam habere tot sceleribus inquinatam? Hinc dominus nominatis uitijs quæ diuina lege prohibentur, pulchre concludit: Hæc sunt quæ immundum reddunt coram deo, culpæ maculam inferendo.

De Cananæa, Mat. xv. Mar. vij.

ARTICVLVS LXII.

ET egressus inde Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Cananæa à finibus illis egressa, clamauit dicens: Miserere mei domine fili Mat. 15. 1

Dauid, filia mea male à dæmonio uexatur.

Claret quàm efficax apud deum, humilis, pia, & perseuerans sit oratio. His itaq; gestis, Iesus ipsa loci mutatiõe significat, quàm tæderet Iudaici cultus, qui ferè totus æstimabatur corporalibus obseruationculis, & Iudæos ob suæ superstitionem legis, expulsuros euãgelicam doctrinã, quam gentes essent per fidei synceritatem sibi uindicaturæ. Proindenõ ibi uersatus est in publico, quod solet apud Iudæos. Marc. 7. Et ingressus domũ, neminem uoluit scire, & non potuit latere. Adeo enim fama dictorum factorumq; eius sese & ultra Iudææ fines profuderat, ueluti iam tum meditans in uniuersum orbem propagari. Marc. 7. Mulier enim statim ut audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immundũ, intrauit, & procidit ad pedes eius. Erat enim mulier gentilis, Syrophœnissa genere: & rogabat eum, ut dæmonium ejiceret de filia eius. Sed quoniã nõ fuit exaudita in domo, prosecuta est dñm per uiam, ingenti de eo cõcepta fidutia. Hieronymus: Inde nouit uocare filiũ Dauid, quia egressa iam fuerat de finib⁹ suis, & erroꝛ rẽ Tyriorum & Sidoniorũ loci ac fidei cõmutatiõe dimiserat. Nam credidit dominũ posse sanare filiã. Beda: Mulier quæ dominum credula precabatur, à finibus suis egressa perhibetur: quia nisi priscæ conuersationis habitacula uana reliquisset, ad Christi ecclesiam nunq; ueniret. Emigrandum est de ædibus tuis, ut uenias ad domũ in qua sedet Iesus. Non enim sufficit à peccatis egredi, nisi & occasiones derelinquas peccatorũ. Eccl. 13. Qui tetigerit picẽ, inquinabit ab ea: & qui cõmunicat superbo, induet superbiã. Sibi misereri postulat, quia charitas malũ alienũ, ex

fraterna cõpassione suum reputat. 2. Cor. 12. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Misericordiã postulat, non meritum allegat. Esa. 64. Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus mẽstruatæ. Hieronymus: Ego filiam ecclesiæ puto animas esse credentiũ, quæ male à dæmonio uexãtur, ignorantes creatorẽ, & adorantes lapidem. Male anima uexatur, quando uexatio non sentitur. Hier. 5. Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti, & renuerũt accipere disciplinã. Indurauerunt facies suas supra petrã, & noluerunt reuerti. Peius, quũ morbus desperatur. Ephe. 4. Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationẽ immũditiæ oĩs, in auaritiã. Pessime, quũ medicus contẽnitur. Lu. 5. Vtiq; dicetis mihi hãc similitudinem: Medice, cura teipsum. Non eñ egent, qui sani sunt, medico, Luc. 5.

Anima qñ male, per ac pessime vexetur.

Qui non respondit ei uerbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eũ, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autẽ respondens, ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierũt domus Israel. At illa uenit, & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me. Qui respondẽs, ait: Non est bonum sumere panem filiorũ, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam domine. Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

Hic Iesus ille misericors & exorabilis, qui solet 2
oñibus obuius esse & expostus, q̃ simul & cõstantissimã mulieris fidẽ oĩbus patefaceret, & Iudæis suã ptinacissimã incredulitatẽ exprobraret, simulq; ut doceret nos q̃tũ apud deũ ualeãt improbæ preces ex humili corde profusę, adeo contẽpsit supplicẽ ac

uociferantem præ dolore animi, ut nec responso dignaretur. Hieronymus: Non de superbia pharisaica, nec de scribarum supercilio, sed ne ipse sententiæ suæ uideretur cõtrarius, p quam iusserat Matt. 10. In uiam gẽtium ne abieritis. Nolebat enim occasionem calumniatoribus dare, p fectam q salutem gentium, passionis & resurrectionis tempori reseruari. Non destitit tamen mulier, quanuis repulsa. dolor enim & fides reddebant illam improbam. Sequitur à retro, uociferatur lamentabili uoce. Accedunt discipuli, non tanquam immisericordes, sed uolentes persuadere domino ut misereretur ei. Hieronymus: Discipuli adhuc mysteriorum Christi ignari, uel misericordia moti, rogabant pro muliere, uel importunitate eius carere cupientes: quia non ut clementem, sed ut durum medicũ crebrius inclamaret. Beda: Si quis animam habet uitiorum sorde pollutam, filiam p culdubio habet male à dæmonio uexatam. Sed necesse est, ut reatum suum agnoscens, mox ad preces & lachrymas confugiat, sanctorum crebris intercessionibus auxilium quærat, qui pro eius salute domino dicant: Dimitte eum, quia clamat post nos. Dimitte reatum, donagratiam, quia nostrum intimo affectu quærit pronus suffragium. Roma. 15. Obsecro uos per misericordiam dei, & p charitatem sanctiſpiritus, ut adiuuetis me in orationibus uestris. Nam cõnexio corporis p charitatem, quæ uinculum est perfectionis, Col. 3. exigit ut uicissim subleuemus. Hinc Gala. 6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Vnde dominus amicis Iob ait: Iratus est furor meus in te & in duos amicos tuos, qm̃ non estis locuti coram me rectum, sicut seruus

Sanctorũ intercessiones expetende.

meus Iob. Sumite ergo uobis septem tauros & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offeret holocaustum ꝓ uobis. Iob autem seruus meus orabit pro uobis, faciem eius suscipiam, ut non imputetur uobis stultitia, Iob. 42. Dominus autem respon sum addit repulsa priori durius, quo magis ac magis barbaræ mulieris admirabilem redderet cõstantiam ac modestiam, & hoc exemplo Iudæis suã exprobraret arrogantiam, & uelut ex affectu Iudaico respondet, se non gentibus, sed Iudæis peculiariter missum. Hieronymus: Non quod ad gentes non missus sit, sed quod uel primum missus sit ad Israel, ut illis non recipientibus euangelium, iusta fieret ad gentes transmigratio. Hinc Paulus Actu. 13. Vobis oportebat primum loquiuerbum dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim nobis ꝓcepit dominus. Ipsis enim promissus. Roma. 15. Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis, ad confirmandas promissiones patrũ. Ad oues, inquit, quæ perierunt. Venit enim quærere & saluũ facere quod perierat, Luc. 19. Psalm. 118. Erraui sicut ouis quæ periit. quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Esa. 53. Omnes nos quasi oues errauimus, unusquisq; in uiam suam declinauit. Mulier autem adeo non est defatigata tot repulsis, ut ausa sit ꝓpius etiam accedere ad Iesum, dei cognoscens potentiam, & auxilij efficaciam, ac suam indigentiam, & accidens ad genua, adorauit. Hieronymus: Mira hic monstrantur, quæ gradatim deus expostulat: fides, qua credidit posse sanare filiam: ac primum filium Dauid, deinde dominum uocat, ad

extremum adorat ut deũ. Patientia, qua, toties cõtẽpta, in precibus perseuerat. Humilitas, qua se non canibus, (de quibus Psal. 21. Circundederunt me canes multi) sed catulis cõparat. Quanto aũt mulier multiplicabat preces, tanto durius Christus negationẽ. Mar. 7. Sine prius saturari filios. Non est enim bonũ sumere panem filiorũ & mittere canibus. Panem appellat fructum euangelicum, qui fide cõstat. Filios, ludæos. Ose. 11. Puer Israel, & dilexi eũ. Hier. 31. Ephraim primogenitus meus. Sed Esa. 1. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Ideo & Apostolus Ro. 9. Non enim qui filij carnis, hi filij dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Eccl. 15. Cibauit eos pane uitæ & intellectꝰ. Gentes, quia impuram agebant uitam, & in sanguine idolis immolatorũ uersabantur, canes à cultu religionẽq; dei alieni. Peccatores ergo cũ sumus, & canes nominamur immũditia pleni, indigni sumus q accipiamus panẽ dei, hoc est, cõmunicemus immaculatis mysterijs: q; si per humiliratem nosmetipsos agnouerimus, & confessi fuerimus nos esse canes, enarrauerimusq; peccata nostra, tunc sanatur filia, hoc est, opus diabolicũ. Mulier nihil offensa conuicio, quod dictũ uidebatur ad abigendã illã, uertit in argumentũ impetrandi. Non inficior, inquit, Israelitas esse filios, nos esse canes. Chrysostomus: Nã etsi canis, non penitus aliena. Ideo non sum omnino repellenda. Non illis præripio suũ panẽ delicatũ, quo uescuntur accumbentes in mensa patris. hoc tãtum peto, q̃d domini non solent negare canibus. Quod parum, quantũ ad uirtutem tuã attinet, mihi aũt magnũ fuerit, da. Sicut & qui panes comedunt, nõ ma-

gnifaciunt si micas dent. Iesus aũt uelut uictus tãta mulieris fidutia, tolerãtia, modestia, ac perseuerãtia,

Tunc respondens Iesus, dit illi: O mulier, magna 3 *est fides tua. fiat tibi sicut uis. Et sanata est filia eius ex illa hora.*

Chrysostomus: Vide quanta sit uirtus orationis. quod enim apostoli non obtinuerunt, ipsa perfecit. Discamus non statim resilire, quũ precamur, si non statim uotorum fuerimus compotes, sed perseuere mus donec accipiamus. Fuit oratio ipsius, Cordialis. nã clamauit ex totis prẽcordijs. Psal. 118. Clamaui in toto corde, exaudi me dñe. Toto corde clamat, q intellectu & affectu clamat. 1. Cor. 14. Orabo spiritu, orabo & mente. Diuiso corde, qui uel non intelligunt, uel non attendunt quod petunt. Ose. 10. Diuisum est cor eorũ, nunc interibunt. Beda: Hæc autẽ sola orandi pertinacia meretur esse fructifera, si q̃d ore precamur, etiam mente meditemur. Sunt enim qui ore orantes, mente autem foris uagantes, oñi se fructu orationis priuant, putantes à deo precem exaudiri, quam nec ipsi audiunt qui fundunt. Nullo corde, qui nec intellectu nec affectu. Esa. 29. Eo quod appropinquauit populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autẽ eius longe est à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis, ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Fidelis. Iaco. 1. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Hinc à domino collaudatur, quia magna fides ipsius. Magnam siquidem habuit fidem, quæ nec prophetarum antiqua, nec recentia ipsius domini miracula

Oratio Cananeæ q̃lis seu quotuplex.

percepta, uel promissa cognoscens, pietatem saluatoris implorat, dicens: Miserere mei domine fili Dauid. Cum enim eundem dominum filium appellat Dauid, „pfecto patet, quod uerum hunc hominem, uerũ credidit & deum, quem & solo uerbo posse curare sciens, filiam non adduxit, nec p̃sentiam requisiuit, & ut deum adorauit. Erat autem fides p dilectionem operans, quæ aliquid est, Gala. 5. Nam sine operibus mortua est, Iaco. 2. Humilis, calamitatem suam publice confitendo, humiliter adorando, & se catello comparando. Eccl. 35. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit. Iudith. 9. Humilium & mansuetorum semp tibi placuit deprecatio. Psal. 101. Respexit in orationem humilium. Stabilis, Chrysostomus: Differt quandoque deus dare quod petitur, ut desideria augeantur, & habita carius possideantur, & possessa cautius custodiant. Gregorius: Desideria sancta, dilatione crescunt: si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. Marc. 7. Et ait illi: Propter hunc sermonem uade, exijt dæmonium à filia tua. Et cum uenisset domum, inuenit puellã iacentem sup lectum, & dæmonium exisse. Psalm. 148. Ipse dixit, & facta sunt. Sap. 12. Subest enim tibi, cum uolueris, posse. Hieronymus: O mira rerum conuersio. Israel quondam filius, non canis, „p diuersitate fidei ordo mutatur. Nam de illis postea dicitur Phi. 3. Videte canes, uidete malos operarios. Sed foris canes & uenefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Nos audimus cum muliere, Magna est fides tua, fiat tibi sicut uis.

De surdo & muto & alijs sanatis, Matt. xv. Marc. vij.

ARTICVLVS LXIII.

ET exiens de finibus Tyri, uenit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: et expuens, tetigit linguam eius: & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Effeta, quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est uinculum linguæ eius, & loquebatur recte. Mar. 7. K

Ostendit quàm obuius sit omnium ad se confugientium necessitatibus subuenire. Nam facta ipsius nedum ad fidei illuminationem, sed & morũ instructionem nobis proponuntur. Beda: Surdus ille & mutus, quem mirabiliter dominus sanauit, genus designat humanum, in his qui diabolicæ deceptionis ab errore, diuina merentur gratia liberari. Obsurduit nanque homo ab audiendo diuino uerbo, posteaquam mortifera serpentis uerba contra deũ tumidus audiuit. Mutus à laude conditoris effectus est, ex quo cum seductore colloquium habere præsumpsit. Et quod de radice uitiosum germinauit, uitiosius multo propagari cœpit in dilatatiõe ramorum, ita ut ueniente in carne domino (exceptis paucis de Iudæa fidelibus) totus penè mundus ab agnitione & confessione ueritatis surdus erraret & mutus. Dominus igitur, semine ceu furtim iacto apud

Tyrios & Sidonios & Cananæos, relegit iter, rursus proficiscens ad lacum Galilææ, prætermissa Sidone, & itinere facto per regiõem Decapoleos, ubi prius fanarat dæmoniacum. Huc cum uenisset, adducũt surdum & mutum. Mutus sit oportet, qui natura surdus est. Beda. Regio trans Iordanem decẽ urbium, erat ad orientem: unde dñs ex oppositio illarum ciuitatũ, intrasse dicitur fines earum. Congruebat ibi facere miraculũ, q̃ fama latius diuulgaret, & plures postea cõuerterent. Sed miserabilius surdus est, cui non sunt aures idoneæ ad audiendũ sermonem dei: peius mutus est, qui non habet linguam ad confessionẽ suæ turpitudinis, ac diuinæ misericordiæ. Nam sine auditu fidei & diuinæ inspirationis, gratia non intrat. Ro. 10. Ergo fides ex auditu, auditus aũt per uerbum Christi. Sine confessionis uerbo culpa non exit. Ro. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem cõfessio fit ad salutẽ. Esa. 42. Quis cæcus nisi seruus meus, & surdus nisi ad quẽ nuncios misi? Sed qd faciet miser, q̃ linguam non habet, unde salutẽ petat à dño, nec aures q̃bus pcipiat uocem Iesu, etiã mortuorum excitatricem? Offerãt necesse est diuinæ pietatis aspectibus ij, qui audire & loqui uerbum dei lõgo didicerũt usu sanandũ, ut eũ quẽ humana infirmitas nequit, gratiæ dextera saluet. Sic uisum est clementissimo dño, ut aliena etiam fides opitulet peccatorib⁹. 1. Io. 5. Qui scit fratrẽ suũ peccare peccatũ non ad mortẽ, petat: & dabit ei uita, peccãti non ad mortem. Scilicet uitæ, quia post mortẽ etsi in malis sit pœnitentia, tamen infructuosa. Sap. 5. Dicẽtes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spũs gementes, Iaco. 5. Orate pro inuicem ut saluemini.

Adducatur ad Iesum, non consulantur dij alieni, ut phitones etc. Ochozias lapsu per cancellos cœnaculi sui grauiter infirmatus, mittens ad consulendum deum Accaron, audiuit 4. Reg. 1. Quia misisti nūcios ad consulendū Beelzebub deū Accaron, q̄si non esset deus in Israel, à quo posses interrogare sermonē, ideo de lectulo sup quē ascēdisti, nō descendes, sed morte morieris. Audiāt & intelligāt, q in rebus aut pditis, aut alioq uirib⁹ destitutis, deo derelicto, homines superstitiosos, & morib⁹ & uita corruptos cōsulunt, unde picula & infortunia. Erat in ꝓcliui, dño uel simplici ꝟbo dare sanitatē surdo & muto, sed nobis hæc rerꝝ forma ꝓponit. Nam ut plerunq; parabola est q̄d loquit Iesus, ita non raro parabola est quod facit. Apprehensum hominē seducit à turba. Saluus est quēcunq; apprehenderit Iesus, quē ab huius mundi tumultu semouerit. Hieron. Seorsum semp à turbulentis cogitationibus & actibus inordinatis, sermōibusq; incōpositis ducit, q sanari meret. Manu sua educit à turba, q̄ impedit spūalis sanitatis receptionem. Est em̄ oīs morbi curatiua. Psal. 143. Emitte manum tuam de alto, eripe me & libera me de aquis multis. Omnis boni collatiua. Psal. 144. Aperis tu manum tuam, & imples om̄e animal benedictione. Iob. 10. Manus tuæ dñe fecerunt me, & plasmauerunt me totū in circuitu. Omnis rei in suo esse conseruatiua. Sap. 11. Quomodo autem posset aliquid pmanere, nisi tu uoluisses? aut quod à te uocatum non esset, conseruaretur? Iam autem in proximo ē salus, Iesus ubi uirtute spūs, q digitus dei est, dignat aures mētis nostræ cōtingere. Hiero. Digiti, ꝟba spūs sunt & opa. Exo. 8. Digit⁹ dei ē hic. Psal. 8.

Man⁹ domini qualis.

Quoniam uidebo cælos tuos opera digitorum tuorum. Quoties ſaliua cæleſtis ſapientiæ, quę ipſe eſt, 1.Cor.1. ex ore altiſſimi patris prodiens, Eccl.24. dignatur animi noſtri linguam contingere, ut ſapiant nobis ea q̃ dei ſunt. 1.Cor.2. Animalis homo nõ percipit ea quæ ſunt ſpiritus dei. Stultitia em̃ eſt illi, & nõ poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia. Neq; enim abſque hoc humore fit guſtº, & humana ſaliua uitiata, peruerſum habet iudicium. Ingemuit non ex diffidentia, ſed humanam miſeriã commiſerans. Quid enim miſerabilius illis, quibus aures mentis ſic occupatæ ſunt cupiditatibº terrenis, ut non queant audire uerbum deiꝰ quibus lingua ſic impedita eſt & infecta uitioſis affectibus, ut non ſapiant cæleſtia, ut muti fiant ad ſuæ malitiæ confeſſionem, ad prædicandam dei miſericordiam? Itaque gemitus Ieſu admonet nos, quales fuerimus: at ſuſpectus in cęlum, admit deſperationem, indicans unde ſit paratum auxilium. Pſal. 120. Auxilium meum à domino, qui fecit cælum & terram. Pſalm. 122. Ad te leuaui oculõs meos, qui habitas in cælis. Iac. 1. Omne datũ optimum & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Hiero. Gemere nos docuit, ac in cælum theſaurum cordis noſtri erigere, quod per gemitum compunctionis intimę, friuola lætitia carnis purgatur. Pſal. 37. Rugiebam à gemitu cordis mei. Pſal. 119. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Non enim habemus hic manentẽ ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Heb. 13. Gemere ergo debemus pro noſtris & aliorum erratibº, & noſtrum exilium plangere. Pſalm. 37. Domine, ante te omne

desiderium meũ,& gemitus meus à te non est absconditus. Imperat morbo ut dominus,cui necessario omnia obediunt, & continuo sequitur sanitatis effectus. Psal.148. Quoniam ipse dixit,& facta sunt. Sap.16. Tuus domine sermo qui sanat omnia. Tu es domine qui uitæ & mortis habes imperium, deducis usque ad portas mortis & reducis. Beda: Vtraq; natura manifeste distincta est,suspiciens eñ in cælum, quasi homo deprecaturus ingemuit:sed mox uno sermone quasi potens, infirmum diuina maiestate curauit. Hiero. Ille solus recte loquitur,uel deum confitendo,uel alijs prędicando,cuius auditum, ut cælestibus possit auscultare & obsecũdare mandatis,diuina gratia referat, cuius linguam dominus tactu sapientiæ,quæ ipse est,ad loquendum instruit. Psal.50. Domine,labia mea aperies,& os meum annunciabit laudem tuam. Sed sunt qui à ueritate auditum auertunt, & ad fabulas conuertuntur, 2. Timo.4. qui obturant aurem suam ne audiant legem,Pro.28. quorum oratio erat execrabilis. Sic & ad clamorem pauperis,qui & ipsi clamabũt, & non exaudientur,Pro.21. Sunt & quorum guttur sepulchrum est patens,qui linguis suis dolose agũt:quoniam non est in ore eorum ueritas, cor eorum uanum est,Psal.5. Sed qui uult uitam,diligit uidere dies bonos,Prohibeat linguam suam à malo,& labia sua ne loquantur dolũ,Psal.33. Hinc admonet Apostolus Ephe.4. Oĩs sermo malus de ore uestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificatiooem fidei, ut det gratiam audientibus. 1. Pet.4. Si quis loquitur quasi sermones dei. Timeamus ergo in ipsa lingua,in qua benedicimus deum & patrem, maledice

re homines qui ad imaginem dei creati sunt, Iac. 3. Qui enim putat se religiosum esse, non refrenãs linguam suam, huius uana est religio, Iac. 1. Si enim de oñi uerbo ocioso, quod locuti fuerint homines super terram, reddent rationem de eo in die iudicij, Matt. 12. quid de blasphematorijs & contumeliosis erit & detractorijs? Hierony. Soluitur lingua d hymnos, cantica & psalmos: soluitur ut eructet uerbum bonum, quod non possunt minæ cohibere. Verbum enim dei non est alligatum, 2. Tim. 2.

5 *Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & tanto amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.*

Hiero. Non in uirtutibus gloriandum esse docuit, sed in cruce & humiliatione. Gal. 6. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce dñi nostri Iesu Christi. Bed. Nunquid non æstimandum est, quòd unigenitus dei filius signum faciens, & hoc abscondi uoluerit, quòd contra uoluntatem suam sit patefactum in turbis, nec potuerit silentio signum tegere, si uoluisset, quod potuit facere cum uoluit? An forte nobis exemplum dare, ut uirtutũ opera facientes, uitium iactantię per omnia, gloriamq; uitemus humanam, ne bona nostra actio, per inanem uulgi fauorem, supernæ retributionis munere priuetur? Et tamen sciamus, opera nostra, si digna imitatiõe sint, nullatenus posse celari, sed ad utilitatem fraternæ correctionis, ipso dispensante patefieri, qui ait Matth. 5. Non potest ciuitas abscondi supra montem posi-

ta,& Luc.12. Quæ dixistis in tenebris,dicentur in lumine. Hoc autem ipsum magis prouocauit,ut apud omnes prædicarent. atq; hoc uehementius suspiciebant magnitudinem Iesu, qui quum talia posset ac præstaret,non solum nihil exigebat præmij, uerum ne gloria quidem tam insignis facti frui cupiebat. Sed ut est hominis uere benefici,nō exigere laudem pro beneficio, ita grati est hominis, hoc impensius referre gratiam,quòd qui beneficium dedit,nullam expectet gratiam. Hęc laus,bene omnia fecit,in solum deum comperit. Gene.1. Vidit deus cuncta quę fecerat,& erant ualde bona. Deut.32. Dei enim perfecta sunt opera. Sed unde mors? Sapi.1. Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione uiuorum. Creauit enim ut essent omnia,& sanabiles fecit nationes orbis terrarum,& nō est in illis medicamentum exterminij,nec inferorum regnum in terra. Iustitia enim perpetua est & immortalis,iniustitia autem mortis acquisitio. Impij autem manibus & uerbis accersierunt illam. Melius ergo nunc fecit in reparatiõe. Ro.5. Si unius delicto mors regnauit per unum,multo magis abundantiam gratiæ,& donationis & iustitiæ accipientes, in uitâ regnabunt per unum Iesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in cõdemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem uitæ. Optime in electorum glorificatione. Apo.21. Absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum,& mors ultrà non erit,neq; luctus,neq; clamor,neq; dolor erit ultrà, quę prima abierũt. Et dixit q̃ sedebat in throno: Ecce noua facio oĩa. Sic ergo nos uisitare dignet, q̃ tãgit & sanat oĩa uerbo,

ut audientes & loquentes, nunquam ab obedientia laudis diuinæ cessemus, magnalia eius indies magis ac magis prædicando, cui debetur creationis & recreationis & instaurationis nostræ gratia. Quanto enim feruentius prædicare debent, quibus iubetur prædicent, quando illi qui iubentur, tacere non possunt? Hinc Lu. 19. Dico uobis, si hi tacuerint, lapides clamabunt. Matt. 15. Et cum trãsisset inde Iesus, uenit secus mare Galilææ: & ascendens in montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos ita ut turbæ mirarent, uidentes mutos loquentes, claudos ambulantes, & cæcos uidentes, & magnificabãt deum Israel. Conscenso monte sedebat, ut secessu loci & difficultate paulatim ad firmitatẽ eueheret fidem suorum. Iam uel ex itineris difficultate satis perspecta fide illorũ, nam sequuntur, ascendunt, offerunt, sanauit omnes tanta celeritate tam multos, ut multitudo quę uenerat, uehementer obstupesceret: & glorificabat deũ Israel, qui tantis beneficijs dignaretur populum suum. Si rectum non uides, si bonum quod cernis non operaris, si admonentem alium nõ audias, neq; alium admonere ualeas, si eleemosynam non porrigas, aut alio quopiã morbo teneare: pedes Iesu accede, uestigia uitę illius attinge, & curã habebis. Ibi peccatrix ueniam inuenit peccatorum, Luc. 7.

De refectione septem panum, Mat. xv. Mar. viij.

ARTICVLVS LXIIII.

IN diebus illis iterum cum turba multa esset cum Ie Marc.8.
su, nec haberent quod manducarent, conuocatis di L
scipulis, ait illis: Misereor super turbā, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent. & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in uia: Quidam enim ex eis de longe uenerunt.

Ostendit quàm prompte adhærentium sibi necessitatibus subuenire uelit & possit. Augustinus Altitudinem diuinitatis suæ & misericordiam humanitatis, multis & uarijs modis in scripturis sanctis dominus noster Iesus Christus ostendit. Omnia cū quæ in hoc mundo sub fragilitate nostra exhibuit miracula, nobis proficiūt. Verbum dei est Christus, qui non solum uerbis, sed & factis loquitur hominibus. Nempe quod super turbā misereatur dominus, ne inedia uel longioris uiæ deficiat labore, nouerimus esse affectum atq; compassionem humanæ fragilitatis. Quod autem de septem panibus & paucis piscib⁹ satiauit quatuor millia hominum, credimus diuinę opus esse uirtutis. Repetit exemplū pascendi, ne possit excidere, quod toties esset infixū. Clementissimus dominus sanabat omnes corporum morbos, animos uero cæleſti sermone pascebat. Non enim sunt noxiora ieiunia, quàm non pasci dei gratia. Hac ergo benefaciendi promptitudine adeò sibi deuinciebat animos multitudinis, ut ab eo non posset diuelli. Dumq; totis animis intēti sunt regno dei, non uenerat in mentem prospicere de commeatu. Chrysostomus: Non est putandum quod sine uiatico uenerint in solitudinem, sed consumptis primo & secundo die omnibus, tertio die, quo clarius

esset, miraculum fecit. Cognoscens enim dominus multos fame periclitari, & iter esse longum, nec uicos ullos aut oppida esse in propinquo, cõuocat discipulos, ipsa re docere uolens ipsos, nihil defuturũ his qui syncera fidutia adhęrerent ipsi. Misereor, inquit. O uerbum inexhaustæ charitatis & dulcedinis, ex intimis procedens præcordijs. Psal. 144. Miserationes eius super om̃ia opera eius. Quare hoc? Psal. 58. Misericordia eius pręueniet me. Non enim expectat, sed præuenit periculum nostrum. Sap. 11. Misereris omnium, quia oĩa potes. Vnde Esa. 16. Præparabitur in misericordia soliũ eius. Excitauit & hac oratione animum suorũ ad miraculum, submonendo discipulos suos superioris miraculi, quo pauerat aliquot millia hominũ. Duplex miserendi causa, qa cũ ipso perseuerabant, nec habebant uictum. Matt. 15. Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerãt mecum, & non habent quod manducent. Et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in uia. Nullum dñs Iesus uult dimittere ieiunum. om̃es enim uult delicijs donorum suorũ alere, & maxime qui triduo apud se manent, hoc est, in fide trinitatis baptizati pseuerando. Psal. 102. Quomodo miseretur pater filiorũ, misertus est dominus timentibus se. Sustinentes autem eum, hæreditabunt terram, Psal. 58. Lu. 1. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. De quib⁹ Apo. 3. Dicis quia diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis qa tu es miser, & miserabilis & pauper, & cæcus, & nudus. Ideo Psal. 72. Mihi autẽ adhærere deo bonũ est, ponere in dño deo spem meã. Psal. 32. Anima nr̃a sustinet dñm, qm̃ adiutor & protector noster est. Ambrosius: Non ociosis, nõ

in ciuitate, hoc est, in synagoga secularis dignitatis residentibus, sed inter deserta Christū quęrentibus, cælestis gratiæ alimonia impartitur. Ose. 2. Ducā eā in solitudinē, loquar ad cor eius. Psal. 84. Audiā qd loquatur in me dñs, qm̄ loquetur pacē in plebē suā. Turba ergo triduo sustinet dñm, quia fideles pœnitentes, se ad dominum in opere, sermone & cogitatione conuertunt: qui in præsenti uia deficerent, si in sua conscientia sine doctrinæ pabulo dimitterētur. Quām diu eī sumus in hoc tabernaculo, peregrinamur â domino. 2. Corin. 5. Scimus aūt qm̄ si terrestris domus nostra huius habitatiōis dissoluatur, quod ędificationem ex deo habemus, domum non manufactam, ętternam in cælis. Sed qm̄ duplici constitimus substātia, duplici nobis opus est refectione, quemadmodū dñs refecit. Primo, spirituali. Mat. 4. Non in solo pane uiuit homo, sed in oīi uerbo ꝺd ꝓcedit de ore dei. Hieronymus: Periclitatur fame, qui sine cęlesti pane, ad optatam mansionē puenire festinat. Hinc dixit angelus Heliæ 3. Reg. 19. Surge, comede, quia grandis tibi restat uia. Qui surgēs, comedit & bibit: & ambulauit in fortitudine cibi illius 40. diebus & 40. noctib⁹, usq; ad montē dei Oreb. Dehinc corporali. Psal. 135. Qui dat escā oīi carni. Psal. 103. Vt det illis cibū in tēpore. Sciendū ꝙ ante peccatum deus dedit homini in cibos, fructus arborū. Vnum genus, quo nutriretur: aliud, quo in uita conseruaretur, lignū uitæ: & tertium quo probaret, lignum scientiæ boni & mali, Ge. 2. Post peccatum, olera herbarum & panem, Gene. 3. Sed quia per aquas diluuij fructus & herbæ in uirtute peiorati, dedit carnes & pisces, Gen. 9. Nunquam eī defuit

Cibus' hominiꝫ multiplex a deo datus

dominus suis. Hinc filios Israel pauit manna in deserto quadraginta annis, donec uenirent in terram habitabilem, Exod. 16. Quare admonet Apostolus Heb. 13. Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus. Ipse enim dixit: (Iosu. 1.) Non te deseram neq; derelinquam. Vnde ait Lu. 22. Quando misi uos sine sacculo & pera, nunquid aliquid defuit uobis? At illi dixerunt: Nihil. Ideo 1. Timo. 6. Habētes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus. De longe ueniunt pœnitentes. Psal. 118. Longe à peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non exquisierunt. Ephe. 2. Et uos qui aliquando fuistis longe, facti estis prope in sanguine Christi.

Et responderunt ei discipuli sui: Vnde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septē. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis ut apponerent turbæ. & apposuerunt. & habebant piscículos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi. Et manducauerunt, & saturati sunt, & sustulerunt quod superauerat de fragmentis, septem sportas. Erant autem qui manducauerant, quasi quatuor millia hominum. & dimisit eos.

2 Discipuli rudes adhuc, & obliti priorum, quasi iussi pascere tantam hominum multitudinem, soliciti perplexicq; responderunt Mat. 15. Vnde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbā tan-

tam, biduano ieiunio famelicam, & hoc in deserto, ubi nec prece, nec precio habere possumus? Diffidētiæ uox est & obliuionis, maiora enim uiderant. Sic Moses audiēs à domino Nu. 11. Sanctificamini, cras comedetis carnes, ait: Nunquid boum & ouiū multitudo cædetur, ut possit sufficere ad cibum? uel oēs pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient? Cui respondit dominus: Nunquid manus domini inualida est? Iam nunc uidebis utrum meus sermo opere compleatur. Lu. 1. Quia non erit impossibile apud deum oīe uerbum. Multi discipulis similes, in necessitate deo diffidentes, ad humana confugiunt præsidia, quare iuste utrisq; fraudātur. Hæc tamen simplicitas & obliuio discipulorum, miraculi magnitudinem illustrauit. Quo autem dominus omnem malignandi & calumniandi miraculū tolleret occasionem, & ordinatè in faciendo miraculo procederet, interrogauit quot panes haberēt. Mat. 15. At illi dixerunt: Septē, & piscículos paucos. Non magnos nec multos, quo miraculum clarius euaderet, & nobis curam magnorum & delicatorum ciborū dissuaderet. Eccl. 37. Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem cibū. In multis enim escis infirmitas, & auiditas appropinquabit usq; ad cholerā. Propter crapulam multi obierunt. qui autem abstinens est, adiiciet uitam. Chrysostomus: Admirare discipulorum sapiētiam, qualiter uentrem superabant, non multum mensæ curam facientes. In eremo enim existentes, & per tres dies ibi manentes, solum septem panes habebant. Quum uero commeatus hic non uideretur sufficere tantæ multitudini, tamen iussit oēs discum

bere ſuper terrã. Fuit enim circa pentecoſtes ſeſtũ: alia autem refectio, quum ſupra fœnum diſcubuerunt, circa paſcha, Ioh. 6. Felix cõuiuium, ubi famelica turba diſcumbit iuſſu Ieſu. Id fit, quoties populus auidus ſermonis euãgelici, conuenit in baſilicã, auditurus Ieſum per os boni concionatoris loquentem. Nam multi non alio animo ueniunt in ſacram concionem, quàm quo uulgus ſolet uenire in theatrum, ſpectaturum prophanam fabulam. Quare ſamelici diſcedentes & inanes, à domino paſci non merentur. Qui uult à domino paſci, Ieſu diſcumbat iuſſu oportet, idq; ſuper terram. Sedent ſuper terrã, qui omnibus terrenis ſuperiores ſunt, & calcant ea: ſuper fœnum, qui carnẽ & gloriam ſibi ſubiecerunt. Eccl. 10. Quid ſuperbis terra & cinis? Conquieſcãt in te cupiditates carnis, & ſatiaberis pane Chriſti.

Accepit panes, ut oſtenderet à deo proficiſci quicquid conducit ad ſalutem hominis. ſuſtulit oculos in cælum: nam ibi pater habitat, unde iuſſit quotidie peti panem hunc. Iac. 1. Omne datum optimum & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Gratias egit, non ſibi uindicãs autoritatem huius muneris, ne quid ſibi uindicaret homo purus. Col. 3. Omne quodcunq; facitis in uerbo aut in opere, omnia in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti facite, gratias agentes deo & patri ipſum. Benedixit. Pſalm. 106. Benedixit eis, & multiplicati ſunt. 1. Timo. 4. Omnis creatura dei bona eſt. ſanctificatur enim per uerbum & orationem. Auguſtinus: Omnis res quæ dando non deficit, dum habetur & non datur, nondum habetur quomodo habenda eſt. Illi quinque panes erant, & iſti ſeptem,

antequam inciperent dari: quod ubi fieri cœpit, duodecim cophinos & septem sportas impleuerunt. Prouerb. 3. Honora dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus: & implebuntur horrea tua saturitate, & uino torcularia tua redundabunt. Non est efficax hominis sermo, nisi prius contrectatus manibus Christi. Iesus enim sic frangit, ut saturetur multitudo famelica, non ut principum ambitioni aut auaritiæ seruiatur. Quisquis ad quæstum, ad humanã gloriam, ad alias humanas cupiditates docet euangelium, non accipit panes à Christo fractos. Sed felix ille doctor, qui panes accipit à Christo fractos euangelicos, & sic apponit turbæ nil obsonij nisi apostolorum dicta, & ipsa per dominum fracta. Hier. 1. Ecce dedi uerba mea in ore tuo. Saturati ergo sunt sufficienter, non ingurgitati gulose. Psalm. 21. Edent pauperes & saturabuntur. Psalm. 102. Qui replet in bonis desiderium tuum. Prouer. 10. Desiderium suum iustis dabitur. Prouerb. decimotertio: Iustus comedit & replet animam suam, uenter autem impiorum insaturabilis. Non enim sufficit ipsis temperate refici, sed quærunt ingurgitari. Imò dum uino pleni sunt, rursus aliud appetunt: & quid appetere possint, inquirunt. Quorum deus uenter est, Philip. 3. Hinc nunquam quieti sunt. Esa. 57. Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest: & redundãt fluctus eius in cõculcationem & lutum. Sap. 5. Spes impij quasi lanugo quæ à uento rapitur, & tanq̃ spuma gracilis quæ à procella dispergitur, & tanq̃ fumus qui à uento diffusus est. Itaq; factum est, ut nõ solum saturati sint oñes, uerumetiam septẽ sportæ

impletæ sint fragmentis reliquiarum, quæ saturis fu perfuerunt. Quoꝯ magis demireris, Matt. 15. Erant autẽ qui manducauerũt quatuor millia hominum, extra paruulos & mulieres. Septem panes, septem dona sunt spiritussancti, quæ dominus dedit apostolis, ut turbæ non autoritatiue, sed ministerialiter apponerent. 1. Cor. 12. Diuisiones gratiarum sunt. Hinc per manus impositionem dabatur spiritussanctus, Act. 8. Sunt & septem pœnitentiæ fructus, qs enumerat Apostolus 2. Cor. 7. Ecce eñ hoc ipsum, secundum deum contristari uos, quantam in nobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed uindictam. Primus ergo panis, est malæ uitæ solicita emendatio. Secundus, ueræ & humilis confessionis accusatio. Tertius, pro commisso excessu iugis indignatio. Quartus, timor anxius relabendi. Quintus, desiderium amplius proficiendi. Sextus, sanctorum uirorũ imitatio. Septimus, suorum & aliorum malorũ digna punitio. Hi sunt septem gradus, per quos ascenditur in cælum, septem peccatorum pœna diluitur mortalium, septiformis spiritussancti gratia infunditur, septenarius uirtutũ coalitur, septimi diei quies acquiritur. Beati ergo qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniã ipsi saturabuntur. Mat. 5. Pisces, cõsolationes sunt spirituales, consolantes labores pœnitentiæ. 2. Cor. 1. Sicut abundãt passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Sunt autem parui & pauci, nam uix prælibatio & odor quidam est dulcedinis futurę. 1. Cor. 2. Oculus non uidit, nec auris audiuit, neq; in cor hominis ascẽdit quæ præparauit deus di

Septẽ panes quid.

Pisces q̃d

ligentibus se, nobis autem reuelauit per spiritum suum. Psal. 35. Gustate & uidete quoniã suauis est dominus, beatus uir qui sperat in eo. Bernardus: Vilis est & ad nihilũ utilis mundana consolatio: & quod magis est timendum, ueræ consolationis est impedimentum. Ideo ait Psalm. 76. Renuit consolari anima mea, memor fui dei, & delectatus sum. Septem sportæ reliquijs impletæ, 7. sunt præmia. 3. ad stolã animæ, & 4. ad stolam corporis spectant. Maiores sunt reliquiæ, q̃ mensa: quia deus semper plus remunerat, & supra condignum. Rom. 8. Existimo enim quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futurã gloriam quæ reuelabitur in nobis. Ita pastos dimisit eos. Est & hoc aliqd, feliciter discedere à conuiuio Iesu. Sic autem dimittuntur qui gratias agunt, qui ipsius beneficia recondunt in animo, & concoquunt quod acceperint: qui domum reuersi, ueluti saginatiori corpore, factis exhibent quod didicerint. Matt. 15. Et dimissa turba, ascendit in nauiculam, & uenit in fines Magedan. Mar. 8. Et statim ascẽdens nauim cum discipulis suis, uenit in partes Dalmanutha. Tot eñ & tam insignibus editis miraculis in monte, ne plus satis accenderet populum in admirationem sui, præsertim quum hæc corporalia beneficia non in aliud adhibeantur, q̃ ut euangelicæ doctrinę, qua sanantur & pascuntur animi, conciliarent autoritatem, abijt. Non est pastori uersandum cũ multitudine, nisi quũ iuuanda est.

Sportę septẽ quid.

De signo è cælo postulato, & fermento, Mat. xvi. Marc. viij.

ARTICVLVS LXV.

Mat.16. M

ET *acceſſerunt ad eum phariſei & Saducæi, tentantes: & rogauerunt eum, ut ſignum aliquod de cælo oſtenderet eis. At ille reſpondens, ait illis: Facto ueſpere, dicitis: ſerenum erit, rubicũdum eſt enim cælum. Et mane, hodie tempeſtas: rutilat enim triſte cælum. Faciem ergo cæli diſudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis. Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ.*

Quo ſæpius patefiat phariſæorum incredulitas, adeunt rurſum Ieſum cum Saducæis, ſecta quidem diſſidentes, ſed ad inſidias ſtruendas Ieſu cõcordes. Mar.8. Et cœperunt conquirere cum eo. Quaſi miracula quæ promebat, non gererentur uirtute cæleſti, quòd eſſent humilia ac plebeia, ideo è cælo ſignũ petebant ſubdole, quaſi poſthac illi crediturí ſint, ſi id feciſſet, quum nihil aliud caprarent, quàm occaſionẽ calumniandi. Nam & Moſes in Aegypto multa ſigna fecit ſuper terram, & ignis è cælo deſcendit ſuper pecora Iob, Iob.1. à diabolo. atque adeò non omnia quæ è cælo, à deo, neq; in terra omnia à dæmonibus. Dominus cognoſcens illorum peruerſitatem, quicquid feciſſet, quia facilius poterant tribuere Beelzebub, ſi quod oſtentum è ſublimi proditũ fuiſſet, ubi uerſantur principes tenebraꝝ, q̃ ea quæ oculis uidebant, manibus contrectabãt. Mar.8. Ingemiſcẽs ſpiritu, ait: Quid generatio hæc ſignũ q̃rit? Hypocritæ, aliud ore, aliud in corde celantes, In rebus leuioribꝰ noſtis obſeruato cælo p̃dicere, quòd tempus poſtridie ſit futurũ: & noſcendo tempori ꝙd affert ſalutẽ animarũ ueſtrarum, tam eſtis ſtupidi &

oſcitantes. Tenetis ſcripturas, uidetis quę gerantur, cõſpicitis innouari mundũ, & nondũ intelligitis adeſſe tempus illud à prophetis prædictum, totq; ſeculis expectatũ. Chryſoſtomus: Sicut in cælo aliud eſt tempus hyemis, aliud ſereni eſt tẽporis ſignũ: eodẽ modo in Chriſto, aliud tẽpus primi aduentus, aliud futuri. His miraculis q̃ modo facimus, nobis nunc opus eſt: q̃ uero de cælo fiunt, illi tẽpori reſeruãtur. Nunc eñ quaſi medic⁹ ueni, tũc quaſi iudex adero: nũc quaſi errabundus oues reducã, tunc aũt factorũ rationes repetã. Et nunc quidem occultius, tunc uero apertiſſime, cælo reſoluto, ſole abdito, luna obſcurata ueniam: tunc uirtutibus cælorũ commotis, quaſi fulgur ſubdito adueniens apparebit. Sed horũ ſignorũ opportunũ tempus nunc non eſt. Non eñ ad hæc, ſed ad paſſionẽ & mortem ueni. O generatiõnẽ prauam, longeq; degenerantem à maioribus ſuis, quorũ titulis ſe uenditat. Oſtentum quærit è cęlo quod calumnietur, quaſi nullũ antehac uiderit. ſed hoc olim illi dabitur quod horreat, non quod carpat. Interim non dabitur illi portentum niſi è terra, quod fruſtrabitur oñes illorum conatus, quum uiderint rediuiuum, quem putabant extinctum ac ſepultum. Quo ænigmate ſignificabat dominus Ieſus, ſe prius occidendum & ſepeliendum ab illis, quẽ nihil aliud æſtimabant, q̃ purum hominem, ac mox diuina uirtute reuicturum.

Et relictis illis, abijt: Et cum ueniſſent diſcipuli eius trans fretum, obliti ſunt panes accipere. Qui dixit illis: Intuemini, & cauete à fermento phariſæorum & Saducæorum. At illi cogitabant inter ſe. dicẽtes, quia

panes non accepimus. Sciens autem Iesus, dixit: Quid cogitatis inter uos modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis neq; recordamini quinque panum, & quinq; millium hominum, & quot cophinos sumpsistis? Neque septem panum & quatuor millium hominum, & quot sportas sumpsistis? Quarenō intelligitis quia non de pane dixi uobis, cauete à fermento pharisæorum & Saducæorum? Tunc intellexerunt quia non dixit cauendum à fermēto panum, sed à doctrina pharisæorum & Saducæorum.

Tentatoribus relictis, nauigio transmisit lacum. Mar. 8. Dimittens eos, ascendit iterū nauim, & abiit trans fretum, & obliti sunt panē sumere, & nisi unū panem non habebant secum in naui. Iesus autē sciens illos obliuione securos esse, non fiducia ergo ipsum, reuocauit admonendo curam. Verebantur obiurgari de negligentia, sed obiurgantur de superuacanea cura. Marc. 8. Videte & cauete à fermento pharisæorum & Herodis, & cogitabant ad alterutrum dicentes: Quia panes non habemus. Quo cognito, ait illis Iesus: Quid cogitatis quia panes non habetis? Nondū cognoscitis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor uestrum? Oculos habentes nō uidetis, & aures habentes non auditis? Nec recordamini, quando quinq; panes fregi in quinq; millia, & quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim. Quando septē panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem. Et dicebat eis: Quomodo nondū intelligitis? Acrius eos perstrinxit, non eñ ubiq; bona est

manſuetudo. tantum ubiq; ualet rationabilis increpatio. Rudes nanque diſcipuli putabant ipſum de materiali pane loqui, nec in memoria tenebant q̃d nuper bis erat exhibitum. Hinc modicæ fidei ipſos appellat, quòd non totam fiduciam in ipſum collocarent ſoliciti de panibus. Quo altius infigeret animis, ad cogitationes reſpõdet ut deus cui notę ſunt. Hiere. 17. Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile. quis cognoſcet illud? Ego dominus ſcrutans renes & cor. 1. Re. 16. Homo uidet ea quæ patent, deus autẽ intuetur cor. Qui fit, ait, ut toties, tot modis edocti, nondum intelligatis iſtam de uictu ſolicitudinẽ eſſe ſuperuacaneã? quodq; monui de fermento phariſæorum & Herodis, nõ pertinere ad panes, ſed ad doctrinam illorum uitandam, ne & uos ſeducamini quemadmodum illi ſeducunt multos. Hieronymus: Qui cauet à fermento phariſæorũ & Saducæorum, hic legis ac literæ præcepta non ſeruat, traditiones hominum negligit, ut faciat mãdatum dei. Fermentum etiam, hæreticorum dogmata ſunt, à quibus cauẽdum. panis, eſt doctrina Chriſti puriſſima, corroborans & uiuificans ſpiritualem hominis partem, quam falſis dogmatibus mali fermentant. 1. Cor. 5. Modicum fermentũ totam maſſam corrumpit. Habet hanc uim fermentum, ut ſi farinæ mixtũ fuerit, quod paruũ fuit, creſcat in mai', & ad ſaporẽ ſuum uniuerſam conſperſionem trahat. Sic doctrina hæreticorum ſi modicã ſcintillam in tuum pectus iecerit, in breui ingens flamma ſuccreſcet, & totam hominis poſſeſſionem ad ſe traher. Nam ſermo eorum ut cancer ſerpit, 2. Timo. 2. Hinc ait: Videte hoc diligenter, & prudenter diſcernite, & ca-

Fermentũ myſticè ꝙd 3

uete ab illorum doctrina. 2. Timo. 2. Prophana & inaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem. 1. Corinth. decimoquinto: Corrumpunt bonos mores colloquia mala. 2. Timo. 3. Mali homines proficient in peius, errantes & in errorem inducentes. Ideo admonet Titum 3. Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Videant ergo qui se talibus iungunt, & eorum scripta pluris faciunt. Qui enim tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicat superbo, induet superbiam, Eccl. decimotertio. Qui enim malitia inueteratus est, & nihil spirituale potest dicere, quod auditoris faucibus sit dulce, ille fermentum habet, ac mordacem ueteris malitiæ doctrinam, quæ illi obedientem ad pœnitudinem tandem ducat. Hinc 2. Iohannis 1. Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Aue, communicat operibus eius malignis. Ecce prædixi uobis, ut in die domini non confundamini. Ab horum doctrina summopere cauendum est, ne & ipsi inficiamur, & alios post inficiamus nostro contagio: sed amplectamur panem euangelico fermento affectum, ut hunc syncerũ & alijs distribuamus. Hac igitur obiurgatiuncula discipuli facti attentiores, intellexerunt quod Iesus sensisset diligenter cauendum à doctrina phariſæorũ, quæ nihil habebat syncerum, sed ambitione, auaritia, liuore, cæterisq; uitijs esset corrupta, quum euangelica doctrina nihil huiusmodi sapiat.

De cæco sanato, Mar. viij.

ARTICVLVS LXVI.

ET *ueniunt Bethsaida, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum ut illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra uicum. & expuens in oculos eius, impositis manibus suis, interrogauit eum si quid uideret. Et aspiciens, ait: Video homines uelut arbores ambulantes. Deinde iterũ imposuit manus super oculos eius, & cœpit uidere: & restitutus est ita, ut clare uideret omnia. & misit illum in domũ suam, dicens: Vade in domum tuam, & in uicum introiens, nemini dixeris.* Mar. 8. N

Nihil rogabat cæcus, sed alienis precibus cõmendatur domino. Iesus autem qui nutu poterat sanare quemlibet cæcum, ut claret Matth. 9. & 20. non statim restituit hominem, ut discipulis suis formã exhiberet, quantopere laborandum sit, priusquã ad ueri cognitionem queant adduci qui errore iam inueterauerunt. Eduxit extra uicum: pessimum enim exemplar proponit, qui sequitur multitudinẽ. Cupiens ergo diuinitus illustrari, necesse habet pristinos actus relinquere. Primum ergo educẽdus est extra hominum frequentiam: tuto iam ambulat qui talem habet ductorem. Hieremi. 17. Non sum turbatus te pastorem sequẽs. Iohan. 8. Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Qui nondum receperunt lucem euangelicam, quicquid uident in hoc mundo, maius esse uidetur quàm est re ipsa. Beatus uero

qui à Christo illustratus oculos cordis, clare uidet omnia: huic minima uidentur, quæ mundo uidentur esse maxima: huic fœda uidentur, quæ mundo uidentur esse pulcherrima: huic maxima uidentur, quæ mundo uidentur nihili. Quia autem cæcus perfectam non habuit fidem, idcirco non statim ipsum respicere fecit, sed sensim, utpote integra carentem fide. Iuxta fidei enim magnitudinem & sanitas datur. Vnde Mat. 9. duobus cæcis ait: Iuxta fidem uestram fiat uobis. Quoties autem dominus iubet sileri quod factum est, docet nos non esse quærēdam apud homines gloriam, si quid recte gesserimus in euangelica functione. Porro si quando iubet prædicari, (ut Mar. 5. cum sanato à legione, & sequi uolenti, respondit: Vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi dominus fecerit, & misertus sit tui) docet eum qui sanatus est à peccatis, & suam turpitudinem agnoscere, & dei bonitatem efferre, cui soli debet quod mutatus est. Nam ubi domum uenerit, res ipsa loquetur apud eos qui cæcum nouerant.

De interrogatione Christi de filio hominis, Mat. xvi. Mar. viij. Luc. ix.

ARTICVLVS LXVII.

Mat. 16. O VEnit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogauit discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: Alij Iohannem Baptistam, alij autem Heliam, alij uero Hieremiam, aut unum ex prophetis. Dixit illis Iesus:

Vos autem quem me esse dicitis? Respõdens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius dei uiui.

Ostendit dominus, non industria humana, sed illustratione diuina, ad diuinorum pertingi posse cognitionem. Quum ergo uenisset in partes Cæsareę, quam Philippus in honorem Cęsaris sic appellauit, ubi Iordanis ad radices oritur Libani, & habet duos fontes, unum nomine Ior, & alterum Dan, quę simul iuncta, Iordanis nomen efficiũt, ut dicit Hiero. de fundamento fidei collocutionem fecit. Sic & nos quo iter alleuiemus, quæ salutis sunt cõferamus: fiq dem ipse aderit comes, ut claret Luc. 24. Hinc Mat. 18. Vbi duo uel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Quoniam dominus sic temperauit omnia dicta factaq, ut nunc promeret indicia diuinæ uirtutis, nunc ostenderet ueritatem humanæ naturæ, uariabant de illo hominum opiniones. Quoniam autem oportebat apud eos, per ǫs statuerat mundum innouare, concordem & consentientẽ de illo esse professionẽ, inter eundum interrogabat discipulos, quid de ipso uulgus hominum sentiret. Iam enim tot editis miraculis, oportebat & populum mirificam quandam de Christo concepisse opinionem. Discipuli eñ accepta à domino potestate eiiciẽdi malignos spiritus, & gratia sanitatum & euangelicæ prædicationis, Mat. 10. Lu. 9. & 10. ad uaria loca profecti, uarios de domino audierant rumores, & uarias opiniones, & oñes quidem falsas. Nec ignorabat Iesus qd de ipso sentiret uulgus, sed nobis declarare uoluit, quæ sit euangelica fides quæ seruat credẽtes. Non autem dixit, Quem dicunt scri

hæ & phariſæi, ſed homines ſimplices, ſpiritum malitiæ non habentes, ſcilicet uulgares, qui ſimpliciter quod opinantur, proferunt. Nam phariſæi ipſum dixerunt uoracem, potatorem uini, ſocium publicanorum, Matth. 11. & Luc. 7. filium fabri, Marc. 6. dæmonium habentem, Samaritanum, Ioh. 8. & 10h. ſeductorem turbæ, Ioh. 7. Luc. 11. Væ uobis legiſperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ. ipſi non introiſtis, & eos qui introibant, prohibuiſtis. Negabant enim corã populo, in Chriſto ſcripturas compleri, & per conſequens nec Meſſiam. Hiero. Qui de filio hominis loquuntur, homines ſunt: qui uero diuinitatem illius intelligunt, non homines, ſed dij appellantur, quibus deus per ſpiritum ſuum reuelat. 1. Cor. 2. Nobis autem reuelauit per ſpiritum ſuum. Præponendus eſt articulus maſculinus, quia de ſingulari intelligitur filio, ſingularis hominis Adæ: Quem dicunt homines eſſe illum filium illi⁹ hominis? Vnde Ioh. 12. quum diceret, Ego autem ſi exaltatus fuero à terra, oñia traham ad meipſum, reſpondit turba: Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in ęternum. Et quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Quis eſt iſte filius hominis? Diſcipuli ſimpliciter reſponderunt, prout audierant. Nam Marc. 6. dicitur: Audiuit Herodes rex (manifeſtum enim factum eſt nomen eius) & dicebat: Quia Iohãnes Baptiſta ſurrexit à mortuis, & ideo uirtutes operantur in illo. Alij autem dicebant, quia Helias eſt, de quo Mala. 4. Ecce ego mittam uobis Heliam, anteq̃ ueniat dies domini magnus & horribilis. Alij uero dicebant, quia propheta eſt, quaſi unus ex prophetis. Hæc ſentiebant homines, qui tum magnificẽtiſſime

sentiebãt de Iesu. Nihil enim supra hominem de eo sentire potuerant: magnum hominem suspicabantur. messiam, filium dei, seruatorem orbis, nondum credebant. Tum Iesus: Populus suo more uacillat, nec sibi constat. Vos autem qui me propius ac domestice nostis, qui perpetui testes fuistis omnium quæ gessi, quæq; docui, quem me esse dicitis? Hic Simon Petrus, ut erat amantissimus Iesu, tanquam futurus ordinis apostolici princeps, omniũ nomine respondit: Tu es ille Christus, filius dei uiui, non suspicionem proferens, sed certa & indubitata sententia profitẽs illum esse Messiam à prophetis promissum, singulari quodãmodo filium dei. Ipse enim, Christus dei propric. Multi enim uncti fuerunt. Iohan. 1. Dixit Andreas Petro: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum, Christus. Sic Philippus Ioh. 1. Quem scripsit Moses in lege, & prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Vno ergo uerbo omnia complexus est, naturam & nomen exprimens, uerum deum & uerum hominem confitetur. Rom. 1. Qui prædestinatus est filius dei in uirture. Matth. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Filium dei uiui appellat, ad distinctionem idolorum & dæmonum, quos erronea gentilitas sibimet ad colendum uel ex mortuis hominibus instituit, uel ex rebus insensibilib⁹, quos adoraret, creauit, de quibus Psalm. 113. Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. & Psal. 95. Omnes dij gentium dæmonia. Vere clara, sed necessaria fidei ꝓfessio. Ioh. 20. Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus ille filius dei, & ut credentes, uitam habeatis in nomine eius.

Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebũt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.

2 Debitã fidẽ digna mercede remunerauit. Istam uocem, inquit, non tibi suppeditauit affectus humanus, sed pater cælestis afflatu secreto suggessit animo. Ipsius em̃ est reuelare filium. Mar. 11. Nemo nouit filium nisi pater, neq; patrem quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Et ego affirmo te esse Petrum, hoc est, solidum lapidem, non huc aut illuc uacillantem uarijs opinionibus uulgi: & huic saxo tuę professionis, superstruam ecclesiam meam. Vnde non dixit, tu uocaberis Petrus, qa hoc nomen ei antea imposuerat. Iohã. 1. Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Mar. 3. Et imposuit Simoni nomen Petrus. Hieron. Sicut ipse lumen, apostolis donauit ut lumen mundi appellarentur, cęteraq; ex domino sortiti sunt nomina, ita & Simoni qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen. ac secundum metaphoram petræ, recte dicitur ei, ædificabo ecclesiam meam super te. Ecclesia, domus dei dicitur, 1. Timo. 3. Obserua quod ait, ego ædificabo. Quid ergo ait Apostolus 1. Cor. 3. Vt sapiens architectus fundamẽtum posui, alius au

tem ſuperædificat: Vnuſquiſq; autē uideat quomodo ſuperædificet: Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus: Sed præmiſit: Dei enim ſumus adiutores. Non ergo ipſi ædificarunt, ſed deus per eos. Hinc Apoca. 21. dicitur, quòd murus ciuitatis nouæ Hieruſalē, habuit fundamēta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim apoſtolorū & agni. Ipſi enim primi adhærentes fundamento primario, duodecim articulos fidei quaſi duodecim fundamēta, ſuperpoſuerunt fundamento prophetarū & apoſtolorum Chriſto. Imò ipſis articulis ipſum fundamētum collocarunt. Sumus autem nos huius ſtructurę lapides uiui. Ephe. 2. Non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici dei, ſuperædificati ſupra fundamentum apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. In quo oīs ædificatio creſcit in templum ſanctum in domino, in quo & uos coædificamini in habitaculū dei in ſpū ſancto. 1. Pet. 2. Ad quē accedentes lapidem uiuum, ab hominibus quidem reprobatum, à deo uerò electum & honorificatum, & ipſi tanquam lapides uiui ſuperædificamini domos ſpirituales. Obſerua quod dicit in paſſiuo, ſuperædificamini: quia neq; qui plantat, eſt aliq̄d, neq; qui rigat, ſed qui incrementū dat deus. 1. Cor. 3. Dei enim adiutores ſumus, nō principales operatores. Dei agricultura eſtis, non noſtra, dei ædificatio eſtis, Ideo q̄ quid in uobis agimus, non nobis, ſed deo tribuendū. Multis machinis impetet uos ſatanas, ſed meo p̄ſidio ſtabit ædificiū meum inexpugnabile. tātum maneat iſta ſolida profeſſio, Lu. 22. Simon, ecce ſa-

tanasexpetiuit uos,ut cribraret ſicut triticũ,ſed ego rogaui pro te,ut nõ deficiat fides tua. Et tu aliquando conuerſus,confirma fratres tuos. Hieron. Ego portas inferi reor uitia atq; peccata, uel certe hæreticorum dogmata, per quę illecti homines ducuntur ad tartarum. Sed harum nulla eccleſiæ quæ ſupra petram fundata eſt, prꝙualet. qui eñ fidem Chriſti intimo cordis amore perceperit, hoc eſt, fidẽ per dilectionem operantem, Gal. 5. omne quicquid foris periculi tentantis ingruerit, facilime contemnit. At quicunq; credentium fidem, uel opere uel negatione deprauatus, perdiderit. Tit. 1. Confitentur ſe noſſe deum, factis autem negant. non hic ſupra petram domino cooperante domum ſuę profeſſionis ędificaſſe, ſed iuxta alterius loci parabolã, ſuper pendulam arenam ſine fundamẽto poſuiſſe credendus eſt, hoc eſt, nõ ſimplici intentione ac uera Chriſtũ ſequutum. Mat. 7. Oĩs q audit uerba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit uiro ſtulto, qui ædificat domum ſuam ſupra arenam, & deſcendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domũ illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna. Hinc ergo eccleſiæ firmitas, quia ipſe ædificat, gubernat & cõſeruat per ſpiritum ſuum. Ioh. 14. Non relinquam uos orphanos, uado & uenio ad uos. Sed quãm diu erit nobiſcũ? Mat. 28. Ecce ego uobiſcũ ſum uſq; ad conſummationem ſeculi. Ioh. 14. Ego rogabo patrem, & alium paracletũ dabit uobis, ut maneat uobiſcum in æternum, ſpiritum ueritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non ſcit eum, neq; uidet eum. Non ergo poteſt errore ſubijci eccleſia, tametſi qui uidebãtur de eccleſia, ſed ſecundum ueritatem non

fuerunt, excidant. Hi enim sunt qui segregant semet ipsos, animales, spiritum non habentes, Iudę 1. Hinc Apoc. 3. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. & 2. Memor esto unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Trahit enim rete euangelicum ad finem usq; pisces & bonos & malos, in tanto numero, ut & rũpatur Luc. 5. malorum sectis, non tamen boni pisces elabuntur, sed quidam mali, aliam sibi ecclesiam statuentes. Psal. 26. Odiui ecclesiam malignãtium, & cum impijs non sedebo. Quid ergo? Lauabo inter innocentes manus meas. 2. Pet. 2. Fuerũt uero & pseudoprophetæ in populo, sicut & in uobis erunt magistri mẽdaces, qui introducent sectas perditionis. Sed insipientia eorum manifesta erit, 2. Tim. 3. Atq; huius regni cælestis tibi claues sum traditurus. Cõuenit enim, ut ille primus sit autoritate, qui primus est fidei professiõe & charitate. Chrysostomus: Audistis quo pacto ipse etiam ad altiorem de se opinionem Petrum adducit, & seipsum his duabus pollicitationibus reuelando filium dei ostendit: Nam deus solus peccatorum concedere potest remissionẽ. Esa. 43. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor, & ut futura ecclesia tot tantisq; fluctibus impetu irruentibus immobilis maneat, cuius pastor & caput piscator homo atq; ignobilis, terram reluctantem, adamantis natura, firmitate superet. Hęc inquam omnia quæ solius dei sunt, pollicetur se daturũ. Apo. 3. Hæc dicit sanctus & uerus, qui habet clauẽ Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Tanq̃ deus ergo dicit magna potestate, Dabo tibi. Sicut em̃ pater tibi dedit reuelationem, sic ego claues. Claues intelligas

quæ ligant & ſoluunt, hoc eſt, delictorum uel indul gentias uel pœnas. Sunt enim, diſcernendi ſcientia, & potẽtia qua dignos recipere in regnũ, indignosq; à regno ſecludere poſſit. Dedit & omnibus apoſtolis poteſtatem remittendi peccata & retinendi. Ioh. 20. Accipite ſpiritum ſanctum. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorũ retinueritis, reten ta erunt. Datur & nunc epiſcopis & ſacerdotibus, ut agnitis peccantium cauſis, quoſcunq; humiles & uere pœnitentes aſpexerint, hos iam timore mortis ęternæ abſoluãt: quos uerò in peccatis quę egerint, perſiſtere cognouerint, illos perennibus ſupplicijs obligandos inſinuent. Vnde dominus de correpto ſemel, & iterum, & tertio, ſed non pœnitente, frater (Nam de ijs q intus ſunt, iudicat eccleſia: eos autem qui foris ſunt, deus iudicabit, 1. Cor. 5. Imò qui non credit, iam iudicatus eſt, Iohan. 3.) præcepit dicens: Mat. 18. Si eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Et ne leue quisq; putaret, eccleſiæ iudicio condẽnari, mox terribiliter adiũxit: Amen dico uobis, quæcunq; ligaueritis ſuper terram, erũt ligata & in cęlo: & quęcunq; ſolueritis ſup terram, erunt ſoluta & in cęlo. Summè ergo cauendum, ne per incredulitatem (non enim poteſt non eſſe uerum quod ueritas dixit, etiam quo ad iſtam promiſſionem) aut inobedientiã indignos nos reddamus quibus aperiatur. Et quàm maxime cauendum ab ijs, qui ſibi & alijs falſa doctrina regni claudunt aditum, quemadmodũ phariſæi, qui turbis Chriſtum ſuſpicientibus, dixerunt nequaquam Chriſtum eſſe, ſed peccatorem dæmonium habentem. Imò confitentes ipſum, extra ſynagogam faciebant Iohan. 9.

Inuidia enim excæcati, duces cæcorum se præsume bant, Mat. 15.

Tũc præcepit discipulis, ut nemini dicerẽt qa ipse esset Christus. Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & scribis & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumẽs eum Petrus, cœpit increpare eum, dicens: Absit à te domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus, dixit Petro: Vade post me satana, scandalum es mihi, quia nõ sapis ea quæ dei sunt, sed quæ hominum. p

Interminatus est illis, ne quod afflatu patris acceperant, palã facerent ante tempus. Prius enim pergendum erat sacrificium crucis, & declarandæ naturæ humanæ ueritas: deinde per resurrectionẽ & spiritum sanctum declaranda diuinitas. Hieronymus: Tunc me prædicate, cum ista passus fuero: quianõ prodest Christum publice prędicare, & in uulgo publicare maiestatem, quẽ post paululum uisuri sunt crucifixum. Mar. 8. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati multa, & reprobari à senioribus & à summis sacerdotibus, & scribis, & occidi, & post tres dies resurgere. & palàm uerbum loquebatur. Hieronymus: Et nunc Iesus multa patitur ab his, q rursum sibi crucifigunt. Heb. 6. Rursum crucifigentes sibimetipsis filiũ dei, & ostentui habentes. Et cum seniores patenter in ecclesia, & principes sacerdotum, simplicem sequentes literam, occidunt filium dei, q totus sentitur in spiritu. Post tristia sub-

dit & læta, nempe quod tertia die resurgat. Non est ergo quo desponderant animum. nam etsi ut maleficus moriatur, tamen ut glorioſus resurget. Psalm. 68. Quæ non rapui, exoluebam. Non tulerunt illorum aures mentionem mortis, tametsi spes resurrectionis debebat eos solari. Magno enim affectu diligebant Iesum, sed humano. nondum enim acceperant spiritum cælestem, qui perficeret in eis quod erat imperfectum. Petrus itaq; quem præcipuus quidam amor erga præceptorem suum semper fecit cæteris audaciorem, abducit eum à reliquis apostolis, quasi familiarius aliquid dicturus. Hiero. Separatim assumit, ne præsentibus cæteris condiscipulis, uideatur arguere magistrum. Cœpit aũt increpare amantis affectu & optantis. Propicius, inquit, esto tibi. Hęc uero improbitas Petri, tametsi ex ingenti quodam erga Iesum amore proficiscebatur, tamẽ & palàm & acriter à domino redarguit, ut nos discere-mus, in omnibus sequi diuinam uoluntatem, neque nostro iudicio præire decretis dei. Mar. 8. Qui conuersus, & uidẽs discipulos suos, comminatus est Petro. Nam per tristitiã uultus, corrigitur animus delinquentis, Eccẽs. 7. Desine aduersari uoluntati patris mei. tuum est sequi me, non præire. Sensum tuum relinque, & me sequere, uoluntatem tuam ordinationi diuinæ subde. Scandalum mihi es, consulẽs malum, ne patri obediens hominum perficiam salutem. Satana, Syris sonat aduersarium. Ipse aurem nedum CHRISTO, sed & omnium saluti aduersabatur, etsi inscius, humana, non diuina, sapiens. Animalis autem homo non percipit ea quę sunt spiritus dei, 1. Corinth. 2. Gregorius: Reijciamus à no-

bis, qui boni conceptum in nobis extinguere moliuntur.

De cruce baiulanda, Mat. xvi. Marc. viij. Lucæ ix.

ARTICVLVS LXVIII.

TVnc Iesus dixit discipulis suis: Si qs uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdat eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si mũdum uniuersum lucretur, animæ uero suæ detrimẽtum patiatur? Aut quam dabit homo cõmutationem pro anima sua? Filius enim hominis uenturus est in gloria patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundum opera sua. Amen dico uobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis uenientem in regno suo. Matt. 16. Q

Ostendit quemãdmodum omnibus abnegatis, & quo fructu, ipse sit sequendus. His enim dictis, ubi retrudisset intempestiuã Petri improbitatem, conuersus ad omnes discipulos, cœpit pluribus uerbis explanare quod dixit Petro, Vade post me. Tu quidem me prohibes, ego autem dico tibi, non solum non damnosum esse me pati, sed neque tu saluari poteris, & quisquis alius sine passione. Multi me sequuntur pedibus magis quàm imitatione, nec omnes eadem adducit causa. Alios allicit miraculorum nouitas, alios amor sanitatis, alios

doctrinæ fames. Sed quisquis uult particeps esse regni cælorum, Iohan. 12. Vbi ego sum, illic & minister meus erit. sequatur mea uestigia: & sicut uidet me contemptis omnibus huius mundi bonis, etiam uitam meam ultro impendere saluti hominum, & gloriæ patris, ita ille affectus omnes humanos abdicet oportet, paratus ad omne genus mortis euangelij causa. Si quis uult, dicit, ut ostendat liberum arbitrium, & non coactam uirtutem. & ergo qui non uult, non est me dignus. Ponit autem duas partes iustitiæ, scilicet declinare à malo. Abneget, inquit, Basi. Abnegatio sui ipsius, est totalis præteritorum obliuio, & recessus à proprijs uoluntatibus. Est autem triplex. Rerum temporalium. Luc. 14. Nisi quis renunciauerit omnibus quę possidet, non potest meus esse discipulus. Propinquorum, Matth. 14. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, nō est me dignus. Sui ipsius, de qua hic. Qui deponit ueterem hominem cum actibus suis, & induit nouum. Col. 3. Ephe. 4. ille abnegat semetipsum. Galat. 2. Viuo autem iam non ego, uiuit uero in me Christus, tollitq; crucem suam, & mundo crucifigitur. cui autem mundus crucifixus est, sequitur Christum. Ecce alterum, facere bonum. Lucæ 9. Tollat crucem suam quotidie. Habens animum semper paratum ad oia, quoties ingruerit procella: quanquam nec in tranquillis rebus sua cuiquam defutura est crux, nisi facile est omnibus naturæ affectibus, omnibus huius mundi uoluptatibus renunciare. Gregorius: Duobus modis crux tollitur: cum aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. 2. Corinth. 11. Quis infirmatur, &

Liberi arbitrii ostēsio.

Abnegatio quotuplex.

ego nõ infirmor? quis scandalizat, & ego nõ uror? 1.Cor.12.Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Corporalis, duobus modis tollitur: quum uel suapte sponte assumitur, uel cum ab alijs imponitur in afflictionibus. Psalm.42. Quoniã propter te mortificamur tota die. 2.Cor. 4.Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circunferentes, ut & uita Iesu manifestetur in corporibus nostris. 2.Timo.2.Fidelis sermo: si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus. 2.Corinth.1.Quoniam sicut abundãt passiones Christi in nobis, sic & p Christum abundat cõsolatio nostra. Patiẽter ergo crux tribulationis, siue à deo, siue à malis hominibus imposita, toleranda. Omnes enim qui pie uolunt uiuere in CHRISTO IESV, persecutionem patientur. 2.Timo.3.Fidelis enim deus qui non patietur uos tentari supra id quod potestis, ait Apostolus 1.Corinth.10.sed faciet cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere. Hinc 1.Pet.4.Communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Roman.8. Existimo enim quòd non sint condignę passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Portant enim mali & nunc crucem, uelint nolint, non suam, quia dominum non sequuntur. Sapien.5.Lassati sumus in uia iniquitatis, ambulauimus uias difficiles, uiam autem domini ignoraumus. Qui autem dominum sequitur, huic mundus crucifixus est, & ipse mundo, Galat.6.Imò qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentijs & uitijs. Posteaquam ostendit modum se-

quendi, consequenter declarat fructum, nempe animæ salutem. Mar. 8. Qui autem perdiderit animam suam propter me & euãgelium, saluam faciet eam.

2 Non pudeat discipulum sequi præceptorem, non pudeat seruum sequi dominum suum. Nec alia uia quisquam uelit ad gloriam peruenire, quàm qua me uidet pertendere. Per fidem euangelicam confertur omnibus uita æterna. Proinde qui pluris facit hanc uitam, quàm euangelicam gratiam, etiam si uidetur ad tempus lucrifacere uitam, tamen reuera perdit eam. Nullus enim hic uitam suam ultra præscriptum diem ualet prorogare, tametsi interim nec uere uiuit, nisi qui pie uiuit. Nam uidua in delicijs uiuens, mortua est uiuens, 1. Timo. 5. & post hanc uitam pœna adijcitur æterna. Viuens ergo iuxta mundum, & resiliens ab euangelico negocio, ut seruet uitam corporis, is perdet animæ suæ uitam, quæ uere uita est. Homine pereunte, pereunt & illa quæ parauerat. Totus autem perijt, qui perdidit uitam æternam. Quisquis autem mea causa uitæ iacturam fecerit, is uitam suam collocauit in tuto. 2. Mach. 7. E cælo ista possideo, sed propter dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Sic & Apostolus Actu. 21. Ego non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen domini IESV. Hinc Iohan. 12. Qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit eam. Nemo uero tam stultus est, ut uitæ corporalis huius ac breuis iactura, uelit uniuersum hunc mundum lucrifacere. Nihil igitur tam charum cuiquam esse debet, cuius lucrum animæ suæ dispendio uelit commutare. Luc.

9. Quid enim proderit homini si lucretur mũdum totum, se autem perdat, & detrimentum sui faciat? Quæ enim utilitas, si corpus bene habeat in diuitiis, delicijs & honoribus, & anima male afficiatur? Neq; enim in futuro seculo poterit quis dare cõmutationem pro anima sua. Hic quidem potest dare lachrymas & elcemosynam, ac ieiunare, illic aũt non. Psal. 48. Non dabit deo placationem suam. Pro. 11. Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes, & expectatio solicitorum peribit. Iudex enim nos tunc excipiet dona respuens. nam iuxta opera sua iustificabit unumquenq;. 2. Par. 19. Nõ est apud dominum deum nostrum iniquitas, nec personarũ acceptio, nec cupido munerum. Hiero. Petrus ad prædicationem dominicæ mortis scandalizatus, sententia domini fuerat increpatus: prouocati discipuli, ut abnegarent se, & tollerent crucem suam, & morientium animo sequerentur magistrum. Grandis terror audientium, & qui posset, principe apostolorum perterrito, etiam alijs metum injicere. Idcirco tristibus lęta succedũt. Times mortem? audi gloriam triumphantis. Vereris crucem? auscultra angelorum ministeria. Orig. Nunc quidem filius hominis uenit, sed non in gloria patris. Vidimus eñ eum, & non erat ei decor neq; species. Esa. 53. sed species inhonorata & contẽptibilis præ filijs hominũ, prius facta est similis & cõformis corpori humilitatis nostræ, quando semetipsum exinaniuit, Phil. 2. ut restituat eũ in forma dei. Veniet eñ in maiestate & potestate quã habet à patre. Mat. 25. Cũ uenerit filius hoĩs in maiestate sua, & oẽs angeli cũ eo, tunc sedebit sup sedẽ maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum oñes

gentes. Ad quid? 2. Cor. 5. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unus quisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Ibi enim non personæ, sed opera considerantur. Non est ergo animus deijciendus, quòd ob euangelium mala sint toleranda & tristia. Habitura sunt hæc breui finem, & ignominiam temporariam sequetur gloria æterna. Siquidē qui hic contemptus, iniuste est iudicatus & ignominiosa morte cōdemnatus, iudicem iustum tunc aget omnium tàm uiuorum quàm mortuorum, redditurus cuiq; pro factis suis. Nam & in cogitationibus impijs erit interrogatio, & sermonum illius auditio ad deū perueniet, Sap. 1. & Mat. 12. De omni uerbo ocioso quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Sic & de omissione præceptorum. Arbor enim non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Mat. 3. Sic inutilis seruus in tenebras eijcietur exteriores. Mat. 25. Iob 34. Absit à deo impietas, & ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta uias singulorum restituet eis. Dixerat filium hominis uenturum in gloria sua, ne igitur incredulus fis dicit, quia quidam astantes sunt, qui iuxta quod corpore possunt, uidebunt gloriam secundi aduentus, hoc est, statum futurum, in quo uenturus esset ipse, & iusti fulgebunt, quod factum fuit in transfiguratione. Certe & uidebunt ante mortem regnum dei promere uirtutem suam, iamq; paulatim uincere potentiā huius mundi uniuersam. Dicuntur autem sancti gustare mortem, quia cito transit, & quasi uitæ æternæ ingressum, eam suscipiunt. Marc. 8. Qui enim me cōfessus fuerit

& uerba mea, in hac generatione adultera & peccatrice, & filius hominis confitebitur eum cum uenerit in gloria patris sui cum angelis suis. Luc. 9. Nam qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum uenerit in maiestate sua & patris, & sanctorum angelorum. Dico autem uobis, uere sunt hic aliqui stantes, q non gustabunt mortem, donec uideant regnum dei. Non sufficit mentalis fides, sed requiritur etiam oris confessio. Ro. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Si enim per omissionem confessionis fidei honor deo debitus subtraheretur, & fides proximo rũ periclitaretur, sic confessio necessaria est: si uero maior inde oriret seditio, & fidei derisio, & nulla utilitas, tunc sanctum canibus non dandum, Matt. 7. Qui ergo turpe existimat ut Christianus uocetur à me, offensus ignominia crucis, aut timore percitus, nec me filium dei cõfiteri audet, meaq; uerba obseruare confunditur, hunc erubescet confiteri filius hominis, quòd ad se ptineat aut numerum electorum, Mat. 7. Amen dico uobis, nescio uos, cum deposita mortalitate & infirmitate carnis, denuo uenier, proferens uniuerso mundo maiestatem suam, patris, & sanctorum angelorũ. Mar. 16. Et dominus quidem Iesus, postquam loquutus est eis, assumptus est in cę cum, sedetq; à dextris dei. Heb. 1. Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.

De trãsfiguratione, Mat. xvij. Mar. ix. Luc. ix.

ARTICVLVS LXIX.

Mat.17. R

Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum, Iacobum & Iohannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol, uestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moses & Helias loquentes cum Iesu.

Miris ac uarijs modis saluator ad superna adipiscenda mentes allicit fidelium. Hieronymus: Quod Luc. 9. dicit, Factum est aũt post hæc uerba fere dies octo, & assumpsit Petrũ & Iacobũ & Iohannem, & ascendit in montẽ ut oraret, & Mat. & Mar. post sex dies, sic accipiendũ est, quod isti intermedios ponunt, Lucas uero primũ & ultimum connumerat. Ne ergo addubitarent discipuli quin olim præsturus esset, quæ de maiestate secundi aduẽtus promiserat, uoluit illis ante mortẽ etiam gustũ quendã futurę maiestatis exhibere, quatenus natura mortalis capere posset. Hieronymus: Ne timerẽt opprobria crucis, qui uiderant oculis suis gloriam futurę resurrectionis. Procul autem oportet abesse ab humilium rerum solicitudine, quos Iesus tali dignatur spectaculo. Dignatur enim & hodie quibusdam selectis, subuectis in montem puræ contẽplationis, aliquem æternæ felicitatis gustum præbere secretis afflatibus. Psal. 54. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Thre. 3. Sedebit solitarius & tacebit, & leuabit se super se. Sed quoniam omne meritum consistit, in credendo uerum, in declinando malum, & in operãdo bonum, adsint comites, Petrus qui à fidei firmitate ueritatęq; laudem cõmeruit, ut sis firmus in fidei ueritate & unitate, contra omnes hæ-

teſcos & diaboli inſultus. 1. Pet. 5. Cui reſiſtite fortes in fide. 1. Ioh. 5. Hæc eſt uictoria quæ uincit mundũ fides noſtra. Iacobus ſupplantans, ne uitijs conſenti as. Ro. 6. Non regnet peccatum in ueſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentijs eius. Gene. 4. Sub te enim erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Adſit & Iohãnes, hoc eſt, gratia diuina, cui acce pram ferre debemus & fidem noſtram, & uictoriã. 1. Corin. 15. Gratia dei ſum id quod ſum. Plus oñi bus laboraui, non ego, ſed gratia dei mecum. Hæc uirtuoſa transformatio animæ ad imaginem Chri ſti. 1. Corinth. 15. Sicut portauimus imaginem ter reni, portemus & imaginem cæleſtis. Hæc perducit ad glorioſam, qua omni corruptione depoſita, ad æternam trãsformamur gloriam, cuius Chriſti ex emplar fuit. Anima enim ipſius ab inſtanti conce ptionis diuinitati unita, aperte deum uidebat, & eo fruebatur, non tamen gloria animæ in corpus re dundabat, ut eſſet paſſibile & mortale ad perficien dam noſtram redemptionem. Nunc uero in cor pus redundare fecit, quo ſuos ad crucem animaret, per quam ad gloriam peruenitur. Vbi uentum eſt in montem, uacatum eſt primum precationi. Hæc potiſſimum oculos cordis præparat tali ſpectacu lo. Lu. 9. Et facta eſt dum oraret ſpecies uultus eius altera, & ueſtitus eius albus & refulgens. Mar. 9. Et ueſtimenta eius facta ſunt ſplendentia, & candida ni mis uelut nix, qualia fullo non poteſt ſup terrã can dida facere. Hieronymus: Non priſtinã formam & ſpeciem perdidit corporis, ſed in multo excellenti orem trãsfigurans, in eam uidelicet quam erat poſt

resurrectionem habiturus, & in qua uenturus est ad iudicium, & quam post iudicium dabit electis suis. Fulgidior apparebat, deitate paruos quosdam radios suos declarante, & hos sicut uidere poterant, propterea & regnum dei superius dixit transfigurationem, eo quod ineffabilis eius potestas ibi refulserit. Luc. 9. Et ecce duo uiri loquebantur cum illo: erant autem Moses & Helias uisi in maiestate, & dicebát excessum eius quem completurus erat in Hierusalem. Hoc se dominum mortuorum ostendit & uiuentium, Mose è mortuis, Helia è uiuis adducto, ut his autoribus, quos plurimi faciebant omes Iudæi, confirmarentur apostoli, neq; suspicarentur eum legem uelle abolere, quum astaret Moses: neque prophetas, quum adesset Helias: nec mortem ut ignominiosam abominarentur, quam tanti uiri ut gloriosam prædicabant. Hieronymus: Lex ostenditur & prophetæ, qui & passionem domini & resurrectionem crebris uocibus prædicarunt. Plenitudo enim legis Christus, Roman. 10. quæ per Mosen data est, Iohan. 1. Impleta fuere & prophetarum oracula, in medio Christus, ipsa implens, & legem cõsummãs. Matth. 5. Non ueni soluere legem, sed adimplere. & Lu. 24. Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosi, & prophetis, & psalmis, de me.

Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse. si uis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Mosi unum, & Heliæ unum. Ad huc eo loquẽte, ecce nubes lucida obumbrauit eos, & 2 *ecce uox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et audi-*

entes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt ualde. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitq; eis: Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem uiderunt nisi solum Iesum. Et descendentibus illis de monte, præcepit Iesus, dicens: Nemini dixeritis uisionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.

Luc. 9. Petrus uero & qui cum illo erant, grauati erant somno: & uigilantes, uiderunt maiestatẽ eius & duos uiros qui stabant cum illo. Et factum est dũ discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum. Expauefactis & attonitis tam increduli spectaculo discipulis, Petrus nondum sui satis compos, sed totus raptus uoluptate ac maiestate spectaculi, quæ procul abesse uidebatur à mentione mortis, ait: Domine, non est hinc usquã abeundũ. Valeat Hierosolyma quę tibi mortem minatur. Origenes: Hæc uox ex carnali prodijt affectu, quo & illud, Absit à te domine, Mat. 16. Remigius: Visa domini maiestate & duorũ seruorum, Petrus adeo delectatus est, ut cuncta temporalia obliuioni traderet, & ibi cum domino in perpetuum permanere exoptaret. Si autem tũc Petrus sic fuit accensus, quanta erit dulcedo & suauitas, uidere ipsum regem in decore suo? Esa. 33. Regem in decore suo uidebunt. & angelorum & omnium sanctorum choris interesse, Psal. 30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te? Rabanus: Quo amplius quis degustat dulcedinem uitæ cælestis, eo amplius cætera fastidit in imis. Psal. 72. Quid enim mihi est in cælo? & à te quid uolui super terram? Deus cordis mei, &

pars mea deus in æternum. Mar. 9. Non enim sciebat quid diceret, erant enim timore exterriti. Vnde hæc uox partim ex timore mortis, quē penitus imbiberat, partim ex delectatiōe spectaculi, quę illum uelut ebrium reddiderat, profecta est. Et tamen reuerenter loquebatur. Si uis, inquit, factus ex præcedenti increpatione cautior. Luc. 9. Hæc autē illo loquente, facta est nubes, & obumbrauit eos. & timuerunt, intrantibus illis in nubem. Ne enim absorberentur magnitudine splendoris, nubes lucē intolerabilem illis tēperabat. Chrysostomus: In nube lucida apparet, & uox auditur: qa nō terrere uoluit, sed docere. Mosi uero in caligine & monte fumigante, ut indicaret tunc tenebras fuisse, nunc lucē gratiæ adesse. Ro. 13. Nox præcessit, dies aūt appropinquauit. Ex nube aūt uenit uox, ut crederent dei esse uocē, qui solitus erat loqui in nube. Exo. 20. 3. Reg. 9. 1. Cor. 10. Patres nostri sub nube fuerūt. Mar. 9. Hic est filius meus charissimus, audite illum. Hactenus Iudæi suspexerunt Mosen & Heliam, qui uaticinati sunt de filio meo. Magni fuerunt illi, sed serui mei. Hic est filius meus unicè dilect⁹, charus animo meo. Idem testimoniū & ijsdem uerbis præbet, quod & apud Iordanem, in signū quòd ipse autor est gratiæ quæ confertur in baptismo, & gloriæ quæ in resurrectione. Vbiq; enim regeneramur quasi noui filij patris cælestis: in baptismo per gratiam, in resurrectione per gloriam. Vtrobiq; ostensa est trinitas superbenedicta. Pater in uoce, Filius in humanitate, Spiritussanctus in colūbæ specie & nube. Quemadmodū em̄ simplicitatē & innocentiam tribuit colūbinā, sic & refrigerat ab igne cōcupiscentiæ & oim

tentationū feruore. Sed quid? Ipsum, inquit, audite. Sic & Moses Deu. 18. Prophetam de genre tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi dñs deus tuus, ipsum audies. Quid ergo adhuc reclamant Iudæi Christo, quū Moses & Helias quibus plurimū tribuunt, Christo præbuerint testimoniū? cū patris uox, cuius illi religiosissimi cultores uideri uolunt, totam autoritatē in filium unicū transtulerit? Placebat gloria, sed ad eam qui uolet peruenire, audiat Iesum ad crucis imitationem uocantem. Deut. 18. Prophetā suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam uerba mea in ore eius, loquetur q̄ ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem uerba eius q̄ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Ioh. 12. Qui spernit me, & non accipit uerba mea, habet qui iudicet eū. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die: quia ego ex meipso locutus non sum, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar. Audiendus ergo Christus & in suis. Lu. 10. Qui uos audit, me audit: & q uos spernit, me spernit. 2. Cor. 13. An experimentū quæritis eius qui in me loquit Christus? Hanc uocem diuinæ maiestatis plenam, nec humanis ferēdam auribus, quū audissent, maiorem in modū extimuerunt. Metuebant em̄ uitę sug, scientes dictū Exo. 33. Non uidebit me homo, & uiuet. Sic Manue pater Sāsonis, Iudic. 13. angelo uiso ait: Morte moriemur, quia uidimus dñm. Non ceciderūt retro, ut Heli 1. Re. 4. Cadūt iusti in faciē, p timorē, ut hic. Per humilitatē, Mat. 2. Procidentes adorauerunt eum. Per gratiarum actionē, Apo. 7. Ceciderūt in cōspectu throni in facies, & adorauerunt

deum. Terretur enim fragilitas humana ad præsentem dei loquelam. Exod. 20. populi conterriti, dixerunt Mosi: loquere tu nobis, nõ loquatur nobis dominus, ne moriamur. Deut. 5. Quid est omnis caro ut audiat uocem dei uiuentis? At Iesus recepta specie priore, cõtigit eos manibus, ne suspicarẽtur esse spectrum, ac uoce consueta notaq; consolatus est. Hieronymus: Vt tactu timorem fuget, & debilitata mẽbra solidaret: primũ timor expellitur, ut postea doctrina tribuatur. Mar. 9. Et statim circunspicientes, neminem amplius uiderunt, nisi Iesum tantum secum. Quo certius esset, uoce patris Christum designatum. Priusquam autem redirent ad discipulos,
3 inhibuit id alijs indicari, quo inuidiæ occasionẽ tolleret ex animis cæterorum, qui hac uisione non sunt dignati. Necdum enim perfecti erant, nec æquo animo ferre potuissent, tres illos cæteris præferri, quẽadmodum & de duobus indignati sunt, Matt. 20. q consessum regni petebant. Secundo, quo inanẽ gloriam in hoc mũdo fugiendam doceret. Gal. 5. Non efficiamini inanis gloriæ cupidi, inuicem inuidentes. Tertio, non uult hoc in populis prædicari ante resurrectionem, ne (ut dicit Hieronymus) & incredibile esset pro rei magnitudine, & post tantam gloriam apud rudes animos sequens crux scandalum faceret. Nam ante id tempus, sermo carituras erat & fructu & fide. Marc. 9. Et uerbum continuerunt apud se, cõquirentes quid esset, cum à mortuis resurrexerit. Luc. 9. Et nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his quę uiderant. Neq; enim cuiquam narrauerunt arcanum eius spectaculi, donec resurrexisset à mortuis. Sed adeo habebant cor obuolu-

tum, ut ea uox toties audita, non descenderet in pectus illorum. sed scrupulus quidã ceperat animos illorum, ex eo quod Heliam conspexerant assistentem Iesu. Hinc inter eundum proponunt illi.

Et interrogauerunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo scribæ dicunt, quòd Heliam primum oporteat uenire? At ille respondens, ait eis: Helias quidem uenturus est, & restituet omnia. Dico autem uobis quia Helias iam uenit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eum quæcunq; uoluerunt. Sic & filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt quia de Iohanne Baptista dixisset eis. Mat. 17. S

Decipientes populum scribæ, dicebant Iesum nõ esse Christum, ex autoritate Mala. 4. quæ dicit Heliam uenturum ante aduentũ Christi, quoniam Helias nondũ uenisset: ignorantes, duos aduẽtus Christi in scriptura designari: in carnem, cuius Iohannes præcursor: & ad iudiciũ, cuius Helias. Hos perstringit Apostolus Tit. 1. Apparuit gratia dei & saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie & iuste & pie uiuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni dei, & saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Mirabantur ergo discipuli, q̃ Helias qui apparuerat, tam cito abisset, nec plus de Christo testificatus esset, prout pharisæi & scribæ dicebant ipsum oportere primum uenire, Marc. 9. Qui

respondens, ait illis: Helias cum uenerit, primo restituet omnia: & quomodo scriptum est in filium hominis, ut multa patiat, & contemnatur. Helias, inquit, iuxta ꝓphetiam præcurret aduentũ meum, ac restituet omnia, conuersis ad euangelium Iudaicæ gentis reliquijs, ne tota condemnetur natio, & antichristi derecta falsitate. Mal 4. Ecce ego mittam uobis Heliam prophetã antequã ueniat dies domini magnus & horribilis: & cõuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres, ne forte ueniam & percutiam terram anathemate. Quanquam & hunc aduentum meũ præcesserit quidam Helias, quem æque atq; me contẽpserunt, & fecerunt in illũ non ꝓ meritis suis, sed quicquid ipsis collibitum est. Hieronymus: In Iohannis necẽ factio phariſæorũ consensit: & in occisione domini, Herodes iunxit uoluntatem suã, qui illusum atq; despectum remisit ad Pilatũ, ut crucifigeret. Luc. 1. Gabriel ait Zachariæ de Iohanne: Ipse præibit ante illum in spiritu & uirtute Heliæ, ut conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare domino plebem perfectam.

De spiritu muto, Mat. xvij. Marc. ix. Luc. ix.

ARTICVLVS LXX.

Mar. 9. T

ET *ueniens ad discipulos suos, uidit turbam magnam circa eos, & scribas cõquirentes cum illis. Et confestim omnis populus uidens Iesum, stupefactus est, & expauerunt. & accurrentes, salutauerunt eum. & interrogauit eos: Quid inter uos con-*

quiritis? Et respondens unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum: qui ubicunque eum apprehenderit, allidit illũ: & spumat, & stridet dentibus, & arescit. & dixi discipulis tuis ut ejicerent illum, & non potuerunt.

Ostendit ueræ fidei uirtutem contra omnes maligni impias machinatiões. Lucæ nono: Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa. Admiratus quò abisset Iesus, accurrit populus, & salutauit eum. Scribæ nomen Iesu apud discipulos uelut inefficax calumniabantur, improperantes quòd tentassent ejicere dæmonium, & non possent: quod dominum nõ latuit. tamen interrogauit, ut omnibus esset notum quid ageretur. Lucæ 9. Et ecce uir de turba exclamauit: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi, & ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & elidit & dissipat eum cum spuma, & uix discedit dilanians eum. Matthæi decimoseptimo: Accessit ad eum homo, genibus prouolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur. nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam. Miserum spectaculum in unico filio, quem sic uarie malignus molestabat, interpolate tamen, secundum quod organa magis inueniebat, secundum lunæ decursum, ad hoc apta. Naturales enim passiones, cælestium sequuntur influxum, & maximè lunæ, quæ multum in corpus propter humiditatem dominatur. Valde autẽ incredulus fuit uir iste, unde & corã

omnibus discipulos accusauit. Conati sunt discipuli, inquit, & non potuerunt.

Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quàm diu apud uos ero? Quàm diu uos patiar? Afferte illum ad me. & attulerunt eum. Et cum uidisset eũ, statim spiritus conturbauit illum: & illisus in terrã, uolutabatur spumans. & interrogauit patrem eius: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia. & frequenter eum in ignem & in aquam misit, ut eum perderet. Sed si quid potes, adiua nos, misertus nostri. Iesus autẽ ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri, cũ lachrymis aiebat: Credo domine. adiuua incredulitatem meam. Et cum uidisset Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans, & multum discerpens eum, exijt ab eo: & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum. & surrexit.

Dominus ut ostenderet fiducię imbecillitatem in causa fuisse, quo minus liberatus esset, & omnium incredulitati mederetur, ait: O natio diffidens, minimeq; simplicis animi, nõdum efficio hoc ut mihi fidatis? Adeò obstat uobis huius corporis imbecillitas? Vsq; quo uersabor cũ irrisoribus & incredulis? Hieronymus: Non tędio superatus, aut quod uerba furoris protulerit, sed in similitudinẽ medici, ęgro

tum uideat ſecundū ſua præcepta ſe non gerentem, dicat: Quouſq; perdam artis induſtriam, me aliud iubente, & te aliud facente? Chryſoſtomus: Non ſolum ad diſcipulos, ſed ad uniuerſum genus Iudæorum ſermo profertur. Iuſſit ergo adduci, quo miraculū eſſet omnibus conſpicuum magis & inſigne, quum æque abſentem ſanare potuiſſet. Cæterum ubi perductus eſt ad Ieſum, magis etiā conturbabatur, exorta lucta inter ſpiritum reſipiſcere cupientē, & cupiditatem ad ſolita reuocantem. Mox enim ut uiderat Ieſum ſpiritus, ſenſit inimicam uirtutem. Hiero. Quod ſcit dominus, interrogat, ut confeſſio pariat ſalutē, & murmur cordis noſtri ſermonib⁹ ſoluatur pijs. Spumat peccator inuidia, ſtultitia, ſtridet iracundia, areſcit ignauia. Lunaticus eſt, qui per horarum momenta ad uitia mutatur, nec perſiſtit in incepto. Eccl. 27. Stultus enim ut luna mutatur, ſapiens permanet ut ſol, ſed creſcit atq; decreſcit, & nūc in ignē concupiſcentię fertur, nunc in aquas teporis & ſecularium negociorum procellis undantem fluuium. Surdum reddit à diuinorum eloquiorū auditu, dæmonium, & à clamore pauperum, & mutum, ut neq; alios docere ualeat quod oportet. Huic nulla ſpes, niſi adducatur in conſpectum Ieſu. Videns ſe expellendum, fecit quod potuit in puerum, domini permiſſu, quo dæmonis maligna puerſitas in homines turbis clareſceret, & ſic à peccatis retraherentur. Tum Ieſus quo magis etiam illuſtraret magnitudinem mali, percontatus eſt patrē. Sed is morbi atrocitatem, non domini poteſtatem cōſiderans, ſi quid potes, inquit, adiuua nos. Quo audito, domin⁹ ſubtaxans imbecillitatē fidei, quaſi morbus ullus eſſet,

Lunaticus myſtice quis.

potentior diuina uirtute, ait illi: Noli quærere quid ego possim efficere, sed uide num tu possis credere. nihil est enim quod non impetret firma fiducia. Hieronymus: Libertatem hic indicat arbitrij. Quæ omnia? nisi quæ in nomine Iesu, id est, salutis, postulantur? Ad hanc uocem pater fiducia cõcepta, spe ꝙ certiore, profusis lachrymis exclamans, respondit: Credo domine. sed etiam si quid deest fiduciæ meæ, supple de tua bonitate. Ecce quantum profecit increpatio pia. Hieronymus: Credulitas nostra, ut rostrata lingua, infirma est, nisi innixa subsistat robore adiutorij dei. Fides cum lachrymis, oprata uota capit, ut est illud: Fiat tibi secundum fidem tuã, Dominus confluentem uidens turbam, ob morbi magnitudinẽ & patris clamorem, (Nam eam uolebat esse testem miraculi) deprompsit uocem illam omnipotentem, qua, quum uult, mortuos suscitat: & indignatur spiritui, ut hominẽ saluet. Sic enim insectanda sunt uitia, ut hominis salutem amare uideamur. Factus est uelut mortuus. adeò tenax erat mali uis, quo magis curantis potentia, & dæmonis affligentis clarebat malitia. At ut ægrè credebat pater, ita ægrè sanatus est filius. Matt. 17. Et increpauit illum Iesus, & exijt ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora. Luc. 9. Increpauit Iesus spiritũ immundum, & sanauit puerum, & reddidit illum patri suo. Reddit sanum, quẽ adduxerat infirmum incurabilem. Luc. 9. Stupebant autem omnes in magnitudine dei. Quo enim miserabilius fuit spectaculũ, hoc magis admirati sunt oẽs præsentiam uirtutis diuinæ.

¶ *Et cum introisset in domum, discipuli eius secre-*

to, *interrogabant eum. Quare nos non potuimus eijcere eum? Et dixit illis:* Hoc genus *in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio.*

Interea mœror quidam occupauit discipulorum animos, metuentes ne qua culpa sua pdidissent potestatem edendi miracula, quum antea gloriati essent, etiam dæmones sibi esse subiectos, Lu. 10. Apud multitudinem quidem pudore siluerunt. Matt. 17. Dixit illis Iesus: propter incredulitatem uestram. Amen quippe dico uobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit: & nihil impossibile erit uobis. Hieronymus: Infidelitas in culpa est. Ergo quoties non accipimus, non præstantis est impossibilitas, sed culpa deprecantis. Granum sinapis quum sit contemptũ ac minutum, tamen attritum exerit acrimoniam naturæ suæ: & humo conditum, emergit in arborem spatiosam. Nihil est tam arduum, quod non ilico dicto conficeretur. Quando dicetis monti, transibit. Non autem dixerunt, quia tempus non postulauit neque necessitas: & propterea non transtulerunt montes corporales, sed dæmones. Hoc genus non eijcitur, nisi fides precatione & ieiunio confirmet. Tenax erat mali uis, & iam multo tempore uersa in naturã. Aduersum huiusmodi uitia pugnandũ est ieiunijs, q̃ corpus attenuatũ spiritui subijciãt: & deprecatione spũs saginãdus, q̃ diuinũ impetrat subsidiũ. Hoc sermone docuit dominus atrocia diuq̃ cõsueta animi uitia, remedijs grauioribus oportere propelli. Hieron. Dum docet, quomodo neqssimus

dæmon possit expelli, omes instituit ad uitam. Exiens ab homine, nunquam reuertitur, si cor suũ clauis seruerit humilitatis & charitatis, & ostium obtinuerit homo immunitatis. Psal. 30. Esto mihi in deũ protectorẽ, & in domũ refugij, ut saluũ me faci as. Sanctis dicitur: Mortui estis, & uita uestra abscõdita est cũ Christo in deo, Colos. 3. Hinc infirmitas Christianorũ non est nisi mortis imago. Non sanat oculũ quod calcaneo adhibetur. Ieiunio passiones corporis, & oratione passiones sanandæ sunt mẽtis. Stultitia ad luxuriã carnis pertinet, & ieiunio sanat. Ira & ignauia oratione depelluntur. Sic uerę preces fiunt, si non solum oretur, sed & ieiunetur: ut ne graue tur, qui orat, ciborum uaporib⁹, sed expeditus sit & leuis.

De scenopegia, par. 2. ar. 15. d
De muliere adultera, par. 2. ar. 14. h
De sermone in gazophylacio, par. 2. ar. 15. i
De sermone ob quem uoluerunt eũ lapidare, par. 2. ar. 16. k
De cæco nato, par. 2. ar. 17. n
De ostio & pastore, par. 2. ar. 18. o

De solutione didrachmæ, Matt. xvij.

ARTICVLVS LXXI.

Mar. 9. V

ET inde profecti, prætergrediebãtur Galileam, nec uolebat quenquam scire. Docebat autem discipulos suos, & dicebat illis: Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum: & occisus, tertia die resurget. At illi ignorabant uer

bum,& timebant interrogare eum. & uenerunt Capernaum.

Dominus ueluti fortuito itinere cœpit proficiſci in Iudæam,præterita Galilæa,non q timeret mortẽ, quam ardẽtiſſime ſitiebat, ſed ne uideretur ante tẽpus ſacerdotũ ac phariſæorũ animos ad homicidium irritaſſe. Hanc in ſe formidinis ſuſcepit ſpeciem, ut à ſuis omnẽ eximeret formidinẽ, & ipſe ſuſceptæ naturæ imbecillitatẽ exprimeret. Quũ ergo huiuſmodi factis miraculoſis inclareſceret fama Ieſu,diſcipulorum animos tentabat quædã humana gloria,quòd talem haberent dominũ. Ieſus ab hoc affectu reuocat eos ad cõtemplationẽ ſuæ humilitatis, qua poſt erant offendendi:quo magis præmuniret animos illorũ,ne ſupra modum turbarentur morte ſua. Luc.9. Oĩbus q̃ mirantibus in oĩbus quę faciebat,dixit ad diſcipulos ſuos:Ponite uos in cordibus ueſtris ſermones iſtos. Hoc eĩ oportet maxime meminiſſe,quòd oportebit oẽs imitari. Omnino futurũ eſt,quod toties prædixi. Ponite uos hæc omnia,& miracula,& miraculorũ ſermones in cordibus,ut quàndo me uideritis crucifixũ,ne exiſtimetis me ex infirmitate talia paſſum. Dixit quod durũ erat,quia occident: ſed ſubdit quod iucundum, quia reſurget tertio die. Hieronymus:Semp aſpera lætis miſcet,ut cum repente uenerint,non terreant,ſed à præmeditatis ferantur animis.

Conuerſantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Ie- Matt.17.
ſus: Filius hominis tradendus eſt in manus hominũ, & occident eum,& tertia die reſurget. Et contriſtati ſunt uehementer.

Hæc tristitia non de infidelitate uenit, sed præ dilectiõe magistri sui. Lu. 9. At illi ignorabãt uerbum istud, & erat uelatum ante eos, ut non sentirẽt illud, & timebant eum interrogare de hoc uerbo. Hicẽ sermo, tametsi iam semel atq; iterum auditus, non insederat animis discipulorum. Non enim poterant meminisse, quod non poterãt audire: abhorrebant à mẽtione mortis, intenti gloriæ Iesu, nonintelligẽtes interim, domini gloriam per crucis ignominiam potissimum illustrandam esse. Tãtus torpor obsederat animos eorum, ut hunc sermonem, tametsi dilucidum, non intelligerent, suspicantes aliqd ænigmatis subesse: quandoquidẽ meminerant sese dictis eiusmodi figuratis aliquando fuisse falsos, uelut in fermento pharisæorum. Proinde quanquam hoc sermone uehementer offenderent, tamen non audebant interrogare, Petri exemplo deterriti, cui parũ feliciẽ successerat, hac de re dñm interpellasse.

2 *Et cum uenissent Capernaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister uester non soluit didrachma? Et ait: Etiam. Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi uidetur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum uel censum? à filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit ei Iesus: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, uade ad mare et mitte hamũ: et eum piscem qui primus ascenderit, tolle: et aperto ore eius, inuenies staterẽ: illum sumens, da eis pro me et te.*

Qui nomine Cæsaris tributa exigebãt, ueriti com

pellare Iesum ob autoritatem, quam sibi iam miraculis comparārat, adiere Petrum, quem uidebāt illi fere proximum, dicētes: Solet ne dare cēsum à Romanis cōstitutum? Petrus quum pecuniam nō haberet, nec uellet offendere tributorum exactores, respōdit illum soluere: nam hactenus huiusmodi tributa soluerat Iesus. Quum Petrus anxiꝰ haberet in animo loq; Iesu de soluēdo tributo, ꝓmiserat enim nec habebat q̄d daret, ꝓuenit eum dñs. q̄ ostendit se nihil latere. Hiero. Aedificat auditorem, q̄ dñs tāt̄ę fuerit paupertatis, ut unde tributa ꝓ se & suo discipulo daret, non haberet. Quod si quis obijcere uoluerit, & quomodo Iudas in loculis pecuniam portauit? Dico quod rem pauperum in usus suos cōuertere nefas putauit, nobis'q; idem tribuit in exēplum. Tum Iesus, ergo liberi, inquit, sunt filij: obscure subindicans se terræ maris'q; & omnium rerum dominum, nulli mortali principi debere tributū aut censum, nec suos discipulos ut filios regni, teneri. sed tamen docere uolens, in huiusmodi rebus quæ nihil faciunt aduersus pietatem, nonnunq̄ obsequēdum huic hominū generi, ne prouocati maiora peccent, subiecit: Vt non scandalizemus eos. Chrys. Non ut debitor reddit, sed ut illoꝝ infirmitati consulat. Certe alibi cum de cibis differeret, scandalū ꝓuidet. Et ita nos docet & tēporꝝ & opportunitatum rationē habere, ac scire, quādo q̄busq; in rebus contemnenda, uel curanda scandala. Pharisęi ex inuidia & malitia scandalizabant: isti ex infirmitate scandalizati fuissent, putantes Christū repugnasse lēgibus imperatoꝝ. Hiero. In hoc, quod eo opante creatus est in ore piscis stater, ostendit potentia, & diuinitas

declaraſ,quia dominus & maris:in eo quod inuentionem piſcis & ſtateris tam certitudinaliter prædixit,monſtratur omnium cognitio in eo:in eo q̃ humanis ſe legibus ſubiecit,ſummaeius humilitas,atq; uera humanitas oſtenditur. Habet enim mũdus ordinem ſuum,quem per occaſionẽ euangelicę libertatis non expedit oĩno confundi. Eſt libertas euangelica & ſpiritualis,qua omnes Chriſtiani facti ſunt liberi per paſſionem Chriſti, à poteſtate diaboli erepti & peccati iugo. Iohã.8.Si filius uos liberauerit, uerè liberi eritis.Ro.6.Nunc autem liberati à peccato,ſerui autem facti deo,habetis fructum ueſtrum in ſanctificationem, finem uero uitam æternã. Gal. 5. Vos autem in libertatem uocati eſtis fratres.tantum, ne libertatem in occaſionẽ detis carnis,ſed p charitatem ſpiritus ſeruite inuicem.Altera,Corporalis,hanc nobis non pręſtitit,&ideo nec à tributis liberos reddidit.Ro.13.Cui tributum,tributum:cui uectigal,uectigal.Mat.22.Reddite quæ ſunt Cæſaris,Cæſari.1.Cor.7.Vnuſquiſq; in qua uocatiõe uocatus eſt,in ea permaneat.Seruus uocatus es?nõ ſit tibi curæ:ſed & ſi potes fieri liber,magis utere. Qui enim in domino uocatus eſt ſeruus,libertus domini eſt.Similiter & q liber uocat⁹ eſt,ſeruus eſt Chriſti.1.Pet.2. Quaſi liberi,& non quaſi uelamẽ habentes malitiæ libertatem,ſed ſicut ſerui dei.

Libertas duplex.

De maioritate & ſcandalo, Mat.xviij.Mar.ix.Lu.ix.

ARTICVLVS LXXII.

IN illa hora accesserunt ad Iesum discipuli, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medium eorum, & dixit: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum. Matt. 18. X

Ostendit, uerę religionis Christianæ primatus in quo consistat, & quanto studio scandalum pusillorum uitandum. Discipuli adhuc carnales, quoniam uiderant miraculorum gloriam, audierant promissam maiestatem regni dei, quoniam & ipsi quoque prodigiosa fecerant in nomine Iesu, subijt humana quædam cogitatio, quæ tãdem eò erupit, ut de hac re inter eundum commentarentur inuicem, quis esset primas habiturus in regno dei. Viderant tres seorsum abductos in montem, audierant Petro traditas claues regni cælorum, eiq; dictum, beatus es Simon, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: conspiciebãt illum familiarius q̃dam & audacius colloqui cum dño. Tamẽ erant Petro quidam natu maiores, etiam sanguinis propinquitate contingentes Iesum. Luc. 9. Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset. At Iesus uidens cogitationes cordis illorum. Nam somniabãt tales dignitates, quales uidem⁹ in aulis principum, quemadmodum Iohannes & Iacobus Matt. 20. & duo discipuli in Emaus ambulantes, Lucæ 24. Imò omnes Actu. 1. Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Mar. 9. Qui cum domi essent, inter-

rogauit eos: Quid in uia tractabatis? At illi tacebãt, Pudore scilicet, quum facile suspicarent fore, ut hũc ambitionis affectum improbaret dominus omnis modestiæ doctor. Mar. 9. Siqdem in uia inter se disputauerant, quis eorum maior esset. Hiero. Similis tractatio loco. Principatus nanq; ut ingredit, sic deseritur: & q̃ diu tenetur, labitur: & incertum est, in q̃ mansione. i. qua die finiatur. Videtes dominũ non latere quid egerint, accedunt & interrogant ipsum. Hiero. Ob id interrogant, quia uiderant pro Petro & domino idem tributum redditum: & ex æqualitate precij, arbitrati sunt ipsum omnibus apostolis prælatum. Videns ergo dominus discipulos inanis gloriæ uitio teneri, compressit eos, ostendens illis p puerum humilitatis uiam. Mar. 9. Et residens, uocauit duodecim. Lu. 9. & apprehendit puerum, & statuit illum secus se. Mar. 9. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorũ. quem cum cõplexus esset, ait illis: Nisi conuersi. Quo ipsos ostendit auersos p superbiam, & ideo ut penitus hũc affectum eximeret ex animis eorũ, paruulum in exemplum posuit. Sũt autem duo in puero cõsiderãda: Minoratio sensus, & morum indisciplinatio. hæc relinquenda. 1. Cor. 14. Nolite pueri effici sensibus. Esa. 65. Puer cẽtum annorum morietur. Pro. 1. Auersio paruulorũ interfici eos. Alterũ est, innocẽs simplicitas. Hiero. Nõ dicitur apostolis ut ætatem habeãt paruulorũ, sed innocentiam: & q̃d illi p annos possident, hi possideãt p industriam, ut malitia, non sapientia paruuli sint. 1. Cor. 14. Malitia paruuli estote. 1. Pet. 2. Deponentes igit oẽm malitiã, & oẽm dolũ, & simulationes, & inuidias & oẽs detractiones, sicut modo geniti

In puero considerãda quę.

Infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem, si tñ gustastis qñ suauis est dñs. Hiero. Sicut paruulus, cui⁹ uobis exemplum tribuo, non pseuerat in iracundia: læsus non memi nit, uidens pulchra nõ delectaŧ, nõ aliud cogitat & aliud loquiŧ, uiuit sine ulla cõcupiscentia, cura in ꝓ- uidentiam parentum proiecta, erga quos summe se humiliat, & ad quos totum suum format amorem. Tales erga deum summum parentem esse oportet, & proximum, q regni particeps esse uult. Alioq ne recipietur quidem in regnum, tm̃ abest ut ambienda sit eminentia. Mar. 9. Si qs uult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister. Luc. 9. Nam qui minor est inter uos omnes, hic maior est. Etenim qui modestia minimus est, is uirtute est ma ximus. Sic Dauid 2. Reg 6. Ludam, inquit, & uilior fiam in oculis meis plusq̃ factus sum, & ero humi- lis. Principes amant sui similes: & apud hos maiori est in precio, qui cęteris submotis semet anteponit. Dominus sui similibus delectatur. Mat. 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Qui uult ergo fratrem præuenire regnãdo, prius illum præueniat obsequendo. Roman. 12. Honore inuicem præueni entes. Vincat officijs, ut possit uincere sanctitate. Si enim te non læsit, fratris obsequium meretur ut diligas: si læsit, magis obsequium meretur ut uin- cas. Roman. 12. Noli uinci à malo, sed uince in bono malum. Hæc est enim nostræ Christia- nitatis summa, ut amantibus uicissitudinem, læ- dentibus patientiam impendamus. Non enim ad regnum cælorum peruenitur superbia, diui- tijs, ambitione, prælatione: sed humilitate, pau-

pertate, lenitate. Arcta est enim uia quæ ducit ad uitam, Mat. 7. Christus ostium, sed humile, Ioh. 10. & 14. Nemo uenit ad patrem nisi per me. Ideo humilis intrat, superbus impingit. Prou. 29. Superbum sequitur humilitas, humilem spiritu suscipiet gloria. Iaco. 4. & 1. Pet. 5. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Nescit ambitionẽ, nescit dominium, nescit tyrannidem regnum fidei & charitatis. quare is magnus, qui contemptu gloriæ, qui modestia, qui seruiendi studio omnibus, minimus fuerit omnium.

2 *Et qui suscipit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim ut ueniant scandala. Veruntamen uæ homini illi per quem scandalum uenit. Si autem manus tua uel pes tuus scandalizat te, abcide eum, & proijce abs te. Bonum tibi est ad uitam ingredi debilem uel claudum, quàm duas manus uel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proijce abs te. Bonum est tibi unum oculum habentem in uitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.*

Non solum oportet nos humiles esse, sed etiam humiles propter Christũ suscipere. Hinc mercedem suscipientibus pollicet Marc. 9. Quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicunq; me susceperit, non me suscipit, sed

eum qui me misit. Quisquis enim potum dederit uobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico uobis, non perdet mercedē suā. Vides quanta possit humilitas, simplicesq; & absq; fraude mores? Qui enim susceperit, non pro humana gratia uel mundana, alioqui mercedem non habebit. Mat. 6. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Matt. 25. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Contra qui læserit q mihi fidūt, totiq; pendēt ex me, pœnas daturus est atrociores. Quid enim sceleratius quàm eos offendere, qui nulli male uolunt, nulli inuident, nulli se præferunt, q oēs amant ex æquo? Hiero. Qui scandalizatur, pusillus est. maiores enim scandala non recipiunt, sed compatiuntur, & cautiores fiunt. Psal. 118. Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Multo autem melius est, pro culpa breuem recipere pœnam, q̄ æteruis seruari cruciatibus. Non enim judicat dominus bis in idipsum. Luget autem, ut misericors, mundum præ offendiculis damna acceptarum. Hominum enim peruersitas in causa est, ut fieri non possit quin accidant offendicula. Hiero. Sicut necesse est ignem calere, & niuem frigere, ita necesse est ut iniquitas mundi erroribus pleni, scandala pariat, perfectorum uero charitas pietatis operibus luceat. Veruntamen quia nulla necessitas cogit humana corda esse iniqua, quæ tamen, quia iniqua sunt, scandala pariunt: ideo uæ ei, qui quod necesse est ut fiat in mundo, uitio suo facit ut per se fiat. 1. Ioh. 5. Totus mūdus in maligno positus est. Quod ergo futurum est, dominus prænunciat, non libertatem arbitrij tollit. Tales autem malo suo bonum

aliorum promouent. Eccl. 27. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Hinc 1. Cor. 11. Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant. Sed quid fiet in finem? Mat. 13. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Hinc admonet Apostolus Roman. 14. Hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri uel scandalum. Melius est mihi non bibere uinum, neque manducare carnem, neque aliquid in quo frater meus scandalizem. Nam 1. Corinth. 8. Sic peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in CHRISTVM peccatis. Obserua quod dicit, per quem. Nam si malus ex bono alterius sua malitia scandalizatur, ex seipso sumit, sicut pharisæi. Matth. 15. Scis (ait Petrus) quia pharisæi audito hoc uerbo scandalizati sunt? Respondit Iesus: Sinite eos, cæci sunt, & duces cæcorum. Si ergo pro ueritate scandalum oritur, magis ueritas eligenda est. Qui ergo cupiunt ingredi regnum cælorum, diligenter uitẽt offendicula pusillorum, sed potius alij aliis uicissim sint adiumento. Neque satis est, cauere ne quis alteri sit offendiculo: uerum etiam, ne quis sibipsi accersat offendiculum. Marc. 9. Bonum est tibi debilem introire in uitam æternam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Non sentit dominus aliquod corporis membrum amputandum, sed affectus omnes qui nos auocant à cura salutis æternæ.

Quemadmodum enim castratus dicitur propter regnum cælorum, sic mancus, claudus. Colossen. 3. Mortificate membra uestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, auaritiam. Si potes patrem ac matrem, sororem & fratrem tecum adducere ad salutem euangelicam, facito: sin horum charitas te reuocat ab euangelio, futurum ꝯ est, ut dum illi per te seruari nolunt, tu simul cum illis pereas, exue naturæ affectum, & humanam pietatem uincat euangelica pietas: & hoc fac in animæ periculo, quod faceres in periculo corporis. Omnes affectus humani posthabendi sunt, quoties urget præceptum dei. Omnia dispendia rerum corporalium pro lucro ducenda sunt, quoties paranda est uita æterna. Si ergo familiares amici nocumento sunt, oportet contemnere ut putrida membra & execare, ne & alijs noceant. Non est delicata professio euangelica: coorientur undique, quæ ab instituto retrahant, persecutio, affectus humani. uerum his omnibus oportet esse superiores, qui negocium suscipiunt euangelicum. Marc. 9. Omnis enim igne salietur, & omnis uictima sale salietur. Bonum est sal. Quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in uobis sal, & pacem habete inter uos. Hieronymus: In omni uictima & sacrificio sal offerri præceptum est. Sal dulcedo sapientiæ, & ignis spiritussancti est gratia: quia omnis electus sapientia conditur, ut digna uictima dei altaribus efficiat. Ille enim uere uictima domini est, qui corpus & animam à uitijs emundando, deo per amorem spiri-

tuſſancti conſecrat: nec ſolo ſale aſpergitur, ſed & igne conſumitur, quando non peccati tantum contagio pellitur, ſed & præſentis uitæ delectatio tollitur, & futuræ cõuerſationi tota mente ſuſpiratur. Phi. 3. Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Altare dei, cornoſtrum: hoſtiæ & ſacrificia, bona opera fidelium. In omnibus ſacrificijs ſal, quia nullum opus bonum ſine ſapientia. Ignis ſacrificium in altari conſumit, de quo: Ipſe baptizabit uos ſpiritu ſancto & igne, Mat. 3. Ignis tribulationes reſpicit. Pſalm. 16. Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. Roma. 12. Obſecro uos fratres p miſericordiam dei, ut exhibeatis corpora ueſtra, hoſtiam uiuẽtem, ſanctam, deo placentem, rationabile obſequium ueſtrum. Victima domini, genus eſt humanum, quod hic ratione ſapientiæ ſalitur, dum corruptio ſanguinis, cuſtodia putredinis, id eſt, mater uermium, conſumitur, & illic purgatorio igne examinatur. Sal carnem prohibet & non ſinit uermes procreare: ita & ſermo doctoris, ſi recens & mordax fuerit, carnales homines conſtringens, non ſinit in ipſis generari uermem irrequietum. Nihil melius igni, ſi quis recte utatur, nihil utilius ſale. Cæterum ſi ignis refrixerit, ſi ſal fiat inſulſus & euanidus, quid reliquum eſt quo condiantur inſulſi? Si, qui profitentur ſpiritum euangelicum, territi minis hominum, blandiantur ſtultitiæ principum, quam oportuit fortiter redarguere, quid ſupereſt ſpei? Si, qui ſalem euangelicum profitentur, non ſolum non acrimonia ueritatis ſanant aliorum corruptos mores & affectus, ſed ipſi in gratiam aliorum excidunt à ſpe regni cæleſtis, lucrifacientes gehennam, & quod eſt omni-

um sceleratissimum, ipsam euãgelicam doctrinam interpretantur ac detorquent ad affectus & cupiditates humanas, qd supereſt per quod humana stultitia condiatur, simul & corruptis iis, per quos id fieri conueniebat, & uitiato eo, quod unum relictum est mundo, ut aliquando resipiscat? Hieronymus: Qui amat principatum, qui increpare non audet, & confiteri, ne de synagoga fiat, diligens gloriam hominum magis quàm dei, (Iohan. 12.) sal est insulsus. Salsitudinem correctionis amor proximi temperet, & dilectionem proximi sal iustitiæ condiat. Scientia uerbi non fastidium, sed esuriem & sitim præstat. Eccl. 24. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Melliflua diuinę sapientiæ eloquia gustata diligẽtius, multimodum saporem reddunt. Sal facit incorruptos, concordia robustos & potentes.

Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim uobis, quod angeli eorum in cælis semper uidẽt faciem patris mei qui in cælis est. §

Hieronymus: Quantum in uobis est, nolite contemnere, sed per uestram salutem, etiam illorum quærite sanitatem: sin autem perseuerantes in peccatis uideritis, melius est solos saluos fieri, quàm perire cum pluribus. Vt igitur nihil tam preciosum, tamq; magnificum esse debet homini, quo debeat auocari à regno cælorum: ita nemo, quanuis pauper, obscurus & humilis, est contemnendus, sed adiuuandus potius, ut proficiat ad meliora. Multi autem attendentes circunstantias personæ, hinc uel re

uerentur, uel contemnunt, non considerantes quod ad dei imaginem creati sunt. Mala 2. Nunquid non pater unus omnium nostrum? Nunquid non deus unus creauit nos? Quare ergo despicit unusquisque uestrum fratrem suum? Ad eandem beatitudinem destinati. Luc. 12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri uestro dare uobis regnum. Sapi. 6. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. Eodem sanguinis precio redempti. 1. Corinth. 6. Empti estis precio magno. 1. Pet. 1. Precioso sanguine quasi agni immaculati CHRISTI. Chrysostomus: Ne dicas, ille faber est, ille sutor, ille insipiens agricola: ab angelis, quibus commissi sunt uiles, uenerabiles fecit. Qualiter tu contemnis quæ deo tam chara sunt & studiosa, quum docet & animam perdere pro uno de pusillis istis? Studiosissimum quid est anima deo, pro qua proprio filio non pepercit. Roman. 8 & angelos ministros destinauit. Nam si pusilli sunt apud mundum, apud deum tamen magna est illorum ratio, qui illis tales addidit custodes & pædagogos. Hieronymus: Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis suæ in custodiam angelum delegatum. Hebræo. 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus, missi in ministerium propter eos qui hereditatem capiunt salutis? Unde de Petro dicitur Actu. 12. Angelus eius est. Angeli ergo semper uident faciem patris, quod est uere beatum esse: quia sic foras propter nos exeunt, ut ab eius uisione nunquam recedãt. Hinc Raphael Tob. 12. ait: Ego sum unus de septem spiritibus, qui astamus ante dominum, Daniel. 7. Millia millium mini

strabãt ei,&decies millies centena millia assistebant ei.Fuerunt omnes simul cum cælo empyreo creati,sed cęteris stantibus,Lucifer cum suis cecidit. Nam in ueritate non stetit, quia non est ueritas in eo,Iohan.8.Iob.4. Ecce qui seruiunt ei,nõ sunt stabiles:& in angelis suis repperit prauitatem. Apoc. 12. Factum est prælium magnum in cælo,Michael & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius,& non ualuerunt,neque locus inuentus est eorum amplius in cælo.Et proiectus est draco ille magnus,serpens antiquus,qui uocatur diabolus & satanas,qui seducit uniuersum orbem, & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt. Luc.10.Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Inuidens ergo nobis gloriam quam amisit,continuum contra nos agit bellum.Primum hominem in paradiso aggressus supe rauit,Gene.3.& occidit. Iohan.8.Ille homicida fuit ab initio.Sapien.2.Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.1.Pet.5. Aduersarius uester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuorer,cui resistite,fortes in fide. Ephe.6.Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Ob id angeli sancti nobis in adiutorium sunt dati. Nam Iob. 41. Non est potestas super terram quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeat. Angeli ergo sancti nos à peccato & malo custodiunt. Psalm. 90. Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Exod.32.Angelus meus præcedet te,

Num.22. Angelus à maledictione populi Israel co hibuit Balaam. Raphael Tobiam deduxit & reduxit, ac à periculis liberauit, Tob.5.6.7. et patrem à
2 cæcitate curauit, Tob.11. Hinc Iudith.13. Viuit ipse dominus, quoniam custodiuit me angelus eius, & hinc abeuntem, & illic commorantem, & inde huc reuertentẽ, & non permisit me dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me uobis, gaudentem in uictoria sua. Sicin auxilium Helisei uenerunt angeli, 4. Regum.6. Sic & orationes nostras deo offerunt. Tob.12. Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam domino. Hilar. Saluatorum per CHRISTVM, orationes angeli quotidie deo offerunt: quare periculose ille contemnitur, cuius desideria & postulationes ad æternum & inuisibilem deum, ambitioso famulatu angelorum prouehuntur. Matth.18. Videntes conserui (impietatem serui in conseruum) quæ fiebant, contristati sunt ualde: & uenientes, nunciauerunt hæc domino suo. Imò ipsi angeli orant pro nobis. Iob.33. Si fuerit pro eo angelus loquens unus ex millibus, ut annuncier hominis æquitatem, miserebitur eius, & dicet, libera eum, ut non descendat in corruptionem, inueni in quo ei propicier. Zach.1. Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Hierusalem & urbium Iuda quibus iratus es? Et respondit dominus angelo qui loquebatur in me, uerba bona, uerba consolatoria. Finaliter ad cælum deducunt. Luc.16. Factum est ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abraæ. Matth.24. Et mittet angelos suos cum tuba & uoce magna, &

congregabunt electos eius à quatuor uentis, à summis cælorum usq; ad terminos eorum. Erimus enim sicut angeli dei in cælo, Mat. 22.

Venit enim filius hominis saluare quod perierat. Y
Quid uobis uidetur? Si fuerint alicui centum oues, & errauerit una ex eis, nonne relinquit nonaginta nouem in montibus, & uadit quærere eam quæ errauit? Et si cõtigerit ut inueniat eam, amen dico uobis, quia gaudet super eam magis, quàm supra nonaginta nouẽ quæ non errauerunt. Sic non est uoluntas ante patrem uestrum qui in cælis est, ut pereat unus de pusillis istis.

Quid dico, quòd angelos habeant custodes? ego propterea ueni, ut seruem quod perierat. Sed multi seruari nolunt, & persequuntur seruarè uolentẽ. Hilarius: Quis una, homo intelligendus est: qa in unius Adę errore, omne genus hominũ aberrauit. non errantes nonaginta nouem, multitudo angelorũ cælestium opinãda est, quibus in cælo est lætitia & cura salutis humanæ. Si ergo sic affectus est homo pastor erga gregem suum, quem possidet tantum, nõ etiam condidit: quanto magis pater qui natura bonus est, quos ideo condidit, ut essent beati, quos sic curæ habet, ut angelos suos horum custodiæ præfecerit, quibus ad salutem reuocandis filium suũ unicum impendit? Esa. 53. Omnes nos quasi oues erraui mus. unusquisq; in uiam suam declinauit. Psal. 118. Erraui sicut ouis quę perijt, quære seruum tuum, qa mandata tua non sum oblitus. Chrysostomus: Do-

minum & nos imitemur, & nihil pro fratribus omittamus, etiam eorum quę humilia uiliaq; nimium uideant, si administratione nostra opus fuerit, quanuis ardua nobis res & laboris plena uideatur. Tanto enim studio, tantaq; cura dignam esse animam ostendit, ut neq; filio suo pepercerit. Roma. 8. Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis oñibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia donauit? Si ergo non est uoluntas patris ut pereat unus de pusillis, quur non omnes seruantur? Vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agniti onem ueritatis uenire, 1. Timo. 2. Voluntati autem eius quis resistet? Rom. 9. Omnia enim quęcunque uoluit dominus, fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, Psal. 134. Hinc Esa. 46. Consilium meum stabit, & omnis uoluntas mea fiet. Hieronymus: Quoties aliquis perierit de pusillis istis, ostenditur q̃d non uoluntate patris perierit. Ezech. 18. Nunquid uolũtatis meæ est mors impii, dicit dominus, & non ut conuertatur à uijs suis & uiuat? 2. Pet. 3. Deus patienter agit propter uos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Vnde Apostolus Ro. 2. Ignoras quoniam benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi irã in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet unicuiq; secundum opera sua. Deus ergo, quantum in se est, uult omnes homines saluos fieri, ita q; ex parte ipsius non est defectus, quum semper paratus sit gratiæ suæ lumen pœnitentibus infundere, si ad hoc se coaptent. Psalm. 33. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies uestræ non confundentur.

Sed Iob 24. Dedit ei deus locum pœnitẽtiæ, & ipse abutitur eo in superbia. Hinc Ose. 13. Perditio tua Israel. tantummodo in me auxilium tuum. Ro. 9. Igitur non est uolentis neque currentis, sed miserentis dei. 2. Corin. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, sed oẽis sufficientia nostra ex deo est. Sed 1. Pet. 5. Deus superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiam. Psal. 33. Humiles spiritu saluabit.

De correptione fraterna, Mat. xviij. Lu. xvij.

ARTICVLVS LXXIII.

SI autẽ peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te nõ audierit, adhibe tecum adhuc unum uel duos, ut in ore duorum uel trium testium stet omne uerbum. Quod si nõ audierit eos, dic ecclesiæ. Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico uobis, quæcunque alligaueritis super terram, erũt ligata & in cælo: & quæcunq; solueritis super terrã, erunt soluta & in cælo. Mat. 18. Z

Vera charitas nescit uitia palpare, sed humiliter corrigere, & charitatiue ex corde donare. Hieronym°: Si peccauerit in nos frater noster, & in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, imò necessitatẽ qua p̃cipit Matt. 7. Dimittite, & remittet uobis. si aũt in dtũ peccauerit, nõ est nostri ar

bitrij, ſcriptum eſt enim 1. Reg. 2. Si peccauerit uir in uirum, placari ei poteſt deus: ſi autem in deum peccauerit uir, quis orabit pro eo? Nos econtra in dei iniuria benigni ſumus: in noſtra, exercemus odia.

Correptio quotuplex

Obſeruandum quod eſt correptio procedens ex iuſtitia, quæ concernit ſuperiores. Hæc non ſolũ reſpicit corrigendum, ſed & alios. 1. Timo. 5. Peccantes corã omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant. Prou. 19. Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior fiet, ſi autem corripueris ſapientẽ, intelliget ſapientiam. Heli per dominũ plagatus, qa filios lenitate patris, & non ſeueritate iudicis correxit, 1. Reg. 2. & 4. Sic filij Iſrael coram inimicis ſtare non ualuerũt, donec extinctus fuit Acham qui furtum fecit in Hiericho, Ioſu. 7. Item ex charitate fraterna, hæc requirit cauſam iuſtam. Ne uideas feſtucã in oculo fratris tui, Mat. 7. Ideo dicit, ſi peccauerit in te. Hieronymus: In te, non directe in deum: quia blaſphematio, impugnatio fidei, hunc ordinem non requirunt. Iuſtũ animũ, Frater tuus. Ergo fraterno amore. Auguſtinus: Quare corripis eum? Quia in te peccauit? Abſit. Si amore tuo id facis, nihil facis: ſi amore illius facis, bene facis. Eccl. 17. Vnicuiq; mandauit deus de proximo ſuo. Tertio, debitum modum. Omnibus enim modis offendicula cauenda, quæ pacem dirimunt fraternam. charitas adhibenda mutua, qua uiciſſim alij aliorũ erratis amanter medeantur, ſi quæ inciderint. Porro medicandi modus hic erit: Si peccauerit in te frater tuus (Etenim ſi non baptizatus, iniuria afficiat, tunc ab eo te ſubduces) quod ſit animaduerſione dignum, ne ſtatim proſilias ad uindictam, neve rurſus ſilentio tuo ſinas fratrem perire,

dum ueluti uinolentus, affectibus suis peccat impune, sed primū experire remedio quàm maxime blā-
do, quod ne pudoris quidem incommodo fratrem aspergat. Talis autem sit admonitio, ut declaret te nihil aliud quærere quàm illius salutem & amicitiæ pristinæ restaurationem. Glos. Inter te & ipsum so lum: ne publice correptus, uerecundiā perdat, & sic in peccato pmaneat. Hie. 5. Frons mulieris meretrī cis facta est tibi. noluisti erubescere. Chrys. Præcipit arguere ei qui passus est iniuriam, nō alteri: quia ille qui fecit iniuriam, mansuetius sustinet, maxime si so lus & charitatiue corripiat. Cum enim qui uindictā expetere debebat, hic salutis uidetur habere diligen tiam, maxime hominem poterit facere propicium, & pium, & mansuetum. Psal. 140. Corripiet me iu-
stus in misericordia & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Hinc ait, corripe, non conuiciare. Eccī. 19. Est correptio mē-
dax in ira contumeliosi. Vnde 1. Timo. 5. Seniorem ne increpaueris, sed obsecra ut patrem: iuuenes ut fratres, anus ut matres, iuuenculas ut sorores, in oī castitate. Sic Moses qui diuino fruebatur alloquio, charitatiuā Iethro admonitionem susceptit, Exod. 18. Prou. 9. Argue sapientem, & diliget te. Da sapien ti occasionem, & addetur ei sapiētia. Doce iustum, & festinabit accipere. Si te audierit, peccatum reco-
gnoscendo & dolendo, non est quod ulciscaris, aut quod illum traducas: tibi satis est quod lucrifeceris fratrem tuum. Interim & tuo lucro cōsuluisti: peri-
turus enim tibi erat amicus, peritura erat deo ani- 2
ma. Non ergo parum est, in hominē peccare. Quod si non audierit, non est prorsus abiscienda spes, nec

statim ad extrema remedia ueniendum, sed adhibe testes, siue ut pudore mediocri corrigatur, qui non progrediatur usq; ad infamiam, siue ut testimonio duorum aut trium reuinci possit. Augustinus: Adhibe eum qui uult prodesse, non obesse. Eccl. 19. Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat, non feci: aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe amicũ. sæpe enim fit cõmissio, & non omni uerbo credas. Seneca: Moneberis libẽter, reprehendéris patiẽter. Si merito obiurgauit qs te, scito qa, pfuit: si immerito, scito quia, pdesse uoluit. Non acerba, sed blanda timeas uerba. Eccẽs. 7. Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulationibus laudari. Melior est ira risu, quia per tristitiam uultus corrigitur animus delinquentis. Quod si tam est intractabilis, ut nec pudore, nec metu iudicij commoueatur, rem defer ad congregationem, ut uel multitudinis consensu, uel eorũ autoritate qui multitudini præsunt, emendetur. Actu. 20. Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos spiritussanctus posuit episcopos regere ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo. Si nec ecclesiam audierit, amputetur à familiari cõsortio, ut uel sic pudore resipiscat, dum se uidet ab omnibus uitari: aut certe ne gregi admixtus, alios inficiat suo contagio. Qui ergo audierit increpationem, uenia dignus est: qui autem non audierit, ab omnibus haberi debet contemptus, & indignus qui habeatur frater. Ista condemnatio quãquam lentè procedat ad supplicium, tamen hoc nomine est seueríssima, quòd damnatum, nisi resipiscat, manet æterna pœna, quam nulla ratione poterit effugere. Prouerb. 29. Viro qui corripientem dura ceruice conte

mnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. Eccēs. 7. Considera opera dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit. Potestatem tribuit, ut sciant qui ligantur à talibus, à deo se ligatos. Quem Cæsar damnat, nonnunquā absoluit deus: & quem princeps absoluit, aliquoties damnat deus. Quanquam autem iudicium hoc nō habeat in specie seueritatem eam, quam habent tribunalia principum, tamen magis est formidandū, quàm illorum sentētia, qua sæpenumero percutiuntur optimi, & absoluuntur sceleratissimi. A deo damnari formidabile est. Ab illo damnatur, quisquis à uobis syncero animo consentientibus damnatur. Vere reuerenda & timenda ecclesiæ autoritas, quia à deo collata. Matt. 16. Tibi dabo claues regni cælorum. Diuina sententia roborata. Amen dico uobis, quæcūq; alligaueritis. Per spiritum sanctum confirmata. Iohā. 20. Accipite spiritum sanctum. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt. Quod enim iudicatis spiritu dei, non uestrum est iudicium, sed per uos illius.

Ecclesię potestas quanta.

Iterum dico uobis: si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo qui in cælis est. Vbi enim sunt duo uel tres cōgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorū. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsq; septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi, usq; septies, sed usq; septuagies septies.

3 Hieronymus: Omnis nos ſupra ſermo ad cõcordiam prouocarat. Igitur & nunc præmium pollicetur, ut ſolicitius feſtinemus ad pacem, quum ſe dicat inter duos uel tres mediũ fore. Non dicit, ero: ſed, ſum, id eſt, iam illic inuenior. Quia, phibuit ne mutuum offenderemus, oſtendit concordiæ fructum. Concordes autem dicuntur, non qui in malum, ſed in bonum conueniunt. Conſpirarunt enim & Annas & Caiphas Acto. 4. conſpirarunt & Iudæi, Iohan. 9. Iam enim conſpirauerant Iudei, ut ſi quis eũ cõfiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret, Si ergo duo concorditer amantes, quæ dei ſunt petierint, fiet illis. A Cæſare non protinus impetratur, quod petitur: nec ille quicquid rogatur, præſtare poteſt. Nihil autem eſt tam arduum aut incredibile, quod pater non ſit p̃ſtaturus, ſi concorditer ab ipſo petierimus. Ideo autem ſæpe precantes non accipimus, eo quod mutua concordia careamus. Hieronymus: Sic ubi ſpiritus & anima cõſenſerint, nec inter ſe bellum diuerſarum habuerint uoluntatũ, de oĩre quam petierint, fiet illis. Nulli enim dubium, quin bonarum rerum poſtulatio ſit, ubi corpus ea uult quæ ſpiritus. Chryſoſtomus: Quia dixerat, fiet illis à patre meo, ut & oſtenderet ſe eſſe datorem cum patre, ſubdit: Vbi duo. Rabanus: In nomine domini congregantur, qui ipſius æmulantur gloriam, qui ipſius ſpiritu feruent, qui ipſum per oĩa & in oĩbus fidei oculis, & mundo corde non deſinunt intueri. Amat enim medium Ieſus mediator dei & hominum, 1. Timo. 2. Sic nunquam legitimis deeſt congregationibus. Vnde apoſtoli gentibus reſcripſerunt Act. 15. Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, Hinc

fidei ecclesiæ firmitas & ueritas, quòd per spiritum regitur ueritatis, qui omnem docet ueritatem, Ioh. 16. Quare dicitur firmamentum & columna ueritatis, 1. Timo. 3. Sed quoniam is spiritus deest conciliabulis malorum, (Nam segregant semetipsos, spiritum non habentes, Iudæ. 1. Nec est deus dissensionis, sed pacis, 1. Corin. 14.) necessum est alio spiritu regi, qui ait 3. Reg. 22. Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius, hoc est, Achab. Sic & spiritualis amicitia, societasq; fraterna, ad interiorē profectum relata, fructuosa est, & gratiæ profectui proficua. Pro. 18. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma: & iudicia, quasi uectes urbium. Hæc cum diligenter auscultasset Petrus, existimans ad se potissimum pertinere, quod de potestate damnandi atq; soluendi differuerat Iesus, scrupulum quendam conceperat in animo, propterea q̄d dominus dicens post tertiam correptionem, sit tibi uelut ethnicus, uisus est certum numerum præscribere, quem qui transgressus esset, etiam si resipisceret qui peccarat, non esset recipiendus in gratiam, quū & lex talionem requirat, oculum pro oculo, dētem pro dente, Exod. 21. Domine, inquit, quoties condonabo fratri, & post quotam culpam repelletur à uenia? Num post septimam? Hunc numerū uelut magnum præponebat, quum Iesus tertiq; duntaxat correptionis meminisset. Tunc Iesus ostendens in his quæ committūtur in nos, (in deum enim si peccauerit, non ego qui idiotes ac priuatus sum, possum ei remittere, nisi forte dei ordinē habens sacerdos) oportere nos faciles esse ad ueniā, ait, usq; septuagies septies, indicans nullum esse præscribendum nu

merum ignoscentiæ Christianæ: sed quotiescunque resipuerit qui peccauit, toties ex animo condonandam esse culpam, penitus eximens ex animo Christiano omnem ulciscendi libidinem. Hoc est quod ait Luc. 17. *Si peccauerit frater tuus in te, increpa illum: & si pœnitẽtiam egerit, remitte illi: & si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, dimitte illi.*

De seruo nequam, Mat. xviij.

ARTICVLVS LXXIIII.

Mat. 18. A

IDeo assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis. Et cũ cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eũ dominus eius uenundari, & uxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autẽ seruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.

Ostendit quàm æquissimũ sit & necessarium, proximo errata remittere, similitudine adhibita. Hieronymus: Familiare est Syris, & maxime Palæstinis, ad omnem sermonem suum parabolas iungere, ut ꝗd per simplex præceptum ab auditoribus retineri non potuit, per similia exemplaq; teneatur. Agitur ergo de redditione duplicis rationis, & hoc secundum duplex dei forum: misericordiæ in hac uita, & iustitiæ post hanc uitam. Regnum cælorum, præsentis temporis ecclesia dicitur, in qua boni cũ

malis in finem usq; mixti sunt, Mat. 13. Regnum est, in quo sine tyrannide liberè deo seruitur ex amore. Dicitur autem cælorum, quia legibus cæli subijcitur. Licet enim in terra peregrinetur, cælum tamen sibi patria est. Phil. 3. Nostra autem conuersatio in cælis est. Ephe. 2. Non enim estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici dei. Huius regni Christus rex. Apocal. 19. Habens in femore suo & uestimento scriptum, rex regum, & dominus dominantium. Zacha. 9. Dicitæ filiæ Sion, Ecce rex tuus uenit tibi iustus & saluator. Hic rationem ponit, conscientias singulorum examinando, quum per spiritum sancti inspirationẽ, unumquemq; ad suæ conscientiæ dijudicationem dirigit. Iohan. 16. Cum uenerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Hiere. 2. Scito & uide, quia malum & amarum est te dereliquisse dominum. 2. Corin. 1. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Remigius: Christus meritorum examinator, iam per scripturam rationem cum seruis ponit. Exigit rationem, cum rationalis sit, an secundum rationem uixerit ut homo, an secundum passionem desiderij ut brutum. Qui ergo nunc debite factorum suorum rationem ponens, humiliter pœnitet, post in iudicio secure ad iudicem uenient. 1. Corin. 11. Si nosmetipsos dijudicaremus, non utiq; iudicaremur. Exactam eñ tunc positurus est rationem, quum non solũ in medium proferentur facta, Mat. 16. Filius hominis uenturus est in gloria patris sui cũ angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundum opera sua. 2. Corin. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque

Regnum quid.

propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Sed & uerba. Matth. 12. De omni uerbo otioso quod loquuti fuerint homines, reddent rationē de eo in die iudicij. Imò de cogitationibus. Sap. 1. In cogitationibus impij erit interrogatio. Hiere. 17. Prauum cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego dominus scrutans cor & probans renes, qui do unicuiq; iuxta uiam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum. Roman. 14. Vnusquisque pro se rationem reddet. Sic exegit in paradiso rationem ab Adam Gen. 3. qui in ea deficiens, sermones ad excusandas excusationes in peccatis multiplicādo, punitus fuit. Omnes autem serui sumus magni domini, qui unicuique dedit secundū propriam uirtutem, aut unum, aut duo talenta, &c. Matthæ. 25. Nemo siquidem est, cui nō concredita sit anima ad dei imaginem creata, Gene. 1. Hinc 1. Corin. 15. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cęlestis. Hoc fit deum pure cognoscendo, super omnia diligendo, & firmiter ipsi inhærendo. Eccl. 10. Fili, in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum. Peccantem in animam suam quis iustificabit? Et qui honorificabit exhonorantem animam suam? Sic & corpus. 1. Corin. 6. Corpus autem non fornicationi, sed domino. Non enim estis uestri. Empti estis precio magno. glorificate & portate deum in corpore uestro. 1. Thes. 4. Hæc est uoluntas dei sanctificatio uestra, ut sciat unusquisq; uestrum uas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant deum. Temporalia, ad necessitatem, non uoluptatem ex-

plendam.1.Tim.6. Habentes uictum & quibus tegamur,his contenti simus.Roma.13. Carnis curam ne feceritis in desiderijs.Roma.8. Ergo fratres debitores sumus,non carni ut secundum carnem uiuamus.Si enim secundum carnem uixeritis,moriemini:si autem spiritu facta carnis mortificaueritis,uiuetis.Sic & nos bonorum suorum fecit dispensatores,ad proximi utilitatem. 1.Iohan.3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & uiderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit uiscera sua ab eo,quomodo charitas dei manet in eo? Vnde dominus Matthæ.25. Quàm diu uni ex minimis meis nõ feciſtis, nec mihi feciſtis. Demum tempus ad meritum, ne nobis dicatur illud Matthæ.20. Quid hic ſtatis tota die ociosi? Inutilem enim seruum, ligatis manibus & pedibus, iubet mitti in tenebras exteriores,Matthæ.uigesimoquinto. Si damnati uel punctum temporis haberent ad fructuose pœnitendũ, quantam pœnã euaderent & gloriam acquirerent? Hinc Apostolus 2.Cor.6. Hortamur uos, ne in uacuum gratiam dei recipiatis.ait enim:Tempore accepto exaudiui te,& in die salutis adiuui te. Iohan. 9. Venit nox quando nemo operari poteſt. Incipit autem hic rationem ponere,quũ nunc terrore mortis,nunc flagello conscientiæ, nunc gehennæ metu, aut similibus ad cogitandum gratiarum dissipationem compellit.Omnes autẽ debitores sumus altissimi.Matth.6.Dimitte nobis debita nostra.Roman. 3.Omnes peccauerunt,& egent gloria dei.In multis enim offendimus omnes, Iaco.3. Decem millia talenta, plena & perfecta mandatorum est obseruatio.

Ro.13. Plenitudo legis est dilectio. Sed Iac.2. Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Quid ergo agendum? Neq; enim latere possumus. Sunt autem tria nos offerentia. Conscientia peccati. Roma.2. Testimonium illis reddente cõscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die quum iudicabit deus occulta hominum secundum euangelium meum, per Iesum Christum. Gregorius: Mala hominum & cogitata nec deus ignorat, nec obliuiscitur perpetrata, nisi ab eius oculis pœnitendo deleantur. Deus enim quia lux est, quoties indigne aliquid mente concipimus, totiens in lucem peccamus, quia ipse etiam sibi non præsentibus præsto est: ideo in ipso peruerse gradientes impingimus, à quo per meritum longe fumus. Cum uideri nos non credimus, in sole clausos oculos tenemus: illum à nobis abscondimus, nõ nos illi. Esa. 59 Iniquitates uestræ diuiserunt inter uos & deum uestrum, & peccata uestra abscondérunt faciẽ eius à uobis, ne exaudiret. Esa. 29. Vę qui profundi estis corde, ut à domino abscondatis consilium, quorũ sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis uidet nos? & quis nouit nos? Peruersa est hæc uestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, nõ feciſti me: & figmentum dicat fictori suo, non intelligis. Quanquam deus sit omnibus præsens, euidentia tamen conscientiæ peccatorem magis præsentem reddit. Nec enim primus homo latere potuit, quem conscientiæ reatus demonstrabat in publicum, tametsi uelaret pudenda foliis, & inter frutecta absconderet. Item euidentia facti, In

Quę tria hominẽ in iudicio offerant.

oppressione pusillorum. Exod.3.Clamor filiorum Israel uenit ad me, uidiq; afflictionem eorum, qua ab Aegyptijs opprimuntur. Eccl.35.Nonne lachrymæ uiduæ ad maxillas descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? in peccatorum enormitate. Gene.18.Clamor Sodomorum & Gomorræorum multiplicatus est,& peccatum eorum aggrauatum est nimis. Hinc grauitatem peccatorum Hierusalem dominus ostendens, ait Esa.3. Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. In seruorum defraudatione. Iaco.5. Ecce merces operariorum uestrorum, qui messuerunt regiones uestras, quæ defraudata est, clamat, & clamor eorum in aures domini sabaoth introiuit. Demum offert & accusat malitia diaboli. Apocal.12. Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum dei nostri die ac nocte. Et nisi ipse dederit æs alienum, nisi gratiam impartitus fuerit, soluendo non sumus. Per nos enim in peccatum cadimus, sed non per nos possumus resurgere. Psalmo nonagesimotertio: Nisi dominus adiuuisset me, paulominus habitasset anima mea in inferno inferiori. Venditio alienationem signat à deo. qui enim uenditur, alterius dominij fit. Sic peccator hic in potestatem fit diaboli, ut de peccatuat in peccatum. Roman.1. Propter quod tradidit illos deus in reprobum sensum. 3. Reg.21. Igitur non fuit alter ut Achab, qui uenũdatus est ut faceret malum in conspectu domini. Et post iustitiæ satisfaciat per pœnam, nisi præueniat faciem domini in confessione. Psal.94. Præoccupemus faciem eius in confessione. Videamus nũc qd fecerit seruus

uidens uinculum obligationis ſuę quod debebat,& defectum reſtitutionis,quũ quod redderet non haberet,ac iuſſum punitionis q̃uendi debebat,quemadmodum ad humiles & deuotas ſe conuertit preces. Chryſoſtom⁹: Terrere uult,ut per minas ad ſupplicationem inducat. Eſa.36. Cum feceris iudicia tua in terra,iuſtitiam diſcent habitatores orbis. Redite ergo prȩuaricatores ad cor, Eſa.46. Quia ergo ſponte noluit,coactus pœnituit,uitæ reſipiſcenti am & emendationem, & iuxta diuinæ legis ſanctionem ſatisfactionem pollicẽs,quaſi diceret Pſal.6. Domine,ne in furore tuo arguas me. Iob.10. Dimitte me ergo,ut plangam paululum dolorem meum. Pſalm.6. Lauabo per ſingulas noctes lectum meũ, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Remigius: Vox peccatoris exprimitur, poſcentis tẽpus uiuendi,& ſpatium corrigendi. Procidit,cum ſeipſum abiecit,cum ſuperbam mentem & erectam inclinat. Iob.15. Cucurrit aduerſus deum erecto collo,& pingui ceruice armatus eſt. ſed timore iudicis ad pedes ſe deiecit. Omnia enim dedit,qui ſe dedit. Roma.6. Humanum dico propter infirmitatẽ carnis ueſtrę, Sicut exhibuiſtis membra ueſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra ueſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Expectat enim dominus ut miſereatur, Eſa.30. Vt conuerſi, ad miſericordiam recipiantur: non conuerſi,iuſte grauius puniantur. Eccl.5. Altiſſimus em eſt patiens redditor. Nam Roman.9. Deus uolens notam facere potentiam ſuam,& oſtendere iram, ſuſtinuit in multa patientia uaſa iræ apta in interitum,ut oſtẽderet diuitias gloriæ ſuæ in uaſa miſeri-

cordiæ, quæ præparauit in gloriam. Vasa ergo iræ in interitum apta, non præparat, sed sustinet. Ideo Apostol⁹ admonet 2. Tim. 2. In magna domo non solum sunt uasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit uas in honorem, sanctificatũ & utile domino, ad oñe opus bonum paratum. Voluit ergo dominus seruum, reatum suum agnoscere, & ueniam petere. Hiere. 2. Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Scito & uide, quia malum & amarum est reliquisse te dominum, & nõ esse timorem eius in te. Psal. 49. Arguam & statuam contra faciem tuam. Sic supplex factus est Dauid. 2. Reg. 12. Peccaui, inquit, domino. Cui Nathan: Dominus quoq; transtulit peccatum tuum à te. Vide ergo pœnitentiæ robur, & domini misericordiam omnia remittentis. Chrys. Audi dei misericordiam. petierat dilationem, & accepit remissionem omnium debitorum. Psalm. 102. Quomodo miseretur pater filiorũ, misertus est dominus timentibus se. Vere miserationes eius super omnia opera eius, Psalm. 144. quia non solum electis, sed & reprobis q ad tempus credunt, siue fructus pœnitentiæ exercent, peccata remittit. Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, uita uiuet & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor. Hinc dominus 3. Reg. 21. Nonne, inquit, uidisti Achab humiliatũ coram me? qa ergo humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus suis. Bern. Sic ex

toto dimisit omem offensam, ut non damnaret ulciscendo, nec confunderet improperando, nec minus diligeret imputando. Quo contra plurimi, qui etsi non ulciscantur, tamen improperant, aut nõ ex ratio indulgẽt. Chryſ. Cur nõ ante ratiocinationem debitũ dimiſit, niſi ut ad conſeruũ mãſuetior fieret?

2 *Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit unum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & tenẽs, ſuffocabat eum, dicens:* Redde quod debes. *Et procidens conſeruus eius, rogabat eum, dicens:* Patientiam habe in me, *& omnia reddam tibi. Ille autem noluit, ſed abijt, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conſerui eius quæ fiebant, contriſtati ſunt ualde: & uenerunt, & narrauerunt domino ſuo omnia quæ facta fuerant.*

Nullus qui in deo maner, expers compaſſiõis eſt: ſed ille egreſſus erat & alienus à deo, ſicut Cain à facie dñi Gene. 4. non reueritus maieſtatẽ, nec timẽs poteſtatem, & oblitus dñi erga ſe clementiæ. Aug. Debito liber, ſed iniquitatis ſeruus, protinus iniecta manu exegit debitum. Attende quàm exiguum ſit ad præcedens, quo ad numerum, quia pars centeſima: & quantum ad pondus, qa denarius ad talenta. Remig. Centum denariorum debitor eſt, quem de commiſſis in fratrem aliquibus ſatisfacere oportet. Totidem & eiſdem uerbis obſecrat eum, quot ille dominũ. At creditor inexorabilis reppulit ſupplicem. Aug. At iſte rogauit conſeruum ſuum, ſicut ille rogauerat dominum: ſed talem iſte non inuenit conſeruum, qualem ille inuenit dominum. Contor

rum rapiebat ad solutionẽ, iam debito liber: & non solum remittere debitum noluit, sed nec dilatiõem dedit. Notatur tyrannica & crudelis exactio debiti, quum debitor per uim uel asperas obiurgationes ita opprimitur, ut uix excusandi uel respondendi habeat facultatem. In carcerem mittitur, quum coram iudice sistitur, ac per districtam iustitiam undiq; coarctatur, ut nullus euadẽdi sit locus. Noluit ergo intelligere ut bene ageret, Psal. 35. sed abijt à uia æquitatis & gratiæ, mittens in carcerem diræ tribulationis, donec se plenius de iniuria uindicaret. Porro cæteri conserui qui uiderant miram clemẽtiam dñi in seruum, ubi uidissent tantam crudelitatem conserui in conseruum, dolore graui commoti sunt de unius culpa, & alterius pœna. Chrys. Non solum deo, sed & hominibus displicet crudelitas. Conserui, angeli sunt, osores mali, & amantes boni. Apo. 22. Conseruus tuus sum & fratrum tuorum. qui contra dolum persequentium, dominum implorant. Sic & iusti, zelo iustitiæ accensi, dum enormitates malorum corrigere non ualent, ad deum suspirãt. Nec parui pendenda illorum suspiria. Luc. 18. Deus non faciet uindictam electorum suorum, clamãtium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico autem uobis, quia cito faciet uindictam illorum.

Tunc uocauit illum dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti 5 *me. Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius, tradidit illum tortoribus, quoadusque redderet uniuersum debitum. Sic & pater meus cælestis faci-*

et uobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus uestris.

In iudiciũ intrat cũ seruo dominus propter misericordiam, ut ostendat quod non ipse, sed serui crudelitas & ingratitudo donationem irritauerit. Remig. Hæc uocatio modo fit in conscientia, sed post fiet in iudicio. Mat. 20. Voca operarios, & redde illis mercedem suam. Quanq̃ multi nunc uocantem dominũ audire nolint. Prou. 1. Vocaui, & renuistis. in iudicio tamen, uelint nolint, audient. & sic uoluntas ipsius plerunq; hic cõtempta ab homine & non impleta, tunc implebitur de homine. Chryſ. Quando decem millia talentorum debebat, *non uocauit* eum seruum nequam, nec conuiciatus est, sed quando ingratus factus est, tunc ait: Serue, non *domine*, nequam, nociuus in proximum, & domino infidelis. Nonne ego dominus tantam summam tibi donaui, non ob aliud, nisi quoniã rogasti me? Non igitur par erat, ut tu conseruus conseruo paululum pecunię cõdonares, & supplicis misereris? Certe mea in te tam recens lenitas, te docere debuit lenitatem in conseruum. Ponit tria quæ ipsius aggrauabãt peccatum. Primum præcepti obligatio, quia oportuit. Mat. 7. Quæcunq; uultis ut faciãt uobis homines, & uos eadem facite eis. Naturalis inclinatio. Eccl. 13. Omne animal diligit sibi simile, & omnis homo ad similem sibi coniungetur. Eccl. 28. Homo homini reseruat iram, & à deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiã, & de peccatis suis deprecatur? Chryſ. Obstupescat cælũ, quoniam in ferarum mores humanum genꝰ detrusum

est. Diuinæ bonitatis imitatio. Sicut & ego dominus, tui serui misertus sum. Vbi & modum insinuat. Nam dimisit integraliter, quia omne. Omnium (inquit Ezech. 18.) iniquitatum ipsius nõ recordabor. Cordialiter, nam remisi. Matth. 5. Diligite inimicos uestros, & orate pro persequentibus & calumniantibus uos. Chrys. Si oderis inimicũ, amplius tibi nocuisti secundum animam, quàm illi secundum corpus. Illi enim nihil noces odiẽs illum, teipsum uero tuo odio absq; dubio lædis. Si autem peperceris inimico tuo, tibi amplius præstitisti quàm illi. Roma. 12. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis cõgeres super caput eius. Liberaliter, quoniã rogasti me. Non uendidit ut quidam, q pecunias uel magna exigunt seruitia. Sic Petro dimissum negationis peccatum. Luc. 22. Egressus foras, fleuit amarè. Sic publicanus, dicens: Deus, propicius esto mihi peccatori, descendit iustificatus, Luc. 18. Hinc admonet Apostolus Ephe. 4. Nolite cõtristare spiritum sanctum dei, in quo signati estis in die redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à uobis cum omni malitia. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & deus donauit uobis in Christo. Col. 3. Supportantes inuicem & donãtes uobismetipsis, si qs aduersus aliquem habet querelam: sicut & dominus donauit uobis, ita & uos. Chrys. Si graue uidetur damnum, aspicere oportet lucrum: si graue uidetur præceptum, cogita præmium: si graue sit remittere ei q te contristauit, hoc est grauius, incidere in gehennam. Nam iratus dominus, non passionis

Dimittendi varię circunstantię.

commotione, sed iustitiæ executione. Maxima aũt est pœna, nunq̃ uidere dominum placatum, sed dicentem Mat. 25. Ite maledicti in ignem æternũ. Sed qa nunq̃ reddet quod debet, ideo nũq̃ exibit. Nam pœnam quam nunq̃ soluet, semper patietur. Adhãc imaginem uobiscum aget pater meus cælestis. Illi nemo uestrum nõ debet plura, in quem nemo non frequẽter delinquit, & grauiter, quo maior est is in quem delinquit, quoq; maiora ab illo beneficia accepit. Peccant homines in homines, sed longe leuiora. Hieron. Formidolosa sententia, si iuxta nostram mentem sententia dei flectitur atq; mutatur. Si parua fratrib⁹ nõ dimittimus, magna nobis à deo non dimittẽtur. Et quia potest unusquisq; dicere, nil habeo contra eum, ipse nouit, habet deum iudicẽ, non mihi curæ est quid agere uelit, ego ignoui ei, confirmat sententiam suam, & omnem simulationem excludit fictæ pacis, dicẽs: Si non remiseritis de cordibus uestris. Sunt enim qui rogantium importunitate uicti, pacem magis simulant q̃ faciunt. Psal. 27. Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Pater meus, ait, non uester. Indigni enim tales sunt, qui deum habeant patrem, qui ore tm̃, non corde remittunt. Cogita ergo quãtum malum sit uindictæ cupiditas, quandoquidem donationem dei reuocat & irritat. Aug. Qui diuini bñficij oblitus, suas uult uindicare iniurias, non solum de futuris peccatis ueniam non merebitur, sed & præterita quæ sibi dimissa iam credebat, ad uindictam ei replicabuntur. Vbi enim homo hominis iniuriam seruat, deus liuoris & retentæ iniuriæ ulciscitur uenenũ, ut dicit Chrys. Iaco. 2. Iudicium sine

misericordia fiet ei, qui nõ fecit misericordiã. Eccĩ. 28. Qui uindicari uult, à dño inueniet uindictam, & peccata illius seruans seruabit. Chrys. Duo sunt quæ colligere possumus, ut scilicet nosipsos peccãtes cũ pemus, & aliorum peccata dimittamus. Nam q̃ sua cogitat, ad dandum conseruo ueniam, non ore solum, sed & corde facilior est. Si enim indulges, in ca put illi⁹ totum malum retorquetur, ac ipse mala pa tietur, non tu: sin uero grauiter feras, tunc non ab il lo, sed à temetipso detrimento afficieris: si ęquo ani mo tuleris, multa lucraberis. Primo, peccatorum re missionem. Eccĩ. 28. Relinque ꝓximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluẽtur. Deinde patientiæ & perseuerantię laudem. Eccĩ. 28. Memo rare testamentũ altissimi, & despice ignorantiã ꝓxi mi. Tertio, Mansuetudinẽ & humanitatẽ, ac cõmo dior eris amicis. Quarto, ipsis q̃q̃ inimicis ac æmu lis, etiam si dæmones sint, uenerabilis eris. Postre mo, quod omnium maximũ est, dei misericordiam cõsequéris: & quẽadmodũ peccator⁹ ueniã, sic uirtu tum maiora ꝑmia cõsequéris. Mat. 6. Si dimiseritis hoĩb⁹ peccata eor⁹, dimittet & uobis pater uester cę lestis delicta uestra. Eccĩ. 28. Memẽto nouissimor⁹, & desine inimicari. Ro. 12. Nulli malũ ꝓ malo red dẽtes. Noli uinci à malo, sed uince in bono malũ.

De non sequente, & dæmonia eĥciente, Mar. ix. Lu. ix.

ARTICVLVS LXXV.

RESpondẽs autem illi Iohãnes, dixit: Præceptor, uidimus quendam in nomine tuo eijciẽtem dæ- Lucæ. 9.

monia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illos Iesus: Nolite prohibere. Qui enim non est aduersum uos, pro uobis est.

Attende & admirare nominis Christi uirtutem, quomodo per indignos, & eos qui non erant discipuli, gratia operetur, & solum nominatum. Ita & q̃ sacerdotes, etiam si indigni fuerint, gratia operatur, & sanctificantur omnes. Nume. 6. Inuocabunt nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis. Sic Caiphas quum esset põtifex anni illius, prophetauit quod Iesus moriturus erat non solum pro Iudæis, sed & gẽtibus, Ioh. 11. Discipuli ergo adhuc rudes, quum uidissent quendam eiẽcientem dæmonia in Iesu nomine, inhibuerunt, quum non esset de numero duodecim, nec sequeretur Iesum. Incerti aũt an recte aut secus fecissent, dominũ adierunt. Mar. 9. Magister, uidimus quendam in nomine tuo eiẽcientem dæmonia, q̃ non seqtur nos, & prohibuimus eum. Iesus autem ait: Nolite prohibere. Nemo est enim qui facit in nomine meo uirtutem, & possit cito male loqui de me. Non est spectãdum an sequatur nos, sed an prædicet nomen nostrum. Quisquis enim miraculũ edit inuocato meo nomine, illustrat gloriam meam, sibiq̃ in posterum ius adimit male loquendi de me, cuius nomen expertus est tam efficax. Phil. 1. Dum omni modo siue per occasionem, siue per ueritatem annuncietur Christus, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Mar. 9. Quisquis enim potum dederit uobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico uobis, nõ perdet mercedem suam. Non solũ ergo facientes uirtutem

in nomine meo, non prohibeo: sed & si quis minimum quiddam dederit uobis pro nomine meo, & susceperit nõ pro humana gratia uel mũdana, neutiquam perdet mercedem suam.

De aduentu Christi in Iudæam, & non timenda morte, Mat. xix. Mar. x. Lu. xij.

ARTICVLVS LXXVI.

ET factum est cum consummasset Iesus sermones istos, migrauit à Galilæa, & uenit in fines Iudææ trans Iordanem, & secutæ sunt eum turbæ multæ, & curauit eos ibi. Mat. 19.

Postquã huiusmodi monitis satis instruxisset animos suorum aduersus tempestatem imminentem, uenit in locum ubi primũ docuerat Iohannes. Mox igitur & huc confluunt turbæ. Iam enim sic undiq; fama inclaruerat ipsius, ut nusquam posset latere. nec unquam ille fatigatur benefaciendo omnibus, sanandis corporibus, docendis animis. Marc. 10. Et sicut consueuerat, iterum docebat eos.

Multis autem turbis concurrentibus, ita ut seinuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: Attendite à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis. Nihil enim opertum est quod non reueletur, neq; absconditum quod non sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aure locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Luc. 12. C

Quàm pernicioſa & uana sit res hypocrisis, & ecõtra salubris ac uictorioſa ueritas, ostendit. Nam

phariſæi ipſum uenari tentabant in ſermone & operę re, ut turbas ab illo auerterent. at res in diuerſum euenit. ſic fortis eſt ueritas, & dolus infirmus. Qm̃ dominus nouit inſanabilem eſſe malitiam phariſæorum & ſcribarum ac legiſperitorum, uoluit palàm illorum hypocriſim traducere, ne quis incautus eorum ſimulatione falli poſſit, iam tum multis turbis circunſtantibus & appropinquantibus. Luc. 6. Oĩs turba quærebat eum tãgere, quia uirtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Cauete ab hypocriſi in phariſæis regnante, quę mentem uehementer excæcat, & acerba ſit, & plena ueteris malitiæ, & transformet corrumpatq; ſecum hominum mentes quibus admixta fuerit. 1. Cor. 5. Neſcitis quoniam modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Tales ergo eſſe ſtudeatis, quales haberi uultis. Nihil poſthac tu catum diu latere poterit. Veniet tempus quod in apertum proferat & ueſtram innocentiam, & illorum malitiam, qui uos modo ſeductores ac maleficos calumniantur. Omnia enim uerba & cogitationes, nudæ ante iudicem in ſupremo illo die apparebunt: quin & in præſenti uita, multa eorum quæ occultantur, manifeſtari ſolent, quantumcunq; tegantur hypocriſi. 1. Timo. 5. Quorundam hominũ peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad iudicium, & quorundam autẽ & ſubſequuntur. ſimiliter & facta bona manifeſta ſunt, & quæ aliter ſe habent, abſcondi non poſſunt. Veniet em̃ dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, 1. Cor. 4. Quid ergo? Tũc (inquit) laus erit unicuique à dño. Beati ergo quorũ remiſſæ ſunt iniqtates, & quorũ tecta ſunt peccata, Pſal. 31. Quare

curate ut omnis uita uestra fuco careat, neq; quicq̃ dicatis faciatisve, aut cogitetis etiam soli, quod nolitis ab omnibus sciri.

Dico autem uobis amicis meis: ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quod faciant. Ostendam autem uobis quem timeatis. Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico uobis, hunc timete. Nonne quinq; passeres ueneunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivione coram deo? Sed & capilli capitis uestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere. multis passeribus pluris estis uos.

Non omnibus sermo ille congruit, sed his qui ex toto corde diligunt deũ, & dicere possunt illud Ro. 8. Quis nos separabit à charitate dei, quę est in Christo Iesu? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sicut scriptum est Psal. 43. Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neq; mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neque profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu dño nostro. Offendet ueritas homines impios fucatos imagine pietatis, sed nullius mali metus abducat uos à syncera prædicatione ueritatis euangelicæ. Extremum malorum est ut occidant, sed corpus duntaxat. At non moritur, qui mea causa occiditur. Est timor naturalis, quo naturaliter quis mala timet pœnæ. Timor duplex.

Sic dominus cœpit pauere & tædere, Marc.14. Hic ratione moderandus. Alter mũdanus, carnalis, quo immoderate corporis damna timentur & rerum, de quo hic. Chryſoſtomus: Oñia mala operatur timor, & omnia bona contemptus mortis. Si gratis poſt modicum morituri ſumus, quare non ante modicum in cauſa dei cum gloria morimur, ut fiat uoluntarium, quod futurum eſt neceſſarium? Non refert quàm diu uixeris, ſed quàm bene. Feliciter hinc exit, qui ob nomen Chriſti mortem oppetit. Nec id fiet ante tempus à patre præfixum nobis, ut nihilo diutius uicturi ſimus, etiam ſi maxime nos diſcruciaret metus mortis. Hinc Eſa.51. Nolite timere opprobrium hominum, nolite timere blaſphemantiũ rabiem. Quod ſi metum adhibere placet in conſilium, æquum eſt ut leuior metus cedat maiori: & ille potius timeatur, qui totum hominem nutu poteſt perdere. Eſa.8. Dominũ exercituum ipſum ſanctificate, ipſe pauor ueſter, & ipſe terror ueſter. Eccl. 33. Timenti deum non occurrent mala, ſed in tentatione deus illum conſeruabit, & liberabit à malis. Prou.28. Beatus homo qui ſemper eſt pauidus. Ne ſcilicet incidat in malum culpæ, qui timor eſt filialis. Pſal.110. Initium ſapientiç timor domini. Sed q timet hominem, cito corruet, Prouer.29. Animam immortalem poſſeſſionem, immortalibus ſubijcit pœnis, ijſq; ardentibus. Scito hoc loco, quod peccatoribus mors ad ſuppliciũ infertur, & in hac uita puniuntur quum occiduntur, & in alia quũ in gehennã conijciuntur. Vide aũt quod nõ dixit, mittit, ſed poteſtatem habet mittẽdi. Non enim ſemper qui moriuntur peccatores, mittũtur in gehennã, ſed ſunt in

potestate dei, ut etiam dimitti possint. Hoc aũt dico, propter oblationes & distributiones quę fiunt pro defunctis, quę non parꝝ conducũt his qui nõ in grauibus peccatis mortui sunt. Ostendit non timendã mortẽ ex consideratione prouidentiæ diuinæ. Nã qui est creator, & omnia nouit, ac numerata habet etiã minutissima, distribuit unicuiq; quod suæ mensuræ congruæ, sufferendi uires. Sapi. 12. Non est em̃ alius deus q̃ tu, cui cura est de omnibus. Tu aũt dominator uirtutis cũ tranquillitate iudicas, & cũ magna reuerentia disponis nos. Subest enim tibi, cũ uolueris, posse. Neq; ergo quicq̃ perit etiam uilissimorum animantiũ, nescio patre. Vos aũt, quos ex om̃ibus paucissimos delegit ad illustrandã sui nominis gloriam, adeò non negligit, ut oẽs etiam capitis uestri pilos habeat numeratos. Si itaq; passer cui⁹ precium uilissimum est, diuinæ ꝓuidentiæ moderamine incipit, defluit & desinit, quũ sit dei creatura, quãto magis homo, cuius precium sanguis est Christi, qui & ad imaginem dei creatus est? Iob. 5. Nihil in terra sine causa.

Dico autem uobis: omnis quicunq; confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum corã angelis dei: Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis dei.

Nolite itaq; metu malorꝝ, quæ possunt hoĩes hominibus inferre, desciscere à ꝓfessione nominis mei, memores, per has tẽporarias afflictiões iter esse ad felicitatem ęternã. Quisquis nomen meum professus fuerit hic coram hominibus, quod apud mundũ erit inuisum & execrabile, ꝓfitebor ego illum, quũ 3

proferet filiꝰ dei maiestas corã angelis dei, cõdigne à me Christianũ uocatũ, qua propter & regni ipsum faciã participẽ. Ro. 10. Corde enim creditur ad iustitiã, ore aũt fit confessio ad salutẽ. Apo. 2. Esto fidelis usq; ad mortẽ, & dabo tibi coronã uitæ. Qui aũt negauerit tam uerbis q̃ factis. Sunt enim qui confitẽtur se nosse deum, factis aũt negant, Tit. 1. ego omnium iudex, protestabor in iudicio tam parui q̃ ipsius, q̃ generali omnium, non pertinere ad me. Iuuisimo di. 2. Timo. 2. Nouit dominus qui sunt eius. Si quis autẽ ignorat, ignorabitur, 2. Cor. 14. Mat. 7. Amen dico uobis, nescio uos, discedite à me oĩes qui operamini iniquitatem.

Et omnis qui dicit uerbum in filium hominis, remittetur illi. ei autem qui in spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur.

Irremissibile quotuplex.

Me uident hoiem dormientẽ, esurientẽ, uidebunt & morientẽ. ignosci potest, si qd in me dicunt, q̃d in hoiem potest cõpetere. Cæteꝝ q̃ inuidia corrupti, tribuunt ea facta spiritui Beelzebub, quæ sciunt esse uirtutis diuinæ, & deũ fraudãtes sua gloria, & in impios dæmones transferentes quod dei est, hæc nimirum est diabolica malitia: q̃ ideo nõ impetrabit ueniam à deo, quanq̃ ad miserendũ ꝓpensissimo, quia nescit pœnitere. Obserua irremissibile dici trifariã. Negatiue, quod nullo modo est remissibile, ut peccatũ dæmonũ & damnatoꝝ æternaliter. Priuatiue, quod non habet aptitudinẽ ut remittatur: sic omne mortale peccatũ dicitur irremissibile. Contrarie, q̃d habet dispositionẽ cõtrariam remissibilitati: sic peccata in spiritum sanctũ excludũt ea, quibus remissio

fit culparum, hoc est, misericordiam & gratiam diuinam, impugnando agnitam ueritatem.

Cum autem inducent uos in synagogas, & ad magistratus & potestates, nolite soliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim sanctus docebit uos in ipsa hora, qd oporteat uos dicere.

Duplex nostra infirmitas: nam uel ppter timorē pœnarū martyrium fugimus. hinc dixit nō metuendos q̄ corpus occidūt, quū animā immortalē occidere nō possint, Matt. 10. uel ob simplicitatē: ob id dicit, nō nos, sed spūs sanctū tunc locuturū. Nam alius tunc concionandi modus, & nō nostrū, sed dei bellū est. Quanuis aūt estis, air, idiotæ, tenues & humiles, non est q̄d metuatis mundi tumultū aduersum uos. Sufficit spiritus dei benignus ac simplex, aduersus oēm uel fraudē uel uiolentiā huius mūdi. Ro. 8. Ipse spiritꝰ adiuuat infirmitatē nostrā. Semp erit in prōptu ueritatis simplex oratio: hāc, q̄ties erit opus, suppeditabit uobis spūs sanctus. Lu. 21. Ego dabo uobis os & sapientiam, cui non poterūt cōtradicere & resistere oēs aduersarij uestri. Hinc de Stephano legimus Actu. 6. Non poterant contradicere sapientiæ & spiritui qui loquebatur. Et Act. 4. Videtes Petri & Iohannis constantiam, comperto quòd homines essent sine literis & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos qm̄ cum Iesu fuerant.

Ait autem illi quidam de turba: Magister, dic fratri meo, ut diuidat mecum hæreditatem. Et dixit ei: Homo, quis me constituit iudicem & diuisorem super uos. Dixitq; ad illos: Videte & cauete ab omni aua-

ritia, quia non in abundãtia cuiusquam uita eius est ex ijs quæ possidet.

Quemadmodum terror iudiciorum nonnullos transuersos abduxit à synceritate professionis euangelicæ, ita multos pecuniæ studium corrũpit. Quũ enim esset frequentissima turba circa Iesum, neque quisquam antehac tam humilem ausus fuisset ab illo rem petere, hic auaritiæ stimulatus morbo, irrupit. Dominus autem docere uolens contẽnere temporalia, & in his non multum occupari, neq; ob hęc contendere cum fratribus, sed magis cedendũ auaritiæ, ait: Quis me constituit iudicem inter uos, diffidẽtes de re leui ac mox peritura? Ambrosius: Non dignatur iudex esse litium, aut arbiter facultatum, q̃ uiuorum & mortuorum habet iudicium. An mundus hic non habet iudices suos, qui lites tam humiles dirimant? Mihi non est delegatum, ut hic aut ille ditescat hæreditate, sed ut oẽs pueniant ad ęternã hæreditatẽ. 2. Tim. 2. Nemo militans deo, implicat se negocijs secularib⁹, ut placeat ei cui se probauit. Act. 6. Non est æquũ nos derelinquere uerbũ dei, & ministrare mensis. Hinc Apostolus 1. Cor. 6. Iã qdẽ oñino delictũ est inter uos, q̃ iudicia habetis. Quare non magis iniuriã accipitis? q̃re nõ magis fraudem patimini? Sed uos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. An nescitis q̃ iniqui regnũ dei non possidebunt? Matt. 5. Ei qui uult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte & pallium. Deinde uersus ad discipulos accæteros qui aderant, cœpit eos exemplo dehortari interpellatoris à studio diuitiarum, non q̃ per se malę

sint, sed q̄ in his præcipuum uitæ præsidium ponere, & harum studio à melioribus, & ab his quæ ad ęternam pertinent felicitatem, reuocari, stultitia sit. Cauete, inquit, ab omni auaritia, tanq̄ à diaboli fomento. 1. Tim. 6. Nam qui diuites fieri uolunt, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix em̄ oīm malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem homo dei hæc fuge. Eccl. 10. Auaro nihil est scelestius. Nihil est iniquius q̄ amare pecuniam. Hic enim uenalem habet animam suam, q̄niam in uita sua proiecit intima sua. Est enim auaritia immoderatus amor temporalium. Frequenter enim sub prætextu necessitatis ac prouidentiæ, obrepit triste uitium, quod semel admissum, abducit hominem in omne uitium. Non enim abundantia facit felicitatem, sed potius ad solicitudinem & contemptum eorum quæ uel sola quærenda sunt. Sīq̄ dē naturæ necessitas exiguo placatur. Seneca: Quæris quis sit diuitiarum modus? primo habere quod naturæ est, secundo, quod satis est. Nulli secura potest contingere uita, qui de prouidenda re nimis solicitatur. Neq̄ enim q̄ multa possidet, diutius uiuit: neq̄ comitatur diuitiarum multitudinē uitæ lōgæuitas. Cur igitur affligeris manifeste pro incerta q̄ te? Hinc auaritia idolorum dicitur seruitus, Eph. 5. Sed conquerit dn̄s per Esa. 1. Oēs diligunt munera, sequuntur retributiones. Hiere. 6. A minore q̄ppe usq̄ ad maiorem, oēs auaritiæ student: & à prophe ta usq̄ ad sacerdotem, cuncti faciunt dolum.

Auaritia quid.

De diuite fructuum abundantiam habente, & inutili solicitudine, Lu. xij.

ARTICVLVS LXXVII.

Lucæ. 12. D

DIxit autem similitudinem ad illos, dicẽs: Hominis cuiusdam diuitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, et dicam animæ meæ: Anima mea, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.

Vide quomodo describit nobis insatiabilis stulti diuitis cogitatiões. Deus em̃ sua bonitate dedit hubertatẽ fructuũ, ut sunt annui ꝓuẽtus impares: uce deus occulto suo iudicio ac iusto & malis ꝓspera cõcedit, quo sua munificẽtia ipsos ad sui imitationem ut sint misericordes, inducat. Verum hic tam immisericors erat, ut anteq̃ ea recepisset, clauderet. Nihil interim cogitauit de subleuanda ꝓximorum egestate, non de erogãdo. Ait apud se: Annonæ hubertas maior est, q̃ horrea mea sufficiant recondẽdis ijs q̃ ꝓuenerunt. Vide nũc diuitiarum uoluptates. Quid enim lucramur ex eo ꝙd plura congregamus? Quietem enim non lucramur. id manifestum à curis. tm̃ autem peccatorum multitudinem nobis accumulamus. Aug. Dines auarus oẽm formidat hominem. uidet diuitem, & putat prędonem: uidet pauperem, & suspicatur furem. Quod si charitatem adhibuisset in cõsilium, quum sic æstuaret animo, dixisset

illi: Circunſpice q̃ multis deſit quod tibi ſupereſt. Agnoſce cui etiam debeas anni tui iſtã felicitatem. Sortem indulſit de⁹, unde colligas uſuram operum cæleſtium. Sed quoniam ſtultitiam & incogitantiam maluit adhibere in conſilium, huius impulſu dixit: Deſtruam horrea. Vide inſatiabilem ſtultitiam. Quod ſi regio plures in poſterum fructus attulerit, iterum illa deſtruemus, & alia ædificabimus. Et q̃ utiliras deſtruendi & extruendi? Habes pauperum uentres horrea, quæ multa capere poſſunt, quæq; incorruptibilia ſunt, cęleſtia eñ ſunt & diuina; quando q̃dem q̃ paſcit pauperẽ, paſcit deum. Vide & aliam inſipientiam. Illuc, inquit, cõgregabo, ne qd pereat eorum q̃ nata ſunt mihi, quaſi non eſſent dei dona, nec alĩs communicanda. Ambro. Non ſunt bona hoĩs, q̃ ferre ſecũ non poteſt. Greg. Non eſt hoĩs terrena poſſeſſio, ſed cæleſtis. Conſtabilitis aũt & intuto poſitis oĩbus, ſecurus oĩm dicam. Hæc cæcitas auaroꝝ, q̃ ſibi longã ꝓmittũt uitã. Iac. 4. Ecce nũc q̃ dicitis, hodie aut craſtino ibim⁹ ad illã ciuitatẽ, & faciemus ibi q̃dem annũ, & mercabimur, & lucrũ faciemus, q̃ ignoratis qd erit in craſtinũ. Quæ eñ eſt uita noſtra? Vapor eſt ad modicũ parẽs. Tanguntur q̃tuor uitia diuitias cõcomitãtia. Ocioſitas, reqeſce. Guloſitas, comede. Ebrietas, bibe. Voluptas, epulare. Euge q̃les aĩæ diuitis affectiones. Nã comedere, bibere, irrationalis aĩę eſt bonũ: igit̃ quũ talẽ ſortit⁹ ſit aĩam, merito ei talia tribuit. Rationalis aĩæ bonũ, eſt intelligere, ratiocinari, lætari in lege dñi & in bonis cogitationib⁹. Indicauit aũt dñs clarè affectiones libidinoſas & intẽperatas, q̃ ſatietatẽ ciboꝝ & potuũ comitãt. Vere prudẽtia carnis, mors eſt. Ro. 8.

Vitia uitias comitantia, quot.

Dixit autem illi deus: Stulte, hac nocte repetent à te animam tuam: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in deum dives.

2 Hoc somnium diutinę felicitatis quum dives ille uersaret in animo, uenit subito ad illum uox: Stulte, quum ipsa uita tua tibi sit incerta, quur recondis in multos annos, quum his quæ reponis, frui non possis nisi in hac uita, quæ nulli uel ad unum diem certa est? Quo ergo pacto non est insipiens, qui ignorat uel cogitare negligit, q; uitæ mensura apud solũ deum sit, nec sibi qsq; suam uitam definire possit? Repetent, inquit, sicut exactores terribiles, te etiam inuito, utpote ꝓpter uitæ præsentis immodicũ amorem reluctante. A iusto non repetitur anima, sed ille gaudens eam commendat domino, utpote cupiens dissolui & esse cum Christo, Phi. 1. Nocte autem repetent, quia non habet lumen diuinæ scientię sibi fulgens: sed quũ est in nocte cupiditatis diuitiarum, & ab illa obtenebratur, morte cõprehẽditur. Eccẽs 9. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo superuenerit. Sic Nabuchodonosor in aula Babylonis ambulans, & dicens, nõne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domũ regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriam decoris mei? cum sermo adhuc esset in ore suo, uox de cælo uenit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, regnũ tuum transibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum bestijs & feris erit habitatio tua. Cuius erunt parata? Certe non tua erunt. Hæredi oportet relinquas,

aut si quis alius occupet. Psal.38. Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanq̃ nihilum ante te. Veruntamen uniuersa uanitas, oñis homo uiuens. Veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur. Thesaurizat, & ignorat cui cõgregabit ea. Eccl.11. Est qui locupletatur parce agẽdo: & hæc est pars mercedis illius in eo quod dicit, Inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus: & nescit quod tempus prætereat illum, & mors appropinquet, & relinquat omnia alijs, & moriatur. 1. Tim. 6. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus. In deum non est diues, qui proprię utilitati, & non dei honori & uoluntati, qui in suis membris cupit refocillari, consulere studet. Bed. In deum dines est, qui sua pauperibus distribuit. Ambro. Sola uirtus, comes est defunctorũ. sola nos sequitur misericordia, quæ defunctis tabernacula promeretur æterna. Luc. 16. Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Psal. 75. Turbati sunt omnes insipientes corde, dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus suis.

In deum non diues quis.

Dixitq; ad discipulos suos: Ideo dico uobis, nolite soliciti esse animæ uestræ quid manducetis, neq; corpori uestro qd induamini. Anima enim plus est quàm esca, & corpus plus quàm uestimentum. Considerate coruos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellariũ neq; horreum, & deus pascit illos. Quanto magis uos pluris estis illis? Quis autem uestrum cogitans, potest ad staturam suam adijcere cubitum

unum? Si ergo nec quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis?

3 Quemadmodum diabolus à paruis incipit, ut in graviora mala faciat incidere, ita e diverso dñs resolvit eius opera. 1. Ioh. 3. In hoc apparuit filius dei, ut dissoluat opera diaboli. Primum em̃ magna peccata fugat, deinde etiam principia eor̃ ostendit. Hinc auaritia prohibita, eius radicem solicitudinem amputat. Obserua esse solicitudinem stultitiæ, qua qs anxie cruciatur, quasi nõ sit prouidentia diuina. Hãc ablegat hic dñs. Pro. 11. Expectatio solicitorum peribit. Phi. 4. Nihil soliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones uestræ innotescant apud deum. Altera prudentiæ, qua temporalia ad spiritualia ordinantur. Ro. 12. Qui præest, in solicitudine. Solicitudinem à deo retrahentem resecat & abducentem. Non enim talis solicitudo, solis necessarijs contenta est, sed semper amplius quærit & maius. Qui aũt laborat, & spem in deo ponit, is citra talem solicitudinẽ uiuit. Psal. 127. Labores manuum tuarum qa manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Anima preciosior est cibo, quam q̃ sine cibo non durat in corporis domicilio. Quia ergo absq; nostra solicitudine nobis corpus dedit & animam, & de cibo & tegumento prouidebit non solicitis, q nec irrationalia prouisione sua destituit. Psal. 103. Omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente aũt te faciem, turbabunt: auferes spm̃ eorũ, & deficiẽt, & in puluerẽ suum reuertentur. Iob

38. Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad deum, uagientes eo ꝙ non habent cibos? Quid quod non solum diffidentiæ est, sed & stultitiæ, anxie distorqueri cura rerum huiusmodi? Stultum ẽ̃ est, solicitudine nihil profutura discruciari. Nemo solicitudine sua uitam suã reddet uno die longiorem. Quid, ꝙ neq; corporis modus quidem aut figura nobis in manu est?

Considerate lilia quomodo crescunt: nõ laborãt, neq; nent. Dico autẽ uobis, quia nec Salomon in omni gloria sua uestiebatur sicut unum ex istis. Si autẽ fœnum quod hodie in agro est, et cras in clibanum mittitur, deus sic uestit, quanto magis uos pusillæ fidei? Et uos nolite quærere qd mãducetis, aut qd bibatis: et nolite in sublime tolli. Hæc enim oĩa gentes mundi quærũt. Pater aũt uester scit quoniam his indigetis. Veruntamẽ quærite primũ regnũ dei, et iustitiã eius, et hæc omnia adiscientur uobis.

Lilia sine omni humano crescũt adminiculo, nec tñ Salomon in omni statu suo inclyto & glorioso, eorum pulchritudini comparari potuit. Beda: Quę regum purpura, quæ pictura textricum floribus in pulchritudine comparari potest? Si deus tanta prouidentia uestit herbam, etiam uulgo nascentem, & mox perituram, & quę hodie uiret in agro, cras arefacta conijcitur in clibanum: quanto magis uos sinet esse nudos, ò parum fidentes? Scit enim pater uester, quod his quæ pertinent ad corporis alẽdi regendiq; necessitatẽ, indigetis. Si pater, quomodo ergo nõ daret? Nam scit, quomodo enim ignoraret?

Sed & quibus opus habetis, quare non dabit superflua. Heb. 15. Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus. ipse enim ait: Non te deseram, neq; derelinquam. Psal. 54. Iacta super dominum curam tuam, & ipse te enutriet. 1. Pet. 5. Humiliamini sub potenti manu dei, ut uos exaltet in die uisitationis, omnem solicitudinem proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de uobis. Aug. Scit cælestis medicus, quid nobis daturus sit ad consolationem, quidve subtracturus sit ad exercitationem, Sic Iob & Tobiæ temporalia ad tempus subtraxit. Tob. 12. Quia acceptus eras deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Videat sibi quisq; , an ad Christum, uel gentes mundi pertineat, q̃ diligunt ea quæ mundi sunt. Prima ergo cura sit promerendi regni dei, huius iustitiam ante oĩa quærite, sitam in his rebus quæ docui uos ante: & toto animo hoc agite, quod est omniũ maximum: temporalium solicitudinem reiscite ab hoc abducẽtem, & nolite in sublime tolli. Ro. 11. Noli altum sapere, sed time. 1. Tim. 6. Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in deo uiuo, q̃ præstat nobis omnia abunde ad fruẽdum. Psal. 36. Iunior fui, etenim senui, & non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Plura de his q̃re supra Articulo. 26. 43.

Lucæ. 12. E

Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri uestro dare nobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite uobis sacculos q̃ non ueteraſcunt, thesaurum non deficientem in cælis, quò fur non appropiat, neq; tinea corrumpit. Vbi enim thesaurus uester est, ibi & cor uestrum erit.

Ostendit q̄ magni apud deum sint meriti, q̄ sibi ipsis per humilitatem, & mundo ob simplicitatem uilescunt. Ne qua uos res, inquit, terreat pusille grex. Pauci estis, humiles estis, idiotæ estis, nullis opibus, nulla potentia, nullis armis, nullis copijs instructi estis, aduersus mundum hunc impium, & omni genere machinarum in uos cooriturū: non est tamen quod formidetis. Sic complacitum est patri uestro, reiectis potētibus, doctis & elatis, uobis iuxta mundum abiectissimis dare regnum hoc, quod arcanis opibus animorum, quod cælestibus præsidijs inuictum est. Iac. 2. Nonne pauperes elegit deus in hoc mundo, diuites in fide & hæredes regni, quod repromisit deus diligentibus se? 1. Cor. 1. Videte uocationem uestram fratres, quia nō multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit deus, ut cōfundat sapientes: & quæ infirma sunt mundi, elegit deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit deus, & ea quę non sunt, ut ea quę sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius. Luc. 1. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Superbo enim angelo cum suis deiecto, subuexit in locum humiles, Iob. 5. Qui ponit humiles in sublimi, & mœrentes erigit sospitate. Omnem ergo à suis aufert diffidentiæ occasionem. Qui enim regnum dare uult cęlorum, terrena necessaria non negabit. Obserua q̄ pusillis, complacitum est patri dare, non superbis. Matt. 11. Confiteor tibi pater domine cæli & terræ, qa abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Si ergo

deus pro nobis, quis contra nos? Ro. 8. Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam omnia nobis cum illo donauit? Ephe. 1. In quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, q̃ est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laude gloriæ ipsius. Sic nonnunq̃ diuino iudicio & hic humiles, superbis electis, in regni fastigiũ subuehũtur. Eccl. 10. Sedes ducum superborum destruxit dominus, & sedere fecit humiles pro eis. Vnde 1. Reg. 15. Nonne quum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribub⁹ Israel factus es? Pro eo ergo quod abiecisti sermonem domini, abiecit te dominus ne sis rex. Hinc in locum est electus ipsius, humilis Dauid, qui ait 2. Reg. 6. Ludam & uilior fiam plusq̃
2 factus sum, & ero humilis in oculis meis. Non possunt diuitiæ magis in tuto collocari, non possunt maiore certioreq; cum fœnore collocari, q̃ in usus pauperum. Qui enim dat eleemosynã, deo fœneratur. Pro. 19. Fœneratur domino qui miseretur pauperis, & uicissitudinem suam reddet illi. Qui nõ potest falli, & ut diues est ac benignus, pro uilibus reddet preciosissima, pro terrenis cælestia, pro fluxis ac mox auferendis æterna. Luc. 16. Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Hinc Nabucho donosor ait Daniel: Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas eleemosynis pauperum, Daniel. 4. Obserua quod ait, quæ possidetis, non quæ rapuistis. Eccl. 34. Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui uictimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium, uita pauperis est:

quĩ defraudat illum, est homo sanguinis. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Ideo Prouer. 3. Honora dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus: & implebuntur horrea tua saturitate, & uino torcularia redundabunt. Basilius: Si fateris temporalia tibi diuinitus prouenisse, an iniustus est deus, inæqualiter nobis res distribuens? Cur tu abundas, ille uero mendicat, nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille uero patientiæ brachio decoretur? Hinc Iob. 31. De uellcribus ouium mearum calefactus est pauper. Sic Zachæus ait Lu. 19. Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Vide Articu. 96. I. 3. Persuadet rationibus quibus contradici non potest. nam in cælo corrumpi nõ possunt, neq; per furem tolli quæ non corrumpuntur, ut aurum & argẽtum. Sacculos, ait, non ueterascentes. Quod eñ antiquatur & senescit, prope interitum est. Heb. 8. Vnde Aggæi. 1. Et qui mercedes congregat, misit eas in sacculũ pertusum. Eccẽs. 5. Auarus non implebitur pecunia. Thesaurum non deficientem. Matth. 19. Vade & uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Sed sunt qui non in cælo, sed in terra thesaurizant. Baru. 3. Qui argentum thesaurizãt & aurum, in quo confidunt homines, & nõ est finis acquisitionis eorum: qui argentum fabricant, & solliciti sunt, nec est inuẽtio operum illorum, exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum exurrexerũt. Sed nihil proderũt thesauri impietatis. Iustitia uero liberabit à morte, Prouerbi. 10.

Hinc admonet Eccūs 29. Pone thesaurū tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis q̄ aurum. Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Sap. 7. Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ dei, propter disciplinæ dona commendati. Loquitur de sapientia. His opibus ergo dite scere studete. Tertium addit, quia istuc ipsum, habere cor addictū thesauro corruptibili, & animam quæ diuina est possessio, inñcere terræ, per se quanto supplicio fuerit dignum? Quod enim quis uehementer amat, eius non potest obliuisci, cum ibi cor suum habeat. Aug. Anima plus est ubi amat, quàm ubi animat. Psalm. 72. Quid enim mihi est in cęlo? & à te qd uolui super terram? Deus cordis mei, & pars mea deus in æternum. Felix qui illo thesaurum suum collocauit. Mat. 13. Simile est regnū cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius uadit, & uendit uniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Hoc inuento, patres relicta patria peregrinati sunt in terra non sua. Heb. 11. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hoc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utiq; tempus reuertendi. Nunc autem meliorem appetunt. i. cælestem. Fide Moses grandiusculus factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligēs affligi cum populo dei, q̄ temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimās thesauro

ægyptiorum improperium Christi, aspiciebat em̃ in remuneratorẽ. 2. Tim. 4. Bonum certamẽ certaui, cursum cõsummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quã reddet mihi dñs in illa die, iustus iudex. Non solum autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius. Sed ubi reposita? 1. Per. 1. Bñdictus deus & pater dñi nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam, regenerauit nos in spem uiuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorrupti bilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, cõseruatam in cęlis, in uobis qui in uirtute dei custodimini per fidem, in salutem paratam reuelari in nouissimo tempore. In q̃ exultabitis, modicum nunc si contristari oportet in uarijs tentationibus, ut ꝓbatio uestræ fidei multo preciosior sit auro quod p ignem ꝓbatur. Ibi ergo merito cor nostrum. Pro. 23. Prębe mihi fili cor tuum. Si ibi esset cor, haud dubium quin & uerba & opera. Luc. 6. Bonus homo, de bono thesauro cordis sui profert bonum. Phi. 3. Nostra conuersatio in cælis est. Et digne quidem. Eph. 2. Non estis hospites & peregrini, sed estis ciues sanctorum & domestici dei. Sed Lu. 6 Malꝰ homo de malo thesauro profert malum. Mat. 12. Progenies uiperarũ, quomodo potestis bona loq̃ cum sitis mali? Phi. 3. Quorum deus uenter est, & gloria in confusione ipsorum, q̃ terrena sapiũt. Ob id admonet Col. 3. Si consurrexistis cum Christo, quę sursum sunt q̃rite, ubi Christus est in dextera dei sedẽs: q̃ sursum sunt sapite, nõ q̃ super terram. In ipso em̃ sunt oẽs thesauri sapientiæ & scientiæ recõditi, Col. 2. Ideo Phil. 3. Verunt̃ existimo oĩa detrimentum

esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi dñi mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.

F *Dicebat autem ad turbas: Cum uideritis nubẽ oriẽtem ab occasu, statim dicitis: Nimbus uenit, & ita fit. Et cum austrum flantem, dicitis q̃a æstas erit, & ita fit. Hypocritæ, faciẽ cæli & terræ nostis probare: hoc aũt tempus quomodo non probatis? Quid aũt & à uobismetipsis non iudicatis quod iustũ est?*

Dominus conuersus ad turbas, ait: Quur nõ præparatis animos uestros regno dei quod in proximo est? Quemadmodum aëris qualitates cognoscitis, sic oportebat & meum aduentum cognoscere, ex ijs quæ dicuntur & quæ à me fiunt. An non sentitis tot indicijs rerum imminere? O hypocritæ, omnia uestra fucata sunt, qualis est uestra sanctimonia, talis & scientia. In his quæ sunt huius mundi, sapitis: in his quæ sunt æternitatis, nihil sapitis. Obseruatis faciem cæli & terræ. Scitis quid propheræ promiserunt, uidetis & auditis tanta & tam multa quæ geruntur, & dicuntur inter uos, & nondum ex uobis ipsis coniectatis adesse tempus promissum. Genes. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Daniel. 9. tempus ponitur hebdomadarum. Esa. 35. Deus ipse ueniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cęcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorũ. Ioh. 15. Si non uenissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Si opera nõ fecissem in eis quæ nemo alius fecit, pec

catum non haberent. Nunc aũt & uiderunt & oderũt & me & patrem meum. Orig. Niſi eſſet nobis naturaliter inſitum, iudicare quod iuſtum eſt, nunq̃ ſaluator iſtud proſecutus fuiſſet, quare nõ ex ſeipſis iudicarẽt hoc. Sic Apoſtolus Ro. 2. Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptũ in cordibus ſuis, teſtimoniũ reddente illis conſciẽtia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium aut etiã defendentiũ in die, cũ iudicabit deus occulta hoĩm ſecundũ euangeliũ meũ p Ieſum Chriſtũ.

Cum aũt uadis cũ aduerſario tuo ad principẽ, in uia da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicẽ, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerẽ. Dico tibi, quia nõ exies inde, donec etiam nouiſsimum minutum reddas.

Si res eſt, & impedit, uende: ſi quis læſit, condona potius q̃ ius tuum perſequaris. Præſtat uel iniqs cõditionibus finire litem inter uos, quàm incertum euentum iudiciorum experiri, ubi non ſemper ſuperior eſt cauſa quæ melior eſt. Primum ergo expende, quanto plus lucri ſit in condonanda iniuria, quàm in perſequenda: in deferenda re, quàm in uindicanda. Primum lucrifeceris amicitiam, quæ ſuſcepta lite periclitatur: deinde temporis compendium facis, quod erat tibi non parum multum in lite periturum. Ad hæc animi tranquillitatem, quam lites adimere ſolent, lucraris. Poſtremo uitas quicquid malorum adferre poteſt infelix litium exitus. Greg. & Beda ſacram accipiunt ſcripturam, quę

prauis noſtris aduerſatur affectibus. Iohan.12. Qui ſpernit me, & non accipit uerba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die. Auguſtinus: Conſcientiã malis remurmurantem. Dicit enim hæc dominus, exterrens craſſiores, & ad pacem faciendam cogens, ſciens quod eos qui terreſtres ſunt, metus damni & ſuppliciorum plus emendat.

De Galilæis & ficulnea, Luc. xiij.

ARTICVLVS LXXVIII.

Luc.13. G

ADerant autem quidam illo in tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificijs eorum. Et reſpondens, dixit illis: Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non, dico uobis: ſed niſi pœnitentiam egeritis, ſimiliter omnes peribitis. Sicut & illi decem & octo, ſuper quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quod & ipſi debitores fuerunt præter omnes homines habitantes in Hieruſalem? Non, dico uobis: ſed ſi non pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.

Dum promiſcuæ multitudini dominus loquere tur, præmijs inuitans ad officium pietatis, ſuppliciſs territans, nullumq; non mouẽs lapidem, ut animos auditorum accenderet ad melioris uitæ ſtudium, commodum aduenere, qui rem nouam & horrendam auditu nunciarent. Credebant ipſum ignorare, qui omnia nouit. Heb. 4. Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Quoniam enorme erat quod illi g-

petrarant, ad terrorem omnium horrendo supplicio puniti sunt, Actu. 5. Solet autem uulgus execrari sic damnatos, sibiq; plaudere quod tale nihil patrarit, quum sæpe plusor ille sceleratius malus sit, q̃ illi quorum manifestum scelus publico supplicio fuit expiatum. Iesus ergo uolens huius exempli ad omnes peruenire terrorem, ait: non satis est uos nõ admittere quod admiserunt illi, ab omnibus peccatis resipiscendum est. Et ne spem impunitatis uobis faciat ultio dilata, nisi mature resipueritis, subito ueniens opprimet uos, quemadmodum nuper illi 18. ruina turris oppressi sunt in Siloa. Siloa fons erat in Hierusalem, Iohan. 9. Esa. 8. Docemur quod in hoc puniuntur aliqui, ut nos meliores efficiamur: quod si negligentes fuerimus, patiemur grauissima. Heb. 10. Horrendum est incidere in manus dei uiuentis. Eccl. 2. Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus domini, & non in manus hominũ. 2. Pet. 2. Ciuitates Sodomorum & Gomorræorũ in cinerem redigens, euersione damnauit, exemplum eorum q impie acturi sunt, ponens. Sic & ad bonum patientiæ inducit exemplis bonorũ. Tob. 2. Hanc autem tentationem (cęcitatis) permisit dominus euenire illi, ut posteris daretur exemplum patiẽtiæ eius, sicut & sancti Iob. Iaco. 5. Exemplũ accipite fratres exitus mali & longanimitatis & laboris & patientiæ, prophetas qui locuti sunt in nomine domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt.

Dicebat autem hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatã in uinea sua: & uenit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad

cultorẽ uineæ: Ecce anni tres sunt ex quo uenio quærens fructum in ficulnea hac, et non inuenio. Succide ergo illam. ut quid etiam terram occupat?

Qui lenitate dei abutuntur ad licentius peccandum, memores sint, hoc grauiorem uenturam ultionem, quo serius uenit. Ro. 2. Ignoras quoniam benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? secundum duritiam autem tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet unicuiq; secundum opera sua. Hanc sententiã quo dominus altius infigeret animis crassæ multitudinis, adiecit similitudinem ad rem accõmodam. Qua licet Iudæorum gẽtem, toties ad meliora prouocatam, per Mosen, prophetas, demum per Christum, tamen quia perstitit in obstinata malitia, nec fructus fidei bona opera protulit, funditus excidendam peculiariter notauit, tamen in genere commonuit omnes, ne deum prouocantem ad pœnitentiam, negligerent. Matthæ. 3. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ephe. 2. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit deus ut in illis ambulemus. Dicitur deus q̃rere in nobis fructum, non quod ignoret infœcunditatem malorum, sed quo suam ad nos prouidentiam diligentiam̃q; demonstret, & humanam declaret ignauiam. Iob. 24. Dedit ei locum pœnitentiæ, & ipse abutitur eo in superbia. Psal. 13. Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut uideat si est intelligens aut requirens deum. Vt quid locũ mansionis suæ bonis operibus non adornat? Vmbra of-

ficiens uiti,& succũ ad se trahẽs,quo poterant alĩ arbores frugiferæ,excidatur. Infirmitatem immittit, quasi excidere uolens,quũ fructum nõ inuenit (quũ tales nec sibi nec alĩs prosint,obsint aũt magis) uel alia pericula.tunc aũt clamamus, Sine ὁ dñe etiam hoc anno,& pœnitentiã agemus. Hoc significat fodere & stercora ponere. Dolorosa enim peccatorũ recordatio & deploratio,mentis agrum impinguat atq; fœcundat. Hier. 2. Scito & uide,quia malum & amarũ est dereliquisse te dñm,& non esse timorẽ eius in te. Si quidem fructũ fecerit,res bene gesta est. Ro. 11. Vide bonitatem & seueritatem dei. In eos quidẽ qui ceciderunt,seueritatem:in te aũt bonitatem dei, si permanseris in bonitate. Alioqui & tu excideris. Ioh.15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum,tollet eum.

De muliere incuruata,Lu.xiĩj.

ARTICVLVS LXXIX.

ERat autem in synagoga eorum docẽs sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo,& erat inclinata,nec omnino poterat sursum respicere. Quam cum uidisset Iesus,uocauit ad se,& ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus,& confestim erecta est,& glorificabat deum. Luc.13. H

Vbiq; dñs & docendo & sanãdo,simpliciũ corda ad dei laudẽ excitat:sed pharisæi ambitione excæcati,magis ac magis inuidia agitabant,gloriam domini oppugnantes. Docuit in synagogis,nihil pudendum timendumve habens. Iohan.18. Ego semper

docuit in synagoga, & in templo quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Docuit sabbatis. Sic die festo legerunt in libro legis dei distincte & aperte ad intelligendum, & intellexerunt cum legeretur. Erat autem Esdras sacerdos & Leuitæ interprerantes populo, Neemi. 8. Obtulit se occasio confirmandæ doctrinæ. Nam mulier deo permittente afflicta, uel ob peccata, sicut Saul 1. Reg. 16. Spiritus autem domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à domino. Vel ob profectũ, ut Iob. 1. Sic & ab initio nobis autor fuit, ut ab incorruptione in qua conditi fuimus, excideremus, & infirmo passionumq; capaci corpori alligati essemus, sed dominus suo contactu sanat. Nam clementissimus primũ illam suis oculis intuitus est, quod mox sequuturæ salutis omen fuit. Nec hoc contentus, ultro uocauit ad se, quo & cunctis miraculum innotesceret ad dei laudem & honorẽ. Felix quemcunq; accersierit ad se Iesus, & felix qui audit uocantẽ. Neminem enim non accersit. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Sed Prou. 1. Quia uocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu uestro ridebo, & subsannabo cum uobis id quod timebatis aduenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quãdo uenerit super uos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me. Ideo Prou. 8. Beatus homo qui audit me, & qui uigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes

ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet uitam, & hauriet salutem à domino. Non dedignatur eam dominus sui sacri corporis contactu. Lu. 6. Et omnis turba quærebat eum tãgere, quia uirtus de illo exibat, & sanabat omnes. Erecta est, & agnoscens cæleste beneficium, glorificabat deum. Nihil em̃ aliud deo retribuere pro beneficijs possumus, nisi ut gratissimus. Psal. 102. Benedic anima mea domino, & noli obliuiscí om̃es retributiones eius. Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Respõdens autem archisynagogus, indignãs quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari. In his ergo uenite & curamini, & non in die sabbati. Respondit autem dominus ad illum, & dixit: Hypocritæ, unusquisq; uestrum sabbato non soluit boucm suum aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abraæ, quam alligauit satanas ecce decem & octo annis, non oportuit solui à uinculo isto in die sabbati? Et cum hæc dicerct, erubescebant omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat in uniuersis, quæ gloriose fiebant ab eo. 2

Archisynagogus ueluti rem magnam docturus, uertit se ad populum & concionem. Sabbatum, inqt, uiolare nefas est. Chrysostomus: Non indignabatur uere ob sabbati uiolationẽ, sed Christi gloriã. Non em̃ charitatis opera illo die inhibita erant, sed seruilia. Ambrosius: Deus septimo die ab operibus mundi quieuit, non ab omni operatione, quũ sem-

piterna & iugis sit operatio eius, sicut ipse filius ait Ioh. 5. Pater meus usq; modò operatur, & ego operor, ut ad dei similitudinem, secularia nostra opera, non religiosa, cessarent. Non tulit ergo dominus tã stolidam phariſęi uocem, qui sabbatum non in hoc condiderat, ut iuuando ꝓximo cessaretur, sed à malefactis esset perpetua quies, quã illa sabbatorũ otia figurabant. Esa. 1. Quiescite agere peruerse, discite benefacere. Hypocritæ, inquit, qui neglecta ui legis, corticem duntaxat urgetis, ac speciem iustitiæ præuobis geritis, quum procul sitis à uera pietate. Si iudicatis non uiolari sabbatum ob beneficium quod muto iumento impendit, mihi ueluti facinus atrox impingitis, quòd hanc Abraæ filiam soluerim. Si opus interdicitur sabbato, uter plus operis facit, qui soluit asinum & ducit ad aquã, an ego, qui solo uerbo & contactu sanaui toram mulierem? Hic sermo Iesu, quoniam perspicuam habebat ueritatem & ad sensum communem etiam humanæ naturæ cõsentaneum, pudorem incussit obtrectatoribus illis. Dolebant eñ aliquid suæ glorię decedere apud multitudinem, apud quã eatenus sese uenditarãt. At turbę ex miraculis utilitatem percipientes, gaudebant, maxime q; sanationibus fruerentur.

De diuortio, Mat. xix, Mar. x, Lu. xvi.

ARTICVLVS LXXX.

Mat. 19. I

ET *accesserunt ad eum pharisæi, tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacunq; ex causa? Qui respondẽs, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum*

& fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaq; iam nõ sunt duo, sed una caro. Quod ergo deus cõiunxit, homo nõ separet.

Rursus uisis tot prodigijs ac studio multitudinis erga Iesum, recruduit pharisæorum inuidia, qui callide & insidiose adorti sunt eum. Hieronymus: Vt quasi cornuto syllogismo teneant eũ, & quodcunq; responderit, pateat captioni. Si diceret quacunque ex causa dimittendas, & alias accipiendas, pudicitiæ prædicator uidebitur sibi contrarius, & libidinis fautor. Si non, quasi sacrilegij reus tenebitur, & aduersus doctrinam Mosi ac dei facere iudicabitur. Deutero. 24. Si acceperit homo uxorem, & odio habuerit eam, & non inuenerit gratiam in oculis eius, propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eã de domo sua. Mala. 2. Cum odio habueris, dimitte, dicit dominus deus Israel. Operiet autem iniquitas uestimentum eius, dicit dominus exercituum. Credebant se dominum quæstionibus reddere perplexiorem, & populum ab eo posse auertere. Dominus autem ita temperat responsum, ut nec Mosi lædat autoritatem, nec suum dogma recantet, & pharisæis legis peritis autoritate legis os obturet, & prudentes caperet sua ipsorum uersutia. nam ex lege parauerant laqueum. Marc. 10. At ille respõdens, dixit eis: Quid uobis præcepit Moses? Qui dixerunt: Moses permisit libellum repudij scribere, & dimittere. Quibus dominus: Non legistis uos pharisæi, qui cæteros & doctrina & religione præcedere uidemini,

quod quum deus conderet hominum genus, ſic inſtituit primum coniugium, ut unus uni indiſſolubili copula iungeretur. Hiero. Oſtendit ſecũda uiranda connubia, non ait maſculum & fœminas, ꝙd ex priorum repudio quærebatur, ſed maſculum & fœminam, ut unius coniugis conſortia necterentur. Adhærebit uxori, non uxoribus. Præmium nuptiarum, è duobus unam carnem fieri, ut tam præternaturam ſit, uxorem à uiro diuellere, quàm mẽbrum a corpore reſcindere. Quod ergo deus tã arcto uinculo connexuit, ut iam corpore & animo conglutinati, non ſint duo homines, ſed unus homo, ut triſtium ac lætorum omnium ſit inter eos communio, homo non ſeparet. Eph. 5. Itaq; uiri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eã, ſicut & Chriſtus eccleſiam: qa membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erũt duo in carne una. (Gene. 2.) Sacramentum hoc, magnum eſt. ego autem dico in Chriſto & in eccleſia. Veruntamẽ & uos ſinguli, unuſquiſq; uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat, uxor autem timeat uirum ſuum. Hiero. Caſtitas iuncta ſpiritui, unus efficitur ſpiritus.

2 *Dicunt illi: Quid ergo Moſes mandauit dare libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moſes ad duritiam cordis ueſtri permiſit uobis dimittere uxores ueſtras: ab initio autem non fuit ſic. Dico autem uobis, quia quicunq; dimiſerit uxorem ſuam, niſi*

ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Et q dimissam duxerit, mœchatur.

Pharisæi ansam sibi datam arbitrãtes, qua Iesum reprehenderent, intulerunt: Si deus hoc uoluit, quur Moses præcepit dare libellum repudij? At dominus ait: Naturæ sensus & euangelica synceritas flagitat amicitiam perpetuam, & indiuulsam copulam, nõ solum in matrimonio, uerumetiam in omni amicitia. Nec est quod quisquam causetur, euangelicam doctrinam pugnare cum prescriptis Mosi. Non em adeò crudelis erat, ut talem indiceret legẽ, nec permisit quod rectum esset natura, sed sciens duritiam cordis uestri, leuius malum indulsit, ne grauius à uobis committeretur. Maluit enim iniquum diuortium, quàm homicidium, ueneficium, aut etiam parricidium. Neq; hoc efficit libellus repudij, ut rectum sit repudium, sed testis est tuæ duritiæ, qui quamlibet leui de causa expellas coniugem, & illi prospicit de nouo marito, tibi ius adimens, ne reuoces repudiatam, Deu. 24. Sed omnium illorum summa recidit in caput repudiatoris. Primum enim perfractus est & immitis, qui uitium uxoris nec ferre potuerit, nec uoluerit mederi. Deinde domo depulsę, quę sine marito non potest uiuere, causam præbet adulterij committendi. Non ergo uoluit deus polygamiam, ut hæc relinqueretur, & altera duceretur: & iterum illa relinqueretur, & altera duceretur. Alioqui unũ feciſſet uirum, & plures fœminas. Huiusmodi temperatura respõsionis, Iesus asseruit præceptum dei: nec Mosen tamen damnauit, nec castitatis laudem minuit, nec se pharisæorum captioni præbuit, quin

potius eos cepit qui captum uenerant. Mar. 10. Et in domo iterꝝ discipuli eius interrogauerunt eũ de eodẽ. Et ait illis: Quicunq; dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si uxor dimiserit uirum suum, & alij nupserit, mœchatur. 1. Cor. 7. His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed dominus, uxorem à uiro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut uiro suo reconciliari. Et uir uxorem non dimittat. Ro. 7. Igitur uiuente uiro uocabitur adultera, si fuerit cum alio uiro: si autem mortuus fuerit uir eius, liberata est à lege uiri, ut non sit adultera si fuerit cum alio uiro. Luc. 16. Et qui dimissam à uiro ducit, mœchatur.

5 *Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere? Qui dixit illis: Non omnes capiunt uerbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerũt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.*

Si insolubile uinculũ permanet inter uiꝝ & mulierem, nisi fornicationis causa non rumpendũ, leuius fuerit matrimoniũ non contrahere, sed pugnare & certare cum naturalibus concupiscentijs, q̃ sustinere malam mulierẽ. Hieron. Iis datũ est qui petierint, qui uoluerint, q̃ ut acciperent laborauerunt. Hilarius: In uno posuit naturã, in altero necessitatẽ, in tertio uoluntatem. Naturã in eo qui nascitur, necessitatem in eo qui sic factus est, uoluntatem in eo q̃ spe regni cælestis, talis esse decreuit, cui nos similes

effici, si tamen possumus, admonuit. 1. Cor. 7. Vnusquisq; proprium donum habet ex deo, alius quidē sic, alius uero sic. Sap. 8. Et ut sciui quoniā aliter nō possem esse continēs, nisi deus det, & hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius esset hoc donum: adiꝫ dominū, & deprecatus sum illum. Fortiter & ultro certantibus non deerit fauor agonothetæ. non ēm cogit uirginem esse, neq; nuptias destruit, sed uirgīnitatem præfert. Hieronymus: Vnusquisq; cōsulat uires suas, utrū possit uirginalia & pudicitiæ præcepta implere. Per se enim castitas blanda est, & quēlibet ad se alliciens: sed considerandæ sunt uires, ut q̄ potest capere, capiat. Quasi hortantis uox domini est, & milites suos ad pudicitiæ præmia concitantis. 1. Corin. 7. De uirginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do tanquam misericordiā consecutus à deo, ut sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonū est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, nō peccasti: & si nupserit uirgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebūt huiusmodi. Volo autem uos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat deo: qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mūdi, quomodo placeat uxori, & diuisus est. Et mulier innupta & uirgo, cogitat quę domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uiro. Igitur qui matrimonio iūgit uirginem suam, benefacit: & qui non iungit, melius facit.

De paruulis oblatis, Matt. xix. Marc. x. Luc. xviij.

ARTICVLVS LXXXI.

Mar. 10. K

ET *offerebant illi paruulos, ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. Quod cum uideret Iesus, indigne tulit, & ait illis: Sinite paruulos uenire ad me, & ne prohibueritis eos. Talium enim est regnum dei. Amen dico uobis, quisquis non receperit regnum dei uelut paruulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.*

Quoniã de puritate uirginea fuerat sermo, deq; sublimitate uirtutis heroicæ, quæ paucis contingat, tãquam per occasionem offertur exemplum simul & absolutæ puritatis, & summæ modestiæ, sine qua uirginitas nihil promeretur laudis. Nouerant patriarchas filiis benedixisse per manuum impositionem & orationem, uiderant Iesu mirabilem sanctitatem & uirtutis efficaciam: ideo existimabant fore, ut quemadmodum uiderant illius contactu fugere morbos, ita Iesu cõtactus seruaret eos à morbis, ruinis, dæmonibus, cæterisq; malis, quibus illa ætas sæpenumero perit. Mat. 19. Tunc oblati sunt ei paruuli, ut manus eis imponeret, & oraret. At discipuli, qui quãquam toties audissent de summa modestia, nondũ tamen penitus exuerant humanos affectus, suspicantes dominum maioribus intentum, nõ esse fatigãdum huiusmodi leuioribus negociis, quia deprogaret doctrinæ eius & autoritati, prohibebãt ac-

cessum. Dominus uero ostendit, quòd à fastu alienos magis amet, d. Sinite, nec arcete illos à cõtactu meo. In his est exemplum innocentiæ ac simplicitatis. Etenim qui horum sunt similes, mihi gratissimi sunt: quos tamen etsi mũdus habet despicabiles, ego tamen non alios dignor regno cælorum. Nesciunt fucum, nesciunt fastum, nesciunt referre, nesciunt regerere conuicium, nesciunt auaritiam, nesciunt ambitionem: mera est innocẽtia, mera est simplicitas. Illud affirmo uobis: regnum dei non recipit nisi ad hanc imaginem transformatos. Quisquis igitur acceperit prædicationem dei sicut puer, non dijudicans uel discredens, ille ingreditur in regnum dei, & in bona quæ iam fide suscepit. Quo'q; magis commendaret omnibus simplicem innocentiam, complexus est singulos: & impositis manibus, bene precatus est illis, sui sacri corporis contactu uirtutem occultam infundens puellis, ob simplicem parentum fidem. Sic in fide parentum uel ecclesiæ, pueri baptizantur & confirmantur. Nec parui ponderis autoritatem huic sacramento collatam cognoscimus, si acta discipulorum & scripta pensamus. 1. Timo. 4. Noli negligere gratiã quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manu um presbyterij. Actu. 8. Cum audissent apostoli qui erant in Hierosolymis, quia recepisset Samaria uerbum dei, miserunt ad eos Petrum & Iohannẽ. Qui cum uenissent, orauerunt pro ipsis ut acciperent spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorũ superuenerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum. Non paruipẽ-

Baptismi puerorum & cõfirmationis efficacia.

Benedictionis sacerdotum ac parentum vis.

denda sacerdotum benedictio in nomine domini. Nume. 6. Loquere Aaron & filijs eius: Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi dominus, & custodiat te. Ostendat dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat dominus uultum suum ad te, & det tibi pacem. Inuocabuntq; nomen meũ super filios Israel, & ego benedicam eis. Imó & parentum. Eccl. 3. Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta. Hinc summo studio parentum antiqui requirebant & procurabãt benedictiones, nec sine fructu. Iacob, nescio patre, fratris præripuit benedictionẽ. Gen. 27. Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionẽ tuam. Benedixitq; ei, & erit benedictus. Et Gen. 48. de filijs Ioseph ait: Adduc eos ad me, ut benedicam illis. Benedixitq; Iacob filijs Ioseph, & ait: Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraam & Isaac, deus qui pascit me ab adolescentia mea usq; in præsentem diem: angelus qui eruit me de cũctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomẽ meum, nomina quoque patrum meorum Abraam & Isaac, & crescant in multitudinem super terram. Applicatosq; ad se, deosculatus & circumplexus est.

De filio prodigo, Luc. xv.

ARTICVLVS LXXXII.

Luc. 15. L

ERant autem appropinquantes ei publicani & peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant scribæ & pharisæi, dicentes: quia hic peccatores recipit & manducat cum illis.

Immensam erga peccatores ostendit clemẽtiam, quærendo, reducendo & saluando. Quia enim & uerbis & miraculis se ostendit dominus potentissimum simul & pijssimum animarũ medicum, & tam comminationibus damnationis æternæ, quàm promissionibus salutis perpetuæ, ad pœnitentiam hortabatur peccatores, uniuersa ad eum populi multitudo confluebat. Et quia nec ille quenquã submouebat aut fastidiuit, ausi sunt etiam ꝓpius ad illum accedere publicani quidã & peccatores, quod genᵉ hominũ abominari solent pharisęi, ad ostentationẽ sanctimoniæ, quũ certissimũ sanctimoniæ signũ sit, non fastidire peccatorẽ, sed adniti modis omnibus ut resipiscat, & resipiscenti congratulari. Publicani, peccatores dicebant ex officio, quod uix aut nunq̃ sine peccato potest exerceri. Accedebant aũt tanq̃ infirmi ad medicum: quod patet, quia ut audirẽt illũ. Mat. 9. Non ualentibus opus est medico, sed male habentibus. Psal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies uestræ non cõfundent. Vnde Ioh. 6. Dñe, ad quẽ ibimus? uerba uitæ æternæ habes. Sap. 16. Neq; herba neque malagma sanauit eos dñe, sed sermo tuus qui sanat oĩa. Volens ergo à peccatorũ uulneribus sanari, ipsum accedat, & dicat Can. 2. Sonet uox tua in auribus meis, uox enim tua dulcis, & facies tua decora. Psal. 84. Audiã quid loquatur in me dñs deus, qm̃ loquetur pacẽ in plebem suã. Appropinquare, aliud nihil est nisi peccata cognoscere, & uoluntatem auersam, ad deũ conuertere. Quæ conuersio licet non iustificet, tamen ad iustificationẽ disponit, & deᵖ dispositũ ad perfectũ pducit. Iac. 4. Appropinquate deo, & appropinquabit uobis.

Sanctimonię certissima signa.

Prope est (inquit Psal.144.) dñs oĩbus inuocãtibus eum, sed in ueritate. Sunt enim qui ore suo tantum deo appropinquant, & labijs suis glorificant, corde autem eorum longe est ab eo, Esa.29. De quibus Hier. 17. Domine, omnes qui te derelinquunt, cõfundentur: recedentes à te, in terra scribentur: quoniam dereliquerunt uenam aquarum uiuẽtium dominum. Non ergo fugiamus à facie domini, sicut Adam, qui ait Gene.3. Domine, audiui uocem tuam, & timui, sed non aufugit. Nam peccatores recipit, Gregorius: Accesserunt ad Iesum publicani & peccatores: & non solum ad colloquendum, sed & conuescendum recepti sunt. Itaq; pharisæi qui religione, & scribæ q scientia præeminebant, quũ essent intus pleni liuore, ambitione, auaritia, tamen iusti sibi uidebantur, Iesu benignitatem calumniabantur, d. Hic qui nouam quandã sanctimoniam profitetur, tamen non uitat malorum consortia, non cogitans quòd malorum contubernio contaminentur boni. Vnde de duobus ipsum notabãt, quia peccatores reciperet, & quia cum ipsis manducaret. Ecci.13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicat superbo, induet superbiã. Hinc Psal.100. Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Ecci.9. Viri iusti sint tibi conuiuę. Sed obseruandum quod communicat peccatori, ipsum imitando & in peccatis fouendo, quod pessimum est. Sic Christus non recepit. Odio eñ sunt deo impius & impietas eius, Sap.14. Alio modo, ut emẽdet & curet: hoc pium & sanctum. Vnde de domino dicitur Esa.42. Calamũ quassatum non conteret, & linum fumigans nõ extinguet. 1. Tim.1. Fidelis sermo, quoniam dominus

Cõmunicare peccatori cũ uitium.

Iesus in hunc mundum uenit peccatores saluos facere. Greg. Ex qua re colligitur, quod uera iustitia compassionem habet, falsa indignationem, quãuis & iusti soleant recte peccatoribus indignari. Sed aliud est quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo iustitiæ uel disciplinæ. Qui ergo de falsa iustitia superbiũt, cæteros despiciunt, nulla infirmantibus cõpassione condescendunt: & quo se peccatores esse non credunt, eo deteriores peccatores fiunt. Manducat dominus nobiscum, quum gratiæ suæ dulcedine nos refouet. Apoc. 3. Ego sto ad ostium & pulso. si quis audierit uocem meam, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.

Et ait ad illos parabolã istã: Quis ex uobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit unam ex illis, 2
nonne dimittit nonagintanouem in deserto, & uadit ad illam quæ perierat, donec inueniat illam? Et cũ inuenerit illam, imponit in humeros suos gaudẽs: & ueniens domum, conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Cõgratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico uobis, quòd ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouẽ iustis, qui nõ indigent pœnitẽtia.

Dominus sicut misericors ergo peccatores, ita et erga calumniatores suos mansuete per parabolas, ne ægre ferant, suam erga peccatores benignitatem docet. Non enim solum non repellendi sunt, quum resipiscunt, sed & modis omnibus iuuandi sunt, ut ad meliorẽ mentem redeant. Quàm deus non auer

ſetur peccatorem reſipiſcentem, ex ſuo quiſq; animo coniectare poteſt. Nimirum ſua cuique res chara eſt, nec cupit aliquid inde perire. An non unius ouis damno tantopere commouebitur, ut relictis nonaginta nouem, non conquieſcat donec inueniat illam? Coniungetq; gregi, lætior de una recepta, quàm de incolumitate totius gregis cui nõ meminebat. Si in oue inuenta gaudij occaſio eſt, quanto magis in homine, qui ad dei imaginem eſt conditus, quem alit, quem ad æternam felicitatem deſtinauit? Pſalm. 94. Nos autem populus paſcuæ eius, & oues manus eius. Dicitur una, propter unitatem originalis principij. Malac. 2. Nunquid non patet unus omnium noſtrum? Nunquid non deus unus creauit nos? Et ob unitatem originalis peccati. Roman. 5. Sicut per unum hominem in hunc mundum intrauit peccatum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo oẽs peccauerunt. Et propter unitatem finalis termini, quia ad unam felicitatem deſtinati. Sed Eſaiæ 53. Omnes nos quaſi oues errauimus, unuſquiſque in uiam ſuam declinauit. Pſalm. 118. Erraui ſicut ouis quæ perijt, quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus. Vide miſericordiam dei. Non angelum miſit, non legatum, ſed in propria uenit perſona, angelis relictis, quorum non aſſumpſit naturam, nec lapſum reparauit ex ipſis. Hebræ. 2. Nuſquam angelos, ſed ſemen Abraæ apprehendit. Gregorius: Quia centenarius numerus perfectus eſt, ipſe centum oues habuit, cum angelorum & hominum ſubſtantiam poſſedit: ſed una perijt, quando peccando homo uitæ paſcua dereliquit. Dimiſit no

Ouis cur dicat̃ vna.

nagintanouem in deserto, quia illos summos angelorum choros reliquit. Cur autem cælum dicitur desertum, nisi quia desertum dicitur derelictum? Tunc autem & angelus & homo cælum dereliquit quãdo peccauit. In deserto ergo nonagintanouem oues remanserant, quando in terra dominus ouem quærebat: quia rationalis creaturæ numerus, angelorum uidelicet & hominum, qui ad uidendum deum conditus fuerat, pereunte homine erat minutus: sed ut perfecta summa redintegraretur in cælo, homo perditus quærebatur in terra. Vnde Matth. 18. dicit, in montibus, ut significet in excelsis: quia nimirum oues quæ non perierant, in sublimibus stabant. Ezech. 34. Ecce ego ipse requiram oues meas, & uisitabo eas. Sicut pastor uisitat gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum, sic uisitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersę fuerint. Vide pastoris pietatem: nam inuentam ouem non punit, non urgendo ducit ad caulam, sed nolens illam molestare, humeris imponit. 1. Pet. 2. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Esai. 53. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Samaritanus saucium posuit in iumentum, & duxit in diuersorium, Lucæ 10. Et hoc gaudens, propter nimiam charitatem ad humani generis liberationem, angelicæ ruinæ restaurationem. Ephe. 4. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, Psalm. 46. Ascendit deus in iubilo, & dominus in uoce tubæ. Ibi uicinos & amicos inuenit, illos uidelicet angelorum choros, qui amici eius sunt, quia uoluntatem ipsius continue in sua

ſtabilitate cuſtodiunt. Ioh. 15. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio uobis. Vicini ſunt, quia claritate uiſionis illius aſſidue perfruuntur. Mat. 18. Angeli eorꝫ ſemp uidẽt faciẽ patris mei qui in cęlis eſt. Daniel. 7. Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. Obſerua quod ait, Congratulamini mihi, non oui quæ ſe propria perdidit culpa, ſed mihi, qui opus iniunctum à patre conſummaui, Iohan. 17. Illudergo affirmo uobis, ꝙ quemadmodum paſtor ille ob unicam ouicu lam receptam gaudet cum amicis & uicinis ſuis, ita maius gaudium erit angelis. Roman. 5. Vbi abundauit delictum, ſupabundauit & gratia. Hinc Greg. Quotidie experimur, quod qui illicita non commi ſerunt, in rebus ſibi licitis ſæpe uſum præbent: ad cę leſtia anxie non anhelant, & ad bona agenda pigri ſunt. Econtra ſæpe peccator agit: quare maius gaudium de eo, quàm ſic ſtante iuſto: quia & dux in pręlio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reuerſus fortiter hoſtem premit, quàm eũ qui nunquam terga uertit, & nunquam aliquid fortiter geſſit. Sic & agricola plus illam terram amat, quę poſt ſpinas fruges huberes profert, quàm eam quæ nunquam habuit ſpinas, & nunquam meſſem fertilem produxit. Sunt tamẽ quidam iuſti quibus nullus pœnitẽs poſſit anteponi: qui etſi non ſint ſibi malorum conſcij, licita tamen reſpuunt, in omnibus ſe humiliãt. Hinc ergo intelligitur, quantum gaudium faciat, quum humiliter plangit, iuſtus: ſi in cælo facit gaudium, quando hoc quod male geſſit plangit, iniuſtus. Chryſo. Si deus lætatur in paruo hoc inuento, quomodo tu contemnis quæ ſunt deo tam ſtudio-

sa: Amb. Multum debet nos accendere hoc ad probitatem, ut agamus quod illis gratum sit, quorum affectare patrocinium & offensam timere debem⁹. Orig. Deo & angelis occasionem lætitiæ prestam⁹, cum in terris ambulantes, conuersationem in cælis habemus. Domini sententia, in 99, iusti: in oue perdita, peccatores intelliguntur. Quanquam autem hæc imago peculiariter designat dominum Iesum, qui solus est ille pastor summe bonus, Iohan. 10. quī collapsum genus humanum patri reconciliauit, de suo dependens quod nos commeruimus: pertinet tamen & ad pastores: nam hos oportet Christi principis affectum, erga gregem ipsius repræsentare. Fit enim frequenter, ut qui ab erroribus & manifestis peccatis conuertūtur ad ueram pietatem, studio pietatis longe præcurrant eos, qui nunquam in eiusmodi flagitia prolapsi sunt. Hos non fastidiet ecclesiæ pastor, sed omnia tentabit donec ad ecclesiæ cauas reduxerit. Qui uere iusti sunt, q uere amici sunt boni pastoris, maiore gaudio gratulabuntur receptæ oui, q̄ multis in sua frigida iustitia confidētib⁹.

*Aut quæ mulier habens drachmas decē, & si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et *euertit domum, et quærit diligēter donec inueniat? Et quum inuenerit, conuocat amicas et uicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico uobis, gaudium erit angelis dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* ¶ †euerrit.

Greg. Qui per pastorem, ipse signatur & p mulierem. Ipse enim deus, ipse & dei sapientia, in q̄ oēs

Mulieri cur deus cõparetur

thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi, Col. 2. Non autem propter infirmitatem sensus, sed pietatem affectus mulieri comparatur. Et quia drachma imaginem habet, mulier drachmam perdidit, quando homo qui ad imaginem dei conditus fuerat, (Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, Gen. 1.) peccando à similitudine sui conditoris recessit. Lucerna, humanitas lumine deitatis illustrata, quæ per incarnationem apparuit. Iohan. 1. Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mũdum. Accensa lucerna euertit domum: quia mox ut eius diuinitas per carnem apparuit, omnis se nostra conscientia concussit. Cõscientias enim turbauit, de reatu suo prædicando & ad memoriam reducẽdo commissa flagitia, collata beneficia, comminata supplicia, & præparata stipendia. Emundat eam: quia praua mens, si non prius per timorem euertitur, ab assuetis uitijs non emundatur. Eccl. 1. Timor domini expellit peccatum. Pro. 15. Per timorẽ domini declinat omnis à malo. Qui autem sine timore est, non poterit iustificari, Eccl. 1. Hinc dominus Hiere. 2. Scito & uide, quia malum & amarum est dereliquisse te dominum, & non esse timorem eius in te. Et quærit diligenter. Lu. 19. Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Euersa domo, inuenitur drachma: quando perturbatur hominis conscientia, reparatur in homine similitudo conditoris. Ro. 8. Quos præscivit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Gal. 4. Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in uobis. Sicut ergo portauimus imaginem terreni, portemus & imaginẽ cœlestis, 1. Cor.

Lucerna mystice quid.

15. & 1. Thes. 4. Hæc est uolũtas dei sanctificatio uestra, ut sciat unusquisq; uestrum uas suum possidere in sanctificatione & honore, nõ in passione desiderij, sicut gentes quæ ignorant deũ. Nee. 8. Gaudium domini est fortitudo uestra. Si eñ mulier sic est affecta erga nummos suos, ut doleat quicq̃ perisse, & ut uehementer gaudeat receptum esse quod perijt, q̃uis pusillũ: quãto magis deus nihil uelit perire ex hominibus, pro quibus seruãdis seipsum impendit, q̃s ad imaginẽ suã cõdidit? Ezech. 18. Nunquid uoluntatis meæ est mors impij, dicit dominus, & non ut conuertat à uijs suis, & uiuat? Obserua ergo q̃ utrobiq; dicit, pœnitentiã agente. 2. Pet. 3. Nõ tardat dñs promissionẽ suã, sicut quidã existimant: sed patienter agit propter uos, nolens aliquos perire, sed oẽs ad pœnitentiam reuerti.

Ait aũt: Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescẽtior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam. Et non multos post dies congregatis omnibus, adolescẽtior filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam uiuendo luxuriose. Lucæ. 15. M

Ostendit quàm benigne dominus uerè pœnitentes recipiat in pristinam gratiam. Quanquam autem hæc parabola generaliter pertineat ad omnem peccatorem, post ingentia flagitia resipiscentem, tamen pro temporis illius, quo dicta est, ratione, peculiarius notat gentes ad euangelii gratiam receptas: & Iudæos, qui sibi iusti uidebantur, illorum inuidentes felicitati. Glos. Deus pater, quia

autor est & creator duarum stirpium humani generis, Iudæorum & gētilium, duos habet filios. Maior, qui in cultu unius dei remansit, gentili populo ad idololatriam post diluuium declinanti, quo Iudæis insipientior puerilior q̄. Aug. Nihil tam puerile ut idola colere, & nihil stolidius quàm diuinis non obtemperare iussis. Exo. 4. Primogenitus meus Israel. Iunior adolescentiam ac stultitiam in consilium adhibens, adijt patrem, uolens naturalibus donis ac cæteris bonis à deo collatis pro libitu uti, ac potius abuti, nec subijci legi diuinæ. Rationalis, ad quam subsequitur liberum arbitrium, substantia nostra est. Dat enim deus rationalem, ut ea libere utamur. Sed homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, Psalm. 48. Eccl. 15. Deus ab initio cōstituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui: adiecit ei mandata & præcepta sua: si uolueris mandata conseruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod uolueris, porrige manum tuam. Ante hominem uita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. Vnusquisque etiam proprium donum ex deo habet: unus sic, alius uero sic, 1. Corinth. 7. Dat enim unicuique secundum propriam uirtutem. Vere adolescentior consilio & iudicio, quisquis importunius obtinet, quod concessum obfuit. Sic filij Israel in malum sibimetipsis carnes petierunt, & obtinuerunt, Nume. 11. Quid iam faceret adolescens, & sui iuris, & semotus à patre, & uiuens peregre? Diuortium facit cum benignissimo patre deo, qui se facit aduenam mundi. Iaco. 4. Ad-

ulteri, nescitis quoniam amicitia huius seculi inimi ca est deo? Qui ẽm uoluerit amicus esse huius mundi, inimicus dei constituitur. Non est ista locorum seiunctio, sed affectuum. Infelix libertas, quam patris præsentia non moderatur. Psalm. 118. Longe à peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non exquisierunt. Esa. 46. Audite me duro corde, qui longe estis à iustitia. Propefeci iustitiam meam, & salus mea non elongabitur. Psalm. 72. Quoniam ecce qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicant abs te. Mihi autem adhærere deo bonum est, ponere in domino deo spem meam. Inter peregrinos prodegit omnem substãriam, non ipsius q nihil habebat suum, sed patris. Quando homo egredit à deo, & se à timore dei elongat, omnia diuina dona expẽdit. proping enim deo, nihil mali agimus. Psalm. 15. Prouidebam dominum in conspectu meo semp, quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Eccẽs. 7. Qui timet deum, nihil negligit. Eccl. 27. Si non in timore domini tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua. Aug. Qui sua potestate uti cupit, quid restat, nisi ut recedens ab eius calore torpescat, recedens à ueritate euanescat? Deum ẽm nemo amittit, nisi qui dimittit. Hieron. Scut Christus ait discipulis suis Matth. 28. Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem sæculi: sic malis dicet, Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem, Matth. 7. Luxus est, quicquid extra necessitatem carnis impenditur cupiditatibus. Hæ nimirum corrumpunt acuitiant quanuis præclaras naturæ dotes. Roman. 8. Si secundum carnem uixeritis, moriemini. Dionysi. Peccata quanuis dona naturæ

non penitus corrumpant aut tollant, ea tã inficiũt, & rationem obnubilant. Sap. 2. Excæcauit eos malitia eorum. Ponit tria, quæ plurimis occasio sunt ruinæ. Iuuentus delicioſa. Eccl. 12. Amoue malitiam à carne tua, adoleſcentia enim & uoluptas uana ſunt. Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuę, antę ueniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquauerint anni de quibus dicas, nõ mihi placent. Sic diues lõgam ſibi promittens & delicioſam uitam, audiuit Lu. 12. Stulte, hac nocte repetent à te animam tuam: & quæ paraſti, cuius erunt? Libertas uitioſa. Nulla enim ætas infrenis uitiere poteſt, maxime imbecillior illa, quæ parũ prudẽtię ac timoris, multum uero ſtultitię & ad malum procliuitatis habet. Gen. 8. Senſus & cogitatio humani cordis, in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. & Prou. 22. Adoleſcens iuxta uiam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. Hinc admonet Pro. 22. Stultitia colligata eſt in corde pueri, & uirga diſciplinæ fugabit eã. Eccl. 7. Filij tibi ſunt? erudi illos, & incurua illos à pueritia illorum. Sic & animalis ſenſualitas, Eccl. 18. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Tertium, hubertas copioſa. Deut. 32. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliqt deum factorem ſuum.

2 *Et poſtquam omnia conſumpſiſſet, facta eſt fames ualida in regione illa, & ipſe cœpit egere. Et abijt, & adhæſit uni ciuium regionis illius, & miſit illum in uillam ſuam paſcere porcos. Et cupiebat uentrem ſuum implere de ſiliquis quas porci mãducabant, & ne*

mo illi dabat. In se autem reuersus, dixit: Quãti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam illi: Pater, peccaui in cælum & coram te. iam non sum dignus uocari filius tuus. fac me sicut unum de mercenarijs tuis.

Amb. Merito egere cœpit, qui thesauros sapientiæ & scientiæ dei, diuitiarumq; cælestium dereliqt. Apo. 3. Dicis, quia diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es pauper & nudus, miser & miserabilis. Nihil enim habet hic mundus, quod explere possit animum hominis, præter summum illud bonum, quod nõ est nisi in domo patris. Hinc Amos 8. Mittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi uerbum domini. Non enim in solo pane uiuit homo, sed in oñi uerbo quod procedit de ore dei, Deut. 8. Matth. 4. Cui graue fuerat obtemperare iussis patris clementissimi, coactus est sese dare in seruitutem ciui peregrino & barbaro. Quum recusant homines accipere suaue iugum domini, coguntur ferre durissimum iugum satanæ. Qui adhęret deo, unus spiritus est cum eo, 1. Corinth. 6. Sic qui adhæret uitijs. Esai. 28. Dixistis enim, percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Beda: In uillam mitti, est substantiæ mũdialis subiugari cupiditatibus: pascere porcos, est ea quibus immundi spiritus oblectantur, operari. 2. Pet. 2. Sus lota in uolutabro luti. A quanta dignitate, in quantam contumeliam sua stultitia deuenerat miser? Nec interim crudelis dominus illi dabat quod deberet, ut iam

Mitti in villam, qd.

Pascere porcos qd

Porci qui.

infelicior esset ipsis porcis, quibus seruiebat potius q̃ imperabat. Porci sunt, qui in uilium & materialium affectionum luto uolutantur. Semp autem noxia desiderat mẽs insana, sordibus assuetaq; aliis non pascitur, nisi immundis & obscœnis cogitationibus, quas huc illuc ve reuoluit, nec tamen unquam satiatur. Nõ enim manet uoluptas, sed famescit & perit, cruciat uero ppetuo. Quis enim illi daret? Numdeus? Sed ille non adest. Psal. 118. Longe a peccatoribus sal⁹. Dæmones? At hi multo magis solicitisunt, ne unquam quiescamus, & malitia saturi simus. Omnis ergo inanis mundi uoluptas, ad breue tempus deliniens, nec satians, nec saginãs animum, porcorum siliquæ sunt. His delectantur dæmones, ac sibi addictos inescãt uerius quàm satiant. Non enim est ulla citra deum satietas uel uoluptas. Psalm. 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Ipse satiat animam inanem, & animam esurientem replet bonis, Psalm. 106. Sunt enim quorum deus uenter est, & gloria in confusionem ipsorum, qui terrena sapiũt. Philippen. 3. Sed 1. Corinth. 6. Venter escæ, & esca uentri: deus hunc & hanc destruet. Quandiu male agebat, extra se erat: quando autẽ cogitabat in quantam uenerat miseriam, tunc redijt ad seipsum, considerans & in pœnitentiam uenicns à sua exteriori diuagatione. Glos. Bene ad se reuertitur pœnitendo, qui à se recesserat peccando. Vide gradus quosdam ad deum redeundi. Primus, ad seipsum reuerti, seq; arguere erroris. Esa. 46. Redite prævaricatores ad cor. Bene habet, cum peccator afflatu tacito benigni patris redit ad cor. Ventum erat ad extremum malorum, Felix necessitas quæ compellit ad resipi-

Siliquæ.

Gradus redeundi ad deum quot.

ſcentiam. Siquidem hic eſt primus ad ſalutem gradus, reminiſci unde excideris, & agnoſcere quò degeneraris. Eſa. 28. Tantummodo ſola uexatio intellectum dabit auditui. Vnde quò ueni miſer? Ex patria, in exilium: ex opulenti domo, in regionem famis: à libertate, in ſeruitutem: ab amantiſſimo patre, ad crudeliſſimum dominum: à dignitate filij familias, ad fœdiſſimam conditionem: à conſortio fratris & famulorum, ad porcos. Quanti mercenarij me feliciores ſunt? Chryſoſtomus: Ego filius, non alienus, fame pereo: & filius boni patris, & liber, & generoſus, miſerior factus ſum ſeruis & mancipijs uiliſſimis. Ego hic & in futuro fame pereo. Luc. 16. diues guttam aquæ petijt, ſed non accepit. Roman. 6. Quem fructum habuiſtis in ijs in quibus nunc erubeſcitis? Nam panis uerbi diuini illis non ſapit, nec aqua ſapientiæ ſalutaris reficiuntur. Eccl. 15. Sunt qui ſeruiunt deo, facientes bonum ex timore. Pſalm. 118. Confige timore tuo carnes meas. à iudicijs enim tuis timui. Sunt qui amore in deum, ut filij. Pſalm. 118. Quomodo dilexi legem tuam domine? tota die meditatio mea eſt. Alij deſiderio bonorum æternorum. Pſalm. 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, ꝓpter retributionem. Gloſ. Qui futuræ mercedis intuitu digna operari ſatagunt, q̃tidianis alimẽtis ſupnæ gratiæ reficiunt. Gen. 15. Ego ꝓtector tuus ſum, ait deus Abraç, & merces tua magna nimis. Sic Moſes reſpiciẽs in remuneratorem, maluit affligi cum populo dei, q̃ temporalis peccati habere iucunditatem, Heb. 11. Sũt demum mercenarij mali q nõ manẽt in domo in æternum, Ioh. 8. q temporalia ſpectãt, q-

Deo q̃ varie ſeruiat

bus dicetur: Recordare fili, qa recepisti bona in uita tua, Luc. 16. & Mat. 6. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Secũdus, propositi stabilitio. Surgam, à peccato desistendo. Hiere. 18. Reuertatur unusquisq; à uia sua mala, & dirigite uias uestras & studia uestra. Eph. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Posteaq; deplorauit suam infelicitatem, in qua totus iacebat, incipit erigere se. In defensione facti mei nullum est p̃sidium: una spes est, quoniam noui patrem uere esse patrem natura clementem & exorabilem. Statuat ille quicquid uolet, pater est, illius sum. & in illũ peccatum est, quicquid peccatum est. Hebræ. 4. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Ibo ergo ad patrem, & dicam ei Psalm. 31. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. In cælum peccat, qui illi terrena præponit, & per negligentiam non quærit. Deus autem in omni loco contemplatur bonos & malos, Pro. 15. Te offendi, tuum iudicium commerui. Esa. 1. Filios enutriui & exaltaui, ipsi uero spreuerunt me. Rom. 8. Qui spiritu dei aguntur, hi filij dei sunt. Diaboli mancipium me feci. 2. Pet. 2. A quo qs superatus est, eius & seruus efficitur. Ioh. 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. Ro. 6. Serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditiõis ad uitam. Glos. Ad filij affectum aspirare non præsumo, sed mercenarij statum pro mercede seruitutis desidero. Psal. 118. Tu⁹ sum ego, saluũ me fac. glo. Cũ meus essem, perieram: sed nũc qa tuus sum,

Gradus secundus.

In cælum peccare.

ſaluum me fac. Tertius, uoti executio. Non ẽm ſolum conſultandũ eſt de his quæ placent deo, ſed & opus eſt facto. Surgit, qui uiam peccatorũ deſerit, q occaſiones ſequelasq; peccari à ſe reſcindit. Mich. 2. Surgite, quia nõ habetis hic requiẽ. Eſa. 48. Non eſt pax impijs, dicit dñs.

Et ſurgẽs, uenit ad patrem ſuum. Cum autem adhuc longe eſſet, uidit illum pater ſuus, & miſericordia motus eſt. Et occurrens, cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Dixitq; ei filius: Pater, peccaui in cælum & coram te: iam non ſum dignus uocari filius tuus. Dixit autem pater ad ſeruos ſuos: Cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date anulum in manũ eius, & calceamenta in pedes eius: et adducite uitulum ſaginatum, & occidite: & manducemus, & epulemur: q hic filius meus mortuus erat, et reuixit: perierat, et inuẽtus ẽ. Et cœperũt epulari. 3

Relegit totũ iter lachrymans & gemẽs, q ferox & amẽs à patre diſceſſerat. Habes imaginẽ hoĩs ab extremis malis reſipiſcẽtis, uide nũc diuinæ clementiæ ſimulacrũ. A longe uidit, ut eſt oculata pietas, & prior qui tenerius amabat, ac procurrit obuiã uenienti. Chryſ. Quid eſt q̃d pater occurrit, niſi q̃d peccatis noſtris impedientibus, ꝓpria uirtute ad eũ uenire non poteramus, ipſe pius & potens ad inualidos deſcendit? Recipit ergo uelociter pœnitentem reſpiciendo, dum miſericordia p̃uenit uoluntatem ut uelit, comitatur ut poſſit, cooperatur ut pficiat. Phi. 2. Deus eſt ẽm q operatur in nobis & uelle & perficere pro bona uoluntate. Pſal. 38. Deus meus,

Qualiter ſeu ꝙtupliciter pœnitẽtẽ deus reſpiciat.

misericordia eius præueniet me. Psal. 93. Misericordia tua domine adiuuabat me. Psalm. 118. Aspice in me & miserere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia. Heb. 12. Tãquam filijs se offert uobis deus. Aug. Tardior uidetur homo in recipiẽdo gratiam, quàm deus in dando. Apo. 3. Ecce sto ad ostium et pulso: si quis audierit uocem meam, & aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cœnabo cum ipso, & ille mecum. Tardus uero est ad puniendum: hinc ad puniendum ueniens, ambulabat in paradiso. Gene. 3. Ambulare deus qñ & cur dicatur. ad saluandum, exultauit ut gigas ad currendam uiam, Psal. 18. & Can. 2. Ecce iste uenit saliens in montibus, transiliens colles. Secundo dulciter. Etenim natura & benignitate, deus, pater est, & totus totum amplectitur: nec expectatis filij precibus, pietate natiua uictus, irruit in collum filij, & osculatus est filium, ostendens eum qui olim desciuerat, nũc obedientem factum. Osculum, plenam in Christo signat remissionem & perfectam unionem. 1. Iohã. 2. Ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Greg. Nyssenus: Confessionis meditatio placauit ei patrem, ut obuiam iret, & oscula collo inferret, pueniens interpellationis uerba. Hæc tametsi essent argumenta propensi ad ignoscendum animi, tamẽ sibi etiam num iratus iuuenis, ait: Pater, peccaui. Bern. Humilis debet esse confessio, qua per eam emendatur superba transgressio. In duo quilibet peccator delinquit. In In que duo quisq; peccet. patrem, cuius legem, fidem, testamentaq; transgreditur. Hinc necessaria confessio cordis. Secundo, in ecclesiam quam scandalizat, cuius communione se

priuat, cuius sacramenta contẽnit & cõtaminat. Sumus eñ unius ecclesiæ filij, & eiusdẽ corporis membra, q̃d cohonestare debemus, non polluere. 1. Cor. 6. Nescitis qñ corpora uestra mẽbra sunt Christi? Tollens ergo mẽbrũ Christi, faciam mẽbrum meretricis? Tertio, honorabiliter. Non eñ intonat ſquis uerbis, non exprobrat suã in illum benignitatem. tñ est gaudium de recepto filio. sed iubet stolã restitui, uel innocentiæ per baptismũ, quo ad gentes. Gal. 3. Quicunq; in Christo Iesu baptizati estis, Christũ induistis. uel pœnitentiæ nouæ uitæ, ueteri homine exuto. Ephe. 4. Deponentes uos secundũ pristinã conuersationem ueterem hominẽ, qui corrũpitur secundũ desideria erroris: renouamini autẽ spiritu mentis uestræ, & induite nouũ hominẽ, qui secundũ deum creatus est, in iustitia & sanctitate ueritatis. Col. 3. Expoliantes uos ueterẽ hominẽ cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem dei, secundũ imaginem eius qui creauit illum. Apoc. 3. Suadeo tibi emere à me aurũ ignitum, probatum, ut locuples fias, & uestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ. Apo. 19. Byssinũ, iustificatiões sunt sanctorum. Obserua q̃ opera priora, quæ per peccatum interierunt, (Nam iusti, à iustitia auersi & iniquitatẽ facientis, iustitiæ quas fecerat, non recordabuntur, Ezech. 18.) per pœnitentiam reuiuiscunt, ac ad iustitiam imputantur. Sed quoniam nõ satis est abstinere à malo, nisi quisq; se exerceat in bono, datur annulus in manu, hoc est, uirtꝰ operatiua, signaculũ Christiani, ut demonstrare queat quòd recreatus sit ad imaginẽ dei. Obsignatur annulo fidei, ut per opera fides

clareſcat,& per fidem opera confirmentur,ut dicit Beda.Solent eñ qui ſpõſis copulantur,copulæ ſymbolũ ac amicitiæ declarare aut annulo, aut cæteris gẽmis.Oſe.2.Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio & in miſericordia & miſerationibus,& ſponſabo te mihi in fide.2.Cor.1.Qui unxit nos deus,& qui ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.Qui aũt pie uolũt uiuere in Chriſto Ieſu,pſecutionẽ patiẽt. 2.Tim.3.Huic neceſſaria patientia.Heb.10.Patientia uobis neceſſaria eſt,ut uoluntatẽ dei faciẽtes,reportetis promiſſionem.hinc calceamenta danturin pedes,munimẽta cõtra ea q̃ uirtuoſi proceſſus ſunt corruptiua.Ephe.6.Calceati pedes in præparationem euangelij pacis. Quarto, lætanter.Ne quis eũ minoris faceret in domo ob erratũ adoleſcẽtis,uitulo mactato,totam familiam ad communem lętitiã inuitat, & iuſtas gaudij cauſas reddit. Qualiſqualis erat,inquit,filius erat.Is mortuus fuerat, & reuixit. Peccatum enim mors animæ eſt. Ezech.18. Anima quæ peccauerit,ipſa morietur.Sap.16.Homo pmalitiam occidit animam ſuã. Auguſtinus: Vera mors eſt,quam non timent hoies,ſeparatio à deo.Apoc. 3.Nomen habes quod uiuas,& mortuus es. Vitulus ſaginatus non ignoratur quis ſit, q quotidie immolatur & ſumitur,qui multis uerborum &figurarum inuolucris præmonſtratus eſt. Vitulus,quo ad naturã paſſibilẽ, ſecundũ quã fuit immolatus: ſaginat⁹,quo ad gratiam plenitudinẽ. Heb.9. Si ſanguis hircorũ & taurorũ,& cinis uituli aſperſus, inq̃natos ſanctificat ad emundationẽ carnis: quãto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum ſanctum ſemetipſum

Vitulus ſaginatus

obtulit immaculatũ deo, emundauit conſcientiam noſtrã ab operib⁹ mortuis, ad ſeruiendũ deo uiuen ti? Eſa. 25. Faciet dñs exercituũ omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguiũ medullatorũ. 1. Cor. 11. Quotieſcunq; manducabitis panem hunc, mortẽ domini annunciabitis donec ueniat. Qualem autẽ ſe prębuit pater hic parabolicus in recipiendo filio, tales ſe prębere debẽt paſtores & epiſcopi erga peccatorẽ reſipiſcentẽ. Ver⁹ ab hac imagine longe abſunt ſupercilioſi phariſæi, qui ſuis blandientes uitiis, nihil aliud q̃ ſęquiunt in lapſus alienos. Gaudendum ergo maxime miſeræ conſcientiæ iam pacatæ, iam in gratiam receptæ. Pro. 15. Secura mens quaſi iuge conuiuium. Can. 5. Comedite amici & bibite, & inebriamini chariſſimi. Sic & de gentium conuerſione ait Apoſtolus Ro. 15. Gentes aũt ſup miſericordia honorare deũ, ſicut ſcriptũ eſt Pſal. 17. Propterea cõfitebor tibi in gentibus dñe, & nomini tuo cãtabo. Et iter⁹ Eſa. 11. Lætamini gentes cũ plebe eius.

Erat autem filius eius ſenior in agro: & cum ueniret, & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniam & chorum. & uocauit unum de ſeruis, & interrogauit quæ hæc eſſent. Isq; dixit illi: Frater tuus uenit, & occidit pater tuus uitulum ſaginatum, quia ſaluum illum recepit. Indignatus eſt autem, & noluit introire. Pater ergo illius egreſſus, cœpit rogare illũ. At ille reſpondens patri ſuo, dixit: Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquã dediſti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer: ſed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit oẽm

ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, uenit, occidiſti ei uitulum ſaginatum. At ipſe dixit illi: Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt: epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt.

Maior filius myſtice quis.

Dum ergo illi epulantur, filius natu maior uerſabatur in agro legis Moſaicæ, ſudans geſtandis oneribus legis, & exaltans opera legis grauia, quum frater interim iunior acceperit mitiſſimum patris iugum. Affixus enim inſipidæ literæ legis, non nouerat quantum habeat gaudiorum euangelicus ſpiritus. Necdum enim cæleſtia deguſtare nouerat, terrenis promiſſionib⁹ delectatus. Non aũt ſic recepti ſunt gentes, ut excluſi ſint Iſraelitæ, ſed nunc quoq; ſtant pro foribus indignantes, quòd ob gẽtes ad ſalutem euãgelicam receptas, ſibi gratuletur eccleſia. Auguſtinus: Vſq; in hanc horam grauantur intrare in eccleſiam (quæ domus dei dicitur, 1. Timo. 3.) credentium Iudæi. Dura enim ceruice, & incircũciſis auribus & cordibus, ſemper ſpiritui ſancto reſtiterũt. Pater autem egreſſus eſt. 2. Cor. 5. Pro Chriſto legatione fungimur: tanquam deo exhortante p nos, obſecramus pro Chriſto, reconciliamini deo. Nec tanta patris comitate miteſcit filius ille maior, ſed arrogãter expoſtulat cum patre & impie fratrẽ accuſat, quem nec fratris uocabulo dignatur, d. Filius tuus, mactaſti illi uitulum illum inſignem & obeſum. An non uideris tibi uideri filium hunc maiorẽ ingredi indignantem, & hæc murmurantem aduerſus patrem, quũ legis phariſæos obtrectantes Chriſto, quod cum publicanis & peccatoribus cibum ca

piat⁹ Iudæos indignantes aduersus Græcos, quod admitterentur ad ministerium apostolorum, Act. 6. destomachantes quod gentes ab idololatria uenientes, absq; legis onere per solam fidem admittantur ad gratiam euangelicam, baptismo donentur, & spiritusancto confirmentur, Actu. 15. inuidentes quòd ipsis abstinentibus à conuiuio, gentium ecclesia cum inenarrabili gaudio spiritus comedit illum uitulum eximium, quẽ pater pro salute totius mundi mactari iussit⁹ Act. 3. Deus qui prænunciauit per os omnium prophetarum pati Christum suum, impleuit sic. Esa. 53. Propter peccata populi percussi eum. Ipse autem uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Debes ergo & gratulari fratri, nec abesse ab huius conuiuij lætitia. Itaq; putato non tibi redisse eundem, sed ꝓ malè frugi, probum esse renatum. Non decet memĩnisse qualis fuerit, sed gaudere quòd talis sit qualẽ optamus. Hic em̃ scopus est parabolæ propter pharisæos murmurantes quòd peccatores susciperet, q̃ docet, etiam si iusti simus, non repellendos peccatores, neq; obmurmurandũ expectante illos deo. Nullus igitur iudicia dei grauatim ferat, sed gratum sit ei, si peccatores feliciter agant & saluentur. Qui em̃ scis, si is quem tu peccatorem censes, pœnitentiam agens gratior fiat⁹ Quid si occultas habeat uirtutes, & propterea à deo benigne respiciatur⁹ Porro natu minor hoc repperit animum patris propensiorem ad ignoscendum, quòd gentes quæ deum non nouerant, errore deliquerũt uerius quàm destinata malitia. Solet enim adolescentiæ comes esse rerum imperitia & incogitantia: & idcirco huic ætati liben-

tius ignoscimus. Porro Iudæus q̃ sibi uidebatur esse iustus, sibi placens ex obseruatione legis, grauius peccat inuidendo fratri, q̃ ille peccauerat aberrando. Hinc publicanus descendit de templo iustificatus præ pharisæo, Luc. 18.

De uia ad uitã, Mat. xix, Mar. x, Luc. xviii.

ARTICVLVS LXXXIII.

Mat. 19. N

ET ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam ut habeam uitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus, deus. Si autem uis ad uitam ingredi serua mandata. Dicit illi: Quæ? Iesus autem dixit: Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, honora patrem & matrem, diliges proximum tuum sicut teipsum.

Quàm noxia diuitiarum sit cupiditas, ostendit, quæ semen uerbi diuini suffocat. Mar. 10. Et cũ egressus esset in uia, procurrens quidam genu flexo ante eũ, rogabat eum. Luc. 18. Et interrogabat eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciens uitam æternã possidebo? Suspicabatur Iesum sibi indicaturum modũ quempiam, quo diuitiarum possessione perpetuo frui posset. Audierat enim Iesum docentem, præcepta legis Mosaicæ non esse satis ad consequendum regnum cęlorum. Dominus aũt indicare uolens quod bonitatis cognomẽ in neminẽ cõpetat, nisi in solũ deũ, q̃ suapte natura bonus est, ait Luc. 18. Nemo bonus nisi solus deus. Nã uere bonus per essentiã, & fons bonitatis. Hieronymus: Qui magistrum uocauerat bonũ, & nõ deum uel dei filium cõfessus fuerat, discit, q̃uis sanctũ, hominẽ comparatiõe dei

nō esse bonū, de q̄ dicitur Psal.117. Confitemini domino qm̄ bonus. Origenes: Bonus homo dicitur in euangelio, Mat.12. sic angeli boni, Psal.142. & spūs sanctus bonus, Lu.11. & filius dei q̄ imago est bonitatis illius, Sap.7. Ver⁹ deo proprie cōuenit, esse bonū: omnibus alijs, abusiue & eatenus, quatenus naturā participant diuinitatis: atq; ut cognoscamus nos nihil à nobis, sed à deo posse, sibiq; totum tribuere. Lu.17. Cum feceritis oīa quæ præcepta sunt uobis, dicite: serui inutiles sumus. Cōparatione em̄ dei, etiā dum declinamus à malo & facimus bonū, parū est. Iob.4. Nunquid homo dei cōparatione iustificabitur? aut factore suo purior erit uir? Nullus ergo, p̄prie bonus, partim quòd mutabiles sumus de bono in malum, partim q̄ nostra bonitas ad diuinā collata bonitatē, malitia sit. Istis ergo uerbis mentē iuuenis sublimiorem reddere uoluit, ut ipse tanq̄ deus agnoscat. Admirare adolescentē, quod quū alij plerisq; sanandor⁹ morbor⁹ gratia accesserint, ille uitæ æternę hæreditatē quæsierit, tametsi grauissimo auaritiæ morbo teneretur. Quid faciā, inqt, ut uitā ęternā percipiam? Mar.10. Ro.2. Non em̄ auditores legis iusti sunt apud deū, sed factores legis iustificabūtur. Iac.2. Fides sinē operibus mortua est in semetipsa. Dominus ad legem mittit, ne Iudæi dicerēt q̄d legem cōtemneret. Mar.10. Prę cepta nosti. Eccl.15. Deus ab initio constituit hoīem, & reliquit eū in manu cōsilij sui: adiecit mandata & p̄cepta sua: si uolueris mādata cōseruare, conseruabūt te, & in ppetuū fidē placitā seruare. Apposuit tibi aquā & ignē: ad quod uolueris, porrige manū tuam. Ante hominē uita & mors, bonū & malū: q̄d placuerit ei, dabit illi,

Sed quoniam legis mãdata multiplicia erant, utpote moralia, iudicialia, cæremonialia, interrogauit q̃. Ponit autem præcepta secundæ tabulæ proximum respicientia, quantũ ad duo præcepta naturæ. Tob. 4. Quod ab alio tibi oderis fieri, uide ne tu aliquando alteri facias. Matt. 7. Omnia ergo quæcunq; uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis: hæc est enim lex & prophetæ. Infertur autem nocumentum proximo uel in propria persona, contra hoc ait: Non occides, prætermisso ordine iuris. Gene. 9. Quicunque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe dei factus est homo. Alioqui Exod. 22. Maleficos non patieris uiuere. Vel in persona coniuncta, Non mœchaberis. Prou. 6. Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam. Heb. 13. Fornicatores & adulteros iudicabit deus. 1. Corin. 6. Neq; adulteri regnum dei possidebunt. Aut in substantia, & hoc uel facto, contra quod, Non furtum facies. 1. Cor. 6. Neq; fures regnũ dei possidebunt. Mar. 10. Ne fraudem feceris. 1. Thes. 4. Ne quis supergrediatur neq; circunueniat in negocio fratrem suum, *quoniã* uindex est dominus de his omnibus. Honora patrem & matrem. Ephe. 6. Filij, obedite parentibus uestris in domino: hoc enim iustum est. Honora patrẽ tuũ & matrem tuam, quod est mandatũ primum in promissione, ut bene sit tibi, & sis longæuus super terrã. Omnia autem in uno concludit, dicens: Diliges proximum. Ro. 13. Qui enim proximũ diligit, legẽ implenit. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis, est dilectio. 1. Ioh. 4. Et hoc mandatũ habemus à deo, ut q̃ diligit deũ, diligat & fratrẽ suũ.

At ille respondẽs, ait illi: Magister, hæc omnia ob- 2
seruaui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? Ait
illi Iesus: Si uis perfectus esse, uade & uende omnia
quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum
in cælo: & ueni, sequere me.

Mar. 10. Iesus autem intuitus eum, dilexit eum, et dixit ei: Vnum tibi deest. Vade etc. Iesus adolescentem intuitus probæ indolis ac lætæ spei, qui nõ ista fingeret, nec sibi malitiose placeret, quẽadmodum pharisæi, significabat sese etiam huius ætatis studio delectari. Quòd ista seruaris, ingt, laudo: cæterũ in istis, ut tu putas, nõ ẽ collocata pfecta iustitia. Præscribit autẽ illi paupertatẽ caput oĩm uirtutũ. Si uis pfectus eẽ, ingt. Hiero. In uolũtate nostra ẽ, utrum uelimus esse pfecti: tñ qcunq; pfecti esse uolumus, uendere debemus, non dissipare, q̃ habemus: & non ex parte, sicut Ananias & Saphira. Act. 5. Quæ pos sides, ait. Pro. 3. De primitijs frugũ tuarum da pauperibus. Aliena eñ restituenda sunt. Lu. 19. Si quid aliquem defraudaui, reddo q̃druplũ. Da pauperib⁹, non histrionibus uel amicis. Lu. 14. Cum facis prandium aut cœnam, noli uocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos, neq; uicinos, neq; diuites, ne forte & ipsi te reinuitent, & fiat tibi retributio: sed cũ facis prandiũ, uoca pauperes, debiles, claudos & cæcos: & beatus eris, qa nõ habẽt retribuere tibi. Retribuet eñ tibi in resurrectione iustorũ. Nec hoc satis est ad pfectionem, nisi post contẽptas diuitias saluator sequat. Multi eñ pauperes & misericordes plurimis scatent uitijs, quare & uia uirtutum ample ctenda. Sic ergo dissipare, recondere est: nam p ter-

renis opibus meliorem thesaurum habebit in cęlis. Orig. Iste qui mutat pro diuitijs paupertatem, ut fi at perfectus, credens sermonibus Christi, adiuuabit statim sicut apostoli Christi, ut sapiens fiat in Christo, ut magnanimus, ut iustus, ut castus, ut absq; oñi passione. Obserua euangelium quædam præcipere, quædam consulere. Sunt enim præcepta de his, quæ ad salutem adeò sunt necessaria, ut non possit cuiq; his non obseruatis salus contingere. Vnde dñs præcepta tradens, absolute loquebatur, pœnas æternas transgressoribus intẽtans. Nisi abundauerit, inquit, iustitia uestra plusquam scribarũ & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum, Mat. 5. Consilia autem de his, quæ ad salutem utilia sunt, ut tñ sine ipsis salus contingere possit. Heb. 12. Hic (eruditi nos) ad id quod utile est. Vnde magni consilij angelus dicitur Esa. 9. Sed Pharisæi spreuerunt consilium dei, Lu. 7. Quare dñs paupertatis proponens consilium, non coacticio usus est sermone, neq; pœnam non seruãtibus comminatus est aliquam, neq; necessitatẽ imposuit, sed in hoïs arbitrio sitũ esse uoluit. Sic & cõtinentiã. Mat. 19. Qui potest capere, capiat. Hinc de uirginibus ait Apostolus 1. Cor. 7. De uirginibus pceptum dñi non habeo, consilium aũt do. Qui nõ iungit matrimonio uirginẽ suã, melius facit. Audis hic penes arbitriũ libertatẽ sitũ, si uelis cõtinere: cõsiliũ em̃ dãs, indicat rem factu possibilẽ. Et Christus testat̃ q̃sdam se castrasse, ꝓpter regnum cælorũ. Erit igit non coacta, sed spõtanea uolũtas: q̃ fit, ut q̃d uolẽs pollicita est, q̃ve sese sua spõte astrinxit, id ut reddat oportet, mõ liceat, deceat arq; expediat. Hiere. 4. Iurabitis, dicit dñs, in iustitia, iudicio,

Consulitur euangelio quędam, quędam præcipi.

& ueritate. Eiusmodi uota non semel scripturę sanctæ commendant, & seruanda p̃cipiunt. Deute. 23. Cum uotum uoueris domino deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud dominus deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: si autem nolueris polliceri, absq; peccato eris: q̃d aũt semel egressum est de labijs tuis, obseruabis: & faci es sicut promisisti domino deo tuo, & propria uoluntate & ore locutus es. Pro. 22. Ruina est homini deuotare sanctos, & post uota retractare. Porro Esa. 19. ecclesiæ tempus designans, ait: Cognoscent Aegyptij dominum in die illa, & colent illum in hostijs & muneribus, & uota uouebũt domino, & soluent. Sic & Paulus adolescentularum transgressionem, quæ sese dño deuouerant dãnans, dicit 1. Tim. 5. Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere uolũt, habentes damnationem, qa primam fidem irritam fecerunt. Licet ergo consilia quæ circa paupertatẽ, castitatem & obedientiam uersant, carni pugnent, ea tñ spũs amplectit ẽsi salubria & ad beatitudinem expedientia, qbus & Christus adest, ut exequant suo p̃sidio suaq; gratia. Sic adfuit Paulo 2. Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea. Phi. 4. Oĩa possum in eo q me cõfortat. Sic adest & oĩbus ad ipsum cõfugiẽtibus, eumq; in ueritate precantibus. Lu. 11. Petite, & accipietis. Chrys. Neq; ẽm oneros̃um aliqd aut molestũ est imperatũ, sed facilia cũcta, prsus ac leuia, ut si asferamus, pmptã solũmodo uoluntatẽ, oĩa efficere possimus, etiã si peccatis pleni fuerimus innumeris. Nam & Manasses post sceleratã mũdatus est uitam ac dilutus. Quo autẽ istud effecit modo? pœnitentiæ profectu, fletu, studio uoluntatis. Non est qppe

aliquod peccatum, quod non cedat pœnitentiæ uir tute, imò gratiæ dei, qui, cum ad meliora conuertimur, cõtinuo nobis cooperator efficitur. Si em̃ bonus esse malueris, q̃ prohibeat, nullus omnino est. Est quidem diabolus prohibens, sed profecto nihil poterit, te eligẽte meliora: magis autem hoc tibi in adiutorium, deo cooperante. Quod si tu certe nolueris illud, retroq; recesseris, quemadmodum ille tutabitur? Non enim necessitate ac uiolentia, sed cum tua te uult uoluntate saluare. Deus enim non uult te uiolenter astringere, quemadmodum è regione, si solam ad placendũ ei ostenderis uoluntatem, nũq; te ille destituet, quãtalibet aduersus te diabolus moliatur. Nude ergo & expedite Christus sequendus. Hiero. Si habes substantiam, uẽde: si nõ habes, grandi onere liberatus es. nudum Christũ nudus sequere. Durum, grande, difficile: sed magna sunt præmia, dicente domino Matt. 5. Beati pauperes spiritu, q̃m ipsorum est regnum cælorum.

§ *Cum audisset autem adolescens uerbum, abijt tristis. Erat enim habẽs multas possessiones. Iesus autem dixit discipulis suis: Amẽ dico uobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico uobis: facilius est camelum per foramen acus trãsire, q̃ diuitem intrare in regnum cælorum. Auditis autem his, discipuli mirabantur ualde, dicentes: Quis ergo poterit saluus fieri? Aspiciens autem Iesus, dixit illis: Apud homines hoc impoßibile est, apud deum autem omnia poßibilia sunt.*

Auebat adipisci uitam æternam, ambiebat pfe-

ctionis honorem: sed hunc affectum ueluti bonum semen obruebant spinæ diuitiarũ, q̃s subito relinque re, uidebat admodum durum. Mar. 10. Qui cõtristatus in uerbo, abijt mœrens. Quo claret benevolum illum fuisse, & q̃is auarus, uitã tñ desiderasse æternam. Itaq; mœstus abijt domum, nequaq̃ intelligẽs Iesum non damnare diuitias, sed affectum & amorem, curasq; diuitiarum, quibus uix possunt non esse obnoxij q̃ eas possidẽt. Vidẽs ergo Iesus mœstum illum abire, q̃ sic ambiebat felicitatẽ regni cælestis, ut tñ opes huius mundi non posset cõtemnere, conuersus, Marc. 10. & circunspiciens, ait discipulis suis: Quàm difficile q̃ pecunias habẽt, in regnum dei introibũt? Nam angusta porta & arcta uia est q̃ ducit ad uitam. Mar. 10. Discipuli autem obstupescebant in uerbis eius. At Iesus rursus respondens, ait illis: Filioli, q̃ difficile est confidẽtes in pecunijs in regnum dei introire. Tenaciores em̃ iusto, adhærẽt pecunię, & difficile abstrahitur q̃ talibus est comprehensus. Quàm diu enim pecunias habem⁹, molit diabolus nos supplantare, ne regula dispensationis rectè utamur, & difficile est effugere eius laqueos. 1. Tim. 6. Qui uolunt diuites fieri, incidunt in tẽtationem & in laqueum diaboli, & in desideria multa & inutilia & nociua, q̃ mergunt homines in interitum & in pditionẽ. Radix em̃ oĩm malorũ est cupiditas. Eccl. 10. Nihil iniqus q̃ amare pecuniam, hic em̃ aĩam suam uenalem habet. Humilis porta nõ recipit cameros opũ sarcinis onustos. Sic em̃ notauit diuites auaros, quibus diuitiæ magis sunt oneri q̃ usui, ut quas alijs baiulant potius q̃ sibi. Eccẽs. 5. Diuitiæ cõseruatæ in malum dñi sui, Generauit filium, q̃ in summa

egestate erit. Sicut egressus est nudus de utero matris suę, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas, quomodo uenit, sic reuertetur. Capit̃ etiam camelus & pro fune, quo nautæ pro alligandis ancoris utuntur. Mar. 10. Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos, & quis potest saluus fieri? Existimabant uix quempiam posse inueniri, qui amplas possessiones subito profusurus esset ob regnum dei, quanq̃ ipsi paucula quædam reliquissent: unde non pro seipsis interrogant, quum pauperes essent, sed pro oibus, qa misericordes erant. Quotus em̃ qsq; est mortalium, q aut abijcere possit diuitias quas habet, aut nõ optare si non habet? Lu. 18. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud deum. Docet nõ humana infirmitate metiendam salutem, sed uirtute diuina. Nam eius consilio amicos facimus de mammona iniquitatis, Lu. 16. Hiero. Vbi difficile ponit̃, non impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur. Difficilimum est, temporalibus abũdare, & ea non inordinate amare: esse in diuitijs, & non uti delicijs: ab alijs ob diuitias honorari, & non extolli, nec mundi uanitates sectari. Eccĩ. 51. Beatus diues q inuentus est sine macula, & q post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia & thesauris. Quis est hic & laudabimus eum? fecit em̃ mirabilia in uita sua. Nõ ergo humanarũ ẽ uiriũ, contẽnere diuitias, eaq; cõmoda q̃ diuitias consequunt̃: sed hanc animi sublimitatẽ impartit deus ijs q p credulitatem simplicem, p̃bent se aptos dotib⁹ diuinis. Solus ille mutat animos diuitũ, ut alacres etiã uel abijciant q̃d possidẽt, uel possideãt tanq̃ cõmunes, non ꝓprias, semp

parati relinquere, si qñ id postulet euangelij negocium. Quur enim ægre contemnant opes, q non grauantur impendere uitam? Dues enim apud deum esse desiit, quisquis amorē posuit pecuniæ, & sic habet, ut libentissime sit relicturus, quoties id postularit ratio salutis æternæ. Psal. 61. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Iob. 31. Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea. Si lætatus sum super multis diuitijs meis, & qa plurima repperit manus mea. Hinc 1. Tim. 6. Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum suarum, sed in deo uiuo, qui præstat nobis oñia abunde ad fruendum: bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamētum bonum in futurum, ut apprehendant ueram uitam.

Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus oīa, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? Matt. 19. O

Ostendit incōprehensibilia manere bona eos, q terrenis contēptis & relictis Christū sequunt. Nōnihil spei ex dñi uerbis conceperat Petrus, qbus iuuenem admonuit, uenditis oībus & in pauperes erogatis, se sequi: qui quanq̄ dues non esset, tñ hoc ipsum quod habebat, alacer reliqt, ac dñm fuerat secutus. Hinc ait: Præstitimus quod ab adolescente requirebas. illi, pmittebas thesaurum in cælis, nobis igit qd sperandum est præmij? Hiero. Grandis fiducia. Petrus piscator erat, dues non erat, cibos manu & arte q̄rebat: & tñ loquitur confidenter, reliqmus oīa. Mat. 4. Relictis retibus & naui, secuti sunt eum. Plurimum reliquit, q totum quod habet, sic deserit, ut

nec de ſarciendo, nec de augẽdo cogitet. Etẽ paruarũ rerũ magna tenemur affectione. Sed & oẽs uo luptates reliqt, & cum parentibus amorẽ carnis. Illæ eẽ affectiones nonſolũ contra diuites, ſed etiam contra pauperes militant. Vnde dñs dixit Abraæ Gen. 12. Egredere de terra tua & de cognatione tua & de domo patris tui. Orig. In datis non ipſum datum, ſed affectum dantis aſpiciens deus iuſtificat, & melius ſuſcipit parua dantem cum magno affectu, q̃ magna ex affectu modico. Exemplo ſunt duo minuta uiduæ, Lu. 21. & hic Petrus. Quanq̃ nonnulli haud pauca reliquerunt, ut claret in Matthęo, Lu. 5. Sed quia nõ ſufficit tm̃ relinquere, hoc eẽ & Sotates fecit & alĩ, adiungit q̃d ꝓfectum eſt. Et ſecuti ſumus, ingt, te corporis greſſu, cordis affectu, uitæq; ſimilatione. 1. Ioh. 2. Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. 1. Cor. 4. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Eccl. 25. Gloria magna eſt ſeq̃ dñm. longitudo eẽ dierũ aſſumet ab eo. Nã Ioh. 14. Nemo uenit ad patrẽ niſi ꝑ me. Hinc Ioh. 8. Qui ſequit me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen uitæ. Ioh. 14. Ego ſum uia, ueritas & uita.

2 *Ieſus autem dixit illis: Amen dico uobis, quod uos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & uos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.*

Hiero. Non dixit, qui reliquiſtis omnia, hoc eẽ multi fecerũt uanitatis ſtudio, ſed q̃ ſecuti eſtis me, q̃d ꝓprium apoſtolorũ eſt atq; credentiũ. In futuro ſeculo, quum reuixerint mortui, dabitur q; cuiq; pro

meritis suis præmium, iamq; filius hominis depositā, quam nunc uidetis, humilitate, consederit in sede maiestatis, manifeste & uniuersaliter exerēs iudiciariam potestatē. Ioel. 3. Consurgant & ascendant gētes in uallē Iosaphat, qa ibi sedebo ut iudicē oēsgentes in circuitu. Dan. 7. Aspiciebā ergo in uisione noctis, & ecce cum nubibus cęli quasi filius hoīs ueniebat, & usq; ad antiquū dierum peruenit, & in cōspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatē & honorem & regnum, & oēs populi, tribus & linguæ seruient ipsi. Actu. 10. Ipse est, qui constitutus est à deo iudex uiuorum & mortuorum. Origenes trēs ponit generationes. Vnam, qua omnes nascimur filij iræ, Ephe. 2. Qua nemo mundus à sorde, nec infans cuius est unius diei uita super terram, Iob. 15. Altera, qua renascimur ex aqua & spiritu sancto, Iohan. 3. qua consepelimur Christo. Ro. 6. An ignoratis fratres, quia quicūq; baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriā patris, ita & nos in nouitate uitę ambulemus. Qua oīs tergitur macula, qua omnis mundus à sorde. Ephe. 5. Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mūdans eam lauacro aquæ in uerbo uitę, ut exhiberet sibi gloriosam ecclesiam, nō habentē maculam aut rugā, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. In tertia conformes fiunt corpori claritatis Christi, quæ terminatur ad esse substantiale secundo collatum, restitutumq; corpori. 1. Corin. 15. Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile

Generationes tres.

hoc induere incorruptionē, & mortale hoc induere immortalitatem. Phi. 3. Nostra conuersatio in cælis est, unde etiā saluatorē expectamus dñm nostrū Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationē uirtutis suæ, qua possit etiam sibi subijcere oīa. Sedebitis & uos piscatores, modò toti mundo exosi, abiecti, ac penitus deplorati, tūc cōsortes honoris, q̄ nunc cōsortes estis afflictionis, iudicantes duodecim tribus Israel: q̄a uobis credentibus, illi credere noluerunt, quod ex eadem stirpe ꝓgeniti, ijsdē miraculis ac beneficijs prouocati, tamē nulla ratione ꝑduci potuerunt ut crederēt, quū uos humiles & idiotę, statim ad simplicē uocis iussionē, etiā illa reliqueritis, quibus uitā sustētabatis. Hieronymus: Discimus hic, dñm cum suis discipulis iudicaturꝝ. Vnde Mat. 12. Lu. 11. Ideo ipsi iudices uestri erunt. Nec qm̄ sup duodecim sedes sessuros ait, duodecim solos hoīes cū illo iudicaturos putemus. Alioqui quū in locum Iudæ Matthias selectus sit, Paulus qui plus oībus laborauit, ubi ad iudicandū sedeat, locū non habebit, 1. Cor. 15. qui tñ ad numerꝝ iudicantium se cum alijs ꝑtinere demonstrauit, dicens 1. Cor. 6. Nescitis qm̄ angelos iudicabimus? Sic & de īpsis iudicandis. si em̄ duodecim tribus Israel, ubi tribꝰ Leui q̄ decimatertia? ubi & gētes? Num & Iudas? Non, quia non sequutus ꝑseueranter. Sæpe em̄ deus pollicetur bona quibusdam dignis, quæ aufert, quū exciderint & indignos se reddiderint. Similiter facit & in asperis: sæpe minatur, & non inducit, cōuersis nobis. Obserua quod Christus secundum naturā diuinā, imò tota trinitas, iudicabit autoritatiue: secun

dū quod homo, executiue. Ioh. 5. Pater omne iudicium dedit filio. Apostoli p assessoriam dignitatē, tanq̄ amici. Cæteri electi per approbationē, sententiam iudicantis iustissimam approbātes. Minus mali, per comparationem. Matt. 12. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cū generatione ista, & condēnabunt eam. Qui ergo sua relinquentes, dominum secuti sunt, hi iudices cum domino erunt: qui licita habentes, recte usi sunt, iudicabuntur, quibus dicetur: Venite benedicti patris mei, percipite regnū quod uobis paratum est ab origine mundi. Esuriui ēm, & dedistis mihi manducare, &c. Mat. 25.

Et omnis qui reliquerit domum uel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. 3

Volens ostendere hanc eximiam laudem non solum patere diuitibus, uerū etiam tenuibus, q̄ quicqd hoc est q̄d possident, libenter habēt, p derelicto ob euangelium, quum hæc uirtus magis æstimetur ab affectu relinquentis, q̄ à modo rei relictæ. Mar. 10. Amen dico uobis, nemo est qui reliquerit domum &c. propter me & euangelium, (Luc. 18. propter regnum dei) qui non accipiat centies tm̄ nunc in hoc tempore, hoc est, domos, & fratres & sorores & matres & filios, & agros cū psecutionibus, & in futuro uitam æternā. Ne pœniteat relictorū, magnū ostendit præmiū & lucrū, ob dei regnū fecisse iacturā. Hieronymꝰ: Sensus est: Qui carnalia, p saluatore dimiserit, spiritualia recipiet, quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi paruo numero centenarius

comparetur. Pro singulis relictis centuplum accipiet in hac uita, quantumuis sæuiant persecutionũ procellæ. Siquidem longe plus accrescit ex charitate euangelica, quàm decessit ex immanitate persequutorum. Vehementiores atq; dulciores sunt affectus spiritus quàm naturę. Psalm. 118. Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Nulla enim comparatio fluxarum rerum; & mox, etiam si nullus eripiat, perituraru, ad opes animi, quas nemo potest elargiri nisi solus deus, nemo potest eripere nisi qui largitur. Phil. 3. Verumtamen existimo omnia detrimẽtum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Quid enim confert uxor domui uiri suis? Profecto curat quo necessaria sint parata. Quot fuerunt & sunt, qbus cura de necessarijs prædicatoribꝰ fuit uerbi diuini? Sic matres, sic fratres, &c. qui amico diligunt affectu. Hinc 1. Cor. 7. Tanquam nihil habẽtes, & omnia possidentes. Et si hoc parum uidetur, addetur & ad cumulũ, æternæ uitæ possessio in seculo futuro. Chrysostomus: Aspice qualiter paupertatem quam docuerat, dominus p opera demonstrauit: confundantur paupertatis detractores, cuius gloria in capite nostro in ipsis etiam incunabulis refulget. Lu. 2. Pannis eũ inuoluit, & reclinauit in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. 2. Cor. 8. Scitis gratiam domini nostri Iesu Christi, quoniam propter uos egenus factus est, cum esset diues, ut illius inopia uos diuites esseti s. Mat. 8. Vulpes foueas habent, & uolucres cæli nidos: filius aũt hominis non habet ubi caput su-

um reclinet. Itaq; ne discipulis securitatem adderet, quod à domino ob derelictas res & affectus neglectos essent collaudati, adiecit:

Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. P

Non enim in rebus sita est ista laus, sed affectibus. Pauperior est, qui quod casu obtigit, sic habet quasi non habeat, facile donans quoties subleuandus est proximus: nec gaudio gestiens si quid accrescat, nec dolore contabescens si quid eripiatur: quàm is, qui hoc ipsum quanuis pusillum quod habet, magnifacit, nec augendi ullum facit finem. His dictis uidebatur Iudam notare, qui quum & ipse relictis oñibus sequutus esset dominum, tamen post sceleratius auarus compertus est, q̃ ñ qui iuxta mundũ sunt opulentissimi. Sic & Iudæi nouissimi facti, qui primi, econtra gentes. Hieronymus: Non tẽpore differente domino, sed fide.

De operarijs in uinea, Mat. xx.

ARTICVLVS LXXXIIII.

Similè est regnum cælorum homini patrifamiliàs, qui exijt primo mane conducere operarios in uineam suam. Conuentione autem facta ex denario diurno, misit eos in uineam suam. Et egressus circa horam tertiam, uidit alios stantes in foro ociosos, & dixit illis: Ite & uos in uineam meam, & quod iustum fuerit dabo uobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa horam sextam & nonam, & fecit similiter. Circa undecimam uero exijt, & inuenit alios stan- Mat. 20. Q

tes, & dicit illis: Quid hic statis tota die ociosi? Dicit ei: quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & uos in uineam meam.

Quoniam ænigma uidebat quod dixerat de primis & nouissimis, explanat parabola, qua declarat diuersis ætatibus homines esse uocatos ad cultum pietatis, & omnibus tamen iustitiæ cultoribus idem esse præmium æternę salutis, modò uocati gnauiter laborauerint in uinea iustitiæ. Regnum cælorum, præsens dicitur ecclesia, quæ cum triumphante unũ facit regnũ. Huius rex, deus: lex, charitas: plebs, Christiani: una merces, æterna felicitas, quæ hic in spe habetur, & illic percipitur in re. Roman. 8. Spe enim salui facti sumus. 2. Cor. 5. Quàm diu sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino. Non tamen iumus hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum & domestici dei, Ephe. 2. Hinc Phil. 3. Nostra conuersatio in cęlis est. Col. 3. Quæ sursum sunt, quærite, non quæ super terram. Conditor ergo noster recte paterfamilias dicitur, qui electos quos cõdidit, in mundo quasi subiectos in domo gubernat. Baruc. 3. O Israel, quàm magna est domus dei tui, & ingens locus possessionis eius. Deut. 32. Nonne ipse est pater tuus, qui possedit, fecit & creauit te? Sapien. 11. Diligis omnia quæ sunt, & nihil eorum odisti quæ fecisti: nec enim odiens aliquid fecisti aut constituisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu uoluisses? aut quod à te uocatum non esset, conseruaretur? Sapien. 12. Tu autem dominator uirtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos. Subest enim tibi, cum uoluerit,

Paterfamilias dominus.

posse. Exijt non loci mutatione, sed noua operatione. Quũ enim non cognoscitur, in occulto est: quando cognoscitur, de occulto procedit ad notitiam: eoq; frequẽtius exijt, quo amplius sui notitiam dedit Israeli, ut dicit Gregorius: Ad erudiẽdam plebẽ suam, quasi ad colẽdam uineam nullo tempore destitit operarios mittere: quia & prius per patres, & postmodum per legis doctores & prophetas, ad ultimum per apostolos, dum plebis suæ mores excoluit, quasi per operarios in uineæ cultura laborauit. Quanuis & pro quolibet modulo uel mensura, qsquis cum recta fide bonæ prædicator actionis extitit, huius uineæ operarius fuit. Esa. 5. Vinea domini exercituum, domus Israel est: uiri Iuda, germen eius delectabile. Ne putaretur ante legem non fuisse, ait Psalm. 79. Vineam de Aegypto transtulisti, & plantasti eam. Hanc ob malitiam agricolarum, qui hæredem occiderunt, alijs locauit, Matth. 21. Vt enim uinea fertilis iucundissimos fructus producit, ita & Christi ecclesia: atq; ut ramos quosdã habet aridos, ita & in ecclesiæ corpore est inuenire membra quędam arida. Testatur dominus Iohan. 15. Ego sum uitis, & uos palmites. Conducit aurem operarios, non loquutores, qui dicant & non faciant, Matth. 23. Chrysostomus: Conuentio est uitæ æternæ promissio. Denarius imaginem regis habet, qui olim ꝓ decem nummis computabatur: & signat, quod homo qui ad imaginem dei factus fuerat Gene. 1. sed per peccatum deformatus, in æterna beatitudine perfecte reformaretur ex obseruatione præceptorum decem decalogi, quæ in duobus charitatis præceptis includuntur, dilectionis dei & proximi.

Diurnus cur denarius dicatur

Diurnus dicitur, quia propter eum quotidie laboratur, & quotidie regnũ ingredientibus cæleste datur, ipsumq; meremur in die gratiæ. Iohan. 9. Venit nox quando nemo operari potest. & accipiemus in die gloriæ. Psal. 83. Melior est dies una in atrijs tuis super millia. Noluit diuina benignitas ut gratis sibi seruiretur, sed p denario diurno, hoc est, regno cælorum. Diligenter ergo curandum, ne de uinea excidamus per infidelitatẽ, & ne malitiose in ea operemur peccando: alioqui ejiciemur sicut Adam Gene. 3. ac tertio, ne negligenter laboremus. Hier. 48. Maledictus qui facit opus dei negligẽter, Origenes: Affectus, non tempus, respicitur, quod quis fecit in fide: ideo non aspicitur ex quo quis uocatus est, sed quantum quis operatus est, & ob id omnibus idem tribuitur denarius. In foro, hoc est, in seculo, rerum temporalium negociationibus pleno, ubi plurimi animas uendunt, derenti per mundi concupiscentiam, fugientes bene operari per negligentiã, Ite & uos, dimittendo opera tenebrarum, faciendo fructus lucis. Roma. 13. Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Cum istis non componit de precio, sed quod iustum est dicit. Reddet enim cuiq; secundum opera sua, Mat. 16. Ad undecimam exiens, inuenit rebus temporalibus inhærentes, & spiritualem profectum negligentes. Ioh. 16. Exiui à patre & ueni in mundum. Iohan. 3. Lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Eccl. 33. Multam malitiam docuit ociositas. Vnde Ezech. 16. Hæc est iniquitas sororis tuæ Sodomæ: superbia, & abundantia panis, & ociositas. Prou. 12. Qui operatur terram suam, satia-

bitur panibus: qui autem sectatur ocium, stultissimus est. & 28. Qui sectatur ocium, replebitur egestate. Omnis etiam gentilium uita, extra Christum infructuosa. Nemo, inquit, nos conduxit, hoc est, uias uitæ nemo nobis aperuit. Nam per legē scriptā conducti nō erant, & lex naturæ in ipsis obscurata. Ro. 1. Obscuratum est insipiens cor eorum, ut perfectam de deo cognitionem non haberent. Actu. 17. Et tempora quidem huius ignorantiæ (qua sculptilia deos putarunt) despiciens deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant. Hinc dominus grauitatem incredulitatis metitur, d. Ioh. 15. Si nō uenissem, & locutus eis nō fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationē non habent de peccato suo. Rom. 11. Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret. Chrysostomus: Dies ista, operationum dies: dies quæ sequitur, dies feriarum. Considerāda pietas dei, quæ ut occasionem habeat præmiandi, undecima operarios mittit in uineam. Nam & gentiles ad undecimam uocantur. Possunt & ad unumquenq; horarum diuersitates, per ætatum momenta distingui. Mane pueritia, in qua bene operari nitimur. Ecc̄. 39. Cor suum tradet ad uigilandum diluculo, ad dominū qui fecit illum. Hora tertia, qui in adolescentia, quando sol (hoc est, calor naturalis) in altū tendit. Thren. 3. Bonum est uiro cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Prou. 22. Prouerbium est, adolescens iuxta uiam suam, etiam cum senuerit, nō recedet ab ea. Eccēs. 12. Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ. Hora nona qui saltem in senectute, quando sol (hoc est, calor naturalis) declinat.

Mane.

Hora tertia.

Nona hora.

Vndecima qui in decrepita ætate, & ultimo uitæ fine. Id enim uult parabola, & in senecta licet resipiscere & regnum cælorum assequi. Concludit ergo dei pietas duritiam nostram.

2 *Cum sero autem factum esset, dicit dominus uineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis usq; ad primos. Cum uenissent ergo qui circa undecimam horam uenerit, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi. acceperunt autem et ipsi singulos denarios. Et accipientes, murmurabant aduersus patremfamiliàs, dicentes: Hi nouissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti qui portauimus pondus diei et æstus?*

Sero mystice quid.

Sero, ut dicit Rabanus, mundi finis est, aut uitæ uniuscuiusq; terminus. tunc eñ nõ est tẽpus operandi fructuose, sed mercedis recipiendæ. Procurator Christus, cui oĩa pater dedit in manus, Ioh. 13. *Nam* ,,curat nobis patris propiciationẽ. 1. Ioh. 2. *Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem, Iesum* Christũ iustum: & ipse est propiciatio pro peccatis nostris. nõ ,,p nostris aũt tm̃, sed & pro totius mũdi. Sic & iustam remunerationem. Mat. 25. Venite benedicti patris mei, possidete paratũ uobis regnum. Heb. 10. Habentes fiducíam in introitu sanctorũ in sanguine Christi. Voca operarios. Apo. 14. Opera enim illorum sequuntur illos. Apoc. 22. Ecce uenio cito, & merces mea mecum est, dare unicuiq; secundum opera sua. 1. Cor. 3. Vnusquisq; propriam mercedem accipiet secũdum suum laborem. Iob. 5. Ho-

mo nascitur ad laborem. Vnde Ge. 3. In sudore vultis tui uescēris pane tuo. Nam & primus homo positus fuit in paradisum, ut operaret & custodiret illū, Gen. 2. Ideo admonet Eccēs. 9. Quodcunq; potest manus tua, instāter operare: qa nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erūt apud inferos quò tu properas. Chrysostomus: Iustitiæ fuit, oībus reddere, sed nouissimis: primū non fuit iustitiæ contrariū, sed misericordiæ ostensiuū. Iudęi prius uocati sunt, sed tñ gentes post uocatæ, non solum æquatæ sunt illis, uerum etiam antepositę increduliis. Namin aduentu domini uocati, ad regnum sine aliqua tarditate ueniunt, ęquales ijs qui ab initio mundi cœperūt, prius etiam latronem q̄ Petrum in paradisum pduxit. Qui circa undecimā uenerant, una tātū hora laborauerant: & tñ acceperunt & ipsi singulos denarios uitā æternā, q̄ (ut dicit Augustinus) æqualis erit oībus, nulli longior, nulli breuior: meritoꝝ tñ diuersitate fulgebunt alij maius, alij minus. 1. Cor. 15. Stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuoꝝ. Ioh. 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Acceperunt & primo uocati, iuxta conuentionem singulos denarios: sed uidentes æquatos in præmio, qui non fuerant pares in temporis spatio, abeuntes murmurabant: non q̄ minus acceperint quàm constitutū, sed quòd plus accipere uoluerint his, in quos clementia se conductoris effudebat. Semper Iudæi in regno dei digniorem locum habere uoluerunt gentibus, ut patet in Actis. Eo quòd æstum meridianum pertulerimus, quum isti uenerint sub uesperam, refrigerato iam sole. Ante Christi enim aduentū plus laborauerūt, eo q̄ mors

nondum esset soluta, neq; diabolus contritus, sed adhuc uiuebat pĉtm̃. Vnde de lege ait Petrus Act. 15. Quid tentatis deũ imponere iugũ super ceruices discipulorũ, quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus? Nos autẽ gratia Christi per baptismũ iustificati, uirtutem accipimus ad uincendũ aduersarium nostrũ, iam deuictũ & occisum à Christo.

3 *At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, et uade. Volo autem et huic nouissimo dare, sicut et tibi. An non licet mihi, quod uolo, facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, et primi nouissimi. Multi enim sunt uocati, pauci uero electi.*

Vni pro oĩbus dixit: Amice, nõ facio &c. quur meam benignitatem inuides alijs? Mea in alios gratuita liberalitas, te non lædit. Iob. 8. Nunquid deus supplantat iudicium, aut omnipotens subuertit quod iustum est? Præstitisti operã, habes mercedem. De tuo nihil decedit, si quid huic additur ex mea liberalitate. An mihi liberum non erit per te, de meo quod uolo facere? Cum enim uoluntas dei sit essentialiter idem quod sapientia & iustitia, nec iniusta nec irrationabilis esse potest: sed eo ipso quod aliquid uult, iustum est. Sap. 12. Virtus tua domine iustitiæ initiũ est. An oculus tuus liuore torquetur, quia me uides benignum in eos quos lubitum est? Gregorius: Cõquerendum, non si daret quod nõ deberet, sed si nõ daret, quod deberet. Largitio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro, non potest à nobis dijudicari, cur

uni plus, alteri minus largiatur: sed eius ordinatiõi, qui ponderator est spirituum, Prou. 16. & cui omne cor patet, & omnis uolũtas loquitur, est penitus relinquenda. Psalm. 83. Gratiam & gloriam dabit dominus. Quanquam inter sanctos nec est liuor, nec murmuratio aduersus deum, tamen huiusmodi dictis expressit summum honorem quem nouissimus est habiturus, ut in præmio locum primum sortiretur, & domini liberalitate æquaretur his qui prius uenerant. Hac similitudine ostendit dominus nemî nem ab hoc præmio uitæ æternæ secludi, q modò uocatus audiat. Hoc præmium ut non debetur oĩno meritis nostris, sed potius beneficentiæ diuinæ, tamen non contingit citra nostrum conatũ, quanquam & hoc debeamus uocanti, quòd ad cultũ pietatis accedimus, quòd in eo perseueramus usq; ad uesperam. Phil. 1. Qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu. & 2. Deus enim est, qui operatur in nobis uelle & perficere pro bona uoluntate. Hinc 1. Cor. 15. ait Apostolus: Plus oĩbus laboraui, nõ ego autem, sed gratia dei mecum. Statim igitur properet, quisquis uocatus fuerit: alioqui frustra fuerit uocatus, si non det operam ut sit etiam electus. Psal. 39. Annunciaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Gregorius: Ecce uox omnium Christum clamat, sed uita nõ clamat. Plericq; dum deum uocibus sequuntur, moribus fugiunt. Tit. 1. Confitẽtur se nosse deum, factis autem negant. Pauci ergo electi, quia multi male operantur. Hier. 4. Vt iniquè agerent laborauerunt. Matt. 7. Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnũ cælorũ: sed qui facit uoluntatẽ patris

mei q̃ in cælis est, ipse intrabit in regnum cęlorum. Aut hic mercedẽ accipiunt. Mat. 6. Amen dico uobis, receperunt mercedem suã. Aut non perseuerãt in finẽ. Mat. 10. & 24. Qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit. Eccl. 18. Ne ueteris usq; ad mortẽ iustificari. Apo. 22. Iustus iustificet adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc. Sumus em̃ dei mercenarij, ut dicit Chrysostomus, q̃ nunq̃ sine opere esse possunt, curentq; oportet opera domini, nõ sua. Anselmus: Quicunq; nondum uiuit ut pauci, aut uitã suã corrigendo se inter paucos colligat, aut cũ multitudine timeat reprobationẽ. 2. Pet. 1. Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam uestram uocationem & electionem faciatis.

De paucitate saluandorum, & dolo Herodis, Luc. xiij.

ARTICVLVS LXXXV.

Luc. 13. R

ET ibat per ciuitates & castella docens, & iter faciens in Hierusalem. Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos: Contendite intrare per angustam portam: q̃a multi, dico uobis, quærent intrare, & nõ poterunt.

Causam assignat, quare pauci electi: q̃a uocati renuunt, & ideo pauci cũ uolunt, ingressum non inueniunt. Pro. 1. Quia uocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit q̃ aspiceret. despexistis omne cõsilium meum, & increpationes meas neglexistis, Ego q̃q; in interitu uestro ridebo & subsannabo, cum uobis id quod timebatis aduenerit. Ob id em̃ dñs ciuitates & castella obambulabat, ut uocaret ad

ingressum regni per pœnitentiæ uiam. Lu. 4. Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnũ dei, qa ideo missus sum. & 5. Nõ ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Conandum est, qa angustus ingressus, sed ducit ad latitudinẽ regni cælorũ. non capit hæc porta onustos diuitijs. Mar. 10. Quàm difficile est, confidentes in pecunijs regnum dei introire. Cumulatos honoribus. Ioh. 5. Quomodo uos potestis credere, q gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo deo est nõ quæritis? Nõ distentos luxu. Ro. 16. Huiusmodi Christo dño nostro non seruiunt, sed suo uentri. Non graues auaritia. est em̃ idolorum seruitus, Eph. 5. Non turgidos & elatos fastu. 1. Pet. 5. Deus superbis resistit, humilib⁹ autem dat gratiam. Qui tales sunt, eligunt uiam latam, spatiosam, & prima facie blandã, sed ducentem ad mortem. Pro. 14. Est uia quæ uidetur homini iusta, & nouissima eius deducũt ad mortẽ. Pro. 12. Via stulti recta in oculis eius: q aũt sapiens est, audit consilia. Cum lite ergo & pugna contra dæmones, mundum & carnem, irrefrenatam q̃ propriam uoluntatem, Christi sectanda sunt uestigia. Matth. 16. Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. 1. Iohan. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Hæc uia ingredientib⁹ aspera uidet, sed ingressis dulcescit. Pro. 4. Ducam te per semitas iustitiæ: quas quum ingressus fueris, non arctabunt gressus tui: & currens, non habebis offendiculum. Mat. 11. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Hinc Iohan. 10. Ego sum ostium. per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur,

Angusta porta q̃s seu quos plices non capiat.

& pascua inuenier. Cum autem sero quæsierint, nõ patebit aditus. Matt. 25. Nouissime ueniunt & reliquę uirgines, dicẽtes: Domine domine, aperi nobis, At ille respõdens, ait: Amen dico uobis, nescio uos.

Cum autem intrauerit paterfamiliàs, & clauserit ostium, incipietis foris stare & pulsare ad ostium, dicentes: domine domine, aperi nobis. Et *respondens dicet uobis: Nescio uos unde sitis. Tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti.* Et *dicet uobis: Nescio uos unde sitis. Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus & stridor dentium, cum uideritis Abraam & Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno dei, uos autem expelli foras.* Et *uenient ab oriente & occidente & aquilone & meridie, & accumbent in regno dei.* Et *ecce sunt nouißimi, qui erãt primi: & sunt primi, qui erant nouißimi.*

Quàm nociua sit mora cuiq; indicat. Cum intrauerit paterfamiliàs Christus, cõpleto finali iudicio, cum uniuersis electis cælestem paradisum, & clauserit ostium, quod nunc patet oñibus admittentibus, tum sero resipiscentes, agnoscetis errorem uestrũ: & inuidentes his qui sunt ingressi, incipietis obsidere ostium, ab electis loco & præmio separati. Tunc ille qui prius auditus non est inuitãs ad ingressum, uicissim non audiet uos. Prou. 1. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: nocte consurgent, & nõ inuenient me, eo q; exosam habuerint disciplinam, & timorem domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint uniuersæ correptioni

mèæ. comedent igitur fructus uiæ suæ, suisq; cõsilijs saturabuntur. Pro. 28. Qui declinat aurem suam ne audiat legẽ, oratio eius erit execrabilis. Nescio uos per approbationem. 2. Tim 2. Nouit dominus qui sunt eius. Psalm. 1. Nouit dominus uiam iustorum, & iter impiorum peribit. Pro. 12. Iter deuium ducit ad mortem. Nouit dominus omnia notitia simplicis uisionis. Heb. 4. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Pro. 15. In omni loco oculi domini contemplãtur bonos & malos. At illi: Qui fit domine, ut non agnoscas nos? Ad Israẽlitas simpliciter referri potest, quanquam & nos mãducamus corpus diuinum, & bibimus eius sanguinem coram eo, q̃tidie ad eius mensam mysticam accedentes, & docet in plateis nostris dominus. Atq; nulla inde utilitas, si auditores quidem diuinæ legis fiamus, nõ autem factores. Imò contra ad maiorem tormẽtorum occasionem audiuisse accedit, sicut & diuinarum sanctificationum sumptio ad iudicium. Ista enim non efficiũt germanos Christi discipulos. Qui enim uestigijs Christi ingressus nõ fuerit, hũc nõ agnoscet, dicens: Vos cuiates sitis nescio. O durum & intolerabile uerbum, nesciri ab eo q̃ nouit omnia. 1. Cor. 14. Si qs ignorat, ignorabitur. Sed plus horrendum quod subdit: Abite procul, recepturi uobis dignum præmium ab eo quem coluistis. Psalm. 5. Neq; habitabit iuxta te malignus, neq; permanebũt iniusti ante oculos tuos. Psalm. 139. Veruntamen iusti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum uultu tuo. Famuli mei, quoniã mecum sunt, & mea causa passi sunt, mecum æterni conuiuij iucũditate fruentur. 2. Cor. 1. Sicut socij passionum estis, sic & con

ſolationis eritis. Luc. 22. Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ego diſpono uobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Vos ergo qui ſeculi uoluptates, æternæ præpoſuiſtis felicitati, illuc abite ubi erit fletus, ex diuerſis generibus infernalium tormentorum. Pſal. 10. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, pars calicis eorum. Mat. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Et ſtridor dentium, ex uehemẽtiſſimo frigore. Iob. 24. Ad nimium calorem tranſiet ab aquis niuium, & uſq; ad inferos peccatum illius. Augebit autem calamitatem, aliorum conſpecta felicitas, quos hic fueratis perſequuti. Pſal. 111. Peccator uidebit & irascetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, deſiderium peccatorũ peribit. ac uos ab his prognatos (Abraam, Iſaac & Iacob, etc.) expelli foras, neq; quicq̃ uobis prodeſſe generis & cognationis prærogatiuam. Iohã. 8. Si filij Abraæ eſtis, opa Abraæ facite. Apo. 22. Foris canes & uenefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Venient autem non ſolum ex Iudæa, ſed ex omni natione quæ ſub cælo eſt. Act. 10. Non eſt acceptio perſonarum apud deum, ſed in omni gente q̃ timet deum & operat̃ iuſtitiam, acceptus eſt illi. Ro. 9. Quid ergo dicemus? q̃ gentes quæ nõ ſectabant̃ iuſtitiã, apprehẽderũt iuſtitiam, iuſtitiã autem quæ ex fide eſt: Iſrael autem ſectando legẽ iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, ſed q̃ſi ex operibus. Offenderũt em̃ in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt Eſa. 28. Ecce pono in Sion lapidẽ offenſionis & petrã ſcãdali, & omis q̃ cre

dit in eum, non confundetur. Sic & nos primi uidemur, ut pote à cunabulis instructi nomen Christi & professi: sed postremi erimus, prælatis gentibus quibusdam qui in fine uitæ suæ conuertent. Ita & uirtutibus p̃clari quandoq; paulatim tepescunt. Apoc. 2. Habeo aduersum te pauca, q; charitatem tuam primam reliqsti. Hinc 1. Cor. 10. Qui stat, uideat ne cadat. Econtra uitiosi pœnitendo crescunt. Ro. 5. Vbi abundauit delictum, superabundat & gratia.

In ipsa die accesserũt quidam phariſæorum, dicentes illi: Exi & uade hinc, qa Herodes uult te occidere. Et ait illis: Ite, dicite uulpi illi, ecce eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor. Veruntamẽ oportet me hodie & cras & ſequenti die ambulare, quia non capit prophetam perire extra Hieruſalem.

Quoniam hæc inuisa Iudæorum auribus (Non enim sufferre poterant gentes sibi præferri, ut claret in Actis) passim magna cum libertate docebat Iesus, inuidia tabescentes dominum terrere nitebantur, ne miracula faciendo, turbas sibi conciliaret & uirtute diuini uerbi alliceret, dicentes: Consule uitæ tuæ, & relinque Galilæam. Monstrat autem dominus nihil sibi periculi esse à quoquam homine, etiam si plurimum uellet, nisi uellet ipse: nec se moriturum nisi eo tempore quo decretũ esset, nec alio mortis genere, nec alio loco quàm constitutum esset. Non emẽ in Galilæa, sed Hierusalem præfinitum erat passurum dominum. Vulpi, qui uersutia humana credit se aliquid posse aduersus consilium dei. Pro. 21. Non est sapientia, non est prudentia, nõ est

consilium contra dominum. Esa. 46. Cõsilium meum stabit, & omnis uoluntas mea fiet. Lu. 22. Et filius quidem hominis secundum quod diffinitum est, uadit. Bed. Vulpes animal est fraude plenum, in foueis latitans ad insidias, odore fœtens, nunquam recto incedẽs itinere. Sic malus princeps bestialis est, uentrem & luxum quærens, dolosus p calliditatem, simulatione & duplicitate prauam suam intentionem abscondens, per excogitatam uersutiam insidians, fœtẽs per malam famam, curue incedens p conuersationem iniustam. Ecce nõ est humanum quod gero, nec licet desinere ante tempus à deo præscriptum. Siquidem Hierusalem antiqua prophetarum est interfectrix, nec cõuenit ut propheta quisquam peat extra eam. Assueti enim effundere seruorum sanguinem, & ipsum dominum occidẽt. Hoc dicto deum se declarauit.

Vulpis natura.

De hydropico sanato & humilitate, Lucæ xiiij.

ARTICVLVS LXXXVI.

Luce. 14. G

ET factum est cum introisset Iesus in domũ cuiusdam principis pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus, dixit ad legisperitos & pharisæos, dicens: Si licet sabbato curare? At illi tacuerũt. Ipse uero apprehensum sanauit eum, ac dimisit.

Quanta diligentia salus animarum procuranda sit, dominus ostendit, qui & factis & doctrina inimicos suos ad uiam salutis reducere non destitit. Satis

enim sciens pharisæorum morositatem, domus eorum ingreditur, quia curę ei fuit animarum utilitas. Bern. Habuit Christus in factis obseruatores, in uerbis contradictores, in tormentis illusores. Accumbebant simul & pharisæi, qui more suo obseruabãt Iesum, si qd diceret faceretve, quod in eo calumniarent. Inuidorum mos est obseruare, quia nihil bono aspiciunt oculo, & de malis aliorum gaudent, & bonis tristantur. Sic fratres Ioseph. Gen. 37. Videntes autem fratres eius quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterãt ei quicquam pacifice loqui. Inuidus alterius rebus marcescit opimis. Nam dupliciter obseruabant, ut si curaret, damnarent quasi legis transgressorem & contemptorem: si non, arguerent impietatis & impotentię. Est enim hydropis morbus ferè incurabilis, aquaticus, subcutaneus, de uitio uesicæ nascens, cum inflatione turgente & anhelitu fœtido. & est proprium hydropiæ, quo plus bibit, tanto amplius sitit. Profuit misero uenisse in conspectum domini. Infelix peccator, qui se subducit ab eius conspectibus, qui uult omẽs fieri saluos. 1. Tim. 2. Qui uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Psalm. 33. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies uestræ non confundentur. Econtra Psalm. 72. Ecce q elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Hier. 17. Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur. Non petebat uerbo salutem, ppter pharisęos & sabbatũ, sed humili affectu. Psal. 9. Desiderium pauperum exaudiuit dñs, præparatiõem cordis eorum audiuit auris tua. Respondet dominus ad cogitata, deũ se declarans. Hier. 17.

Prauum cor hominis & inscrutabile, qs cognoscet illud? Ego dñs scrutãs corda & renes. Nam legisperitis & pharisæis, qui legis scientia & uitæ eminẽtia pollebant loquebatur, quo eorum cæcitatem manifestius argueret, quærens si sabbato liceret curare sine ipsius uiolatione. Hoc ipsos latere nõ debebat, quia opus diuinum & charitatiuum. Matt. 12. Itaq licet sabbatis bñfacere. Manifeste ergo irridet eos ut insipientes: siquidem quum deus sabbatũ benedixerit, ipsi benefacere prohibent, & per hoc faciunt malum. Non enim benedictus est dies, in quo nihil boni fieri solet. Cõscientia ergo urgẽte tacent, non ignorantes contra se dictum q̃quid responderint. Si enim licet, cur obseruãt? si nõ licet, cur pecora in sabbato curãt? Matt. 12. Quãto melior magis ẽ hõ q̃? Ipse ergo quanq̃ nutu posset, tñ apprehensum sanauit ac dimisit, in signum perfectæ sanitatis, ut q prius morbo grauabatur, ambularet expedit⁹ quo uellet. Felix quem Iesus apprehenderit, diu enim in infirmitate permanere non potest. Esa. 42. Apprehendi manum tuam, & seruaui te. Iob. 5. Incepationem domini ne reprobes, quia ipse uulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt. Sic mutum apprehẽsum eduxit è turba, & sanauit, Mar. 7.

2 *Et respondens ad illos, dixit: Cuius uestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? & non poterant ad hæc respondere illi.*

Hoc factum quum esset mirabile, tñ pharisæos offendebat uiolata sabbati religio. Iesus autẽ ostendens illorum religionem esse præpostera, q in sa-

lute hominis offenderentur, in asino seruato non offenderentur, temerarijs ipsorum respondet iudicijs. Si tm̃, inquit, apud uos ualet bouis aut asini salus, ut non putetis uiolari sabbatum, quur mihi inuidetis quòd hominem, cui præsens erat periculum ab aqs intercutaneis, seruarim die sabbatic? Si opus expenditur, plus est operis in extrahendo iumento, q̃ in homine seruando. Vidi, contigi, ac dimisi. Si personam æstimatis, potior esse uobis debet unius hominis salus, quàm plurimorum boum aut asinorum. Ad hũc sermonem obriguere pharisæi, quorum animi sic erant corrupti deprauatiq̃, ut quum non haberent quod dilucidæ ueritati responderent, tm̃ approbare non possent, q̃d à Iesu fieri uidebant. Splendidissima enim luce ueritatis euanescere uidebant omnes tenebras falsitatis. sic nanq; eos conuicit, ut eosdem etiam auaritiæ condemnet, ostendens eos sabbatum uiolare in operib⁹ cupiditatis, qui ipsum uiolare arguunt in officijs charitatis, legem male interpretantes. Non enim in sabbato à bonis, sed malis feriandum. Leuit. 25. Omne opus seruile non facietis in eo. Sic in æterna requie à malis tm̃ feriabitur, non à bonis. Non enim animalis saluti, sed suæ auaritiæ consulebant. Heu & modo plures tales. Bern. Cadit asinus, & est qui subleuet: perit anima, & non est qui recogiter. Phil. 2. Omnes quæ sua sunt quærunt, non quę Iesu Christi. Bed. Quia ipsum dominum obseruabant, prouida dominus dispensatione ante eos hydropicum sanat, & mox contra auaritiam disputat, ut per huius ægritudinem corporis, in illis ægritudo exprimeretur mẽtis. Bene per hydropicum auarus designatur, qui quanto copiosior hydropi-

eus mystice quis.

diuitijs, quibus non bene utitur, tanto ardentius p fas & nefas alia acquirere laborat. Eccēs. 5. Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructū non capiet ex eis. Et hoc ergo uanitas. Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Eccl. 10. Auaro nihil est sceleſtius. Nihil iniqus quàm amare pecuniam, hic enim animam suam uenalem habet. Sitis enim auaritiæ nec inopia minuitur, nec copia satiatur, quin semper sitim implicat. Semper enim auarus eget.

Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & ueniens is qui te & illum uocauit, dicat tibi: Da huic locum. et tunc incipias cum rubore nouißimum locum tenere. Sed cum uocatus fueris, uade & recumbe in nouißimo loco: ut cum uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

Quoniam dominus Iesus omnium factorum suorum gloriam uolebat esse penes patrē deum, pharisęorum fucatam sanctimoniam ubiq; detegebat. Venabantur enim gloriam suam apud homines, & ideo inuidebant gloriæ dei. Atq; hic erat uerus hydrops animæ, nascens ex corrupto iudicio mentis, ueluti ex hepate uitiato, collocantes gloriam in his rebus in quibus non erat collocanda. Vides cœnas

Christi quales sint: nempe in salutem animarum, & non in satietatem uentris, uertũtur. Sanauit hydropicum, docuit pharisæos quod bonum sit in sabbatis bñfacere: & uidens eos de primo accubitu tumultuãtes, cupit & huic morbo mederi salutifero pharmaco, q nõ à parua, sed magna & uix ineffugabili causa incipit, inani inquam gloria. Morbus autem animi sanari non potest, si non cognoscas: quare ciuiliter uniuscuiusq; cõscientiam tangit, ut neminem tñ prodat. Ostendit autem non esse ueram gloriam quæ ambitur, sed quæ quum promerearis, uitatur. Hinc attendit quomodo eligerent, non quod eligerentur. Quo cõtra Heb. 5. Nemo sibi assumat honorem, sed q uocat' à deo tanq; Aaron. Greg. Quanto gradus altior, tanto casus grauior. Hiero. Lætamur ad ascensum, sed timeamus casum: non est eñ tanti gaudij excelsa tenuisse, quãti mœroris excelsa tenuisse. Da huic locũ. Tũ „p capta gloria lucrifacies ignominiam, & cogéris cum rubore locum tenere extremum. Amice, ascende superius. Tunc tua modestia cedet tibi in gloriam apud cõuiuas reliquos. Modestiam tuam agnoscent ex eo, quo tibi postremum locum elegeris: dignitatem agnoscẽt ex conuiuatore, qui te ut singulatem amicum, dignum honore iudicauit. Vide quomodo domin⁹ hominem à culpa liberat, & quomodo ciuilem facit. Bed. Apta est hæc saluatoris admonitio, ad literam docens nõ solum apud deum, sed etiam apud homines humilitatem esse laudabilem. Pro. 25. Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnatorum ne steteris. Melius est enim ut dicatur tibi, ascende huc, q̃ ut humilieris coram principe, Omnis qui se exaltat,

humiliabitur. Claret in Lucifero Esa. 14. Quomodo cecidisti lucifer qui mane oriebaris? Lu. 10. Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Sic primi parentes è paradiso electi, Gen. 3. Eccl. 10. Initium omnis peccati superbia. Hoc uere est humiliari, quando quis magno fruitur honore in mundo, sed miser & humilis sit apud deum. Apoc. 3. Dicis quia diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. & quanto quis ab aliquibus obseruatur, tanto ab alijs irridetur, & nonnũquam ab his à quibus honoratur. Quanquam non mox qui se coram hominibus exaltat, semper humiliatur, quum uidemus tales sæpe in finem usq; perseuerare: & eos qui se humiliant, in ipsa sua mediocritate perdurare: restat sine dubio, quum deus nec fallere, nec falli possit, in futuro implendum, tunc scilicet quãdo diabolus qui rex est super omnes filios superbiæ, Iob. 41. cum suis membris humiliabitur. Mat. 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esa. 14. Qui dicebas in corde tuo, in cælum conscendam, supra astra dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aq lonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Verunt amẽ ad infernum detraheris, in profundum laci. Humiles in suo capite exaltabitur, audientes illud Mat. 25. Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi. Tria quo ad humilitatem considerãda. Primum, humilitatis motiuum triplex. Saluatoris exemplum in nascendo, conuersando, & moriendo, Mat. 11. Discite à me, quia mitis sum & humi-

Tria quę dã circa hũilitatẽ cõsiderãda

lis corde. Esa. 53. Nos desiderauimus cũ despectum & nouissimum uirorum. Nam maledictus qui pendet in ligno, Deut. 21. Gal. 3. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Humanum exordium. Gene. 2. formauit igitur deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ, & factus est homo in animam uiuentem. Eccl. 10. Quid superbis terra & cinis? Gregorius: Heu unde fastus homini, unde tanta superbia, cuius tam ærumnosa natiuitas, cuius natiuitatem sequitur tam laboriosa pœnalitas, cuius pœnalitatem cõcludit mortis necessitas, cuius esse momentaneum, mundus exilium, uita periculum? Iob. 14. Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miseriis: qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit uelut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Bern. Considera homo unde ueneris, & erubesce: ubi es, & ingemisce: quò uadis, & contremisce. Sed nos ob ea q̃ habemus, quasi nostra sint, extollimur. 1. Cor. 4. Quid habes quod nõ accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Vitæ periculum. Eccles. 9. Sunt iusti atq; sapientes, & opera eorum in manu dei: & tñ ne scit homo, utrum amore an odio dignus sit, sed oĩa in futurum reseruantur incerta. Eccl. 13. Humiliare deo & expecta manus eius. 1. Pet. 5. Humiliamini sub potenti manu dei, ut uos exaltet in tempore uisitationis. Secundũ, humilitatis fructus: nam exaltabit. Est em̃ offensę recõciliatiua. Psal. 114. Hũiliatus sum, & liberauit me. 3. Reg. 21. Nõne uidisti Achab humiliatũ corã me? Quia ergo hũiliat⁹ ẽ mei causa, nõ inducã malũ in diebus eius. Gratiæ acquisitiua.

Eccl. 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram deo inuenies gratiam. Iac. 4. Deus superbis resistit, humilibus aũt dat gratiam. Eccl. 35. Oratio humiliantis se, nubes penetrat. Animę illuminatiua. Psal. 118. Intellectum dat paruulis. Pro. 11. Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: ubi autem est humilitas, ibi & sapientia. Mat. 11. Confiteor tibi pater domine cęli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Tristiæ cõsolatiua. Iudith 8. Expectemus humiles consolationem eius. 2. Cor. 7. Qui cõsolat humiles, consolatus est & nos. Gloriæ collatiua. Luc. 1. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Hinc Sauli dictũ ẽ 1. Reg. 15. Cũ esses hũilis in oculis tuis, caput in tribub⁹ Israel fact⁹ es. Phil. 2. Hoc em̃ sentite in uobis, q̃d & in Christo Iesu, q̃ cũ in forma dei esset, non rapinã arbitratus est esse se æq̃lem deo, sed exinaniuit semetipsum, formã serui accipiens, in similitudinẽ hoim factus, & habitu inuẽtus ut hõ, humiliauit semetipsum, fact⁹ obediẽs usq; ad mortẽ, mortẽ aũt crucis. Propter q̃d & deus exaltauit illũ, & donauit illi nomen quod est sup omne nomẽ, ut in noie Iesu om̃e genu flectatur cælestiũ, terrestriũ & infernoꝝ, & oĩs lingua confiteat, q̃a dñs noster Iesus Christus in gloria est dei patris. Tertium, Humiliationis modus, ut sit cordialis. Est enim q̃ nequiter se humiliat, & interiora ei⁹ plena sunt dolo, Eccl. 19. Psal. 50. Cor contritum & humiliatum deus non despiciet. Lu. 1. Respexit humilitatẽ ancillæ suæ. Virtualis. Eccl. 13. Attẽde ne seduct⁹ in stultitia humilieris. Eph. 4. Obsecro ego uinctus in domino, ut digne ambuletis uocatione qua uocati estis, cum omni humilita

te & manſuetudine, cum patiẽtia ſupportantes inuicem in charitate. Quum ergo nulla uirtus aliqd ſit ſine humilitate, quo qſq; maior eſt, hoc ſe magis debet deiicere, donec ueniat ille, qui uera ꝑpetuaq; gloria ſubuehit humiles iuxta mũdum, & elatos ac ſublimes deiicit. Eccl. 7. Eſt enim q̃ humiliat & exaltat circunſpector deus. Pſal. 37. Quoniam excelſus dñs & humilia reſpicit, & alta à lõge cognoſcit.

De cœna, Luc. xiiij.

ARTICVLVS LXXXVII.

Dicebat autem & ei qui ſe inuitauerat: Cum facis prandium aut cœnam, noli uocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos, neq; uicinos, neq; diuites: ne forte & ipſi te reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed quum facis conuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris, quia nõ habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum. Hæc quum audiſſet quidam de ſimul diſcumbentibus, dixit illi: Beatus qui manducabit panem in regno dei. Luc. 14. T

Hac parabola dñs docet, in ꝗs opes collocandæ ſint, ſi retributio q̃ritur à deo. Diuites em̃ dum uolunt hoſpitales uideri, non uocãt ꝗs reficiant, ſed eos à qbus uicißim inuitent, aut inde gloriam aucupent ſibi: atque hæc non eſt hoſpitalitas, ſed ambitio, aut auaritia, uel utrunq;. Eſt conuiuiũ uanitatis. Sic rex Aſſuerus grãde conuiuiũ fecit cũctis principibus & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarũ & Medorũ inclytis, & ꝓfectis ꝓuinciarũ corã ſe, ut oſtẽderet diuitias gloriæ regni ſui, atq; magnitudinẽ ac potẽtiæ ſuæ iactantiã,

Conuiuiorum aliqs depictio ac circunſtantiæ.

Hest.1. In hoc cõuiuio quum incaluisset uino, tegẽnã Vasthi honore & cõiugio spoliauit. Impietatis. Herodes cœnam fecit principibus, tribunis & primis Galilææ, in q̃ Iohannẽ decollari p̃cepit, Mar.6. Sic Absalon fratrem suum Amnõ ad conuiuiũ uocatũ, occidi fecit, 2.Reg.3. O q̃t spiritualiter occidũt in conuiuijs impiorum. Pro.23. Noli esse in cõuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad uescendum conferunt: ga uacantes potibus & dantes symbola, consumẽt. Esa.5. Væ q̃ potentes sunt ad bibendũ uinum, & uiri fortes ad miscendam ebrietatem. Charitatis. Sic filij Iob faciebãt cõuiuia p̃ domos, unusq̃sq; in die suo: & mittẽtes, uocabãt tres sorores suas, ut cõmederẽt cum eis, Iob.1. Talia cõuiuia ob amicitiam cõseruandã, tametsi sine peccato fieri possint, difficulter tñ fit q̃n peccata intercidãt. Hinc Iob sacrificium obtulit p̃ singulis & holocausta, dicẽs: Ne forte bñdixerint filij mei deo in cordibus suis, & peccauerint, Iob.1. Hinc dixit filio suo Tobias, cũ esset dies festus dñi, & factũ esset prandium bonum in domo ipsius: Vade, & adduc aliquos de tribu nostra timentes deum, ut epulentur nobiscum, Tobi.2. Eccl.9. Viri iusti finem tibi cõuiuç. Vtilitatis, hoc ostẽdit hic saluator Bern. Fratres & amicos, ac diuites alterutrũ cõuiuia celebrare, nõ q̃si peccatũ dñs interdicit, sed sicut cætera humanæ necessitatis cõmercia, ad p̃merẽda uitæ cælestis p̃mia nil ualere ostẽdit. Luc.6. Si bñfeceritis eis q̃ uobis bñfaciũt, q̃ uobis est gr̃a? Sicdẽ & peccatores hoc faciũt. Si ergo amici & fratres ac uicini pauperes sunt, & ob id uocanť, fit meritorie: si diuites, tũc inuitãť uel ad fouẽdã charitatẽ, sic meritoriũ ẽt

Cõuiuãdi ipsissimę rationes.

aut lasciuiam uel aliam causam malã, sic peccatum: aut ob quandam curialitatem & amicitiam naturalem, sic indifferens. Si ergo uis bene collocare prandium tuum, pauperes uoca, q̃ cõuiuium ꝙquale, aut lautius exhibere nequeũt. In his refocillandis deum refice. Dices: in his opera & impensa perit, non em̃ habẽt q̃d rependãt, & semp egent. Hoc ipso beatus eris, qa opulentissimum habent dñm, q̃ sibi patietur imputari, q̃d in illos collocatum est. Is restituet pro temporarijs æterna. Restituet enim haud dubie, si non in hac uita, quan q̃ hic q̃q̃ restituet. Pro. 11. Alij diuidũt propria, & ditiores fiunt, certe in resurrectione iustorum, quæ ipsis erit ad gloriam, impijs aũt ad ignominiã. Pertinet hæc parabola ad subleuandam omnem necessitatem proximi, q̃cunq̃ officio charitatis promouendus sit ad salutem. Hæc quum dixisset Iesus, q̃dam conuiua, ueluti per somnium tactus desiderio cælestis illius conuiuij, beatum fore ait q̃ manducaturus esset panẽ in regno dei, paucos fore subindicans, & hoc solũ Iudæis cõtingere. Iesus aũt, ꝓposita parabola docuit, primo q̃dem uocatos Iudæos, ne queri possent se spretos esse: sed dum ipsi dediti rebus mũdanis, uocati recusant uenire, pluris habẽtes pitura bona, q̃ uitã æternã, uocãdas eẽ oẽs ꝓmiscuq̃ nationis gẽtes, ut impleret ecclesiæ cœtus.

At ipse dixit ei: Homo quidã fecit cœnã magnam, & uocauit multos. Et misit seruũ suũ hora cœnæ dicere inuitatis ut uenirent, quia parata sunt omnia. Luc. 14. V

Ostendit nõ diuina austeritate, sed humana, puenire puersitate, q̃ minus plurimi ad regnũ ptingant æternum, delicijsq̃ fruantur cælestibus. Homo hic,

dominus est Iesus. 1. Tim. 2. Mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Cœnam magnam in cœlesti fecit palatio. Heb. 1. Et tu domine in principio terram fundasti, & opera manum tuarum sunt cœli. Magna dicitur. Psal. 47. Magnus dominus & laudabilis nimis in ciuitate dei nostri, in monte sancto eius. Magni conuiuę, quia filij dei. Ro. 5. Gloriamur in spe gloriæ filiorũ dei. Apo. 5. Fecisti nos deo nostro regnũ & sacerdotes. Magni ministri. Dan. 7. Millia millium ministrabãt ei, & decies millies centena millia assistebãt ei. Imò Christus Lu. 12. Trãsiẽs ministrabit eis. Ioh. 10. Ingredient & egredient, & pascua inuenięt. Lu. 22. Ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnũ, ut edatis & bibatis sup mensam meã. Magna fercula. Esa. 64. Oculus nõ uidit deus absq; te, q̃ pparasti expectantibus te. 1. Cor. 2. Oculus nõ uidit, nec auris audiuit, nec in cor hoïs ascẽdit, q̃ pparauit de⁹ diligẽtibus se. Sic & quũ nos participes hic facit carnis filij sui, q̃ magnũ salutis nostræ est mysteriũ. 1. Cor. 11. Cõuenientibus uobis in unũ, iã nõ ẽ dñicam cœnã mãducare. Vnusq; q̃q; eñ suã cœnã p̃sumit ad mãducandũ. Reficit & nos cœna gratiæ hic, ne deficiam⁹ in uia. Apo. 3. Ecce sto ad ostiũ & pulso. si qs audierit uocem meam, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecũ. Eccl. 15. Cibauit illũ pane uitæ & intellectus, & aq̃ sapientiæ salutaris potabit illũ. Venit mõ ad nos p gratiã, suscipiet post ad se p gloriam. Oẽs uocauit ad sui cognitionem, partim p ordinatam uisibilium constitutionem, Ro. 1. Inuisibilia dei à creatura mundi per ea q̃ facta sunt, intellecta conspiciuntur. partim per naturalem le-

gem. Magis tamen proprie Israelitas. Mat. 23. Hierusalem Hierusalem, quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodū gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Nullum enim, quantum ex ipso est, excludit. 1. Timoth. 2. Qui uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitiōem ueritatis uenire. Matt. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Inuitarat olim per prophetas, denunciat rursus per Iohannem & filiū hominis, quia parata sunt omnia. In Græco ponitur cū articulo, illum seruum suum Phil. 2. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Esa. 49. Et dixit mihi, seruus meus es tu, quia in te gloriabor. Heb. 1. Multifariam multisq; modis olim deus loquens patribus in prophetis, nouissime locutus est nobis in filio. 1. Iohan. 2. Filioli, nouissima hora est. 1. Cor. 10. Nos sumus in quos fines seculorū deuenerunt. Definito tempore, quum diabolus malitiæ mensuram impleret, tunc ipse per incarnationis mysterium & sanctam uitam omne genus malitiæ sanauit. Gala. 4. At ubi uenit plenitudo temporis, misit deus filiū suum. Ad quid? Dicere inuitatis, ut uenirent. Quanquam specialiter missus fuerit ad Israelitas. Mat. 15. Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. illis tamen ob terrena recusantibus, itum est ad gentes. Act. 13. Vobis oportebat primum loqui uerbum dei: sed quoniā repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ, ecce cōuertimur ad gentes. sic enim præcepit nobis deus. 2. Cor. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliamini deo. Gregorius: Omnia sunt parata, quia Christo immo

lato patet introitus regni cælestis. Mat.4. Pœnitentiam agite, qm̃ appropinquat regnũ cælorũ. Nulla ergo nobis excusandi ratio, quũ oĩa sint parata. Nihil enim restat nisi uoluntatem indispositã ad gratiæ susceptionem p̃parare. Ioh.14. Vado parare uobis locum. Bernardus: Festinemus ad locum tutiorem, ad agrum huberiorẽ, ad pastum suauiorem, ut habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio. Psal.30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscõdisti timentibus te? Psal.35. Inebriabũtur ab hubertate domus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos.

2 *Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit: Villam emi, & necesse habeo exire & uidere illam. Rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum uenire.*

Gregorius: Quis nõ defleat audiens quia oĩa parata sunt, & alius ob honores, alius ob diuitias, alius ob uoluptates uenire recusat, cum tamen ampliora ibi reperiat? Cum enim frui liceret diu expectata & optata cœna, excusant. Psal.140. Non declines cor meum in uerba malitiæ, ad excusandas excusatiões in peccatis. Ambrosius: Ideo excusant, quia nemini intercluditur regnũ, nisi quẽ suæ uocis, p̃fessio excludit. Tit.1. Confitentẽ se nosse deum, factis aũt negãt. Excidimus à deo, & ,ppter uillas, & ,ppter iuga boum, & propter uxorẽ. Adhærentes cm̃ illis, & totã uitam in illa impendentes, & usq; ad sanguinem uexati & excoriati, nullum diuinũ uel sensum uel uer-

bum cogitamus, uel attendimus. In uilla dominandi notat appetitus, quē precio animæ plures emūt. Sic enim circa conseruandum & acquirendum honorem mundanum superbi occupantur & ambitiosi, ut diuina negligentes præcepta, ad æternos non aspirent honores, nimia ambitione excæcati. Iohā. 5. Quomodo uos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo deo est nō quæritis? Eccl. 10. Initium omnis peccati superbia. Nam ambitio sic mentem impedit, ne se suo creatori substernat: quare gratiæ influxum recipere non ualet. 1. Pet. 5. Deus superbis resistit, humilibus autē dat gratiam. Ideo exeunt, regimen negligentes proprium, & aliorum ambientes, proximum iudicantes, quemadmodum pharisæus publicanum in templo, Lu. 18. Finaliter necesse habebūt exire à consortio sanctorum, quēadmodum caput ipsorum. Luc. 10. Videbam satanam tanquā fulgur de cælo cadentem. Rogabat excusari. Eccl. 19. Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Solent superbi sub humilitatis prætextu honores aucupari. Sic Absalon 2. Reg. 15. In boum iugis auaritia signatur. Auarus enim rei domesticæ augendę intentus, prius habet lucrum terrenæ possessionis, quàm æternæ felicitatis: quinq; sensus in terra uertēda occupat, quia in cœno tēporalium ueluti sus nutritur, dominicam cœnam fastidiens. Hinc idolorum nominatur seruitus Ephe. 5. & 1. Tim. 6. Radix omnium malorū cupiditas: quā quidam appetentes, exciderunt à fide. Obserua quod ait, quinq; iuga: ga animam ligat ut se explicare non possit. Prouer. 5. Iniquitates suæ capient impium, & funibus peccatorū

ſuorum conſtringetur. Vnde uerbo uitium ſuũ exprimit, quia probatio ad curioſitatẽ pertinet. Probat auarus quid poſſit pecunia in lucro, poſſeſſiõe in fructu. Eccl. 10. Auaro nihil eſt ſceleſtius. Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam, hic enim animam ſuam uenalem habet. Habent hi quinq; iuga, hoc eſt, quinq; ſenſus terrenis occupatos: ſi enim dominus dediſſet ſextum, is omnium eſſet occupatiſſimus. Chriſtus iugum habet unum, & id ſuaue. Mat. 11. Ilrum eſt ad tertium, qui ait: Vxorem duxi. ſcis q̃ ſit res operoſa, quot curas ſecum trahat: & idcirco ſi maxime uelim, non licet nunc uenire. Beda: Quia multi non propter fœcunditatem, ſed deſideria carnis uxores ducunt, ideo per rem iuſtam, hoc eſt, p coniugium carnalis uoluptas deſignatur, propter quam ſtudioſus ad dei cœnam recuſat uenire. Tob. 6. Qui ita coniugium ſuſcipiunt, ut à ſua mente & à ſe deũ excludant, & ſuæ libidini ita uacent ut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet dæmonium poteſtatem ſuper eos. Concupiſcentia em̃ carnalis citius & leuius deiicit, & deiectum fortius ligat & tenet, unde iſte nõ rogat excuſari. Oſe. 4. Fornicatio & uinum & ebrietas auferunt cor. Ephe. 5. Hoc autem ſcitote intelligentes, quia omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorũ ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & dei.

¶ *Et reuerſus ſeruus, nunciauit hæc domino ſuo. Tunc iratus paterfamiliàs, dixit ſeruo ſuo: Exi cito in uicos & plateas ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait ſeruus: Do*

mine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo: Exi in uias & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem uobis, quia nemo uirorum illorum qui uocati sunt, gustabit cœnam meam.

His atq; alijs prætextibus quum se excusarẽt oẽs, reuersus seruus, renunciauit domino quomodo se excusassent. Ibi dominus indignans quòd ultro uocati ad tam honorabile, tamq; felix conuiuiũ, ob res friuolas excusarent oẽs, quo magis urerentur in posterum, simul atq; intellexissent, & quantam gloriam spreuissent, & qui nunc in spretæ felicitatis societatem successissent, dixit seruo: Exi citò, excutias desidiam & torporem, ne ex mora uocandi in peccatis permanentes, & se nõ præparantes, à cœna cælesti excludantur. Erunt qui fruantur, etiam si uocati contemnant oblatum honorem. In plateas ciuitatis, id est, Iudæorũ gentem. Mat. 10. In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues quæ perierũt domus Israel. Gregorius: Pauperes & debiles sunt, qui iudicio suo apud semetipsos infirmi sunt: sed pauperes & quasi fortes sunt, qui in paupertate positi superbiunt. Quia enim superbi uenire contẽnunt, pauperes eliguntur: quia iuxta Pauli uocẽ, infirma mũdi eligit deus, ut cõfundat fortia: & quæ stulta mũdi sunt eligit deus, ut confundat sapientes. 1. Cor. 1. Sed dum morum uitia in membrorum debilitate signantur (utpote pauperes in uirtutibus, debiles ad bonum: cæci, ingenij lumine carentes: claudi, rectos gressus operationũ non habentes) profecto liquet,

quia ſicut illi peccatores fuerunt qui uocati uenire noluerunt, ita & hi qui uocantur & ueniunt. Sed peccatores humiles eliguntur, & ſuperbi repelluntur. Multi autem tales ex Iudęis ad dominicam cœnam collecti ſunt, ſed hęc multitudo locum conuiuij non impleuit. Hinc ſeruus ait: Factum eſt ut imperaſti. Non enim ſufficit facere quod imperatur, ſed ſicut imperatur. Eſt adhuc locus, nam apparaſti conuiuium innumerabilium conuiuarum capax. Dominus autem uolens apparatū conuiuium q̄ plurimis eſſe uſui, ait: Exi extra ciuitatem, & undecunq; colligemendicos, hoſpites uel ignotiſſimos, qui latā & ſpatioſiſſimam ad mortem ducētem ambulant uiam. Matth. 7. Qui ſi grauentur uenire, uel improbitate compelle, ut impleatur numerus electorum, qui inexpletus non remanebit. 2. Tim. 2. Nouit dominus qui ſunt eius. Gregorius: Cum de uicis & plateis uocantur, ille populus ſignatur, qui tenere legem ſub urbana conuerſatione nouerat. Cum de uijs & ſepibus, agreſtem illum populum deſignat, qui ſine lege uiuebat. Notandum quod alij uocantur & uenire nolunt, qui donum intellectus accipiunt, ſed eundem intellectum operibus non ſequuntur. Alij uocantur & ueniunt, qui acceptam intelligentiam operando perficiunt. Quidam ſic uocantur, ut etiam compellantur: qui bona facienda intelligunt, ſed facere deſiſtunt: uident quæ facere debent, ſed hæc ex deſiderio non ſequuntur. His contingit plerunq; ut eos in carnalibus deſiderijs ſuis mūdi huius aduerſitas feriat, apprehendere tēporalem gloriam conent & nequeant: & dū ſe frangi in ſuis deſiderijs aduerſante mūdo cōſpiciunt, q̄d de ſe autori ſuo de-

beant commemorant, ita ut ad eum erubescentes redeant, qui eum pro amore mundi superbientes deserebant. Vnde dñs Ose.2. Ecce ego sepiã uiam tuã spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas nõ inueniet: & sequetur amatores suos, & nõ apprehẽdet eos: quæret, & nõ inueniet eos, & dicet: Vadã & reuertar ad uirũ meũ priorẽ, quia bene mihi tunc erat magis q̃ nunc. Sic deus animã, carnis uoluptates sequentem, plerunq; misericorditer respicit, & eius uoluptatibus amaritudines ꝓmiscet: & ne quod male q̃rimus inuenire possimus, obsistit. Mala quæ nos hic premunt, ad deũ ire cõpellunt. Augus. Felix necessitas quæ ad meliora cõpellit. Seneca: Infirmitati meæ gratias ago, quæ me cogit non posse, quod nõ debeo uelle. Discimus quod pauperes cogendi ut beneficiũ ꝓcipiant, & ꝙ discipuli inuiti docẽdi. 2. Tim. 4. Prædica uerbũ, insta opportune, importune. Gregorius: Ecce uocat deus p se, p flagella, p suos, p miracula. nemo contẽnat, ne dum uocatus excusat, cũ uoluerit, intrare nõ ualeat. Ait em̃: Nemo, qbus id honoris habitũ est ut primi uocarent, & fastidierũt, gustabit cœnã meam. Fortasse pœnitebit olim quũ uiderint lautitias ac splendorem conuiuij, & inuidebũt ijs, qbus ipsoꝝ fastidiũ locũ fecit. Sed frustra tũ cupient ingredi, qui, cũ liceret, excusarunt.

De odiendis parentibus, Lu. xiiij.

ARTICVLVS LXXXVIII.

IBant autem turbæ multæ cum eo, & conuersus dixit ad illos: Si quis uenit ad me, & non odit patrẽ & matrem, & uxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus Luc. 14. X

esse discipulus. Et qui non baiulat crucem suam, & uenit post me, non potest meus esse discipulus.

Ostendit quemadmodum omnibus contemptis, solus Christus sequendus sit & eligendus. Multi cũ ibant cum Iesu, qui non cum omni alacritate & obedientia sequebantur, sed frigidiores erant: ideo docet qualem deceat esse discipulum suum, d. Non ois qui sequitur me pedibus, meus est discipulus. Oñibus humanis affectibus renũciet oportet, qui uolet meus perpetuus esse discipulus. Odio habeat, q ad pietatem obstaculo sunt, & propter necessitudinẽ à bonis operibus prohibetur. Si non obsistunt, honorandi sunt parentes ad extremum usq; spiritum, quemadmodum ipse nutritio suo Ioseph. Luc. 2. Et erat subditus illis. & matrem (Iohan. 19.) discipulo commendauit. Vnde Matt. 10. Qui amat patrẽ aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Nam sic deus omnia amat, secundum id quod sunt per naturam, gratiam & gloriam. Sap. 11. Diligis enim oñia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. *Iniquos* autem odit secundum quod tales. Sap. 14. *Similiter* sunt deo odio impius & impietas eius. Psal. 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Sic & nos. Psalm. 118 Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Psalm. 138. Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Hoc uirtuosum odium uult hic dominus. Nam sic odienda & anima, renũciando concupiscentijs quæ nos separant à deo. Ecci. 18. Si prestes animæ tuæ cõcupiscentias suas, faciet te in gaudium inimicis tuis. Roman. 8. Si secundum carnem uixeritis, moriemini: si aũt spiritu facta carnis mor-

Odiũ virtuosum.

tificaueritis,uiuetis. Etiam si perferendum martyrium,quoniam perpetuũ lucrum proponitur. Duplex crux. Quædam imposita:hanc quidam portãt impatienter cum siniſtro latrone, Luc.23. Alij patienter,cum dextro latrone dicentes Luc.23.Nos quidem iuste, nam digna factis recipimus. Hinc Apostolus Heb.12.In disciplina perseuerate. Tanquam filijs uobis se offert deus.quis enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis,cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filij estis. Voluntarie assumpta.Gala.5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs suis.Roma.6.Hoc scientes,quia uetus noster homo simul crucifixus est,ut destruatur corpus peccati,ut ultrà non seruiamus peccato. Gala. 2.Christo cõfixus sum cruci.uiuo ego, iam nõ ego, uiuit uero in me Christus. Ideo subdit:Et sequitur me,non mundum,non carnem.1.Iohan.2. Qui dicit se in Christo manere,debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Alioqui nõ est uerus Christianus. Act.11. Antiochiæ primum discipuli nominati sunt Christiani. Crux duplex. 2

Quis enim ex uobis uolens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum: ne postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui uident,incipiant illudere ei,dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regẽ, non sedẽs prius cogitat, si possit cum decem millibus

occurrere ei, qui cum uiginti millibus uenit ad se? Alioqui adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex uobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Proinde priusquam aggrediare negociũ nequaq̃ delicatum, animum præpara ad omnia dura q̃ sunt perpetienda: alioqui tolerabilius est nõ aggressum esse, quàm ab eo quod cœperis deficere. 2. Pet. 2. Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitiõe domini & saluatoris nostri Iesu Christi, his rursus implicati superant, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Gal. 3. Sic stulti facti estis, ut cũ spiritu cœperitis, nũc carne consummemini? Ideo Eccl. 32. Fili, sine cõsilio nihil facias, & post factũ nõ pœnitebis. Gregorius: Omne q̃d agimus, præuenire p studium considerationis debemus. Non em̃ sufficit fidei fundamentũ, nisi perseuerãtes superstruamus. 1. Cor. 3. Fundamentũ aliud nemo potest ponere, p̃ter id quod positũ est, quod est Christus Iesus. Si qs aũt superædificat super fundamentum hoc aurũ, argẽtum, lapides pretiosos, ligna, stipulam, fœnũ, unicuiuscq; opus manifestum erit. Sed q̃ sumptus, uel unde? Non sufficit enim deligere Christum seq; nisi adsit sufficiens alacritatis præparatio, ut perseueret. Hinc Ioh. 6. Multi discipulorũ eius abierũt retro, & iam non cũ illo ambulabant. Mat. 10. Qui perseuerauerit usq; in finẽ, hic saluus erit. Sed Ioh. 15. Sine me nihil potestis facere. Vnde Phil. 1. Qui cœpit in uobis opus bonũ, pficiet usq; in diẽ Christi Iesu. Phil. 2. Deus est em̃ qui operat in nobis & uelle & pficere,

pro bona uoluntate. Operatᵉ ergo in nobis, sed non sine nobis. 1. Cor. 15. Gratia dei sum id quod sum: & gratia eius in me uacua nō fuit, sed abundātius illis oībus laborauī: non ego aūt, sed gratia dei mecum. Vt ergo uelimus efficaciter, & possimus pseuerāter, rogandus deus, p gratia, ut q dat oībus affluēter, & non improperat, Iac. 1. Matt. 7. Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Oīs enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Alioqui timeamus ne dæmones illudant nobis. Psal. 12. Qui tribulant me, exultabunt sī motᵒ fuero: ego aūt in misericordia tua speraui. Rogat ea quæ pacis sunt. Nam id sanē tolerabilius est, q̄ experiri martis aleam imparibus præfidijs. Honestius enim, ante p̄lium commissum agere de rebus componendis, q̄ post cladem acceptam, inhonestioribus legibus accipere pacē. Iudæi ignorantes dei iustitiam, & suam uolētes cōstituere, iustitiæ dei nō sunt subiecti, Ro. 10. cum simplo cōtra duplum ueniunt exercitum. Ro. 3. Arbitramur hoīem iustificari per fidem sine operibus legis. Iustitia aūt dei per fidē Iesu Christi, in omnes & super oēs qui credunt in eum. Sic & munditiam operū & iustitiam sectantes, cordis neglecta, Mat. 23. Quo cōtra Apostolus 2. Cor. 7. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, pficientes sanctificationē in timore dei. Et uere in timore dei. Iob. 9. Vere scio q̄ nō iustificet homo cōpositus deo. Si uoluerit cōtendere cū eo, non poterit respondere unū pro mille. Sapiēs corde est, & fortis robore. qs restitit ei, & pacē habuit? Longe agit modò Christus, differens iudicium, nostrā exoptans reconciliationē. 2. Cor. 5. Pro

Christo legatione fungimur: tanq̃ deo exhortante per nos, obsecramus ꝓ Christo, reconciliamini deo. 2. Pet. 3. Non tardat dñs promissionẽ suam, sicut q̃dam existimant: sed patienter agit ꝓpter uos, nolẽs aliquos perire, sed oẽs ad pœnitentiã reuerti. Quantumcunq; ergo iusti, quicqd habẽt, ab ipso habent. 1. Cor. 4. Quid enim habes quod nõ accepisti? si ergo accepisti, qd gloriaris quasi nõ acceperis? Quid ergo restat, nisi ut pacẽ requiramus, dicẽtes: Non intres in iudicium cũ seruo tuo dñe, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo oĩs uiuens? Psal. 142. Hinc concludit, nisi omnibus renunciatis, discipulum uerum nõ posse fieri. Non em̃ est in aliquo alio salus, Act. 4. Ideo Psal. 72. Mihi aũt adhærere deo bonũ est, ponere in dño deo spem meã. Psal. 76. Renuit consolari anima mea. Memor fui dei, & delectatus sum. Beda: Distat inter renunciare omnibus, & relinquere omnia. Paucorum (id est, perfectorũ) est relinquere omnia, hoc est, & curas mundi postponere: cunctorum autem fidelium est renunciare omnibus, hoc est, sic tenere quæ mundi sunt, ut tamen per ea non teneantur in mundo, sed licite eis utantur. Psalm. 61. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. 1. Corin. 7. Reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim figura huius mundi. Hinc dominus adolescenti ait: Si uis perfectus esse, uade & uende omnia quæ possides, & da pauperibus. Hic uero, Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Relinquere omnia.

Renũciare oĩbus.

3

Bonum est sal. Si autem sal euanuerit, in quo condietur? Neq; in terrā, neq; in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiēdi, audiat. Y

Oportet discipulum meum esse similem sali. Sal, si uigorem habeat, ualet seruandis & condiendis omnibus cibis. Hinc oportet, ut incorrupti in se & malitiæ sint expertes, alios & doctrina & uita condientes. Eusebius: Sal secundū substantiam ex aqua constat, parum habens terrestreitatis, desiccat'q; fluidam naturam, uel materiam corporum corruptorum, & mortua corpora conseruat. Ideo dominus suos discipulos nominat sal. Mat. 5. Vos estis sal terræ, quia alios regeneraturi erant per aquam & spiritum sanctum, corruptam'q; hominum uitam, à fluxu uitiorum restringere debebāt. Quod si semel sal esse desierit, & uis illa natiua euanuerit, ita ut ipsi sali sale sit opus, nulla ratione potest effici, ut ad ullum ualeat usum. Si enim profuturus alijs, reprobus fiat, & uitiosa affectiōe & uita corruptus, neq; prodesse, neq; utilitatem capere poterit. Et quia non simpliciter accipiendum de sale, addit: Qui habet aures talium rerū capaces, intelligat. Col. 4. Sermo uester semper in gratia sit sale cōditus. Nam si fuerit acharis, insulsus dicitur.

De uillico iniquitatis, Luc. xvi.

ARTICVLVS LXXXIX.

Dicebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, qui habebat uillicum. Et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius. Luc. 16. Z

& uocauit illũ, & ait illi: Quid hoc audio de te? Red de rationem uillicationis tuæ, iam enim non poteris uillicare.

Vult dñs hic nos docere, ut bene dispẽsent creditæ nobis diuitiæ, quarũ non dñi, sed dispensatores simus. Si enim in nostrũ luxum abusi fuerimus, accusabimur, quum dñs uelit datis uti in utilitatẽ cõmunem, non in proprias delicias. Pharisæi ẽm superbi & auari, sicut pœnitentibus ueniam, ita egẽtibus pecuniam negabãt. Homo iste diues, mediator dei & hoĩm est Christus Iesus. 1. Tim. 2. Diues in cœlo & in terra. Mat. 28. Data est mihi oĩs potestas in cælo & in terra. Psal. 23. Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarũ & uniuersi qui habitant in ea. Sed quid Apostolus? Eph 2. Deꝰ q diues est in misericordia. Ro. 10. Diues in oẽs qui inuocãt illũ. Villicũ habet, id est, œconomũ, dispensatorẽ substãtiæ domus suę, quẽlibet Christianũ, qui in baptismo suĩ accepit uillicationẽ & proximi quem iuuare debet, 1. Pet. 4. Vnusquisq; sicut accepit gratiam, in alterutrũ illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ dei. Quod enim habet quisq; quo possit prodesse proximo, substãtia diuitis domini est, quã oportet largiter in ꝓximũ erogare. Lu. 12. Quis putas est fidelis seruus & prudens, quẽ constituit dñs sup familiam suam, ut det illis in tẽpore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem, cum uenerit dominus, inuenerit ita facientem. Sed is delatus est, quòd profusior quàm par esset, dissiparet bona ipsius.

Villicus proprie simul & mystice quis.

Delatores villici quot & qui.

Defert ante dominum omnia perlustrans ueritas. Prou. 15. In omni loco oculi domini contempla-

tur bonos & malos. Hierem. 29. Ego sum iudex & testis, dicit dominus. Angelica pietas. Matthæ. 18. Videntes conserui, nunciauerunt domino. Apoca. 22. Angelus dixit Iohanni: Conseruus tuus sum & fratrum tuorum. Diabolica peruersitas, quæ nec iustis parcit. Iob. 1. Nunquid Iob frustra timet deum? Nonne tu uallasti omnem substantiam eius per circuitum? Operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ habet, nisi in faciem benedixerit tibi. Ecce quum in operibus non haberet quod accusaret, intentionem malam prætendit, quasi Iob propter temporalia deo seruiret. Quid faciet de nobis, plenis omnibus malis? Apoc. 12. Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos die ac nocte. Conscientiæ puritas. Romano. 2. Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & cogitationum inuicem accusantium, aut etiam defendentium. Esa. 66. Marc. 9. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Peccati enormitas. Gene. 4. Ecce uox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Gene. 18. Clamor Sodomorum & Gomorræorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Sic & oppressio pauperum. Exo. 3. Clamor filiorum Israel uenit ad me, uidique afflictionem eorũ qua ab Aegyptijs opprimunt. Sed nunquid frustra. Lu. 18. Deus nõ faciet uindictam electorũ suorũ, clamantiũ ad se die ac nocte, & patiẽtiam habebit in illis? Dico uobis, quia cito faciet uindictam illorũ. Quasi dissipasset bona, sibi ad bene utendũ & erogandum tradita,

Quantumcunq; quis tam naturalibus q̃ alijs abun
tur donis, deus tamen in bonum reducit sua bonita
te ordinem, & finem suæ bonitatis & iustitiæ. Nec
unquam sic destituitur humana natura in hac uita,
quin per dei clementiam reparari possit, quod an-
gelo non contigit. Vnde dicitur, quasi dissipasset.
Vocauit dominus œconomum, ut indicaret illi red
dendam rationem procurationis, & quod dispensa
turus non esset ultrà res suas. Hic plane patet, quod
non de finali iudicio agitur, quia locus datur pœni-
tentiæ. Vocat ergo inspiratione, prædicatione, fla-
gellatione, mortis timorem incutiendo & iudicij,
ut cogitet quam domino de omnibus rationẽ red-
dat. Ponit tria uerba magni horroris, quæ mẽte re-
condita, ab omni peccato retraherent hominẽ. Pri-
mum rigidę reprehensionis. Quid hoc audio de te,
sic dotato muneribus gratiarum, præuento benedi
ctionibus, constituto dispensatore? Sic increpat ma
le cogitantes, male loquentes, praue operantes. Sic
prælati subditorum arguere debent uitia, non dissi-
mulare, ne cum ipsis puniantur sicut Heli 1. Reg. 2.
& 4. Secundo, ueritatem inquirere. Gen. 18 Descen
dam & uidebo, utrũ clamorẽ qui uenit ad me, ope-
re compleuerint, an non est ita ut sciam. Tertio, cri
men proponere, quo excusari possit uel corrigi. Se-
cundum, anxij timoris. Redde rationem, quid agas
apud te, quid apud proximum, quid cogites in cor-
de, quale proferas uerbum, quid auditu delectet, cui
infigas oculum: redde ratiõem, bona mea dissipas,
bonis male uteris, bona mea das extraneis. Voco,
& nõ respõdes: porrigo manũ, & nõ respicis. Iob. 31.
Quid em̃ faciam, cũ surrexerit ad iudicandũ deus?

Tria horribilia in uilicũ uerba.

Prælatis quę tria potissimũ agenda.

& cum quæsierit, quid respondebo illi? Omnia ẽm tunc nuda erunt, quum libri aperientur conscientiarum. Apo. 20. Libri aperti sunt, & aliꝰ liber apertus est, q̃ est uitæ, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secũdum opera ipsorum. 1. Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare, (temere proximũ) quoadusq; ueniat dñs, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordiũ. Sap. 1. In cogitationibꝰ impij erit interrogatio. Mat. 12. Omne uerbum ociosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. 2. Cor. 5. Oms nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Et nõ solum de malis commissis, sed & de lucris neglectis. Mat. 25. Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores. illic erit fletus & stridor dentium. Tertiũ, amari doloris. Cito enim aufertur hæc dispensatio, quoniam hic oĩs uita breuis est, & post hanc uitam non est bene merendi facultas. Verum uel tarde sentiemus quò feramur: & quum dies illa uenerit, laborare non poterimus, quia nox. Ioh. 9. Venit nox quãdo nemo operari potest. Ideo Gal. 6. Ergo dum tempus habemꝰ, operemur bonum. Eccl. 14. Ante mortem para iustitiam. Nam Eccẽs. 9. Quodcunque potest manus tua, instãter operare: qa nec opus, nec ratio, nec sapiẽtia, nec sciẽtia erũt apud inferos, quò tu ꝓperas.

Ait autem uillicus intra se: Quid faciam quia dominus aufert à me uillicationem? Fodere non ualeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, ut cum amotus fuero à uillicatione, recipiant me in domos suas. 2

Conuocatis itaq; singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Cẽtum cados olei. Dixitq; illi: Accipe cautionem tuam, & sede cito, & scribe quinquaginta. Deinde alio dixit: Tu uero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas, & scribe octoginta. Et laudauit dominus uillicum iniquitatis quia prudenter fecisset, quia filij huius seculi, prudentiores filijs lucis sunt in generatione sua.

Oeconomus, ut intellexit breui futurũ, ut amoueretur à dispensatione, callide sibi prospexit in breui. Non est enim, inquit, unde uiuam. Nihil mihi collegi dum licuit, supersit ut aut ad stipem diurnam fodiam in agro, aut publicitus mendicem. Parabo ergo mihi amicos ex facultatibus dñi mei: hi submotum ex officio dispensandi, memores meæ erga se benignitatis, recipient me in domos suas. Confugit ad mundanam sapientiam, quæ est quomodocunq; uiuendi astus. Sap. 15. Sed & lusum æstimauerũt uitam nostram, & cõuersationem compositam ad lucrum, & oportere undecunq; etiam ex malo acquirere. Obserua quantum timor operetur. Pro. 15. Per timorem domini declinat omnis à malo. Ait intra se, quum foris in tali casu amicum non habeat. Oẽs enim q̃ sua sunt quęrunt, non quæ Iesu Christi. Phi. 2. Nam bona quærunt temporalia amici, non animæ, de cuius salute utinã & nouissima esset cura, & non penitus nulla. Gregor. Tanto securius quisq; dominum expectat, quanto quotidie uitam suam suspectius examinat. Chrys. Fidelis dispensator desiderat

cum Paulo dissolui,& esse cum Christo.Is aũt cuius uota terrena,anxiatur in exitu. Vita enim p̃sens exercitium habet mandatorum,futura solatium.Si nihil operatus es hic,frustra in futuro speras.Non em̃ finita uita ista,est locus ut terram cordis nostri cõpunctione scindamus ad ferendum fructũ,aut mendicando:confusibile enim tunc erit mendicare, ubi nõ exaudimur,ut patet in uirginibus,Mat.25.&diuite epulone,Lu.16.Clemẽtissimus dñs nolẽs quen q̃ perire, istud quoq; tolerat,& laborem fugere,& pudorem.Illud,quia difficile:istud,quia contemptibile propter repulsam,dummodo corde compungamur,& eleemosynarum largitione redimant.Singulatim debitores uocauit, ne apud dñm de fraude accusari posset,& quisq; specialem sibi crederet gratiam factam.Primo medietatem remisit,dicẽs:Dñs prædiues est, uolo ut dimidiũ lucrifacias opa mea. Accipe cautionem,chirographum manus tuę,& sede cito,quia periculum in mora.Sequenti quintam remisit partem,& sic de alijs.Amotus à uillicatione apud illos uiuebat,nũc ab hoc,nũc ab illo amice receptus. Quod ubi dñs intellexit,laudauit ipsi⁹ astũ, prudentiam q̃ mundanam, licet & id fecerit in fraudem dñi sui.Non ergo de fraude,sed de prouidẽtia, sicut serpens non de ueneni profusione, sed capitis conseruatione, nobis imitandus & laudandus ꝓponitur.Matt.10.Estote prudẽtes sicut serpentes.Oĩs enim parabola oblique &figurato modo,rei q̃ quarundam naturam manifestat,non per omnia rebus illis assimilata,propter q̃s assumpta est.Idcirco non oportet oẽs parabolæ partes curiosi⁹ ingrere, sed q̃tenus apparent ꝓposito utiles:reliq̃ sinendę sunt,

Uillicipis uidentia, nõ fraus, imitanda.

Parabolæ pũ partes nõ oẽs discutiendę.

quasi parabolam contexentes, & nihil ad propositum inducentes. Taxat ergo dominus nostram socordiam, & ad huius imitationem suos exhortatur. Nam si laudatus est qui bona sui domini ante dissipauit, & de residuo amicos sibi per furtum procurauit, multo magis Christus, qui nullum damnum sustinere potest, & largissimus, laudat misericordiam præstantes. Ingratitudo autē nostra arguitur, si consideremus q̄ & quanta nobis deus contulit in creatione, gubernatiōe, reparatione, imò quæ præparauit in glorificatione. Hinc oēs debitores sumus, q̄re & orare nos docuit Matt. 6. Dimitte nobis debita nostra. Sed filij huius sæculi, q mundum pro patria habent, & in terrenis hæreditatē q̄runt, seculo se conformāt, q laudāt oīa q̄ in terra lucrosa sunt. 1. Ioh. 4. Ipsi de mūdo sunt, & de mundo loquunt, & mundus eos audit. diligētiores sunt in temporalibus acgrendis, conseruandis, & expendēdis, filijs lucis, hoc est, dei, qa deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ, 1. Ioh. 1. & quia lucidam habent conuersationem, Ephe. 5. Eratis aliq̄n tenebræ, nūc autem lux in dño, ut filij lucis ambulate. & qa lucem æternam q̄rūt, & hæreditabunt. Orig. Filij huius seculi non sapientiores, sed prudētiores dicunt filijs lucis: & hoc nō absolute, sed in generatione sua, in his q̄ ad carnalem spectant generationem. Sic cattus clarius uidet homine, non ad legendas literas, sed capiēdos mures. Inuenimur em̄ in humanis dispensationibus res nostras prudenter dispensare, ut etiam si administratione exciderimus, habeamus quoddam refugium uitę. In his autem rebus, q̄ debēt secundum deum dispēsari, nullā uidemur gerere curam, quō rationem

dispẽsatiõis demus, & ex hac uita educti ne inueniamur ab oñi cõsolatiõe destituti. Ro. 8. Prudẽtia carnis mors est: prudentia autem spiritus, uita & pax.

Et ego dico uobis: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut quum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. 9

Tempus hoc quoniam breue est & incertum, perãdum est, ut erogatis in pauperes terrenis facultatib⁹, paremus nobis uiaticum in uitam æternam. Mammona, diuitiæ iniquitatis dicuntur lingua Syrorum: quia ut communiter, aut inique colligũtur, aut auare retinentur, aut iniuste expenduñt. & sic q̃ nobis datæ sunt ut sint arma iustitiæ, à nobis ad iniustitiã uertũt. 1. Ti. 6. Qui uolũt diuites fieri, incidũt in tẽtationẽ & in laqueũ diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, q̃ mergũt hoïem in interitũ & perditionem. Hinc dicitur Eccl. 31. Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum nõ abiit, nec sperauit in pecuniæ thesauris. quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in uita sua. Si ergo iniuste acquisitæ sunt, restitui debent. Luc. 19. Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. si iuste, pauperibus impartienda. Aeterna enim tabernacula constituta sunt, in quę possunt recipere eos, qui hic ipsis amice de bonis quæ sunt domini, largiuntur. Pauperes enim debitores sunt. Pro. 19. Fœneratur domino qui miseretur pauperis. Felix permutatio, quum caduca permutantur æternis. Quid autem uilius est, aut à uirtute lõgius abest, quàm opes huius mundi? Vix unquam sine fraude parãtur, nec alia est tuendi augendiq; ratio q̃ parandi. Onero-

Mammona quid.

sa possessio est, nec ea tuta interim, nec oĩno diutur
na. Nõ enim sequuntur herum suum hinc emigran
tem. Sed his tamen emere licet quod æternum est,
quodq; in æterna uita sit usui. Ita fiet ut quod rec̃-
ditum, iniustum facit hominem ac multis curis ob-
noxium, id erogatum, fiat instrumentum euangeli
cæ iustitiæ, & merces ad largientem multo cum fœ
nore redit. Aug. Non damnat diuitias per quas ma
reamur cælum, sed cor appositum, quod nõ dispen
sat, sed recondit.

A *Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est.*
Et q in modico iniquus ẽ, & in maiori iniquus est. Si
ergo in iniquo mãmona fideles nõ fuistis, quod uerũ
est, quis credet uobis? Et si in alieno fideles non fu-
istis, quod uestrum est, quis dabit uobis?

Ostẽdit quibus notis auaritia cognoscatur. Qui
enim in temporalium erogatione fideliter agit er-
ga proximum, & spiritualia bene administrabit. 1.
Cor. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Chri-
sti & dispensatores mysteriorum dei. Hic iam quæ-
ritur inter dispensatores, ut fidelis quis inueniatur.
Qui autem in modico, hoc est, temporalibus, quæ
respectu spiritualium modica sunt & minima, infi-
delis ẽ, & in multo infideliter ager. Hinc nulli Apo-
stolus episcopum suæ domui esse bene præpositum.
1. Timo. 3. Si quis autem domui suæ præesse nescit,
quomodo ecclesiæ dei diligentiam habebit? Quis-
quis enim non potest cõtemnere diuitias terrenas,
quæ nec ueræ, nec nostræ sunt, insyncere dispensa-
bit animi diuitias, quæ ueræ sunt diuitiæ & nostræ.
Et si in alieno, quod nobis commissum est infideles

sumus, quod nostrum est, quis committet nobis ad erogandum? Qui dispensat opes hominis, ita demum fidelis dispensator inuenitur, si quàm parcissime dispenset quod creditum est: at contrà deus qui diues est in omnes, Roma. 10. cupit largissime erogari quod dispensandum tradidit, & pro infideli habet quisquis ueluti proprium tenuerit quod dominus uoluit esse commune, quoties exigit proximi necessitas. Exteriora enim aliena sunt. 1. Timo. 6. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus. Psalm. 48. Homo cum interierit, non sumet oĩa, neq; descendet cũ illo gloria sua. Cui⁹ ergo animũ uilissimę rei cura solicitare potest ad peccandum, hic multo facilius occasione maiore pertrahetur ad peccandum.

Nemo seruus potest duobus dominis seruire. Aut enim unum odiet, et alterum diliget: aut uni adhærebit, et alterum contemnet. Non potestis deo seruire et mammonæ. Audiebant autem hæc omnia et pharisæi, qui erant auari, et deridebant illum. Et ait illis: Vos estis qui iustificatis uos coram hominibus, deus autem nouit corda uestra. Quia quod hoĩbus altum est, abominatio est ante deum. 2

Nemo potest duobus dominis contrarijs seruire, seruitute utrisq; placente. Vbicq; taxatur amor pecuniæ, hoc est, affectio erga illas & studium. Est enim auaritia tantæ impietatis, ut Apostolus eam nominet idolorum seruitutem, Eph. 5. & Ecci. 10. Auaro nihil est scelestius. Nihil est iniqus quàm amare pecuniam. hic enim uenalem animam suam habet, quoniam in uita sua proiecit intima sua. Seruit

mammonæ, qui magnam felicitatis partem collocat in diuitijs: eaq; causa magno studio laborat, ut q̃ plurimum possideat, ut quod partum est, tueatur & augeat. Non seruit, qui habens victum & quibus tegatur, contentus est. 1. Timo. 6. & de his quæ supersunt dat eleemosynam. Lu. 11. Audiebant hæc pharisæi, quorum animi uelut utres antiqui, non capiebant hoc euangelicæ doctrinæ mustum. Erant ẽ auari, non solum pecuniæ, sed etiam gloriæ. Grauitim ferunt auari, si quando de paupertate audiant, abominatio enim est peccatori pietas, & reprehensiones impio sunt flagella. Amos 5. Odio habuerũt corripientem in porta, & loquentem perfecte abominati sunt. Sed audiant illud Pro. 29. Viro q̃ corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. Iustificabant se apud homines, laudem humanam uenantes. Mat. 23. Omnia opera sua faciunt ut uideant ab hominibus. Psal. 54. Quoniam deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent. Gal. 1. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Nouit deus corda hypocritarum notitia reprobationis. 1. Reg. 16. Homo uidet ea quæ patẽt, deus autem intuetur cor. Hier. 23. Si occultabitur uir in abscondi-tis, & ego non uidebo eum, dicit dñs? Quia quod altum est, ut simulata iustitia, rerum opulentia, gloria mundana, deus abominatur. Iob. 36. Simulatores & callidi prouocant iram dei. Alia enim iudicia dei, alia mũdi. Ro. 2. Scimus quoniam iudicium dei est secundũ ueritatem. Vnde 1. Reg. 16. Non secundum intuitum hominum ego iudico. Atq; is demum diues est, qui apud deum diues est: is iustus, qui apud

deũ iustus ẽ:is magnus, q̃ sibi paru⁹, deo magn⁹ est.

Lex & prophetæ usq; ad Iohãnem. ex eo regnum dei euãgelizatur, & omnis in illud uim facit. Facilius est autem cælum & terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere. Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à uiro ducit, mœchatur.

Legalia illa promissa & prophetica, quibus temporalia promittebantur, ad Iohannem durauerunt, quando ueritas figurarum exhibetur. Ex fide promissorum proficiẽdum est ad amorem rei iam exhibitæ. Iohannes confinium fuit, dirimens legem cum suis figuris, & prophetas cum suis promissis ab euangelio: quod re ipsa exhibet & quod lex umbris suis designarat, & quod prophetæ deo afflati uenturum prædixerãt. Prædixit enim adesse regnum dei, non terrenum, sed cæleste. Paupertatem em̃ in terra seruare debent, qui cælos desiderant. Ex eo tempore regnum cælorum annunciatur, & quiuis in illud uim facit. Ad hanc gloriam nulli præcludit̃ aditus. Quod si uos pharisæi nõ dignamini intrare, occupabunt & intrabunt gentes, intrabunt quælibet orbis nationes. Excludi nõ possunt, posteaq̃ semel apertum est ostium: irrumpunt, si non admittunt̃. Amat huiusmodi uiolentiam regnum dei. An non & uiolẽtia, seipsum uincere, carnem spiritui subijcere, diuinæ uoluntati se subijcere, & illuc pertingere per pœnitentiæ humilitatẽ, unde angelus supremus cecidit per superbiæ cæcitatem? Apo. 2. Vincẽti dabo edere de ligno uitæ, q̃d est in paradiso dei mei. Nec est quod clamitent legis amatores, abrogari le

gem, antiquari prophetas. Imo hæc est legis, nõ abolitio, sed absolutio. Illud aũt affirmo uobis, quòd præteribit cœlum & terra, q̃bus nihil durabilius, q̃ unus apiculus legis prætereat, quin perficiatur quod factum est. tantũ abest ut uenerim aboliturus legem. Ostendit se non contrarium legi. Non em̃ uenisse uere legem, sed adimplere, Matt. 5. Quũ uinculum matrimoniale indissolubile sit, ostendit se legi consonum quam perficit, dicens uxorẽ non ducendam altera uiuente, neq; dimissam accipiendam uiro uiuẽte, quanq̃ ob cordis duritiam repudij libellus admissus sit, Matt. 19 Ro. 7. Quæ subuiro est mulier, uiuente uiro alligata est legi.

De diuite epulone, Luc. xvi.

ARTICVLVS XC.

Luc. 16. B

HOmo quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius hulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Sed & canes ueniebant, & lingebant hulcera eius.

Ostendit quantũ obsint diuitiæ abutentibus, aduersitas uero patienter tolerata, quantum prosit humilibus. Homo q̃dam, magni nominis apud homines, apud deum obscurus & ignotus, quãtum ad approbationem. Iustum q̃ppe est, ut q̃ deum in suis membris non agnoscunt, ab ipso non agnoscãtur. Mat. 25. Quàm diu uni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis. Psal. 48. Vocauerũt noia sua in terris.

Gen.11. Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat usq; ad cælum, & celebrem nomen nostrum. Sed non à deo agniti. Hier.17. Recedentes à te, in terra scribentur. Quam dilexerunt & quæsierunt. Erat dives, cui nihil deesse uidebatur ad absolutam huius mundi felicitatem. Notatur de auaritia: nam si adsint diuitiæ, & cor non apponat, nisi ad iuste & sancte uiuendum, is nõ dives, sed pau p spiritu, aut liberalis, aut quod est talibus maxime proprium, misericors dicitur. Sic Abraam Gene.13. Erat autem dives ualde in possessione auri & argenti. Ita & Iob.1. Eratq; uir ille magnus inter oẽs orientales. Dives aũt iste omnino dissolutus erat, purpura & bysso induebatur, & præterea omnibus delicijs uacabat, ambitioni deseruiens & uoluptati. Quadrupliciter peccatur erga diuitias. Male acquirendo, ut furto, sicut Achã de anathemate Hiericho tulerat, ob quod ira dei in populum desæuit donec lapidatus fuit, Ios.7. Fraude. O deus, qs huius rei uindex enodet? 1.Thes.4. Et ne qs supergrediatur neq; circunueniat in negocio fratrem suum, quoniã uindex est deus de his omnibus. Vsuras committendo. Secundo, male expendendo. de isto notatur hic dives. Induebatur purpura, ad cultum exteriorem & inanem ostentationem: byssio, ob mollitiem interiorem. Ro.13. Carnis curam ne feceritis in desideriis. Reprehendit uestiũ ornatus, ob preciositatẽ. Luc. 7. Ecce q in ueste preciosa sunt & delicijs, in domibus regũ sunt. Nõ aũt in domo dei. Greg. Nemo putet in luxu & gloria uestiũ preciosarũ peccatũ deesse: qa si hoc culpa nõ esset, nequaq; Iohannem dñs de uestimenti sui asperitate laudasset. Beda: Indig-

Quotupliciter circa diuitias peccetur.

Uestiũ ornatus & de causis reprehendatur.

num uidetur, miserum cadauer ueste preciosa adornari, de cuius precio multi possent pauperes adiuuari. Secundo, ob superfluitatem. Bern. Nudi clamãt, famelici conqueruntur. nobis fame & frigore laborantibus, quid conferunt tot mutatoria in pertis, uel multiplicata in cistis? Iac. 5. Agite nunc diuites, plorate ululantes in miseriis uestris quæ aduenient uobis. Diuitiæ uestræ putrefactæ sunt, uestimẽta uestra à tineis comesta sunt, aurum & argentum uestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium uobis erit, & manducabit carnes uestras sicut ignis. Hinc Lu. 3. Qui habet duas tunicas, det non habenti. Tertio, Curiositatem. Eccl. 11. In uestitu ne gloriris unq̃. Aug. Non affectetis uestib⁹ placere, sed moribus. Bern. Ex cordis thesauro procedit, q̃ q̃d uiri orum foris apparet. Vanum cor, uanitatis notã ingerit corpori: exterior superfluitas, interioris uanitatis indicium est: mollia indumenta, mollitiem animi indicãt. Esa. 3. Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerũt extẽto collo, & nutibus oculorũ ibãt, & plaudebãt, & ambulabãt, & pedibus suis cõposito gradu incedebãt, decaluabit dñs uerticẽ filiarum Sion, & dñs crinẽ earũ nudabit. In die illa auferet dñs ornamentum calceamentorũ, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & perichilides, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & uittas, & teristra. Et erit ꝓ suaui odore fœtor, & ꝓ zona funiculus, & ꝓ crispãti crine caluitiũ, & ꝓ fascia pectorali ciliciũ. Soph. 1. Visitabo sup̃ principes, & sup̃ filios regũ, & sup̃ oẽs q̃ induti sunt ueste peregrina. Quarto, Inhonestatẽ. Pro. 7. Ecce mulier in oc-

natu meretricio, ꝑparata ad decipiẽdas alas. Hine 1. Tim. 2. Similit mulieres in habitu ornato, cũ uerecundia & sobrietate ornantes se, & nõ in tortis crinib⁹, aut auro, aut margaritis, uel uestie preciosa: sed q̃d decet mulieres, promittentes pietatem per opa bona. Tit. 2. Anus similiter in habitu sancto. 1. Pet. 3. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumẽti uestimentorum cultus, sed q̃ absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spũs, q̃ est in cõspectu dei locuples. Sed ne q̃d deesset ad oblectamentũ corporis, comessabat, & hoc q̃tidie: nec mediocriter, sed magnifice, & ambitioni seruiẽs, & luxui, & uoluptati. Hoc uitiũ dei obliuionem inducit. Ose. 13. Saturati sunt, & eleuauerũt cor suũ, & obliti sunt mei. Exod. 32. Sedit populus mãducare & bibere, & surrexerũt ludere. Phi. 3. Quoꝝ deus uẽter est, & gloria in confusionẽ ipsoꝝ q̃ terrena sapiũt. Iaco. 5. Epulati estis sup terrã, & in luxurijs enutristis corda uestra. Hinc admonet dñs Lu. 21. Attẽdite ne grauent corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius seculi. Ro. 13. Carnis curam ne feceritis in desiderijs. Ro. 8. Debitores sumus, nõ carni ut secundũ carnem uiuamus. si eñ secundum carnem uixeritis, moriemini: si aũt spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. O quot hoc uitio & deũ & naturã offendunt, q̃ paucis contẽta est. Eccl. 37. Noli auidus esse in oñi epulatiõe, & nõ te effundas sup omnem cibum. In multis eñ escis erit infirmitas, & auidiras appropinquat usque ad choleram. Propter crapulam multi obierũt, q̃ autem abstinens est, adijciet uitam. Tertio, auare retinẽdo. Eccl. 11. Inueni reqem mihi, & nũc mãducabo

de bonis meis ſolus: & neſcit q̃d tempus illum præ-
tereat, & mors appropinquet, & relinquat oĩa alijs,
& moriatur. Claret hoc in diuite, qui longam ſibi &
q̃etam in bonis ſuis ꝓmittebat uoluptatem, cui di-
ctum fuit Lu. 12. Stulte, hac nocte repetũt animam
tuam à te, & quę paraſti, cuius erunt? Aggrauabatur
ergo peccatum huius, quia naturalis pietatis obli-
tus, pauperi non ſubuenit. Eccl. 13. Omne animal di
ligit ſibi ſimile, ſic oĩs homo ꝓximum ſibi. Notan et
go de tribus uitijs quæ ſunt in mũdo. 1. Ioh. 2. Oĩe
quod eſt in mundo, cõcupiſcentia carnis eſt, & con
cupiſcentia oculorum, & ſuperbia uitæ, quæ non eſt
ex patre, ſed ex mũdo eſt. Erat huic multum diſſimi
lis mendicus quidam, obſcurus & ignotus apud ho
mines, ſed clarus & notus apud deum. Amb. Claret
ex hoc, quod pauperem nomine notat, rem geſtam
Chriſtũ narrare. Dicit Lazarus adiutus, qa deſtitu-
tus ab hoĩbus, ſed adiutorẽ habet deũ. Iac. 2. Nõne
deus elegit pauperes in hoc mũdo, diuites in fide, &
hæredes regni q̃d repromiſit deus diligentibus ſe?
Vos aũt exhonoraſtis pauperẽ. Pſal. 71. Aĩas paupe
rum ſaluas faciet. Ex uſuris & iniqtate redimet aias
eoꝝ, & honorabile nomen eorũ coram illo. Nouit
enĩ dñs q ſunt eius, 2. Tim. 2. Huic nec domus erat,
nec cibus, nec ueſtis, ac ne corporis quidem ſpecta
ualetudo. Iacebat uehementer infirmus ante ueſti-
bulum domus bis miſer, q̃re impium ei non ſubue-
nire. Nõ admiſſus eſt hulceroſus, ne funeſto ſpecta-
culo cõtriſtaret oculos undeq̃q lauti cõuiuij. Accef-
ſit ad miſeriæ cumulũ fames intolerabile malũ. Sig
dẽ minima petijt, micas q̃ de mẽſa cadebãt ſcilicet:
ſed nõ erat q daret, quũ canes illic eſſent panibus ſa

Rem geſtã eſſe de Lazaro & diuite, non parabolam.

turi. Eccl. 10. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius. Pro. 29. Rex impius omnes ministros habet iniustos. Immisericordiam hominum damnabant canes hulcera lambẽtes. Amb. Auis sociat auibus, pecus pecoribus, pisces piscibus: solus tu homo cõsortem excludis, & feras includis: parietem uestis auro, & pauperes nudas uestimento: paup panẽ petit & non accipit, & equus tuus aurum sub dentibus mandit. Esa. 58. Frange esurienti panem tuum, & egenos uagos hospitio induc in domũ tuam: cum uideris nudum, operi eum, & carnẽ tuam ne despexeris. 1. Ioh. 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & uiderit fratrem suum necessitatẽ habere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? Chrys. Nõ putes propter utilitatem pauperum deum fecisse diuites, quos sine diuitibus pascere posset sicut Heliã 3. Reg. 17. filios Israel, Exo. 16. Deut. 8. sed propter utilitatem diuitum fecit pauperes, q alias infructuosi essent & steriles, sicut granum non seminatum. Greg. Pensandum est, cõditor noster oĩa q̃nta consideratione dispẽsat, in una re duo iudicia exhibuit. Dum enim egenum & hulceratum ante ianuam diuitis (ut ante oculos esset,) & delicijs affluentis posuit, in una eademq; re, & ex uisione pauperis nõ miserẽti diuiti cumulum dãnationis intulit, & rursum ex uisione diuitis tentatum quotidie pauperem probauit, cui certe ad pœnam sufficeret paupras, etiã si sanus fuisset: & rursum suffecisset ægritudo, etiã si subsidiũ adesset. Sed ut ꝓbaret ampliꝰ, simul hũc & ægritudo & paupras tabefecit: atq; insuper uidit, ꝓcedẽtẽ diuitẽ obsequẽtibꝰ euncis circũfulciri, & se in infirmitate & inopia à nullo uisitari. Sed nũ-

quid in tãtis malis blasphemabat? num cõuiciabat? num incessebat luxũ diuitis? num inhumanitatem condemnabat? Nihil horum, sed fortis erat & magnæ philosophiæ.

2 *Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abraæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans aũt oculos suos cum esset in tormentis, uidit Abraam à longe, & Lazarum in sinu eius. & ipse clamans, dixit: Pater Abraam, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraam: Fili, recordare quia recepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic eõsolatur, tu uero cruciaris. Et in his omnibus inter nos & uos chaos magnum firmatum est, ut hi qui uolunt hinc transire ad uos, non possint, neque inde huc transmeare.*

Quis nõ iudicasset diuitem illum, absolutum exemplar felicitatis, & hunc Lazarum exemplar infelicitatis extremæ? Sed nequaquam ex his quę contingunt in hac uita, æstimanda est hoĩs felicitas. Subitorum uices inuersæ sunt. Mors enim omnibus imminens, ut diuitibus finis est omnium uoluptatum, ita afflictis terminus oĩm dolorum. Lazarus qui neglectꝰ erat ab hoĩbus dum uiueret, mortuus, ab angelis deportatus est in sinũ Abraæ. Hochonore dignatus est eũ deus, quẽ diues non dignabatur tecto suo. Apo. 14. Beati mortui q̃ in dño moriũt. Chrys. Sufficiebat ad deportãdum pauperẽ unus angelus,

sed propterea plures ueniunt, ut currum lætitiæ faciant. Sinus Abraç, qui ante passionem domini limbus erat, requies nunc est æterna. Secũdum id quod requies p̃ abſentiam oĩs mali, sic fuit: sed prout dicit super hoc præsentiam oĩs boni, sic est locus gloriæ, ad quem animas defunctorũ optamus peruenire. Dicitur Abraæ sinus, quia pater credentium appellatur, quia contra spem in spem credidit. Ro. 4. & Gal. 3. Qui ex fide sunt, hi filĩ sunt Abraæ. Mortuus est aũt & diues, morte naturæ & gehennæ, qui antè mortuus fuit morte culpæ. Psal. 33. Mors peccatorũ pessima. In morte naturæ separatur anima à corpore, sed in resurrectione readunãda. In carne mea, inquit Iob. 19. uidebo deum saluatorẽ meum, quẽ uisurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei cõspecturi sunt. In morte culpę separat̃ anima à deo. Psal. 118. Longe à peccatoribus salus. Sap. 16. Homo per malitiam occidit animã suã. Sed p̃ pœnitentiam reuiuiscere licet. Apo. 3. Nomẽ habes q̃ uiuas, & mortuus es. In mẽte ergo habe qualiter acceperis & audieris, & serua, & pœnitentiã age. In morte gehẽnæ separat̃ totus homo à deo, & oĩbus electis in totũ. Prou. 11. Mortuo hoĩe impio, nulla erit ultrà spes. Psal. 48. Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Mors ergo oĩm cõmunis, solum docet diuites hoc, q̃ hoĩes sunt quemadmodũ cæteri. At Lazaro nec honor sepulturæ habitus est, diues aũt magnifica funeris pompa elatus. Græci sic distinguũt: Mortu⁹ est diues & sepultus, ſ. cũ pompa, & in inferno eleuãs oculos suos cũ esset in tormẽtis, uidit Abraam à longe, & Lazarũ in sinu eius, participẽ q̃etis. Gregorius: Oculos q̃s culpa clauserat, pœna aperie-

Sinus Abraç qđ.

bat. Esa.28. Tantummodo uexatio intellectū dabit auditui. Chrysost. Sicut pauperi dū uiueret grauiorem faciebat pœnā iacere ante ianuā diuitis, & alia bona perspicere sic diuiti mortuo augebat pœnā in gehenna, prospectus delectationis Lazari. Quē admodū dñs electum Adam è regione paradisi collocauit, ut continuo aspectans, sentiret à quantis bonis excidisset: sic & illū in grauibus tormētis, ubi nō minus durè tractabat rerū uanarū inopia, & omnium earum copia, q̄ in uita se tractauerat molliter, cōdemnauit in conspectu Lazari. Non enim tm̄ cruciantur igne tartareo quantum conscientiæ stimulo, scientes se nunq̄ liberādos. Esa.66. Vermis eorū non morietur, & ignis eorum nō extinguetur. Patrē inuocabat, quē imitari in hospitalitate noluit. Iohā.8. Si filij Abraæ estis, opera Abraę facite. Misericordiā stultus petijt, q nec sui nec alioꝝ misertus fuit. Pro. 21. Qui obturat aures suas ad clamorē pauperis, clamabit & ipse, & nō exaudietur. Iac.2 Iudicium sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiā. Non enim pœnitent damnati de peccatis, inquantū sunt dei offensiua, turpia & iniusta: sed ut sunt eis causa tanti supplicij. Vnde non ait: Miserere mei quia peccaui, sed quia crucior. In diuersis positus est tormētis, sicut fuerat in diuersis peccatis. Peccauerat in diuitiarum habundantia: hinc positus est in summa egestate, ut nec aquæ guttā impetret. In linguæ edacitate, quā sequit loquacitas. Chrysost. Quia in cōuiuio magis loquacitate peccauerat in lingua, grauius ardebat. Quot irrisiones & detractiones in cōuiuijs cōtinguntur? Sap.1. Per q̄ quis peccat, per hæc & punitur. Apo.18. Quantū glorificauit se & in deliciis fu

it, tantũ date illi tormentum & luctũ. Gregorius. Diues eũ cui in hac uita misereri noluit, in suo iam supplicio positus, patronũ quærit. O quanta est subtilitas iudicioꝝ dei, q̃ districte agitur bonoꝝ actuũ malorumq; retributio. Sed guttã aquæ petijt, nec habebit, q micas pauperi negauit. Fili, inquit, agnosce reꝝ uices iuste mutatas. Id agnoscas oportet, si meminisse uoles ꝙ tu cũ uiueres, tua bona receperis, Lazarus contra suis malis sit defunctus. Vide sanctũ & cõpatientẽ, & hæreditatis amissæ cõmonefacientẽ. Gregorius: Sentẽtia ista pauore indiget magis q̃ expositione. Nam si qua bona agimus, timendũ ne bonis ꝓspere succedẽtibus, remuneremur: unde diues iste indicat boni aliqd habuisse, ex q̊ in hac uita bona receperit, & Lazarus malũ habuisse aliquod q̊d purgaretur. Sed mala Lazari purgauit ignis inopię, & bona diuitis remunerauit felicitas transeuntis uitæ. Illum paupertas afflixit & terfit, istum abudantia remunerauit & reppulit. Nunc uero inuersis reꝝ uicibus, hic post afflictiones patiẽter toleratas refocillatur: tu uero post delicias, quibus te male oblectasti, merito cruciaris. Pro superbis ædibus habes tartarum, pro delicijs cruciatum æternum, pro iocis & cantionibus perẽnem eiulatum. Esa. 65. Hæc dicit dominus deus: Ecce serui mei comedẽt, & uos esurietis: ecce serui mei bibent, & uos sitietis: ecce serui mei lætabuntur, & uos confundemini: ecce serui mei laudabũt p̃ exultatiõe cordis, & uos clamabitis p̃ dolore cordis, & p̃ contritione spũs ululabitis. Chrysost. Si ęgrotamus, si pauperes sumus, gaudeamus: accipiamus mala in uita nostra, ut postea recipiamus bona. Iac. 1. Om̃e gaudiũ existimate fratres,

cum in uarias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei uestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. 2. Cor. 4. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ uidentur, sed quæ non uidentur. Quæ enim uidentur, temporalia sunt: quæ autem non uidentur, æterna sunt. Eligamus ergo hûc cum Mose & populo dei affligi, magis quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Heb. 11. Non enim sunt cõdignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Roma. 8. Attende quomodo in die illo qui alium iniuria affecit, ipsum uidebit in gloria, & hic iterum illum a quanta sit condemnatione. Sapien. 5. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerũt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinẽ improperij. Nos insensati, uitã illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios dei, & inter sanctos sors illorum est. Ostenditur quod non debeat adiuuari, nunc consequenter ꝺ̃ non possit. Super hæc omnia, hoc deploratior est uestra calamitas, ꝙ ingens hiatus nos dirimit, posteaquã incõmutabili dei sententia, sua quibusq; sedes designata est. Chrysosto. Videre possumus, trãsmeare nõ possumus: nos uidemus ꝺ̃ fugimus, uos uidetis

quod pdidistis. Gregorius: Qui in inferno sunt, ad beatorū consortium transire uelle dubium non est. Iustorum autem animæ quanuis in naturæ suæ bonitate misericordiam habeant, tanta tamen rectitudine constringuntur, autoris sui iustitiæ coniunctę, ut nulla ad reprobos compassione moueantur.

Et ait: Rogo ergo te pater Abraam, ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinq; fratres, ut testetur illis, ne & ipsi ueniant in locum hunc tormentorum. Et ait illi Abraam: Habent Mosen & prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non pater Abraam, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agēt. Ait autem illi: si Mosen & prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent. 3

Non charitate, sed timore pœnæ petit, ne tali cōsortio crescceret etiam misero mali sensus. Sed nunc frustra supplex est, qui supplicem proximum reppulit. Gregorius: Notandum quod ad pœnam diuiti cognitio seruatur & memoria, cognoscit Lazarum quē cōtempsit, fratrū quoq; meminit suorū quos reliquit. Vt peccatores in supplicio amplius puniant, & eorum uident gloriam quos cōtempserunt, & de illorū etiā pœna torquent, quos inutiliter amauerūt. Psal. III. Peccator uidebit & irascet, dentibus suis fremet & tabescet, desiderium peccatorū peribit. Non aūt simpliciter quēpiā ex mortuis mitti, sed Lazarū rogat, ut uideant eū coronatū in gloria & incolumitate, q uiderant antè infirmū & contemptū, fiantq; testes tanti miraculi, & tantæ glorię spectatores. Sic diuitē experta calamitas sero iam fecit & supplicem & doctorē. Nam modò tēpus est meriti. Gal. 6. Dū

tempus habemus, operemur bonum. 2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Sed heu Iob. 24. Dedit ei deus locũ pœnitentiæ, & ipse abutitur eo in superbia. In cœlo locus est prœmij. Mat. 5. Ecce merces uestra multa est in cœlis. In inferno locus tormẽti. Iob. 10. Terrã tenebrosam & operã mortis caligine, terrã miseriæ & tenebrarũ, ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Nihil, inquit Abraam, necesse est hac gratia Lazarũ uocari à gete sua. fratres tui, si uoluerint esse frugi, habent qui in suis libris illis loquant. Sed quia dei uerba despexerat, hæc audire non posse impios sequaces æstimabat, dicẽs: Si quis ex mortuis ad ea renunciet q̃ dira patiant hic, q̃ illic uitã meo exemplo transfigunt, quod ferè oẽs faciunt diuites, resipiscent, seseq; reponent ad meliorẽ frugem, ex inconsueta apparitione & exhortatione fortius animati. O quot sunt tales, qui dicunt, quis uenit ex inferno renũcians qd illic agatur? Sed isti sunt ptextus eorũ, qui nunq̃ uolunt q̃d male amant relinquere. Maior est enim, inquit, Mosi & ꝓphetarũ autoritas, q̃ mortui alicuius. Iohan. 5. Si crederetis Mosi, crederetis utiq; & mihi. Cauisarent enim phantasma esse, aut dæmonium. Iudæi scripturas de Christo audientes, neq; mortuis resurgentibus crediderunt. Nam Lazarũ fratrem Marthæ occidere uoluerũt, Ioh. 12. Ergo non uere crediderũt Mosi & ꝓphetis, hodie quoq; Christo è sepulchro reddito, & ad dextrã patris considenti reclamãt. Hoc exẽplo dominus cõsolatus est suos, q̃ ꝓpter amorẽ regni cælestis multas afflictiones passuri erant in mũdo: & Iudæorũ primores & diuites, elatos ac sibi uiuentes, territat, ut uel meru

supplicij uitam impiam corrigāt: alioqui futurum, ut illic uicissim riderentur, qui hic Iesum ad meliora uocantem irriserunt.

De fide augenda, & humilitate seruanda, Luc. xvij.

ARTICVLVS XCI.

ET dixerūt apostoli domino: Adauge nobis fidē. Dixit aūt dominus: Si habueritis fidē sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare & transplantare in mare, & obediet uobis. Luc. 17. C

Quoniam intelligebant fontem oīm euangelicarum uirtutum esse fidem, quā adeo diligenter dominus exigebat in edendis miraculis, quā toties cōprobauit in alienigenis, quæ nihil non impetraret, & p quam ipsi q̄q morbos depulerant, & dæmones, nec ignorabant fidei defectu factū, q̄d quendam muto obnoxiū dæmoni, nō quiuerint liberare, dicūt dño: Domine, quando nihil boni habemus nisi ex te, fac nos perfectiores & firmiores in fide, q̄ lucidius cognoscamus credenda, atq; firmius feruētiusq; teneamus. Ostendit dominus fidei firmitatem & uirtuositatem. Granum enim sinapis quanuis paruum sit quantitate, magnum tamen est uirtute, feruidum, amarum, uenenicq; expulsiuum: sic fides feruida esse debet per charitatem. In Christo enim Iesu neq; circūcisio aliquid ualet neq; præputium, sed fides quæ per charitatem operatur. Amara, per patiētiam aduersa tolerando. Ro. 8. Sed in his oībus superamus ꝓpter eum q̄ dilexit nos. Veneni oīs expulsiua errotis, p̄ synceritatē. 2. Cor 10. In captiuitatē redigētes oēm intellectum, in obsequiū Christi. Hinc Mar. 9.

Omnia possibilia sunt credenti. Sic ergo & sycami-
num transplantare in mare, cuius folia uermes pa-
scunt, unde fiunt serica.

2 *Quis autem uestrum habens seruum arantem, aut pascentem boues, qui regressus de agro, dicat illi statim, Transi & recumbe, & non dicat, Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes? Nunquid gratiam habet seruo illi, qui fecit quæ ei imperauerat? Non puto. Sic & uos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite: serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

Instruit de humilitate conseruanda, ut in omnibus deo gloria tribuatur, si qd per nos præclare aut magnifice egerit. Nam seruus bona fide suo functus officio in agro, si domũ reuersus fecerit imperatum ideo dominus habebit illi gratiam? Non opinor, sed pœnam exacturus erat nisi fecisset. Quam ob rem? Non ob aliud nisi quod seruus est, & oẽm operam debet domino, cuius est etiam ipse, Exod. 33. Cibaria & uirga & onus asino: panis & disciplina & opus seruo. Seruum inclinant operationes assiduæ. Qui seruit deo, etiam si mandata custodiat, nõ potest extolli. Nihil enim utilitatis aut perfectionis deo affert, quia bonorũ non indiget. Psal. 15. sed ut erit ei si non fecerit. 1. Cor. 9. Si non euãgelizauero, uæ mihi est. Aufert ergo à nobis oẽm uanæ gloriæ, præsumptionis ac pompæ occasionẽ, q non solum non facimus quod debemus, sed & in multis offendimus. Iac. 3. Hæc modestia conseruat thesaurũ fidei in nobis. Nostrũ est eũ humiliter sentire de nobis.

1.Cor.4. Quid enim habes q̃d non accepisti? Si aũt accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Ipsius erit dicere, Euge serue bone & fidelis, qa supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Mat.25. Est alius seruus inutilis, non suo, sed diuino iudicio, & sibi & proximo, q proijci iubetur in tenebras exteriores. Mat.25. Videant & contremiscant, qui peccantes & mandata dei ꝓtergredi&tres extolluntur, quũ omnia facientes, nihil magni de nobis sentire nos uelit & præcipiat deus. Pro.2. Qui relinquunt iter rectum, & ambulãt p uias tenebrosas: Qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Quoꝝ uiæ peruersæ, & infames gressus eoꝝ. Ideo 1.Pet.5. Humiliamini sub potẽti manu dei, ut uos exaltet in tpe uisitatiõis.

De encæniis, par.2.ar.19.r
De Lazaro suscitato, par.2.ar.20.s
De conspiratione contra Iesum, par.2.ar.21.t

De ascensus in Hierusalem prænunciatione, Mat.xx. Mar.x. Lu.xviij.

ARTICVLVS XCII.

Assumpsit autem Iesus duodecim, & ait: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident, & die tertia resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat uerbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Luc.18. D

Ostendit ut in instituendo proximo magis ei tra

damus q̃ necessaria sunt q̃ iucunda, ac salutaria magis q̃ suauia. Sæpe p̃dixit de morte & passione, simul & resurrectione, ut claret Mat. 16. Tunc cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportet eũ ire Hierosolymã, & multa pati à senioribus & scribis, & principibus sacerdotũ, & occidi, & tertia die resurgere. Matt. 26. genus mortis expressit, dicens: Scitis quia post biduũ pascha fiet, & filius hoĩs tradet ut crucifigatur? Hoc fecit, partim q̃ diuinitatẽ ipsius animadverterẽt, qua futura p̃sciuit & p̃nunciauit: partim q̃ fidem resurrectionis in ipsis firmaret, q̃ minus forte molesta p̃ mortẽ eius absentia, q̃s tã breui solatura esset resurrectionis præsentia, q̃ triduo solum, & in cõpleto, illis erat subtrahenda. Gregorius: Prædẽs ex passione sua discipulor̃ animos dñs perturbados, p̃dicit eis & passionis pœnã, & resurrectiõis gloriã, ut cũ morientẽ cernerent, & resurrectur̃ nõ dubitarẽt. Et demũ ut testes essent ueritatis tam uoluntariæ passionis. Act. 13. Deus suscitauit eũ à mortuis tertia die, q̃ uisus est p̃ dies multos his, q̃ simul ascenderant cũ eo de Galilæa in Hierusalem, q̃ usq; nunc sunt testes eius ad plebem. Mar. 10. Erant aũt in uia ascendentes Hierosolymã, & p̃cedebat illos Iesus, & stupebant, & sequentes timebant. Sequũtur Iesum, sed tristes & obmurmurantes, q̃ se uolens in manifestum uitæ periculum conĩceret. & illius animum admirabantur, ac sibi metuebant, ne per illum uenirent in periculum cõmune. Tales discipulos tã crassos & infirmos tolerauit Iesus, & nos tædet imbecillium ferre tarditatẽ? Mar. 20. Ascendens Iesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos suos secreto. Hos huius tẽpestatis aliqua ex parte partici-

pes etiam, non modo testes esse uoluit, tanq; idoneos quibus crederetur mysteriū crucis, quod turba nōdum potuisset capere. Ostendit prophetas de morte sua locutos. Mat. 16. Lex & prophetæ usq; ad Iohannem. ex hinc regnum dei euangelizatur. Lu. 13. Non capit prophetā perire extra Hierusalem. Mat. 20. Ecce ascēdimus Hierosolymā, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis: & cōdemnabunt eum morte, & tradent eū gentibus. Ascēdimus, inqt, ut intelligatis me uolentē ac scientē pati quæ passurus sum. Nam ueluti nocentē & impiū me condēnabunt, & obiectis uariis criminibus, addicent supplicio capitis, mox ut palā facinorosum tradent gētibus. Mat. 27. Tradiderunt eum Pontio Pilato præsidi. Ioh. 19. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatū habet. Fuit traditus à Iuda, & in illa fuit uēditus. Mat. 26. Quid uultis mihi dare, & ego eum uobis tradā? Secūdo, à Iudæis. Ioh. 18. Gens tua & pōtifices tui tradiderūt te mihi. & in illa fuit condēnatus. Mat. 26. Reus est mortis. Tertio, à Pilato. & in illa fuit crucifix⁹. Mat. 27. Iesum flagellatū tradidit eis ut crucifigeret. Sic & adhuc traditur mēbris suis. Act. 9. Saule Saule, qd me pſequeris? Sed uæ homini illi p quem filius hoīs tradetur, Matt. 26. Sunt em̄ qui cū Iuda tradūt eum ob cupiditatē. Mar. 14. Qui audientes, gauisi sunt, & promiserunt ei pecuniam se daturos. & quærebat q̄modo illum opportune traderet. O quot tales sunt. Hinc 1 Cor. 6. Tollens mēbrum Christi, faciam mēbrum meretricis? Cum Iudæis, ex inuidia. Mat. 27. Sciebat em̄ q̄d per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Cum Pilato, ex fauore. Mar. 15. Pilatus aūt uolens populo

satisfacere, dimisit illis Barrabam, & tradidit Iesum flagellis cæsum ut crucifigeretur. Et ludibrijs afficient tanquam fatuum. Primo in domo pontificis, Luc. 22. Et uiri qui tenebant eum, illudebant ei, cædentes. Secundo, ab Herode. Luc. 23. Spreuit autem illum & Herodes, & illusit indutum ueste alba. Tertio, à Pilato. Mat. 27. quũ spinea corona capiti imposita, & chlamyde coccinea circumposita, genuflexo, in faciem illuderent, dicentes: Aue rex Iudæorũ. Quarto, in cruce. Mar. 15. Prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua & dicentes: Vah qui destruis templum dei, & in tribus diebus reædificas. Sic & nũc iusti deridetur simplicitas, Iob. 12. Flagellis cædent. Ioh. 19. Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum & flagellauit. Sic flagellatur benignitas. Psal. 72. Et fui flagellatus tota die. Sed quomodo? Psal. 128. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam. Et conspuent. Primo in atrio pontificis. Mat. 26. Tunc expuerunt in faciem eius. Secundo, à militibus prædis. Mat. 27. Et expuentes in eum. Esa. 50. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas uellentibus. Faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me. Psal. 87. Posuerunt me abominationẽ sibi. Sicem̃ conspuit conscientiæ puritas fœditate peccati, cõtra illud 1. Cor. 15. Sicut portauimus imaginẽ terreni, portemus & imaginẽ cęlestis. Et occidẽt. Mat. 21. Hic est hæres, uenite, occidamus eum. O quot in se Christum occidunt. Gala. 2. Viuo ego, inquit Apostolus, iam nõ ego, uiuit uero in me Christus. 1. Iohã. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Semper

aũt dominus sicut bonus Samaritanus, oleum cũ uino miscet. dixerat qa occident, alij s. nõ ipse: sed ecõtra ipse resurget, & hoc breui, qa tertia die. Verũ qa hic sermo ingratus erat, nõ descendebat in animos apostolorũ, ut difficile credimus q̃ nolumus esse uera. Diligebant enim dñm, sed carnali quodã affectu, ut dicit Beda: Vnde Petrus Matt. 16. Absit à te dñe, non erit tibi hoc. Secundo, qa nedum hoiem innocentẽ, sed & deum miraculis potentẽ cognoscebãt eum, quia & sæpe manibus illorũ elapsus fuit. quare mori posse non credebãt. Tertio, quia more suo parabolice ipsum loq̃ credebant. Quanq̃ enim de dñi sui fide dubitare nõ possent, tñ ita blandiebãtur suis affectibus, & interpretabantur in his Iesu sermonibus subesse tropũ aliquem, cuiusmodi dominus peculiariter uti consueuit, fallens his nonnunq̃ nõ modò populũ, uerũetiam ipsos apostolos, ut claret in fermento pharisæorũ, Mat. 16. Sic & uerbum resurrectionis, multis tunc minus erat credibile.

De decem leprosis, Lu. xvij.

ARTICVLVS XCIII.

ET factum est dum iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cũ ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decẽ uiri leprosi. Qui steterunt à longe, & leuauerunt uocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri. Luc. 17. E

Quanto beneficium maius & liberalius, tãto deuotius & frequentius recolendũ. Nihil aũt recreationis excedit beneficiũ. Cum ergo dominus ad purgandam animæ nostræ leprã, per sui sanguinis effu

sionem, ad locũ passionis iret, non reformidans gẽtem quamlibet atrocẽ, quamlibet effusionẽ sui sanguinis auide sitientẽ, pertransiit prius Galilæã: qua pagrata, intrauit Samariã, q̃ interiacet Iudææ & Galilæã, ut patet Ioh. 4. Itinera aũt dñi plena erant miraculis & mysteriis, ambulabat eñ de loco in locũ, ut oĩbus subueniret, oĩbus adesset, occurreret singulis, concurreret uniuersis, hos miraculis, illos promijs ad fidem alliciens. Ioh. 10. Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & fiet unum ouile & unus pastor. Ante ingressum occurrerãt leprosi. Contagiosum enim & abominandũ genus, & idcirco procul arcebantur ab hominum commercio. Leui. 13. Omni tempore quo leprosus est, solus habitabit extra castra. Ex hoc eñ miraculum plures habuit testes. Sic & dñs conscientiæ nostræ domum ingrediens, lepram animæ fugat. Nam lepra infecti, fœtent, sitiunt, & inficiũt. Sic peccatores fœtent p luxuriam. Ioel. 1. Computruerunt iumenta in stercore suo. Sitiũt per auaritiam. Eccẽs. 5. Auarus non implebitur pecunia. Inficiunt per superbiam. Eccl. 15. Qui retigerit picẽ, inquinabitur ab ea: & qui cõmunicat superbo, induet superbiam Gregorius: Peccatũ quod p pœnitentiam nõ diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Claret in Dauide, qui ex incauto aspectu incidit in adulteriũ, & hinc in homicidiũ, 2. Re. 12. Qui modo separati a deo & bonis merito. Psal. 118. Longe à peccatoribus salus, q̃a iustificationes tuas nõ exquisierũt. Psal. 118. A lege aũt tua longe facti sunt. Sed finaliter separabunt & pmio à cõsortio beatorũ. Psal. 72. Qñ ecce q̃ elong int se à te, peribunt. Nullum tñ est mal ge-

nus, q̃d non ſanet Ieſus, modò ueniatur in illius conſpectum, modò ꝓdatur illi morbus, & adſit fiducia. Pſal. 50. Cor mundũ crea in me deus. Loco quidem longe diſtabãt, oratione aũt appropinquabãt. Pſal. 144. Prope eſt dñs omnibus inuocãtibus eũ, oĩbus inuocantibus eum in ueritate. Sunt em̃ qui ore ſuo appropinquãt deo, corde aũt longe ſunt ab eo. Eſa. 29. Oſe. 7. Et non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed ululabant in cubilibus ſuis. Iſti aũt plena fide clamauerunt ex toto cordis affectu. Ipſe enim erat qui ſaluare uolebat & poterat. Ieſu, inquiũt, præceptor, miſerere noſtri. Agnoſcunt morbũ, implorant medici auxiliũ, ſupponunt imperium. Præceptor. Sap. 12. Subeſt em̃ tibi, cũ uolueris, poſſe. Eccl. 35. Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit. Obſerua & hic ſignificatos homines hæreticos, intus malis affectib⁹ totos depraũatos, foris uariegata cute, ueluti falſa ueris pmiſcente doctrina inſyncera. Eſt em̃ omnis doctrina erronea, aliqua ueritate permixta, (ſicut lepra bonam corporis ualetudinem non repente ex toto deſtruit) ne ſi aut aperte mendax fuerit, nõ recipiat: aut ſi ex toto uera, erronea non ſit. Permiſcent enim uera falſis, ut dum ueritas ſuperinducta recipitur, latens intrinſecus falſitatis morbus irrepat, more eorum qui uenena propinantes, ora calicis melle liniunt, ut dum mellis dulcedo intenditur, uirus poculi auidius inſumatur. Decẽ euãgeliſta cõmemorat, pulchra quidem quantitate commendabiles, ſed obſcœna cute deformes. Nam falſi doctores intra denariam perfectionem ſe iactitant comprehẽſos, dum diuinorum quæ ꝺ decalogo accipiunt, mandatorum impletores ſe affirmant, & Chriſtianæ

Zeproſi myſtice q̃.

professores fidei affirmãt. Delectat numerus, sed offendit siniſtri dogmatis inſynceritas. 2. Timo. 3. Habentes ſpeciem quidem pietatis, uirtutem autẽ eius abnegantes. Hi arcendi & procul relegandi ab eccleſiarum proceribus. 1. Cor. 5. Modicum fermenti totam maſſam corrũpit. 1. Cor. 15. Corrũpũt bonos mores colloquia mala. Leuanda eſt ergo uox ad dominum ꝓ ſalute, ut qui in uerbis ſaluatoris erraſſe ſe cognoſcunt, ſaluandi ꝓceptorẽ uocent, & ꝓ cognitionẽ ꝓceptoris ad formã redeant ſalutis. Orauerũt non ut hominem, ſed ut deum.

2 *Quos ut uidit, dixit:* Ite, oſtendite uos ſacerdotibus. Et factum eſt dum irent, mundati ſunt.

Audiit clamorem dominus fidutię teſtem, & aduertit oculos. Pſal. 144. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet illos. Felices qui ſe conſpectui offerunt Ieſu, ut miſericordiã conſequantur. Sic filius prodigus Lu. 15. Ibo ad patrem meum. Infelices qui fugiunt à conſpectu dñi, ſed nõ aufugiunt, ſicut Adam. Ge. 3. Dominus ergo ut doceret diuinę legi ſemper parendũ, legis à ſe conſtitutæ mandatum exequuturus, ad ſacerdotes eos direxit, penes quos erat autoritas diſcernendi leproſum à mũdo. Prȩcepit enim lex, ut ſi qs leprę maculã incurriſſet, ad ſacerdotẽ duceret, ut eius iudicio mundus uel immundus iudicaretur. Leuit. 14. Mat. 5. Non ueni ſoluere legem, ſed adimplere. Secundo, ut uidentes mundatos quos ipſi leproſos iudicarunt, ſed nec per ſacerdotium uel legem mundare quiuerant, aut crederent & ſaluarentur, aut de ſua incredulitate inexcuſabiles de eius aduen

tu redderentur. Ioh. 10. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibēt de me. Si nō facio opa patris mei, nolite credere. Hinc Ioh. 15. Si opa non fecissem in eis q̄ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationē non habent de peccato suo. Tertio, ut sacerdotium ecclesiæ cuius illud figura fuit, cōmendaret. Nam cōuersi, praui dogmatis errorem quasi cutis morbidæ uarietatem, ad examinandum pandere debent: sicq̄ ab eis fidei regulis instructi, pristinæ munditiæ & pulchritudini restituantur. Quanuis enim dñs q uerus magister est, interna sua eruditione quid tenēdum sit ualeat inspirare, magna tñ dispensatione uult doctoribus obsequi, ut per hoc qui docendi sunt, magna humilitate solidentur, & ad capessenda fidei sacramenta capaciores efficiant. Sic Paulus q p reuelationem euangelium, non p hoīem accepit, Gal. 1. ad Ananiā missus est, Act. 9. Et p reuelationē ascendit Hierosolymam ad cōferendum cum apostolis, ne in uacuum curreret, aut cucurrisset, Gal. 2. Parent illi, & abeūt, pleni bona fiducia, unde anteq̄ uenirēt ad sacerdotes, mundati sunt, ne legis uirtute, & non Christi crederentur mundati, & ut meritum fidei & obedientiæ ostenderetur, ac immensa dei benignitas, quæ peccatoribus uotum emendandi habentibus, ac p̄ceptum dñi implēdi, occurrit, & ipsos mundat. i. culpā atq̄ reatū remittit, anteq̄ ad suos etiam ꝓueniant uicarios, q̄bus dixit Ioh. 20. Quoꝝ remiseritis peccata, remittuntur eis: & quoꝝ retinueritis, retenta sunt. Vult tñ q̄d ꝓueniant & iussa capessant iuxta suam ordinationē. Act. 15. Fide purificās corda illoꝝ. Sap. 6. Prœoccupat q̄ se cōcupiscūt, ut illis se

prior ostendat. Esa. 64. Occurristi lætanti & facienti iustitiam. Sic pater occurrit filio reuertenti, ruens in oscula & amplexus, Lu. 15.

5 *Vnus autem ex illis, ut uidit quia mundatus est, regressus est cum magna uoce magnificans deum: & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus. Respondens aũt Iesus, dixit: Nonne decẽ mũdati sunt? & nouẽ ubi sunt? Nõ est inuentus q rediret & daret gloriã deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, uade, quia fides tua te saluũ fecit.*

Erat par omnibus fiducia, sed dispar erat gratitudo. Samaritanus non habuit clam diuinam erga se beneficẽtiam. Licet enim debeamus benefacere tacita laude hominum, hi tamen quibus benefit, prædicare debent beneficium, ut ex hoc deus laudetur, & cæteri ad idem tali exemplo moueantur, ut dicit Chrys. Psal. 65. Venite, audite, & narrabo oẽs qui timetis deum, quanta fecit animæ meæ. Ad ipsum ore meo clamaui, & exultaui sub lingua mea. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet dominus. Propterea exaudiuit deus, & attendit uoci deprecationis meæ. Benedictus qui nõ amouit orationem meam, & misericordiam suam à me. Oẽia enim regerenda sunt in Christum salutis nostræ autorem, qui tam sæpe nos à lepra mundat animæ, q̃ periculosissima est. Psalm. 102. Benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propiciatur omnib⁹ iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu uitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Sed pauci animum ad beneficia p̃-

ferita retorquent. Vnde dominus sciēs beneficium ad omnes peruenisse, & taxare uolēs illorum ingratitudinem, qui tm̄ dei suffurari beneficium studuerunt, ait: Nonne decem mūdati sunt? glo. Ingratos quasi ignotos requirit ubi sint, sicut Adam Gene. 3. Adam, ubi es? Sicut enim ingratus diuinum non recognoscit beneficium, ita nec deus ipsum notitia approbationis. 2. Tim. 2. Nouit dominus qui sunt eius. Bern. Felix qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, in quo omnis est plenitudo gratiarum: & dum pro acceptis non ingratum se exhibet, locum in se facit gratiæ amplioris. Eph. 5. Gratias agentes semper ,p omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi, deo & patri. 1. Thes. 5. In omnibus gratias agite. Quum ergo obmutescceret Samaritanus, nō solum gratus, sed etiam modestus, qui uenerat suo functurus officio, non accusaturus alios, Iesus ad circūstantes conuersus, alienigenæ fidem commendauit, Iudæorum duritiam percellēdo. Penè enim in omnibus euangelij locis, Iudæos ad fidem tardos, & gentiles promptos & paratissimos fuisse inuenimus. Iudei em̄ plurimū legi tribuebant, paꝛ uel nihil gratiæ: sic isti p sacerdotes seducti, suam mundationem legi tribuebant, non gratiæ Christi. Modestiam huius sequi debemus, ne de absentibus malum, etiā si uerū sit, loquamur. Iac. 4. Nolite detrahere alterutrū fratres. Qui detrahit fratri suo, aut q iudicat fratrē suū, detrahit legi & iudicat legē. Si aūt iudicas legē, non es factor legis, sed iudex. Vn⁹ est em̄ legislator q potest pdere & saluare. Pro. 24. Abominatio hominū detractor. Nā imitator ē diaboli, q deo detraxit mēdacij ipsum incusans. Gene. 3. Nequaq̄ moriemini,

Scit enim deus, quia in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi uestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Eccēs. 10. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Ait dñs Samaritano: Certus esto, hoc meū tibi bñficium fore ꝑpetuum, quia fides tua te saluum fecit, quæ te & ad gratias agendas inclinauit. Cadit ante pedes Iesu, q repressis p̄sumptionis cogitationibus, q̄ sit infirmus uidet, nihil uirtutis sibi tribuens, bona q̄ agit diuina intelligit. Vnde & Samaritanus custos dicitur, q ita bona q̄ accepit, deo tribuit, ut cū psalmista dicat: Fortitudinem meam ad te custodiam, Psal. 58. Qui ergo hūiliter sic infirmitatē suā agnoscens, ante deum iacuit, diuina consolatione surgere ad fortiora opa, & ire crescendo usq; ad perfectū iubetur. Psal. 85. Ibunt de uirtute in uirtutem.

De obstinatione Samaritanorum, Lucæ ix.

ARTICVLVS XCIIII.

Lucæ. 9. F

FActum est autem, dum complerētur dies assumptionis eius, & ipse faciem suā firmauit ut iret in Hierusalem. Et misit nuncios ante conspectum suum. & euntes, intrauerūt ciuitatem Samaritanorum, ut pararent illi. & non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Hierusalem.

Dum tempus adesset passionis, quam subsecuta est ascensio, Phi. 2. Propter quod & deus exaltauit illum, & dedit illi nomen q̄d est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum: & oīs lingua confiteat,

qa dñs noster Iesus Christus in gloria est dei patris. Ioh.13. Sciens Iesus qa uenit hora eius, ut trãseat ex hoc mundo ad patrem. Modum insinuat Lu.22. Et filius qdem hoïs, secundum q̃d definitum est, uadit. Lu.24. Nonne sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Decreuit ergo nõ ultra hinc inde obambulare, sed ascendere in Hierusalem mente cõstanti & imperterrita, ut ibi uerus agnus offerretur, ubi typicus immolabat. Sciens aũt suos nõ recipiendos, nihilominus misit tñ, ut sibi pararent hospitium, q̃ oẽm tolleret excusationem q̃ non crediderunt. Non eñ receperũt eos, eo q̃ ex ipso habitu uultuq̃ cõiectabãt q̃ peterẽt Hierosolymã. Samaritani uero, qñ in mõte adorabãt, oderãt & abominabant oẽs, q religiõis causa peterẽt Hierosolymã.

Cum uidissent autem discipuli eius Iacobus & Iohannes, dixerũt: Domine, uis dicamus ut ignis descẽdat de cælo, & consumat illos? Et conuersus, increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis? Filius hominis non uenit animas perdere, sed saluare. Et abierunt in aliud castellum. Io. 2

Erant discipuli adhuc imperfecti, quare Christus increpatione coercuit illorum iracundiam, docens legem suã sublimiorẽ uita Heliæ, q̃ docet mansuete ferendos illos q nos afficiũt iniuria. Mat.5. Orate p̃ p̃sequentibus & calũniantibus uos. Nolite, inqt, uobis factũ Heliæ in exemplũ uocare. Ille spũ ductus eius tẽporis, pdidit impios, 4.Reg.1. Phinees zelo, fornicãtes trãsfodit, Num.25. Vos aũt nondũ intelligitis, cuius spũs instinctu ducamini, an zeli, an passiõis. Mãsuetior est euãgelicus spũs, Ioh.3. Nõ enim

miſit dē filiū ſuū in mundū, ut iudicet mundū, ſed ut ſaluet mūdus p ipſum. 1. Ti. 1. Fidelis ſermo, qm̄ dñs Ieſus uenit in hūc mūdum peccatores ſaluos facere. Amb. Nō ſemp in eos q̄ peccauerūt, eſt uindicādū: q̄a nōnunq̄ amplius ꝓdeſt clemētia tibi ad patientiā, & lapſo ad correptionē, ſicut & ipſi Samaritanī poſt aſcenſionē celeriter crediderūt. Act. 8. Sic Chriſtus cōtra Samaritanos nō cōmouet, ut oſtenderet q̄ nō habet ultiōis ſtudiū uirtus pfecta, nec ulla eſt iracūdia, ubi plenitudo eſt charitatis: nec excludēda eſt infirmitas, ſed iuuāda. Procul ſit à Chriſtianis indignatio, ꝓcul à magnanimis cupiditas ultionis.

De petitione filiorum Zebedæi, Matth. xx. Marc. x.

ARTICVLVS XCV.

Matt. 20. G

TVnc acceßit ad eū mater filiorū Zebedæi cū filijs ſuis, adorās, & petēs aliq̄d ab eo. Qui dixit ei: Quid uis? Ait illi: Dic ut hi duo filij mei ſedeāt, unus ad dexterā tuā, & unus ad ſiniſtrā in regno tuo.

Affectio carnalis plurimū impedit ueri cognitionē, quū non q̄ dei, ſed q̄ ſua ſunt q̄rat, q̄ndoq; etiā in perniciem. Pro. 1. Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupient? Ambitio ergo honoris & cupiditas, q̄ ex reſpectu ſuiipſius naſcitur, & nonnihil carnis habet, Iacobum & Iohannem tentaūerat, q̄a frequenter dñm audierāt loq̄ de regno dei, cuius ſpecimē uiderāt in mōte, Mat. 17. Et dño reſpōdente, Mat. 19. Cū ſederit filius hois in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & uos ſup ſedes duodecim, iudicātes duodecim tribus Iſrael, cuius glorioſi regni innouata hic fuit mētio de ſua reſurrecti

one, in q̃ regnaturus erat in potestate. Mat. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Obserua hoc euãgelium duobus legi temporibus in eccle siis, hoc est, in festo Iacobi, quemadmodum hic ponitur, & in feria quarta secundæ dñicæ quadragesimæ, ubi præmittitur illud Mat. 20. Ascendens Iesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, & ait illis: Ecce ascẽdimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & cõdemnabũt eum morte, & tradent eum gẽtibus ad illudendũ, & flagellandũ, & crucifigẽdũ, & tertia die resurget. Secreto duodecim seduxit, uelut selectos, ne cæteri scandalizarent, & qa secreta non oĩbus passim, sed familiarioribus pandenda, & mystica maioribus reuelanda. Pro. 25. Causam tuã tracta cũ amico tuo, & secretũ extraneo non reueles. Tob. 12. Sacramentũ regis abscõdere, bonũ est, Aderat tñ inter hos Iudas, sicut sãtã inter filios dei, Iob. 1. Chrys. Ecce ascendimus Hierosolymam, q̃re nemo me cõpellit. Cum ergo uideritis in cruce pendẽtem, ne purum æstimetis hominẽ. Nam etsi mori posse, puri sit hoĩs: tñ uelle mori, hoĩs non est: resurgere, dei solius. Ioh. 10. Ego pono animam meam, & iterum sumam eam. Vide arti. 92. d. Sequitur art. præsentis enarratio. Audierant de honore duodecim sellarum, sed rudes & adhuc humana somniantes, carnale scilicet regnum, quum statim à resurrectione uenturum hoc regnũ & hos honores crederent, quia dixit, tertia die resurget, quo sibi quoq; præcellentem dignitatem aliquam impetrent, cum se nossent inter discipulos specialius diligi, specialius cum beato Petro conscios sæpe factos arcanorũ q̃ ignorent cæteri, subornant matrẽ, q̃ p filiis inter-

pellet Iesum. Hiero. Putabat eum mulier post resurrectionem ilico regnaturum, & hoc quod in secundo aduentu promittitur, in primo esse complendũ, & auiditate fœminea præsentia cupit immemor futurorum. Nec mirum, quum & discipuli huius fuerint opinionis post resurrectionẽ. Lu. 24. Nos uero sperabamus qa ipse esset redempturus Israel. Act. 1. Dominẽ, si in tẽpore hoc restitues regnum Israel? Preces tamen descendebant ex uoluntate filiorum. Hinc Mar. 10. Et accedũt ad eum Iacobus & Iohannes filij Zebedæi, dicẽtes: Magister, uolumus ut q̃dcunq; petierimus, facias nobis. Priusquam proponant quid optent, obstringere conantur dominum, ne fas esset negare quod peterent. Ille autem ueluti non negaturus quicquid peterent, iubet ut eloquantur, quid magni rei postulent. Quanq̃ secundum ueritatem mater ꝓ filijs postularit, ut Matthæus dicit, tñ qa id fuit subordinatione filiorum, ne alij offenderentur hoc ab ipsis audiẽtes, poterat em̃ mater ꝓ filijs rogare sine offensa, quæ & dñm sequebat, ideo Marcus dicit filios petisse, nam & cum matre accesserunt Iesum. Dñs aũt nõ ignarus qd uellẽt, q̃ cõmodius ipsoꝝ ignorantiam argueret, qd uellẽt rogat, Mar. 10. Quid uultis ut faciam uobis? Et dixerunt: Da nobis ut sedeamus, unus ad dexterã tuam, & alius ad sinistram tuam in gloria tua. Hoc est, ut ꝓximi simus post te. Chrys. Alij filijs suis militiam prouident, alij honores, alij diuitias, sed nemo prouidet deum. Perditionem illorum magno precio comparant, salutẽ aũt illorũ nec dono accipere uolũt, si uiderint eos paupes, tristãt: sed si uiderit peccãtes, nõ cõtristãt, ut ostẽdãt se corpoꝝ parẽtes, nõ aiarum.

Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. 2

Pius dominus non arguit matrẽ, sed filios q adhuc carnales erant, & matrẽ ad hoc induxerant, nec illoꝝ imputat temeritati, sed ignorantiæ. Beda: Nesciebant qd petebant, qui in regno cælestis patriæ quen q̃ ad siniſtram Christi sessuꝝ putabant, cũ in illa discretione nouissimi examinis, oẽs electi ad dextrã summi regis & iudicis legantur statuendi, reprobri ad siniſtram. Nesciebant quid petebant, qui sublimitatem præmiorum potius à dño, q̃ operum perfectionem quærebant. Ita enim præmia pollicetur, ut digna præmijs merita præmonstret: sic uitã donat æternã, ut anguſtã portam & arctam uiam ad hanc esse decernat. Luc. 13. Contendite intrare p anguſtam portam. Ipsi autẽ exaltari uoluerunt, antequam humiliarentur. Act. 14. Per multas tribulationes oportet nos introire in regnũ dei. Antè metere, q̃ seminare. Gala. 6. Quę em̃ seminauerit homo, hæc & metet. Prius coronari, q̃ certare. 2. Timo. 2. Nõ coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Sic & nos sæpe non solum nõ utilia, sed & noxia petimus. Iac. 4. Petitis, & nõ accipitis, eo quòd male petatis, ut in cõcupiscentijs insumatis. Hinc 1. Ioh. 5. Et hæc est fiducia quam habemus ad deũ, quia quodcunq; petierimus secundum uoluntatẽ eius, audit nos. Sic filij Israel in malum sibimetipsis carnes petierunt. Nu. 11. Adhuc carnes erãt in dentibus eoꝝ, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor domini conciatus in populũ, p̃cussit eum plaga magna nimis.

Dominus igitur regni ſedem quærentibus, iter ad ipſum regnum oſtendit, dicens: Delectat uos mẽtio regni, quod ipſum lõge aliud eſt q̃ ſomniatis, ſed in præſentia magis agẽdum eſt de afflictione, deĩ crucẽ, qua eſt iter ad regnum. Quoniam ergo non intelligitis quale ſit regnum dei, ideo neſcitis quid petatis. Quæritis inanem gloriam, nec cogitatis quib⁹ mediis ad ueram regni mei gloriam perueniat. Sedere à dextris meis, magnũ eſt, & quod excellit etiã angelicos ordines: & uos quidem ad gloriam feſtinatis, ego ad paſſionem uoco. Nemo enim poteſt fieri particeps regni mei, niſi & meæ paſſionum particeps fiat. Mar. 10. Poteſtis bibere calicem quẽ ego bibo, aut baptiſmo q̃ ego baptizor baptizari? Paſſionem ſuam poculum nominat, q̃ ſtatim ſomnũ cõciliet, & q̃ ab ipſo magna cum auiditate ſumpta. Sic & baptiſma, quod futura eſſet peccatorũ purificatio. Hieronymus: Calicẽ in ſcripturis paſſionẽ intelligimus. Mat. 26. Pater, ſi poſſibile eſt, transfer à me calicẽ iſtum. Pſal. 115. Quid retribuam dño ꝓ oĩbus quę retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiã, & nomen dñi inuocabo. Origenes: Nihil dignũ redde re poſſumus deo pro omnibus quæ fecit nobis, niſi ut calicem ſalutarem prõpte accipiamus, & nomen dñi inuocemus, & magnanimiter bibere eum, in q̃ bibendo uota noſtra reddimus deo. Nam preciоſa in cõſpectu domini mors ſanctorũ eius, Pſal. 115. Beda: Qui paſſionis calicẽ humiliter, patienter, ac gaudenter ꝓ Chriſto ſuſceperit, merito cũ illo ſublimiter regnabit. Ro. 6. Si cõplantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Nam & mali, uelint nolint, calicẽ dñi non ſalutarẽ,

sedit æ bibent. Psal. 74. Calix in manu domini, uini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc, uerumtamen fæx eius non est exinanita. bibent omnes peccatores terræ. Apo. 16. Et Babylon magna uenit in memoriam ante deū, dare illi calicē uini indignationis iræ eius. Hie. 49. Ecce qbus nō erat iudicium ut biberent calicē, bibentes biberunt, & tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibēs bibes. Si ergo mēs appetit quod demulcet, prius curet bibere quod dolet: sic nanq; per amarum poculum confectionis, peruenitur ad gaudium salutis. Illi ergo auiditate consequendi quod optabant, sicut stulte postularant, ita temere de se pollicentur, nondum sibi satis noti. Beda: Mentem quidem ac deuotionem suam, qualis in præsenti erat, simpliciter domino pandunt: qui tamē quātæ infirmitatis essent, postmodum ostenderunt, dum aduenientē tēpore, quo ipse dominus eundem calicē biberet, etiam illi cum cæteris discipulis relicto eo fugerunt, quemadmodum Petrus qui præ cæteris in mortē & in carcerem cum domino se iturum promisit, prę omnibus negauit. Vnde Lu. 22. Paratus sum tecum & in carcerem & in mortem ire. Sed Matth 26. ait: Non noui hominem. Non enim sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex deo est, 2. Corin. 3. Iohan. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Hinc Apostolus Phil. 4. Omnia possum in eo qui me confortat.

Ait illis: Calicem quidem meum bibetis. sedere aūt ad dexteram meam uel sinistram, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est à patre meo.

Accepit quidem Iesus, quod dicerent se prõptos ad imitationem suæ crucis: sed de præmio qm̃ non intelligebãt quid peterent, quoniam non erat illius temporis, negat hoc esse suum dare ipsis, sed eam dignitatem non obuenturam nisi ijs, quibus hoc datũ esset à patre, ut insigni uirtute primum locum mererent, uidelicet ut omnibus adderet stimulos ad summa contendendi. Calicẽ, inquit, quem ego bibo, bibetis: & baptismo quo ego baptizor, baptizabimini. Beda: Quum Iohannes non per mortis passionẽ de corpore exierit, quomodo à domino calicem bibiturus dicitur? nisi quia duobus modis calix bibit: Vno, cum à persecutore illata mors patiẽter suscipitur: alio modo, cum mens ad passionẽ prompta habetur. Promptitudinem Iohannes ostendit, cum flagellatus cũ cæteris, gaudẽter ibat à conspectu concilij, Act. 5. Sic & cum à Domitiani præfecto in dolium feruentis olei missus, diuina se protegẽte gratia illæsus exiuit. Veraciter ergo calicem domini cũ fratre suo Iacobo, qui gladio occisus est, Act. 12. Iohannes bibisse intelligitur: quia qui tanta proueritate sustinuit, q̃ prõptus etiam ipsam mortẽ, si offerretur, exciperet, ostẽdit. Nam post acceptã spiritussancti gratiam, firmum de reliquo pectus ad bibẽdum calicem dñi tenebant: quia ad patiendum moriendumq; pro illo, iam inuincibiles esse cœperunt. Sed qm̃ iusti iudicis nõ est, ad gratiam dare dignitatem, sed secundũ merita, ait: Non est meũ, hanc dignitatẽ respectu cõsanguinitatis, prout petitis, dare uobis. Regnũ enim cælorũ uim patit, & uiolenti rapiunt illud, Mat. 11. Non em̃ est acceptio ꝑsonarũ apud deũ. Ro. 2. Sed quibus paratũ est? Mat. 7. Non oĩs qui dĩ

Calix passiõis quot modis bibatur.

dit mihi, domine domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit uoluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Audiãt hæc & pertimescant, qui beneficia & dignitates ex personarum acceptione metiuntur & præstant, & hoc sæpe in perniciem ecclesiæ. Iac. 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem domini nostri Iesu Christi gloriæ. Hinc Mat. 24. Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Vnde subdit: Sed quibus paratum est. 1. Cor. 2. Oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hoïs ascẽdit, quæ præparauit deus diligentibus se. In Christo eñ Iesu neq; circuncisio aliquid ualet, neq; præputium, sed fides quæ per dilectionẽ operatur. Gala. 5. Hinc dicet electis Mat. 25. Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Ecce quibus paratum est, qui fidem habent per charitatẽ operantem. Alioqui fides sine operibus mortua est in semetipsa. Iac. 2. 1. Cor. 13. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem aũt non habuero, nihil sum. Charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet.

Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem uocauit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur *earum, & qui maiores sunt, potestatem exercent inter eos? Non ita erit inter uos. Sed quicunq; uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister. Et qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus: sicut filius hominis nõ ue- 3 *eorum

nit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuã redemptionem pro multis.

Chryſoſtomus: Patitur dñs ſæpe diſcipulos ſuos uel dicere aliquid, uel petere nõ recte, ut ex eo⁹ culpa occaſiones inueniat docendi regulã pietatis: nec eñ eſt periculoſus error, ꝓſente magiſtro. Gloſ. Sicut illi carnaliter petunt eſſe ſup oẽs, ſic & iſti carnaliter indignant eſſe aliquẽ ante ſe de duobus fratrib⁹. Atq; interim non uenit in mentẽ ſermo Ieſu, quẽ habuit de minimo & maximo in regno cælorum, deq; imitatione paruuli, profunda illis obrepſerat obliuio, Mat. 18. Itaq; Ieſus intelligens & duorum ſtultã petitionem, & aliorũ indignationem ex eodem fonte proficiſci, omnes ſimul aduocat, ut omnibus eodem pharmaco medicinã admoueat, uocatione ante ſermonem demulcens. Nouit q̃ ſit tyrannica, & graui indigens reprehenſione, plaga ambitio: ideo acrius eos perſtringit, & abiũcit eos in infidelium & gentilium portionem, ſi inani gloriæ ſtudere uoluerint. Alñ, inquit, hoies, qa regunt, clari ſunt: & amare primatus, gẽtilium eſt. Nam dominatũ & tyrannidem exercẽt in illos quibus imperant: & q primates ſunt, poteſtatẽ ſuã exercent in ſibi ſubiectos. Populi eñ malo, ſuç conſulunt autoritati, eaq; curãt, non q̃ conducunt multitudini, ſed quæ faciunt ad ſtrepitũ fortunæ gloriæq; ſuæ. Meos aũt diſcipulos humilitas commendat & honorabiles facit: atq; adeò qui maior eſſe uoluerit gratia & gloria, debet his qui opus habent, miniſtrare. Nec enim in aliud ſibi ſumit primum locum, niſi ut oĩm cõmodis inſeruiat, nihil inde uenans nec honoris nec cõpendñ. 1. Tim. 3. Fi-

delis sermo: si quis episcopatū desiderat, bonū opus desiderat. Inter hos igitur q̄ sunt hoc affectu, nec est quur quisquā ambiat honorē, nec est quur quisquā inuideat alteri dignitatē. Quis em̄ illi inuideat, q̄ nihil aliud studet, q̄ alteri ꝓdesse, uel uitæ suæ dispendio? His etiā si defertur honor, hūc non arrogāt sibi, sed deo transcribūt. Bernar. Non est magnū, esse humilē in abiectione: magna em̄ & rara uirtus, humilitas honorata. Gregorius: Magnū est, honorem nō appetere: maius, oblatū respuere: maximū, de habito nō superbire. Principes ergo gentium dominātur eaꝝ. Imo Mar. 10. Hi q̄ uident principari gentibus, dominant eis, principes uero ecclesiæ seruiūt subditis. Volunt em̄ non solū præesse, sed & ꝓdesse. Non em̄ prælationē, sed affectū excludit. Nam peccantes corā oībus arguēdi, ut cęteri timorē habeāt. 1. Tim. 5. Sic & sathanæ tradendi in interitū carnis, ut spūs saluus fiat. 1. Cor. 5. Corripiendi ingeti, sed consolandi pusillanimes. 1. Thes. 5. Suscipiendi infirmi. Ro. 15. Imitandus Christus qui accessibilem se fecit omnibus, & paruulis & publicanis. Non pigeat uos imitari, q̄d in me uidetis expressum. p̄cipuæ humilitatis indicium, qui sum magister uester & dñs. Non enim uenit filius hominis in mūdum, ut imperaret cum pompa: nam q̄situs in regē, fugit Ioh. 6. ut alios seruitio premeret, sed ut oīm saluti subministraret. Quando quis non solum ministrauerit, sed & mortuus fuerit pro eo cui ministrat, quid illo maius esse potest? Gal. 2. Qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me. Pro multis, ait. Ambrosius: Vult oēs homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. 1. Timoth. 2. sed si accedant ad eum. Non enim sic

uult, ut nolentes saluentur, sed uolentes. Heb. 11. Accedentẽ ad deum oportet credere quia est, & quod inquirentiũ se remunerator sit. Esa. 55. Ipse peccata multorũ tulit. Hieronymus: Frustra ergo aut illi immoderata quæsierant, aut isti dolent sup maiorẽ desiderio, cum ad summitatẽ uirtutum, non potentia, sed humilitate ueniat. Aut ergo ambite regnũ cæleste, & expectate præmium cęleste: aut si ambitis regnum huius mundi, nolite poscere præmium regni cęlorũ. Chrysostomus: Quicunq; primatũ desiderat in terra, inuenier confusionem in cælis: nec interseruos dei computabitur, qui de primatu tractauerit: nec unusquisq; festinet quomodo alijs maior appareat, sed quomodo omnibus inferior uideatur: qm̃ non qui maior fuerit in honore, ille iustior est: sed q fuerit iustior, ille maior est. Vnde & Iohannes magnus dictus est, sed coram deo, Luc. 1.

De illuminatione cæci & Zachæo, & decem minis, Luc. xviij. xix.

ARTICVLVS XCVI.

Luc. 18. H

FActum est autem, cum appropinquaret Hierichо, cæcus quidã sedebat secus uiam, mendicans. Et cũ audiret turbam prætereuntẽ, interrogabat qd hoc esset. Dixerunt autem ei quòd Iesus Nazarenus transiret, & clamauit dicens: Iesu fili Dauid, miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. ipse uero multo magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei.

Ostendit ueræ fidei efficaciam, quæ nihil non impetrat, si pseueret in prece. Fons salutis, est cognitio

Iesu. cognoscere enim, uidere est. Lumen est fides, tenebræ sunt terrenę cupiditates. Obserua in dominica quinquagesimæ istud euangelium in ecclesia legi, & tunc prę̃mittitur in Luca, Assumpsit autem Iesus duodecim. Vide Arti. 92. Dominus obiter & in nia miraculum cæci operatus est, ut & transitus eius nobis utilis esset & doctrina, ut semper & ubiq;, & apud omnes, utiles simus & non ignaui. Erat aũt Hiericho inter Galilæam & Hierusalem sita, quam Iosue anathema posuerat, destruente eam domino circuitu filiorũ Israel septem dierum, in ingressu terræ promissionis, Iosu. 6. Cæcus, quũ ex strepitu uocum ac pedum deprehenderet magnam uim hominum p̃tereuntẽ, interrogabat quid hoc esset, suspicans magnum aliquem transire, à quo eleemosynam peteret, ut est hoc hoim genus eo curiosius, q̃ oculis careat. Protinus ergo ex his q̃ de Iesu audierat, cõcepta fiditia, clamabat. Chrys. Experimur q̃ rosa uel alius flos quicunq;, anteq̃ uideat, odore pcipitur: sic & iste cæcus Iesum Nazarenum floridum, odore bonæ famæ sensit, quem uidere non potuit. Non ergo amplius, ut solebat, eleemosynam petebat, sed magna uoce misericordiam postulabat ab eo, cuius ꝓprium est misereri & parcere. Hinc Dauid filium nominat, qui misericors fuit, & q̃d se credere ostendit, ipsum fore Christum saluatorem ꝓmissum. Fuit enim uulgatum & cognitum apud Iudæos, Christum fore filiũ Dauid. Vnde Pharisæi interrogati à dn̄o, cuius filius esset Christus, respõderunt: Dauid, Mat. 22. Porro turba suspicãs eum uulgarẽ eleemosynã petere, ac metuẽs ne hõ sordidus ac mẽdicus publicus, molestꝰ esset dn̄o, increpabat

eum. Quoniam autem nõ licebat uidere Iesum, tanto magis intendebat uocem, nescius quantum abesset quem appellabat. Chryſ. Iſta eſt natura fidei, ut quanto magis uexatur, eo magis accendit: propterq̃d ſerui dei in pſecutionibus non uincuntur, uirtusq; fidei in periculis eſt ſecura, in ſecuritate uero periclitatur.

Stans autem Ieſus, iuſſit illum duci ad ſe. & cum 3 *appropinquaſſet, interrogauit illum, dicens: Quid tibi uis faciam? At ille dixit: Domine, ut uideam. Et Ieſus dixit ei: Reſpice. fides tua te ſaluum fecit. Et confeſtim uidit, & ſequebatur illum, magnificans deum. Et omnis plebs ut uidit, dedit laudem deo.*

Ieſus ergo qui ſemel atq; iterum uociferãtem diſſimularat, ut euidẽtiorem redderet hominis fidem, tandem reſtitit, iuſſitq; cæcum adduci ad ſe, ut oim oculos ad miraculi conſiderationẽ euocaret. Fortaſſis erant complures in turba, qui nihil aliud ſperare auderẽt q̃ ſtipem. Poterat & abſẽtem curare, ſed ob dei gloriam adduci fecit, dans & p̃latis exẽplum pauperibus & oppreſſis ſubueniẽdi. Sed dñs cõqueritur Eſa. 1. Pupillo non iudicant, cauſa uiduæ non ingreditur ad eos. Et ſi quãdoq; ingrediat, plus expenſarum impenditur q̃ cauſæ ſit ſumma. Nouerat quid uellet cæcus, ſed tñ interrogauit, quo cor ad petitionem excitet. Certe ipſi petitiones noſtræ innoteſcunt ſolis deſideriis. Peti enim uult hoc, & quod nos petere & ſe dare p̃noſcit. Importune q̃ppe nos ad orationem admonet, & tñ dicit, ſcit pater ueſter q̃d opus ſit uobis, ante q̃ petatis eum. Licet enim dare uelit beneficia, uult tñ rogari. Non aſpernat dñs ille fons & origo omnis gloriæ cæcum pauperem,

& homo peccator fastidit proximum suum. Magna autem tribus uerbis petit, quod ab hoīe p̄stari non poterat, nihil addubitans quin ilico posset ut potentissimus, uellet tanquam clemētissimus. Greg. Non aurum, non argentum, sed lucem quærit, paruipendit extra lucem aliquid quærere: quia etsi habere eę cus quodlibet potest, sine luce tñ uidere non potest quod habet. Vnde Thob. 5. Quale mihi gaudium est, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non uideo? Eccl. 11. Dulce lumen, & delectabile uidere solē. Imitemur eum, quem & corpore & mente audimus illuminatum: petamus à deo non quæ transeunt, sed lumē q̄ deum hic p fidem, & post cernere possimus p speciem. 1. Cor. 13. Videmus nunc p speculū in ęnigmate, tūc aūt facie ad faciem. Ioh. 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solū deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Erat genus humanū clare uidens à deo creatum, sed p peccatū excæcatū. Sap. 2. Excæcauit eos malitia eorū. Sopho. 1. Ambulabūt ut cæci, qa dño peccauerūt. Vere magna cæcitas, lapides & bestias, p deo colere. Sic & auaritiæ & uentris ingluuiei deseruire, Phi. 3. Quorū deus uēter est, & gloria in cōfusionē ipsorū, q terrena sapiūt. Ro. 15. Huiusmodi Christo dño nō seruiūt, sed suo uentri. Sic & auaritia idolorū dicit seruitus, Ephe. 5. Sed miseranda cæcitas, q̄ seipsam ignorat. Hinc Mar. 3. Circunspiciēs Iesus eos cum ira, contristatus est sup cæcitate cordis eorū. Vnde Iohā. 9. ait pharisæis: Si cæci essetis, peccatum non haberetis. sed qa dicitis qua uidemus, peccatum uestrum manet. Hi ergo si nondum possunt accedere ad Iesum, qa uidere non possunt, saltem ad strepitum toti orbi terrarum

Iesu gloriam prædicantium, interrogent qd hoc rei sit: & ubi cognouerint ꝓterire Iesum, ne sinant elabi ꝑsentem occasionem, sed miserabili clamore fatigent aures illius: & si ꝓteritorum conscientia malorum, ꝙ obstrepit clamanti, suadeat silentium, tanto instantius clament. Huiusmodi mendicos amat dominus Iesus, & ideo differt nonnunquam quod petitur, ut plura promereatur qui mẽdicat. Magna enim præmia, magnis sunt precibus comparanda. Transit, sed non præterit, si uocem intendimus. Felix mendicus postquam ad ipsius uocem restitit Iesus. Quid mirum si ad uocem interpellãtis restitit, qui ad ouem perditam uenire dignatus est? Felicior cæcus postquam adducitur ad Iesum, iam enim saluti proximus est, nec diu cæcus esse potest, quisquis accesserit ad fontem omnis lucis. Orig. Transiens dominus, cæcum audit: sed stans, illuminat, qa per humilitatem suam nostræ infirmitatis uocibus compatitur, sed per potentiam diuinitatis lumẽ infundit. Fides tua, qua credidisti q; ego sum ille filius Dauid, qui celebretur Christus, & tantum ꝓ te tulisti feruorem, ut quanuis increparent te, non siueris, te saluum fecit. Fide conspexerat Iesum, priusquam oculis corporis cerneret. Hæc nimirum est, quæ nihil non impetrat à clementissimo domino: hæc est quæ in medijs fluctibus & uitiorum tenebris, procul compellat Iesum, ut misereatur. Vidit & ex mendico factus est Iesu sectator & prædicator diuinæ bonitatis: quin & populus tanto conspecto miraculo, tribuit laudem deo. Non inuidebant ut pharisæi, sed congratulabantur cæco, & collaudabãt diuinam potentiam & bonitatem. Deus enim de

suo beneficio hæc duo sic diuidit, ut sibi gloriam re tineat, & nobis utilitatē relinquat. Psal. 113. Non no bis domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Esa. 42. Ego dominus, hoc est nomen meum, glori am meam alteri non dabo. Non sufficit lumen rece pisse, nisi Christum sequamur, ne in tenebris ambu lemus. Eph. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc aūt lux in domino. ut filij lucis ambulate. Iohan. 8. Ego sum lux mundi. qui sequitur me, nō ambulat in te nebris, sed habebit lumen uitę. Sequamur ergo Chri stum, aspiciamus qua graditur: & quem mente cer nimus, opere sequamur. Vidit enim & nō sequitur, qui bonum quidem intelligit, sed bene operari con temnit. Videt & sequitur, qui bonum quod intelli git operatur. Ecce dominus & creator angelorum pauper de pauperibus natus parentibus, prosperā ri in hoc mundo noluit, opprobria, irrisiones q; tole rauit: & quia rerum delectatiōe corporalium à gau dio æterno cecidimus, cum qua amaritudine illic re deatur ostēdit. Quid itaq; homo pro se pati deber, si tanta deus p hoibus ptulit? Diuerso qppe itinere ambulat, q gaudia delectationes q; appetit, cui dux suus uiam amaritudinis ostendit. Per fletus qppe & gaudia ducimur, ueritate pollicente quæ ait Mat. 5. Beati q lugent, qm̄ ipsi consolabuntur. Ad fletū ue ro per gaudia uenitur, eadem attestante Luc. 6. Væ uobis q ridetis nunc, quia flebitis. Si ergo retributi onis gaudiū in quentione q̄rimus, pœnitentię amā ritudinem in uia teneamus. Eccēs. 2. Risum reputa ui errorē, & gaudio dixi, qd frustra deciperis? Pro. 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Sic fit, ut uita nostra nō solū in deum

proficiat, sed hæc ipsa nostra cõuersatio, ad laudem dei & alios accendat. Mar. 10. Et ueniunt Hiericho.

Lucæ. 19. I

Et ingressus perambulabat Hiericho & ecce uir nomine Zachæus, & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues. Et quærebat uidere Iesum quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens, ascendit in arborẽ sycomorum, ut uideret eum, quia inde erat transiturus.

Ostendit quàm obuia dei sit benignitas piis uotis humiliũ, plus tribuẽs q̃ petere audẽt. Quum ingressus dñs iret per mediam ciuitatem, undiq; stipatus densissima turba ꝓmiscuę multitudinis, erat uir qdam ex re nomẽ habens, ardens desiderio iustitiæ Zachæus. q̃rebat ut de facie quoq; nosse posset, de q̃ rumor tam admiranda sparserat. Credebat & amabat q̃d audierat, & ideo iuxta uotum Simeonis, Lu. 2. & patriarcharum, Lu 10. sancta cupiditate gestiebat oculos explere felici spectaculo, maiora conaturus, ni modestia obstitisset: & ob hoc dignior, cui Iesu maior fieret copia. Diu tenuerat & Herodẽ desideriũ uidẽdi Iesum: uidit, & aspernat⁹ est, Lu. 23. Nõ magnũ, uidere Iesum secundũ carnem his oculis, q̃bus eum conspexerunt pharisæi, & deridebãt. Ioh. 15. Nunc aũt uiderũt & oderũt & me & patrem meum. Zachęus ideo cupiebat uidere, ut sciret qs esset, nimirum unicus ille filius dei, totius salutis autor. Non uiderant quis esset qui dicebant Mar. 6. Nonne hic est faber, filius Mariæ? Sed discipulorum beati oculi prædicantur, qui uidere meruerunt, quod multis terræ principibus negatum esset, Lu. 10. Beatus Simon pronunciatur, qui uiderat quis esset Ie-

ſus. Mat. 16. Tu es Chriſtus filius ille dei. Hanc ſequitur uiſio beata. 1. Cor. 13 Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc aũt facie ad faciẽ. 1. Ioh. 3. Chariſſimi, nũc filij dei ſumus, & nondũ apparuit, qd erim⁹. Scim⁹ qm̃ cũ apparuerit, ſimiles ei erim⁹, qm̃ uidebim⁹ eũ ſicuti ẽ. Quod ergo natura minꝰ habuit, aſcẽſu ſupplet arboris, atq; ideo iuſte, q̃uis rogare nõ audebat, bñdictionẽ dominicæ ſuſceptiõis, quam deſiderabat, accepit. Sycomorus, id eſt, caprificus, dicitur eo quod gignat ficos ſui generis, unde & ficus ægyptia dicitur, foliis morum referens. Si Ieſum uidere cupimus, arborem crucis aſcendamus, quia illac eſt tranſiturus. Iohan. 12 Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Galat. 5. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum uitijs & concupiſcentijs. Galat. 2. Chriſto confixus ſum cruci. uiuo ego iam non ego, uiuit uero in me Chriſtus. Omnis enim princeps in malitia, paruus eſt in iuſtitia: contraria enim ſunt caro & ſpiritus. Galat. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, ut non quæcunq; uultis, illa faciatis. & ꝓpterea non poteſt uidere Ieſum præ turba. Qui eñ ſecularibus negocijs & affectionibus turbãtur, non uident Ieſum. Puſilli ſunt, qui rebus fluxis incũbunt. Aſcendant per pœnitentiam, dulcedinem & oñem uoluptatem carnis infatuando & mortificando, in ſublimiorem uitam. Pſalm. 83. Ibunt de uirtute in uirtutem, uidebit deus deorum in Sion. Beatus uir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in ualle lachrymarum, in loco quem poſuit.

Sycomorus quid.

2 *Et cum uenisset ad locum, suspiciens Iesus uidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, festinans descende, qa hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & suscepit illum gaudens. & cum uiderẽt omnes, murmurabant quòd ad hominem peccatorem diuertisset.*

Sedebat in arbore, obuijs oculis expectãs aduentantem Iesum. fortassis multis Iudæorum risui erat dives & publicanus, sublimis in arbore spectator unius hominis. Iesus delectatus hominis insigni cupiditate, quam ipso facto, quam oculis atque uultu pferebat, quanq̃ & ante uiderat illum, tñ ut & Iudæis ostenderet exemplũ promptæ credulitatis, sublatis in altum oculis uidit Zachæum. *Salutem eximiam expecta*, quoties obtutu suo quempiam dignat Iesus. Habent enim oculi illius salutare fascinum. Sic conuersus dñs uidit Petrũ, qui negauerat ipsum: & recordatus est Petrus uerbi domini, & egressus foras fleuit amarè, Mat. 26. Sic peccatricẽ respexit, dicẽs: Remittũt tibi peccata tua, Lu. 7. Hinc Psal. 118. Aspice in me, & miserere mei. Nã oculi dñi sup iustos, & aures eiꝰ ad preces eorꝝ, Psal. 33. Vocat ex nomine, qa iam scriptus erat in libro uitæ. Lu. 10. Gaudete qa nomina uestra scripta sunt in cælis. 2. Tim. 2. Nouit dñs qui sunt eius. Vnde reprobis dicturus est Mat. 7. Non noui uos, discedite à me omes operarij iniquitatis. Vide benignitatem Iesu: aspectum desiderans, uocem audire meruit, & ut notus uocari ex nomine. Non despicitur, sed solam dat alacritatem, & recipit mercedem: priusquam ipse uider, spectatur à Iesu. Accepimus dñm frequenter rogatum

iuisse ad conuiuium, nunquam autem accepimus ul tro non inuitatum ingessisse sese, atq; id uulgo pro habetur ciuile. Sed introspexerat dñs affectum ¡ho minis, cui tanti erat uidisse Iesum prætereũtem. plu ra tentaturus erat, nisi propriæ indignitatis consci entia obstitisset. Plus enim impetrat humilis, qui q̃d tacite secum optat, propter conscientiam imbecilli tatis suę non audet petere, q̃ qui ueluti deuincturus officio Iesum, uocat illum ad se. Quemadmodum il le nos sua gratia trahit ad se, ita nos illum humilita te nostra ad nos inclinamus. Ioh. 6. Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Esa. 66. Su per quem requiescet spiritus meus, nisi super humi lem & quietum & trementem sermones meos? Sic & precibus detinetur ne puniat. Exod. 32. Cerno q̃ populus iste duræ ceruicis sit. dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. E sublimi speculatus fuerat Iesum per fidem. descendit ad offi cia pietatis, non enim satis est contemplari Iesum, quoties eget hospitio. Eget autem, quoties eget, p ximus. Vult nos paratos esse, quum q̃ppiam impe rat: hinc festinans descendit. Eccẽs. 9. Quodcunque potest manus tua, instanter operare: quia nec opus nec ratio, nec sciẽtia est apud inferos quò tu propera ras. Descendendũ p humilitatẽ, & suscipiẽdus dñs. Lu. 1. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Quum eñ ipse summum sit bonum, sine ingenti gaudio susci pi nõ potest: & merito. Qui ipsum modo suscipit p gratiã, post suscipiet ab ipso in gloriã. Ioh. 14. Si ab iero & præparauero uobis locum, iterũ uenio & ac cipiã uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Matth. 25. Euge serue bone & fidelis, q̃a sup pauca

fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Amb. Qui domicilio interno recipit Christum, maximis exhuberātium pascitur delectationibus uoluptatum. Sapiē. 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Hinc fructus spiritus dicitur, charitas, gaudium, pax. Istud em̄ purum & uerum est gaudiū. Phi. 4. Gaudete in domino semper, iterum dico, gaudete, quanq̄ non plenum. Ioh. 16. Petite & accipietis, ut gaudium uestrum sit plenum. Iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Mundanum, error potius est & deceptio quàm gaudium. Eccēs. 2. Dixi in corde meo, uadam & affluam delicijs, & fruar bonis, & uidi quod hoc quoq; esset uanitas. Risum quoq; reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis? Pro. 14. Risus dolore miscebit, & extrema gaudij luct⁹ occupat. Venerat & iam tempus, ut salus demigratura à ludæis, transiret ad ecclesiam gentiū. illic enim oportet manere Iesum usq; ad consummationem seculi. Mat. 28. Ecce ego uobiscū sum oībus dieb⁹ usq; ad cōsummationē seculi. Hiero. Semp uirtutes psequit inuidia. Vnde & inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarū. Sapien. 2. Imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. Dupliciter ergo peccabant: temere iudicando, quum iam peccator non esset, iustificatus à domino. Roman. 8. Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Matth. 7. Nolite iudicare & non iudicabimini. Iohā. 7. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Secundo, inuidia. Ad hominem, inquiūt, peccatorem diuertit: quasi non primum omnium peccatum sit, inuidere proximo:

& quasi bonus esse possit, qui fratri salutem inuideat. O contaminatam & inuisam deo iustitiam, quæ mauult fastidire quàm sanari, mauult inuidere proximo quàm cõmunicare. Dupliciter quis communicat peccatori, uel ut à peccato retrahat & emendet, hoc sanctum & pium. Sic medicus communicat ægroto. Mat. 9. Non est ualentibus opus medico, sed male habentibus. Vel ut in peccato foueat, hoc pessimũ est. Psal. 9. Qm̃ laudat peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur. Ecce un de sanari & saluari debuerant, inde peiorati sunt.

Dupliciter peccatori quem communicare.

Stans autem Zachæus, dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est, eo quòd & ipse filius sit Abraæ. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. 5

Zachæus contempto murmure populi Iudaici, stat ante Iesum, ambiẽs etiam in discipulorum asciscì numerum, ostendens quousq; profecisset. Chrysostomus. Quemadmodũ sol in domũ per radios suos infusus, non illustrat uerbo, sed opere, ita saluator radijs iustitiæ, caliginem nequitiæ fugat. Iohã. 8. Ego sum lux mundi. Audi mirabile, nondum didicit, & obedit. Hic dat dimidium bonorum, nec de præda, sed si quid fraude partum erat, restituebat fœnore quadruplo. Nã enim placet deo liberalitas, si in iniuria pseuerat: qa nõ spolia, sed dona q̃rũt. Eccl. 34. Qui offert sacrificiũ de substantia pauperũ, q̃si q uictimat filiũ in cõspectu patris. Docet itaq; nullũ esse lucrũ, si qdem ex iniustitia pecunias habẽtes alijs misereã

mur, relictis illis ꝗs iniuria affecimus. Quadruplum reddit, ut illius cui iniuria facta, damnū resarciatur. Audiant hoc & imitentur usurarij palliati, & exacto res iniusti. Reddo, ait, in præsenti. talis enim semper est in mora, & possessor malæ fidei ullo tēpore non præscribit. Deinde de iuste acquisitis largiebat egenis dimidium. Pro. 3. Honora dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus, & implebunt horrea tua saturitate, & uino torcularia redundabūt. Iob. 31. De uellеribus ouiū mearum calefactus est pauper. Non parce seminauit. 2. Cor. 9. Qui parcè seminat, parcè & metet. Tob. 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude. 2. Cor. 8. Si enim uoluntas prōpta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet. Do, inqt, in p̄senti, & p me, nō p hæredes. Pro. 3. Ne dicas amico tuo, uade & reuertere: & cras dabo tibi, cum statim possis dare. O quot per hæredes decepti sunt. quis enim fidelis illi, qui sibi ipsi infidelis est? Quod intus erat in pharisæis, plenū erat rapina, dolo, Mat. 23. & habemus Zachęum hominem iustum & liberalem, non solum diuitem, uerū etiam publicanū, arꝙ adeò sui generis principem, quo magis etiam erat abominabilis apud Iudæos. Sed nihil moratur titulos dominus, mentem intuetur, & ex factis æstimat, ex his autem factis quæ ex fide & charitate proficiscuntur. Neꝙ uero hæc de se p̄dicabat Zachæus, quemadmodum ille pharisæus, suæ iustitiæ buccinator apud deū, & publicani derisor. Lu. 18. Non p̄fert suā iustitiā alienę, sed ut homo peccator & publicanus, simpliciter aperit studiū su-

em,cupiens discere an quid foret addendum ad adi
piscendã uitam æternam.Sic eñ expediebat,ut hæc
Zachæi uox audiret ab inuidis Iudæis, & à Christo
ijsdem audientibus,ꝓbaret. Nõ eñ poterat illis effi
cacius exprobrare suã fraudulentiã,auaritiã,rapaci-
tatẽ,q nõ solum ipsi nihil largiebant egẽti,ꝓximo,
uerumetiam ꝓtextu pietatis parentes fraudabãt à fi
lijs debito subsidio. Vide q̃d nunc filiũ dicit Abraæ,
quum morum similitudinem in se ostendit. Ioh.8.
Si filij Abraæ estis,opera Abraæ facite. Quisquis er
go fide ac synceritate uitæ pietatẽq; refert Abraã, is
filius est Abraæ,consors benedictionis olim ꝓmis-
sæ,Galat.3. Si autem uos Christi,ergo semen Abraæ
estis,secundum promissionem hæredes.Bed.Nõ de
stirpe generatus, sed quia eius fidem est imitatus.
Sed ne propriæ iustitiæ tribuatur, dicit suæ gratiæ
munus esse.Matt.9.Non enim ueni uocare iustos,
sed peccatores.Pius sane magister, qui turbis mur-
murantibus sua mysteria non dedignat aperire, adeò
peccatorum pœnitentiam non esse respuendam,ut
ipse dei filius ob hanc maxime quærendam,sit desti
natus ad terras. Quid eñ magis periit q̃ peccator?
Nam deo periit,q̃ diu à Christo inuentus non est &
saluatus. Perijt in homine innocentia naturæ, ideo
comparatur oui ꝑditæ.Matt.18.Similitudo gratiæ,
ideo comparat drachmæ ꝑditæ.Lu.15.Adeptio glo
riæ,ideo assimilatur filio ꝓdigo. Luc.15. Quęramus
ergo nos eum,q tanta diligẽtia nos q̃siuit. Esa.55.
Quærite dominum dum inueniri potest,inuocate
eum dum prope est.Psalm.68. Quęrite dominum,
& uiuet anima uestra:quærite faciem eius semper.

Hæc illis audientibus, adijciens dixit parabolam, eo quòd esset prope Hierusalem, & quia existimarẽt quod regnum dei confestim manifestaretur. Dixit ergo: HOMO *quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decẽ minas, & ait ad illos: Negociamini dum uenio. Ciues autem eius oderant eum, & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.* Luc. 19. K

Ostẽdit q̃ exactam dñs de donis collatis exactu rus sit rationem, & negligentiam puniturus. Serui enim sumus omnes, operam debem⁹ domino, sors tota illius est, cuius sumus & ipsi. Tantum hoc pro sua uirili cuiq; enitendum est, ut augeat rem dñi, de præmio relinquat arbitrium dño, qui suo tempore promptam uoluntatem nostram, ac fidelem conatum largissime remunerabit. Iudæi, imò & discipuli temporale quoddam regnum somniabãt mox ipsi Messiæ futurum, prophetarum oracula carnaliter intelligentes. Esa. 9. Super solium Dauid & sup regnum eius sedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, amodo & usq; in sempiternum. Hiere. 23. Ecce dies ueniũt, dicit dñs, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Actu. 1. Dñe, si in tẽpore hoc restitues regnũ Israel? Hunc errorem hic excludit parabola. Nam licet homo fuerit, manſit tñ in fastigio & nobilitate deitatis & secundum humanitatem de nobili fuit stirpe Dauid. Luc. 1. Et dabit illi dominus deus sedem Dauid

patris sui. Apo. 19. Et habet in uestimento & in femore suo scriptum, re.. regum & dominus dominantium. Abiit in regionem lõginquã, de qua Psal. 114. Placebo domino in regione uiuorum, unde in die iudicij reuertetur. Act. 1. Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cælum, sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in cælum. Tradidit seruis pecuniam, sic ut inter eos omnes esset æqua sortis partitio, simulq; mandauit illis: Hanc, inquit, pecuniam uobis trado, nõ ut prodigatis, uel seruetis apud uos ociosam, sed ut negociatione crescat, uidelicet ut reuersus reperiam rem adauctam. 1. Pet. 4. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ dei. Eph. 4. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Itaque ciues profecto cœperunt agitare de rebus nouandis, hoc molientes, ut dum alterum regnum asserit, ab eo quod possidebat excluderetur. Iudæi enim q̃ gaudere de ipsius aduentu & regno debuerant, Zacha. 9. Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalẽ, ecce rex tuus uenit tibi iust⁹ & saluator, excæcati oderũt, eo q̃d uitia ipsorũ argueret. Pro. 15. Nõ amat pestilẽs eũ q̃ se corripit, nec ad sapiẽtes gradit. Iohã. 7. Me aũt odit mũdus, qa ego testimoniũ phibeo, qm̃ opa ei⁹ mala sunt. Hinc grauis fuit eis etiam ad uidendum, Sap. 2. Quare ex inuidia tradiderunt eum. Mat. 27. Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum. Omnibus aũt modis conati sunt & ipsum & fidem ipsius extinguere, nec ipsum recipe, p Christo. Ioh. 19. Nõ habemus regẽ nisi Cæsarẽ. Noli scribere, rex

Iudæorum. Hier. 11. Eradamus eum de terra uiuentium, & nomen eius nõ memoretur amplius. Dan. 9. Et non erit populus eius qui eum negaturus est.

2 *Et factum est ut rediret accepto regno, & iussit uocari seruos quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negociatus esset. Venit autem primus, dicens: Domine, mina tua decem minas acquisiuit. Et ait illi: Euge serue bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates. Et alter uenit, dicens: Domine, mina tua fecit quinque minas. Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates.*

Accepto regno, redijt. Matth. 28. Data est mihi oĩs potestas in cælo & in terra. Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gẽtes hęreditatẽ tuã, & possessionẽ tuã terminos terræ. Hoc regnũ diabolus p tyrãnidẽ occuparat. Rom. 11. Cęcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentiũ intraret. Vocauit seruos. 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonũ, siue malũ. Ro. 14. Vnusq; q pro se rationem reddet. Oportet ergo nos quod nostrum est facere, illos autẽ dñs iudicabit, q inde nolu erũt utilitatẽ pcipere. Dñs industriã ac fidẽ serui collaudãs, ait: Declarasti te fidelẽ & amãtem erga dñm tuum. nũc rebus meis auctis, æquũ est ut particeps sis amplioris fortunæ. Obserua quod nõ ait, ego acquisiui uel feci, sed mina tua: quia sancti nihil sibi, sed totum diuinæ gratiæ asscribunt, quanquam & ipsi gratiæ cooperentur. 1. Corinth. 15. Gratia dei sum id quod sum, & gratia eius in me uacua non fuit, sed

abundantius illis omnibus laboraui: non ego autẽ, sed gratia dei mecũ. Qui ergo donis collatis hic laudabiliter utuntur ad dei gloriam, proximi ædificationem, & ꝓpriam salutem, copiosam in cælis accipient mercedem. 1. Cor. 3. Vnusquisq; ꝓpriam mercedem accipiet secundũ suum laborẽ. 2. Cor. 6. Hortamur uos ne in uacuũ gratiã dei recipiatis, ait enim, Tẽpore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nũc tẽpus acceptabile, ecce nũc dies salutis.

Et alter uenit, dicens: Ecce mina tua quam habui repositam in sudario: timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod nõ seminasti. Dixit ei: De ore tuo te iudico serue nequam. Sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod nõ posui, & metens quod non seminaui? Et quare nõ dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego ueniens cum usuris utiq; exegissem illam? & astantibus dixit: Auferte ab illo minam, & date illi qui decem minas habet. & dixerunt ei: Domine, habet decem minas. Dico autem uobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.

Venit tandẽ seruus oĩm ingratissimus, pessimq; fidei. Adeò non profudi, inquit, pecuniam tuam, ut nec attigerim. Hoc malui q̃ uenire in periculum, ne si male cessisset negociatio, tecũ mihi res esset. Metuebã eñ te, nõ ignarus q̃ sis lucri cupidus, adeò ut nõ solũ nihil dones de tuo, uerꝫ etiam tollas alienũ.

Dominus offensus non solum ignauia serui, uerum etiã q̃ culpã referret in mores dñi, cõmotus ait: At q̃ hoc ipsum te debebat ad industriam excitare, ut meã pecuniam tradidisses mensarijs. Itaq; quod, p̃ sui excusatione se apte dixisse putabat, ad culpæ uer tebatur augmentũ. Admirantes serui de dñi senten tia, qua iussit dare minã ei qui decẽ lucratus fuerat, dixerunt: Dñe, q̃d opus est huic addere? Satis beatus est. Tum dñs, uestra nihil refert q̃d habeat. sic mihi uisum est, & sic æquũ est in hac ratione, ut qui indu stria fideli auxerit rem dñi, huic mea benignitas ad ijciat aliquid, ut magis etiam abũdet. Contrà qui p̃ ignauiã nihil lucri sibi parauit, huius egestati adeò non subueniatur, ut hoc ipsum etiã q̃d habet, sit au ferendum. A negligenti ergo & ignauo cui non est studiũ ut crescat & augeat̃ q̃d accepit, & istuc ipsum tolletur. Hæc nõ solum de doctrina & sermone acci pimus, sed & alijs donis & uirtutibus: & siquidẽ ui gilantes & sobrij fuerimus, multiplicabimus hęc: sin aũt negligentes, & uoluptate mortui erimus. Id em̃ sudario signat̃, quo facies à sudore tergitur, & mor tuor̃ corpora inuoluuntur. 1. Tim. 4. Noli negligere gratiam quę in te est. Dur̃ deum inculpant impij quũ pñssimus sit, q̃a p̃cipit ea quæ dura ipsis uiden tur & displicent, & ea, phibet quæ carni delectabilia sunt. Hinc dicunt, Quid faciã? Si quis fuerit sanctus, uult deus ut sit sanctus: me non uult, & nõ sum. Stul te homo, operare iuxta uirtutẽ tuam, & affer aliq̃d ei qui dedit, etiam si non quãtum Paulus & Petrus. Tu ergo quũ eadẽ acceperis q̃ Petrus & Paulus, nam & illi minã, & tu minã, & postea non motus ad ope rationẽ boni, arguis deũ. Ose. 13. Perditio tua ò Isra-

el.tãtummodo in me auxilium tuũ.Ioh.15:Sine me nihil poteſtis facere. Recipit dñs pecuniam,nõ noſtrã,ſed ſuã,& hoc cũ uſura ſalutis noſtræ & proximi. Alioqui indigni inuenti, donis illis ſpoliabunt. Ad hoc enim nobis habitus donorũ atq; uirtutũ largitur,ut p eum procedamus in actũ:nec ſibi totũ ſic attribuit,quin opera ipſa nobis imputet ad meritũ, & pro eis copioſiſſimum conferat præmium.Nam & gratia bono ipſius uſu meret augeri,ut aucta mereatur perfici.& ſic habenti datur.Ignauus uero ſeipſum & dono reddit indignum,& merito,ac p̃mio ſempiterno.Pſal.140.Non declines cor meũ in uerba malitiæ,ad excuſandas excuſationes in peccatis. Iob.13.Veruntamen uias meas in conſpectu eius arguam,& ipſe erit ſaluator meus.Inimicos meos adducite.Hęc parabola etſi peculiariter notare uideatur Iudæos qui dixerũt,Non habemus regẽ niſi Cæſarẽ,Ioh.19.concludit tñ oẽs qui non obediunt euangelio,qui pœnas dabunt in interitũ æternas,à facie domini & à gloria uirtutis eius,cum uenerit glorificari in ſanctis ſuis,& admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt,2.Theſ.1.Apo.21.Timidis aũt & incredulis & execratis,& homicidis,& fornicatoribus,& ueneficis,& idololatris,& omnibus mẽdacibus,pars illorũ erit in ſtagno ardenti igne & ſulfure,quæ eſt mors ſecunda.Gal.6.Ergo dum tempus habemus,operemur bonum ad oẽs. Bonum aũt facientes,non deficiamus.tẽpore enim ſuo metemus, non deficientes.

Et his dictis,*procedebat aſcendens Hieroſolymã*, Verbo & exemplo ſuos ad conſtantiam animãdo.

De duobus cæcis illuminatis, Mat.xx, Mar.x.

ARTICVLVS XCVII.

Mar.10. L

ET egredientibus illis ab Hiericho, secuta est eum turba multa, & ecce duo cæci sedentes secus uiã, audierunt quia Iesus transiret, & clamauerunt dicentes: Domine, miserere nostri fili Dauid. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri fili Dauid.

Nusquã Iesus nõ est hoc q̃d dicit, aut docet, aut sanat, aut uiuificat. Secũdũ Augustinũ, tres cæcos dñs in hac uia illũinauit, unũ ante ingressum Hiericho, duos in egressu, ut dicit hic Matth. quoꝝ unum tantum nominat Mar.10. qui famosior erat. De primo dicit Lu.18. Mar.10. Et proficiscẽte eo de Hiericho, & discipulis eius, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimęus cęcus, sedebat iuxta uiã mendicans. Qui cum audisset q̃a Iesus Nazarenus est, cœpit clamare & dicere: Iesu fili Dauid, miserere mei. Et cõminabant illi multi ut taceret. At ille multo magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei. Quũ ex strepitu sensissent immẽsam multitudinẽ esse, percontati q̃d hoc foret, audierunt Iesum transire. Spe ergo de salute consequenda, ex his quę audierãt, concepta, clamabãt feruenti corde & clara uoce. Credebant em quod Iesus ex semine Dauid secundũ carnẽ, Messias ꝓmissus, posset curare eos. Dissimulauit clamorẽ illoꝝ Iesus, quo magis esset ꝓspicua fides & ardor illoꝝ. Videns aũt turba Iesum ad clamorẽ illoꝝ nihil respondere, ac suspicans illi hoc molestũ esse, increpare

pabat eos. At illi constanti fidutia erga Iesum, quē audierant beneficū in oēs, nihilominus non tacent, sed crebrius idipsum ingeminant, ut desiderium plenum ueræ lucis ostendant, timentes ne propter stre pitum non audirentur. Plane multum feruebant fide, quum increpati plus clamarent.

Et stetit Iesus, & uocauit eos, & ait: Quid uultis ut faciā uobis? Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri. Misertus aūt eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Et confestim uiderunt, & secuti sunt eum.

Iesus igit ubi satis spectatā reddidisset oībus illorum fidem, nosq; illoꝝ exēplo docuisset, feruēter & cōstāter pulsandas aures dei, si qd uelimus impetrare. Mar. 11. Quicquid orātes petitis, credite quia accipietis, & fiet uobis. cōstitit, qñ quidē illi sequi nō poterant, nisi clamore tm, iussitq; uenire ad se. Mar. 10. Et stans Iesus, p̄cepit illum uocari. & uocant cæcū, dicentes: Animæquior esto, surge, uocat te. Qui, p̄iecto uestimento suo, exiliens uenit ad eum. Tantā spem concepit ex uocatione, ut abiecto pallio exiliret, & occurrerit ad Iesum. Mar. 10. Et rñdēs Iesus, dixit illi: Quid tibi uis faciā? Cęcus aūt dixit ei: Rabboni, ut uideā. Præceptor mi, ait, credens ad imperium ipsius salutē conseq posse. Quærit aūt, ut desiderium augeat, & meritū crescere, ac miraculum oībus innotescceret, quia nō eleemosynā, sed lumē postularent. Mar. 10. Iesus aūt ait illi: Vade, fides tua te saluū fecit. Et cōfestim uidit, & sequebat eum in uia. Non solū corporis gressu, sed & imitatione uirtutis. Hiericho Syris lunā sonat. ea typū habet huius uitę, quæ nihil aliud est q̄ perpetua nascentium & mori-

2

Hiericho qd sonet

entium,lætorũ & triſtium uiciſſitudo. Quod mors illius erat effectura per euangelij p̃dicati fidem, hoc exhibet imagine corporali. Cæcum erat genus humanum ignorantia ueri, & mendicum erat inopia oĩm uirtutum. Hieronymus: Cæci, uterq; populus, quod alter ſcriptam legem, alter naturalem ſequẽs, ſine Chriſto cæcus fuit, nec dicere potuit: Domine, in lumine tuo uidebimus lumẽ, Pſal. 35. Nam ludęi ignorãtes dei iuſtitiam, & ſuã uolentes conſtituere, iuſtitiæ dei non fuerunt ſubiecti, Ro. 10. Gentes uero quum deum cognouiſſent, non ſicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerũt in cogitationibus ſuis, & obſcuratũ eſt inſipiens cor eorum: dicẽtes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, Ro. 1. Ieſus aũt ſuo contactu utroſq; illuminauit. Iohan. 1. Erat lux uera quæ illuminat oẽm hominem uenientem in hunc mundum. Eſa. 42. Dedite in fœdus populi, in lucem gẽtium, ut aperires oculos cæcorũ. Ita ſanat & animum cupiditatibus mundanis excęcatum ſuo contactu. Non ſtatim ꝑditus eſt gſquis corpore nihil cernit, ſed ſaluus eſſe non poteſt, qui nihil cernit oculis animi. Hos oculos recepiſſe ſalus æterna eſt. Pſalm. 12. Illumina oculos meos ne unquã obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui aduerſus eum. Hieronymus: Conueniens hic ordo ſalutis. Audimus, clamamus, uocamur: uenimus, illuminamur, ſegmur. Audimus per propheras. Ro. 10. Fides ex auditu. Ioh. 5. Scrutamini ſcripturas. illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. Clamamus per deſiderium. Pſalm. 118. Clamaui in toto corde meo, exaudi me domine. Vocamur per apoſtolos. 2. Cor. 5. Pro Chriſto le-

gatione fungimur: tanquam deo exhortante p nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini deo. Venimus per fidem. Heb. 11. Accedentem ad deum oportet credere quia est, & inquirentium se remunerator sit. Ideo uestimentum ueteris hominis reijciendum. Col. 3. Expoliantes uos ueterem hominem cũ actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem dei, secundum imaginem eius q creauit eum. Luci enim proximus est, qui cæcitatis suæ magnitudinem agnoscit, & quem uehementer tædet cæcitatis suę. Illuminamur ut uideamus uolũtatem domini. Psal. 26. Vnam petij à domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini omnibus diebus uitæ meæ. Vt uideam uoluntatem domini, & uisitem templum eius. In hoc autem datur lumẽ, ut illius sequamur uestigia. Tuo enim relinqueris arbitrio, utrum dono dei bene uti uelis an male. non cogeris sequi, tantum data est lux ut cernas Iesum, abi quò uis, sed tuo periculo. Parum est nouisse Iesum, nisi quem uides studeas imitari. Iesus recta tendit ad crucẽ, huc illum receptis oculis sequaris oportet. 1. Iohã. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Gala. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerũt cum uitijs & concupiscentijs. Gal. 2. Christo confixus sum cruci. uiuo ego iam non ego, uiuit uero in me Christus. Matt. 16. Si qs uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suam, & sequatur me.

¶ De alabastro unguenti, par. 2. ar. 22. u

De sessione aselli, Mat. xxi. Mar. xi. Luc. xix. Ioh. xij.

ARTICVLVS XCVIII.

Matt.21. M

ET cum appropinquassent Hierosolymis, & uenissent Bethphage ad mõtem Oliueti, tũc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellũ quod contra uos est, & statim inuenietis asinam alligatã, & pullum cum ea. soluite, & adducite mihi. Et si quis aliqd uobis dixerit, dicite quia dominus his opus habet, & confestim dimittet eos.

Quàm fallax fugaxq; mundi sit gloria, cum ipsis temporum momẽtis, manibus apprehendentium elabendo, suosq; sectatores miserè decipiendo, dñs hoc ostendit portento. Lu.19. Et factũ est cum appropinquasset ad Bethphage & Bethaniã, ad montẽ q uocat Oliueti, misit duos discipulos. Erat Bethphage uiculus quidam ꝓpe montẽ Oliueti, q sabbati habebat iter ab Hierusalem, Act.1. Duos misit, in cõmendationem charitatis, & ad designandũ, nemi nẽ rite uerbi ministrũ, nisi legitima autoritate missum. Ro.10. Quomodo ꝓdicabunt nisi mittantur? Hinc Iohan.20. Sicut misit me pater, & ego mitto uos. Quo cõtra Hie.23. Non mittebam ꝓphetas, & ipsi currebant: non loquebar ad illos, & ipsi prophetabant. Hierusalem castellum nominat, quũ nõ esset ibi ciuium unio, sed periculosa dissensio: quare ex libertate temporali in miseram Romanoꝝ redacti sunt seruitutem, & ex spirituali in seruitutẽ peccati, & sic domino suo rebellans, armis malitiæ munitũ. Act.7. Dura ceruice & incircuncisi cordibus & auribus, uos semper spiritui sancto restitistis, sicut & patres uestri. Quem enim prophetarum non ꝑsecuti sunt patres uestri? Ioh.15. Si me persecuti sunt, & uos ꝑsequentur. Psal.54. Vidi iniquitatem & contradi-

ctionem in ciuitate, die ac nocte circundabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius & iniustitia. Et non defecit de plateis eius usura & dolus. Marc. 11. Et statim introeuntes illuc, inuenietis pullum (Luc. 19. asinæ) ligatum, super quem nemo hominum adhuc sedit. Soluite illum & adducite. & si quis uobis dixerit, quid facitis? (Lu. 19. quare soluitis?) sic dicetis ei, quia dñs operam eius desiderat, quia domino necessarius est. & cõsestim illã dimittet huc. Secundũ glossam, ad custodem refert animalium quod dimitteret, audito quod dominus operã eius desideraret: secũdũ Chrysostomũ, ad dominũ, & statim peracto opere remitteret. Beda: Bene, cũ ad montem Oliueti uenisset dominus, discipulos misit qui animalia adducerent: quia non nostris meritis, sed sola ipsius gratia ad eum peruenimus. 1. Ioh. 4. In hoc est charitas dei, non q̃si nos dilexerimus deum, sed qm̃ ipse prior dilexit nos, & misit filium suũ propiciationẽ pro peccatis nostris. Mons quippe Oliueti, celsitudinem dominicæ insinuat dilectionis, qua nos misericorditer uisitare & saluare uenerat. Cant. 1. Oleum effusum nomen tuũ. Hinc unctus dicitur præ participibus suis, Heb. 1. Iohã. 1. De plenitudine eius omẽs nos accepimus. Asina & pullus, utriusq; populi rudia corda designãt, quibus ipse præsidens, à noxia libertate suo frenans imperio, ad uisionem supernæ pacis adducit. In qua manet fixa immobilisq; felicitas, quæ Hierusalem est mater omnium credentium & bene uiuentium in Christo. Vterq; enim populus funibus peccatorum erat circũplexus, & solutione diuina opus habebat: iste lege quam acceperat male utendo, ille nunquã

Asina & pullus qd designent.

accipiendo peccauerat. Roma. 3. Non est *distinctio* Iudæi & Græci. omnes enim peccauerunt, & egẽt gloria dei. Gene. 6. & 8. Sensus & cogitatio cordis humani, in malũ prona sunt ab adolescentia sua. Hinc Roman. 7. Inuenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quę est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum. Duo missi sunt, Petrus ad Iudæos, Paulus ad gentes: & in hodiernum diem duo nos saluant testamenta. Roman. 3. Nunc autem sine lege iustitia dei manifestata est, testificata à lege & prophetis. Iustitia autem dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum. non enim est distinctio. Matth. 13. Omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamiliàs, qui profert de thesauro suo noua & uetera. Chrys. Nostra negligentia & uoluntate alligamur, sed per dei misericordiam absoluimur. Cum enim peccando tradiderit se quis sub regno diaboli, iam non potest de potestate eius exire nisi ad iudicium diuino. In atrio enim fortis, stat alligatus. Asina, sensualitas: pullus, hoc est, uoluntatis affectus, per peccatum ligantur. Prouer. 5. Iniquitates suæ capient impium, & funibus peccatorum suorum constringetur. Eccẽs. 4. Funiculus triplex difficile rumpitur. Triplex funiculus ad peccatum trahens, Caro, mundus, diabolus. Sed dominus soluit compeditos, Psalm. 145. & Psalm. 115. Dirupisti domine uincula mea. Et hoc, cum appropinquat per gratiam suam. Iacob. 4. Appropinquate deo, & appropinquabit uobis. Deinde soluit se homo per amari

Asina mystice quid.

tudinem cõtritionis. Esa. 58. Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Demum p ministros ecclesiæ. Mat. 18. Quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Iohã. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Sed ad qd soluendi? Num ut ad libitum agant? Minime, sed quia dominus opus habet, non ob suam necessitatem, sed ipsorum salutem. Psal. 15. Conserua me domine quoniam speraui in te. dixi domino, deus meus es tu, quoniam bonorum meorũ non eges. Psal. 49. Meus est orbis terrarũ & plenitudo eius. Nam & peccatores conditione quidem dei sunt, sed uoluntate diaboli. Iustum autem est, ut creatura quan doq; suo deseruiat creatori. Roman. 6. Sicut exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Galat. 5. Vos enim in libertatem uocati estis fratres. tantum, ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem. 1. Pet. 2. Quasi liberi, & non q̃si uelamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui dei. Felix nimirum iumentum, quod dñica iussione solutum, semp cum ipso manet. Nam ipso regente tenet ne cadat, deducitur ne erret, & cum gloria ad dominicũ suscipiũ usum, Psalm. 72. Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam, & in uoluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Ro. 8. Qui spũ dei agunt, ij filij dei sunt.

Hoc autem factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion, ec 2

ce rex tuus uenit tibi mansuetus, sedēs super asinā, & pullum filium subiugalis.

Hæc partim ideo facta sunt, ut discipuli intelligerent illi nihil esse incognitū, & habere potestatē imperandi q̄buscunq; uellet, & q̄q̄d uellet, si uoluisset uti uiribus suis, partim ut Iudæi uel hoc argumēto agnoscerēt illū esse Messiam, q̄ uiderēt hunc nouū ingressum olim à Zacharia ꝓpheta fuisse p̄dictū. Beda: Mediator dei & hoīm, homo Christ⁹ Iesus, q̄ ꝓ humano genere passurus uenit in mūdū, appropinq̄nte hora passionis, loco ipsius appropinquare uoluit, ut ꝓ hoc clarescceret q̄ nō inuitus, sed spōte pateretur. In asino ueniēs, à turbis rex appellari & laudari uoluit, ut etiā eruditus q̄q; ꝓ hoc cognosceret ipsum esse Christū, quē sic uēturū ꝓphetia olim p̄missa signauerat. Sed inuidentes scribæ & Pharisęi, ea q̄ legebant, intelligere nō potuerūt. Chrys. Interrogēt Iudæi, q̄s rex delatus sup asinā, intrauit Hierusalē, & q̄a nō habēt aliū q̄ sic uenerit, necesse erit hūc solū dicere regē ipsis ꝓ ꝓphetā ꝓmissum. Hinc obseruandum, q̄ Matthæus q̄ Hebræis hebraice scripsit, secundum prophetæ testimonium asinā & pullum posuit: alij autē tres, qui Græce scripserunt, nullum de asina, sed solum de pullo mentionē fecerūt. Sic nempe habetur Zach. 9. Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalē, ecce rex tuus uenit tibi iustus & saluator, ipse pauper, & ascendēs super asinā, & pullū filiū asinæ. Tria ergo propheta ipsi tribuit insignia, q̄a iustus, saluator, & pauper. Deus aūt paterno per prophetam loquēs affectu, ait: Dicite filiæ Sion, ad ipsi⁹ cōsolationē, Ecce rex in ꝑsenti. Esa. 52.

Ego ipse q̃ loquebar, ecce adsum. Vere rex regũ & dñs dñantium. Apo. 19. Nam potestatem habet su per corpus & aïam. Mat. 10. Eum timete, q̃ potestatem habet & corpus & aïam pdere in gehennã. Sed Iohã. 12. Noli timere filia Sion, ecce rex tuus uenit. Nam tibi ꝓmissus. Matt. 15. Non sum missus nisi ad oues q̃ perierũt domus Israel. Ex te natus. Iohã. 4. Salus ex Iudęis est. Venit, post tot patrum desideria & suspiria. Esa. 64. Vtinã distrũperes cælos & descẽderes. Agge. 1. Veniet desideratꝰ cũctis gẽtibus. Venit aũt tibi. Chrys. Ad utilitatẽ tuã, si credideris: cõtra te, si ingrata fueris. Hiere. 23. Regnabit rex & sapiẽs erit, & faciet iudiciũ & iustitiã in terra. Esai. 11. Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in ęqtate ꝓ mãsuetis terræ, & pcutiet terrã uirga oris sui, & spũ labiorũ suorũ interficiet impiũ. Nõ emꝫ terrena immitibus, sed cælestia regna dat mãsuetis. Psal. 36. Mansueti aũt hæreditabũt terrã, & delectabunt in multitudine pacis. Venit nõ in curru aureo preciosa purpura fulgens, neq; ascendit super equum feruidum discordiæ amatorem & litis, sed super asinam tranquillitatis & pacis amicam. Non uenit ut suscitet bella, imponat exactiones, sed sua & seipsum donare. Dedit enim regnum cælorum in possessionem. Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum. Corpus in refectionem. Ioh. 6. Ego sum panis uiuus qui de cælo descendi. si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Animam in redemptionẽ. Ioh. 10. Animam meam pono pro ouibus meis. Matth. 20. Filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare, & dare aïam suã redemptionem pro multis. Quia ergo Iudæi pro ma

iori parte Christum non receperunt, ideo regnum diaboli manet super eos, quia spiritus immūdus iuxta saluatoris testimonium (Mat. 12.) septem nequioribus assumptis, ipsos inhabitat, & regnum peccati manet super eos. Ioh. 8. Dixi uobis quia in peccato uestro moriemini. Si nō credideritis quia ego sum, moriemini in peccato uestro. Et regnum dei ablatum est ab ipsis. Mat. 21. Auferetur à uobis regnum dei, & dabitur gēti facienti fructus eius. Venit ergo mānsuetus & humilis, ut amaret & imitaret. Matt. 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Mansueti ergo mansuetum portare debent. Iacob. 1. In mansuetudine suscipite insitum uerbum, quod potest saluare animas uestras. Chryso. Idcirco asina sedisse dicitur, ut uiuēdi nos philosophia erudiret. ita & simul prophetias implebat, & dogmata ueritatis pandebat, & uiuendi præcepta exemplis præbebat & affirmabat. Regulam enim nobis præbet, ne maiora quàm necessarius usus exigit, inquiramus. Itaq; quando nascebatur, nō magnificas ædes, non locupletem matrem, sed pauperrimam & fabro desponsatam elegit, & in tugurio nascitur, & in præsepio ponitur. Sic discipulos non oratores, nec genere claros elegit, sed inopes ualde. Mensa sua hordeaceis panibus referta erat, recumbentibus in fœno. uestes uiles, nec conditionem uulgi excedentes. Domum nullam habebat, de loco ad locum pedibus iter faciebat, non in sede, sed in montibus sedebat. Non equis sublimibus aut mulis usus est, sed asinis, & hoc cum necessitas scripturæ exegit. 2. Corinth. 8. Scitis gratiam domini nostri Iesu Christi, q̄ cum dives esset, ppter nos egenus factus est, ut nos inopia ipsius diuites essemus.

Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus, & adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos uestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt uestimenta sua in uia. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in uia. Turba autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Osiana filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini. Osiana in altissimis.

Sæpe uenit in Hierusalem aliàs, sed nunq̃ cũ tãta maiestate ut nunc. Prius delitescebat propter inuidiam illorum, nunc autem passione instante clarior uenit, ut si uelint, gloriam eius intelligant, & ex prophetijs quæ de ipso erant, agnoscant eum deum uerum: sin nolint, in maiorem ipsorum condemnationem sit, quod etiam tàm claris miraculis non crediderint. Bed. Instar agni paschalis ante quinq; dies quàm pati inciperet, locum passionis adñt, ut se insinuaret esse illum de quo prædixit Esaias 53. Oblatus est quia ipse uoluit. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Lu. 19. Abierũt autem qui missi erant, & inuenerunt sicut dixit illis Iesus, stantem pullum. Mar. 11. Ligatum ante ianuam foris in biuio, & soluerũt eum. Lu. 19. Soluentibus aũt illis pullum, dixerunt dñi eius ad eos: (ubi uiderunt ab ignotis solui.) Mar. 11. Quid facitis soluentes pullũ? At illi dixerũt, sicut p̃cepit illis Iesus. Lu. 19. Quia dñs eum necessarium habet, & duxerunt illum ad Iesum. Admirare & imitare simplicem & promptam

discipulorum obedientiam nihil cunctantium. *Sic* nos exequi decet dei iussa, nõ dispicere qualia præcipiat aut cur. Neq; enim deus nos constituit præceptorũ discussores, sed executores, ut dicit Chrysostomus, alioq; audiemus illud Ioh. 21. Quid ad te? tu me sequere. Theoph. Non permitterent animalia duce re, nisi diuina uirtus eis incubuisset cogens, pſertim cũ rurales essent & coloni. Quod ergo fecerũt, ministeriũ fuit illorũ, uirtus autẽ & autoritas Christi. Sic quod soluerunt Iudæos & gentes, prima quidem facie uidebatur opus illorum, reuera autẽ opus & uirtus fuit Christi. Nec enim totum mundũ sub potestate diaboli ligatum soluere potuissent, nisi gratia Christi uirtutẽ cõfregisset inimici. Mat. 12. Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & uasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem? Discipuli, quo commodius sederet dominus, instrauerũt pallia sua, atq; ita collocarunt eum in tergo pulli. Hieronymus: Secũdũ literã, in paruo itineris spatio sup utrunq; animal sedere non quiuit. Cũ ergo hisoria uel impossibilitatẽ habet, uel turpitudinẽ, ad alti ora transmittimur, ut asina animal subiugale, legis onus significet, quo Iudæi erãt onerati, Act. 15. Pullus asinę lasciuus & liber, gentium populum, quibus sedit dñs, missis duobus discipulis, uno in circumcisionem, altero in gẽtes. Pullum ergo adducunt indomitum, quẽ soluunt & domant, qui erat ligatus ante ianuam fidei, cum uinculis peccatorum suorum, in biuio stantem, libertate arbitrij dubitãtem inter uitam & mortem. Sedit, in eo regnare cœpit, ut non regnet peccatum in lasciua carne. Ro. 6. Non regnet pcẽm in uestro mortali corpore: sed iustitia,

Asina.

Pullus asinę.

pax & gaudium in ſpiritu ſancto, Ro.14. Non enim neceſſitate ſuper pullum uenire uoluit, quum oẽm Iudæam & Galilæam pedes perambulauerit: ſed ſignum erat, q̃ per mortẽ ſuam honor ſibi regius cõueniebat, cuius regnum futurũ erat eccleſia ex Iudæis & gentibus congregata. Iohan.11. Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, ſed ut filios dei qui erant diſperſi, congregaret in unũ. Hieruſalem enim, cæleſtẽ repræſentat gloriam, Gal.4. ad quam Chriſtus rex noſter per fidei obedientiam utriq; populo inſidens, perducit utrunq;, ſed prius apoſtolicis ornamẽtis decoratum, quæ ſunt gratiæ doctrinæ apoſtolicæ. Talium dorſis gaudet inſidere dñs, qui ſimpliciter obediunt, qui ſuaue iugũ euãgelicæ doctrinæ libenter accipiunt, qui non ferociunt aduerſus ſeſſorem. Ro.8. Qui ſpiritu dei aguntur, hi filij dei ſunt. Mundi principes amant feroces caballos, ac bello natos & edoctos. Dominus Ieſus tales amat aſinos, qui mites mitem uehãt dñm, nec ſeſſorem tergo excutiant. Erant nuda iumenta prius, ſed apoſtoli ſuis palliis cõueſtiunt, ſua doctrina, ſanctæq; uitæ exemplis ea præparantes ſeſſuro dño, qui quod ſemel fecit iuxta carnem, nunq̃ non facit iuxta ſpiritualẽ ſenſum. Triplici honore Ieſum pſecuti ſunt. Primo ueſtes ad uiæ ornatum ſternebãt. Lu.19. Eunte aũt illo, ſubſternebant ueſtimenta ſua in uia. Multitudo q̃ diu incorrupta manebat, agnouit quantum opus erat, & ideo ſinguli pro uiribus ſuis uenerantur. Veſtis, animæ caro eſt, quam ſubijciamus dño, & ſternamus uiam uitæ noſtræ. Secundo frondibus. Mar.11. Alij aũt frondes cædebant de arboribus, & ſternebant in uia. Ioh.12. In craſtinum

Quotupliciter honore Chriſtum Iudæi proſecuti.

autem (post cœnã quã fecerant ei in Bethaniam reuerso) turba multa quæ uenerat ad diem festum, cũ audissent quia uenit Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei. Declarabant palmæ, quod fortis quidem & victor fuerit mortis, resuscitato Lazaro. Palma enim victorum erat corona ac triumphalis, perpetuo uirens, procera & ascensu difficilis, sed fructu suauissimo, genuina quadam naturæ ui surgens aduersus onus impositum. hæc Hieron. Iusti ut palma florebunt, Psal. 91. angusti in radicibus, lati in frondibus & fructibus, qm̃ bonus odor Christi sunt in omni loco, 2. Cor. 2. & sternũt uiã mandatorũ dei bona fama. Incidamus ergo ab arboribus ramos, hoc est, sanctorũ uitas imitemur. Erat aspera uia, sed hanc discipuli substratis uestibus cõmuniunt, ostendentes facilem esse uiã pietatis, si quis p exempla sanctorũ ingrediens, subdat se dño Iesu. Itur p ramos palmarũ, p frõdes arborũ uirentes, per semper florentẽ & uirẽtem memoriam martyrũ, uirginũ, & confessorũ. Quanta em̃ uis exẽplorũ offert sese undiq; uiã pietatis ingressis? Tertio, uocibus. Triumphalis acclamantis uox populi, atq; ingeminata, ad Christi gloriam pertinebat. Symmachus: Obsecro dñe, salutẽ imparti nobis, uel filio Dauid. Hieron. Iudæi precaturi deũ, dicunt, ana dominc, q̃d LXX. ὠ dñe interpretantur. Symmachꝰ apertius, obsecro domine, dicit. Hosiah uero, saluifica, siue salutem imparti. Hinc patet, Ana interiectionem esse deprecantis: cui si addas Hosiah, ex duobus unum coalescit nomen, quod euangelistæ interpretari non sunt, sicut & pleraq; alia. Qui præibant prophetæ, qui sequebantur apostolo-

Palma.

Osiana vel hosiana, vel per syncopen Osanna.

una eademq; confessionis laudant uoce dominũ: quia una nimirum est fides eorum qui ante incarnationem & qui post fuerunt patrum, quanuis sacramenta pro temporũ uarietate habuerint diuersa. Actu. 15. Per gratiam domini nostri Iesu credimus saluari, quemadmodum & illi, & gentes scilicet & Iudæi. Sic & opera nostra quæ præcedunt, & quæ sequuntur, sint in gloriam dei. Sunt enim qui uitam honestam præ se ferunt principio, quorũ uita subsequens, longe dissimilis, non est in gloriam dei. Benedictus qui uenturus dicebaris & expectabaris. In nomine patris uenit, quia in omnibus gloriam patris quæsiuit, Ioh. 8. quanquam à Iudæis pro maiori parte receptus non sit. Iohan. 1. In propria uenit, & sui eum non receperunt. Hinc Ioh. 5. Ego ueni in nomine patris mei, & nõ recepistis me: si alius uenerit in noie suo, illũ recipietis. Mar. 11. Benedictum q̃d uenit regnũ patris nostri Dauid, Osiahana in excelsis. Lu. 1. Et dabit illi dñs deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternũ, & regni eius nõ erit finis. Hieron. Perspicue docet aduentũ dñi in carnẽ, nõ solum humani generis in terra, sed & angelorũ in cælis esse salutẽ: qa dum nos redempti ad supẽrna reducimur, eorũ profecto numerus, qui in satana cadente fuit minoratus, impletur. Eph. 1. Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & q̃ in terra sunt in ipso. Cum oĩ ergo humilitate & spũs iucũditate mysteria Christi recolere debemus, quatenus ipsum per gratiam recipere mereamur.

Et cũ appropinquaret iã ad descẽsum mõtis Oliue Luc. 19.
ti, cœperũt oẽs turbæ descẽdentiũ gaudẽtes laudare N

deum uoce magna ſuper omnibus quas uiderant uirtutibus, dicẽtes: Benedictus qui uenit rex Iſrael in nomine domini, pax in cælo, & gloria in excelſis.

Pergebat ire Hieroſolymam, ubi peracturus erat eximium illud ſacrificium pro ſalute generis humani, & è ſpecula crucis uelut auar⁹ & ambitioſus rex, omnia pertracturus ad ſe. Quum ergo iam uẽtum eſſet ad pedem montis, acrectà tenderetur Hieroſolymã, mirus quidã affectus corripuit animos oĩm, quorum alij comitati fuerant Ieſum, alij ex Hieroſolymis proceſſerant obuiam, ut afflatu quodam numinis, contempta phariſæor⁹ inuidia, redderent teſtimonium domino Ieſu. Ioh. 12. *Benedictus qui uenit in nomine dñi rex Iſrael. Hic plane noui cuiuſdam regni auſpicia deſcribuntur. & nouus quidam rex feſtis iam acclamationibus excipitur, qui diaboli regnũ extrudat atq; deuaſtet. Atq; hoc modo excipiunt nouum regem, quotquot ſentiunt ſe à tyrannide diaboli liberatos eſſe. In illorũ animis hæc frequens eſt gratulatio. Hinc pax dicitur in cælo, quia antiquum bellum quod habuimus contra deum, diremptum eſt. Ephe. 2. Ipſe eſt enim pax noſtra, q̃ fecit utraq; unum. Col. 1. Pacificans per ſanguinẽ crucis, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris ſunt. Eſa. 53. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, cuius liuore ſanati ſumus. Conſonat iſta laus ſpiritus ſancti per ora ſimplicium, illi, quam angeli in natiuitate domini cecinere, Luc. 2. Iohan. 12. Teſtimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo, quando Lazarum uocabat de monumento, & ſuſcitauit eum à mortuis. propterea & obuiam uenit ei turba, quoniam audi-*

ebat eum hoc feciſſe ſignum. Sed inuidorum corda principum in cunctis quæ prouide geſſit, eum potius perſequi quàm in eum credere maluerunt, & in multis miſeri, uitæ autorem morti potius dare, q̃ p ipſum uiuificari uoluerunt. Iohan. 12. Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus poſt eum abiit. Ea res ſacerdotum ac phariſæorum animos, propemodum in deſperationem adegit, nec tamen ab impio cœpto reſipiſcunt, ſed inter ſeſe commurmurant, d. Videtis quoniam omnibus machinamentis aduerſus illum nihil proficimus, ſed quo magis obſiſtimus, hoc magis & illius autoritas inclareſcit, & populi ſtudium accenditur. Antea paucos habebat diſcipulos, ecce nunc totus mundus deficit à nobis ad illũ, ut nobis iam non ſatis tutum ſit in illum manus palam inĩcere. Lu. 19. Et quidam phariſæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magiſter, increpa diſcipulos tuos. Quibus ipſe ait: Dico uobis, qa ſi hi tacuerint, lapides clamabunt. Dominus piam ſimplicis turbæ profeſſionem non compreſſit, ſed phariſæorum cæcitatem oblique taxauit, qui non uererentur ea quę magnifice gerebat dñs, tribuere Beelzebub principi dæmoniorum, Luc. 11. Qua fronte, inquit, cõpeſcam gloriam merito canentes deo, & quod à prophetis olim dictum eſt, nunc prĩs uotis occinentes? Pſal. 117. O domine ſaluum me fac, ò domine bene proſperare. Benedictus qui uenit in nomine domini. Illud affirmo uobis, adeò deus non uult laudem ſuam ſileri, ut ſi homines conticeſcerent, lapides clamarent, quibus uos eſtis inſenſibiliores. Hoc, ut dicit Beda, in paſſione factum eſt, quando tacentibus

præ timore discipulis, petrę scisse sunt & monumẽta apta, Mat. 27. Ioh. 12. Hæc nõ cognouerũt discipuli eius primo, sed qñ glorificatus est Iesus, tũc recordati sunt, quia hæc scripta erant de eo, & hęc fecerũt ei. Hæc enim non intelligentes, putabant oia agi fortuito: sed postq̃ morte, resurrectione, missoq; spiritu sancto glorificatus est Iesus, tum rem gestã cum ꝓphetæ dictis conferentes, animaduertũt hoc de illo scriptũ fuisse, quod acclamatũ est à turba, quodq; ipse sic aduenies fecit. Hoc honoris dñs Iesus, qui humilis semper uixerat, sibi passus est exhiberi, quo declararet, sibi non defuturã fuisse gloriã huius mũdi, nisi maluisset eam aspernari q̃ amplecti, quo tutius uideretur, hoc ab his qui se discipulos illius ꝓfitentur ambiri, quod ille spreuit qui solus ꝓmeruit.

De fletu super ciuitatem, & eiectione uendentium, Mat. xxi. Mar. xi. Luc. xix.

ARTICVLVS XCIX.

Luc. 19. O

ET ut appropinquauit, uidens ciuitatẽ, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu. Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem absconditа sunt ab oculis tuis.

Quàm noxium sit & damnabile, sic præsentibus inhærere, ut æterna & quæ salutis sunt negligantur, & uerbis declarat & factis. Nam inter uoces laudantium lachrymas fudit, turbæ laudabant, Christus lachrymatur. Illi flores spargebant & ramos in uia, ipse lachrymas. Nouerat enim ꝓ in proximo ipsum occisuri essent, quare & ciuitas illorũ subuertenda, & cuncti dispergendi. Quum iam eò progressus esset

dominus Iesus, ut propius in prospectu esset Hierosolyma, uidens ciuitatem illam ædificijs magnificã ac splendidam, uiris, opibus ac religionis opinione florentem, superbam rebus præsentibus, ignoratione calamitatis futuræ securã, misericordia motus illachrymauit: ac uerbis abruptis, ueluti p̃ dolore singultiẽs, deplorauit illius exitium. Appropinquauit affectu saluandi, at habitatores ipsius maleuolentia elõgabat ab eo. Psal. 72. Ecce q̃ elongãt se à te, peribunt. Ideo Iac. 4. Appropinquate deo, & appropinquabit uobis. Vidit cõpassionis affectu. Exo. 3. Vidi afflictionẽ populi mei, & descendi ut liberem eum. Hinc fleuit ꝓpter mala culpæ multiplicata, & pœnæ cõminata. Fleuit aũt non ruinã murorũ, sed animarũ, ostendens non esse uoluntatis suæ ũt cæci essent & perirent, sed odium ipsos excæcasse & malitiam, & odium quidem sine ulla causa. Ioh. 15. Odio habuerunt me gratis. Non enim lætatur in perditione uiuorũ, Sap. 1. Vnde quasi dolẽs dicit Esa. 1. Heu consolabor de hostibus meis, & uindicabor de inimicis meis. Ezech. 18. Nõ est uolũtatis meæ mors impij, dicit dñs. Væ illis, quos nec cõsideratio ꝓprij delicti, nec alieni periculi ad lachrymas mouet. Iob. 30. Flebã quondã sup eo qui afflictus erat, & cõpatiebatur anima mea pauperi. Sic Psal. 118. Exitus aquarũ deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legẽ tuam. Augustꝰ. Scitote fratres q̃ post mundi gaudia, æterna sequuntur lamenta, q̃a nemo potest hic & in futuro gaudere. Si hic gaudere cupis, scias te exulẽ patriæ: si hic ploraueris, cælestis patriæ ciuis cõstitueris. Lu. 6. Væ uobis qui ridetis nũc, quia flebitis. De quibus Prouerb. 2. Qui lætantur cũ malefecerint,

Quid sen cur fieris Christus.

& exultant in rebus peſſimis. Iob. 31. Si gauiſus ſum ad ruinam inimici, & lætatus ſum eo quod inueniſſet eum malum, non enim dedi ad pecandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam eius. Videant qui non ſolum de malo proximi gaudent, ſed & multis technis exitium ipſi moliuntur. 1. Cor. 13. Charitas non gaudet ſuper iniquitate, cõgaudet autem ueritati. Cauſam fletus indicat, dicens: Si cognouiſſes & tu, quemadmodũ ego cognoui hũc diẽ tuum, quo tibi pax offertur, ac remiſſio peccatorũ, ſtuderes amplecti quod offertur: & quia cõtemnis, ſi cognouiſſes mala inde tibi ſuperuẽtura, ſicut ego cognoui, & tu mecum fleres, quæ modo exultas. Ni mirum hic tuus dies eſt, quo ad reſipiſcentiam prouocaris, & inuitat te dei bonitas ad pœnitentiã: inuitat aũt extremo gradu bonitatis, ad quẽ nihil poteſt adiungi, toties abs re ſpreta clementia dei, nouo quodam modo dignatur te inuiſere, ut ſaltem hac ratione miteſcas, & ad pacem redeas. Sed ipſa conuertiſti pacem pietatis, in pacem uoluptatis cũ mũdo, quæ eſt, liberè indulgere uoluptatibus, & ſine fre no timoris dei peccare. Hinc dominus Ioh. 14. Pacẽ meam do uobis, non quomodo mũdus dat, ego do uobis. Non aũt uera pax. Eſa. 57. Nõ eſt pax impijs, dicit dñs. Nam excæcat intellectum, quare melior eſſet tribulatio dans intellectum. Eſa. 28. Tantummodo ſola uexatio intellectũ dabit auditui. Veniet alius dies non tuus, ſed ultionis diuinę. Eſa. 34. Dies ultionis domini, annus retributionis iudicij Sion. quo pœnas dabis omnium ſcelerum tuorũ, quæ cumulare q̃ deplorare maluiſti. Ro. 2. Ignoras q̃m benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundũ aũt du-

ritiam tuam & cor impœnitẽs, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet unicuiq; secundum opera sua: his quidem q̃ secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus, uitam æternã: his autem q̃ sunt ex contentione, & q̃ non acqeſcunt ueritati, credunt autem iniqtati, ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam operantis malum. Nunc aũt nec diem tuum agnoſcis, nec illum proſpicis, quoniam uterque abſconſus eſt ab oculis tuis, quos habes præſentis felicitatis temulentia cæcutientes. Quod deus ſemel fecit ſecundum hiſtoriam, hoc quotidie in eccleſia per electos ſuos agit, quum quoſdam ex bona uita ad mores reprobos peruenisſe conſiderat. Plangit enim eos qui neſciunt quur plangantur. 2. Corinth. 12. Lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & fornicatione, & impudicitia quam geſſerunt. Qui ſi damnationem q̃ eis imminet prouiderent, ſemetipſos cum lachrymis electorũ plangerent. Hinc Deut. 32. Gens abſq; conſilio atq; prudentia, utinam ſaperent atq; intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Saperent dei benignitatem, eos ad reſipiſcentiam inuitãtis. Pſalm. 33. Guſtate & uidete quoniã ſuauis eſt dominus, beatus uir qui ſperat in eo. 2. Pet. 3. Non tardat dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant, ſed patienter agit propter uos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Sed Iob. 24. Dedit ei locum pœnitentiæ, & ipſe abutitur eo in ſuperbia. Nam diem præſentis uitæ quæ nobis data eſt ad pacem pectoris, qua peruenitur ad pacem

æternitatis, peruertimus in pacem carnalis uoluptatis. Secundo, peccati fœditatem. Hier. 2. Scito & uide, quia malum & amarum est, reliquisse te dominum deum tuum, & non esse timorem eius apud te, dicit dominus. Quàm uilis facta es, nimis iterans uias tuas? Intelligerent, mundanorum uanitatem. Namsatisfacere non possunt affectui hominum. Eccēs. 2. Dixi in corde meo, uadam & affluam delicijs, & fruar bonis: & uidi quod hoc quoq; esset uanitas. Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis? Nec diu durare. Sap. 5. Quid nobis profuit superbia? diuitiarum iactātia quid cōtulit nobis? Transierunt omnia illa tāquam umbra, & tanquam nuncius præcurrens. Secundo, humanam calamitatem. Iob. 14. Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miserijs: q quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit uelut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Gene. 8. Sensus & cogitatio cordis humani, prona sunt ad malum ab adolescentia sua. Quid de corpore? Esa. 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exiccatum est fœnum, & flos eius decidit. Hinc Eccl. 40. Iugū graue super omnes filios Adæ, à die exitus de uentre matris, usq; in diem sepulturæ in matrem omnium. Non ergo erit finis miseriarum, nisi finis fuerit uitæ. Eccl. 10. Quid superbis terra & cinis? 1. Ioh. 2. Tranſit mūdus & concupiscentia eius. Prouiderent nouissima. Mortis ineuitabilitatem. 2. Reg. 14. Omnes morimur, & quasi aq̄ dilabimur in terram quæ non reuertuntur. Heb. 9. Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem, iudicium. Hinc Eccl. 41. O mors, quàm amara est memoria

tua homini pacem habenti in substantijs suis, uiro quieto, & cuius uiæ directæ sunt in omnibus, & adhuc ualenti accipere cibum? Eccēs. 9. Nescit homo finem suū: sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo, ita homines tempore malo, quū eis extemplo superuenerit. Secūdo, iudicij æquitatem. Eccēs. 12. Cuncta quæ fiunt, adducet deus in iudicium: & p oñi errato, siue bonum siue malum sit. Vnde Mat. 12. Dico autem uobis, quoniam omne uerbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Sapiē. 1. In cogitationibus impij erit interrogatio. Nam ut dicitur 1. Corint. 4. Veniet dominus & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Hinc Iob 31. Quid faciam, cum surrexerit ad iudicandum dominus? & cum quæsierit, qd respondebo ei? Iob. 9. Vere scio quod ita sit, quod non iustificetur homo compositus deo. Si uoluerit cōtendere cum eo, non poterit respōdere ei unum pro mille. Greg. Sed peruersa anima, rebus præsentib⁹ dedita, in terrenis uoluptatibus resoluta, abscondit sibi mala præsentia: futura præuidere negligit, quæ præsentem lætitiam perturbent: dumq; in præsentis uitæ oblectationem se deserit, quid aliud q̄ oculis clausis ad ignē uadit? Deut. 32. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus. Dereliqt deum factorē suū, & oblit⁹ est dñi creatoris sui. Hinc admonet Eccūs. 11. In die bonorū ne immemor sis malorū, & in die malorū ne immemor sis bonorū: qm̄ facile est corā deo, in die obitus retribuere unicuiq; secundū uias suas. & Apostol⁹ 1. Cor. 7. Qui gaudēt, tanq̄ nō gaudētes sint: & q flēt, tanq̄ nō flētes: & q utun-

tur hoc mundo, tanq̃ non utantur. Præterit enim figura huius mundi. Si quę ergo est præsentis temporis, ita agenda est lętitia, ut nunq̃ amaritudo sequentis iudicij à memoria recedat. Pro. 28. Beatus homo qui semper est pauidus: qui uero mentis est durę, corruet in malum.

2 *Quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & circundabunt te, & coangustabunt te undiq;, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidẽ, eo quòd nõ cognoueris tẽpus uisitationis tuæ.*

Greg. Quod flente dño illa Hierosolymorũ subuersio describatur, q̃ à Vespasiano & Tito romanis principibus facta est, nullus q̃ historiam legit, ignorat. Quia non intellexerunt pacem dei, prædixit eis bellum mundi, quod erat eis superuenturum in ultionem, qua nunquam pertulerũt grauiorem, ut uel sic resipiscerent, q̃ nec signis, nec uirtutibus, nec beneficijs, & tandẽ miserationibus emolliri potuerũt. Dicit Iosephus, q̃ in illa obsidione mortui fuerunt gladio, fame & peste undecies centena millia, nonaginta septẽ millia uenditi, triginta denario uno, sicuti emerant dñm 30. denarijs. Obsidione arctissima circundati erant, ne qua pateret effugiũ: & sic destructi muri, ne q̃ spes remaneret restaurationis. Ezech. 4. Et tu fili hois, sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo Hierusalẽ ciuitatem. Et ordinabis aduersus eam obsidionẽ, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro. Et tu sume tibi sartaginẽ ferreã, & pones eã in murũ ferreũ inter te

Quot in obsidione Hierosolymitana mortui ac venditi.

& ciuitatẽ,& obfirmabis faciẽ tuã ad eam,& erit in obſidionẽ,& circundabis eã. Signũ eſt domui Iſrael.Mich.3.Audite hoc principes domus Iacob,& iudices domus Iſrael, qui abominamini iudicium,& omnia recta peruertitis. Qui ædificatis Sion in ſanguinibus,& Hieruſalẽ in iniquitate. Principes eius in muneribus iudicabant,& ſacerdotes eius in mercede docebant,& prophetæ eius in pecunia diuinabant,& ſuper dñm requieſcebant,dicentes: Nunqd non dominus in medio noſtrum? Non ueniẽt ſup nos mala. propter hoc cauſa ueſtri Sion quaſi ager arabitur,& Hieruſalem quaſi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelſa ſyluarũ. Senties ergo tempus uindictæ,quæ tempus uiſitationis noſſe nolueris.poteras & ipſa amplecti ſalutem oblatam.Gre. Creator quippe omnium per incarnationis myſterium hanc uiſitare dignatus eſt,ſed timoris & amoris ipſius recordata non eſt. Vnde dominus Hiere. 8.Miluus in cælo cognouit tempus ſuum, turtur & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui, populus autem meus non cognouit iudicium domini. Tempus animæ peccatricis uenit quando mors adeſt.Suprà dixerat,dies tua:hic,uenient dies in te,hoc eſt,contra te. quia momentaneum eſt ꝗd delectat,æternũ uero quod cruciat. Hinc Eccẽs.12. Memento creatoris tui in die iuuentutis tuæ,antequam ueniat dies afflictionis.Sed qui inimici hominis,niſi maligni ſpiritus, qui animam à corpore exeuntem obſident,quam in carnis amore poſitam deceptoriꝭ delectationibus fouent? Quam uallo circundant,quia ante mentis oculos reductis iniquitatibus quas perpetrauit, hanc ad ſocietatem ſuæ da-

mnationis coarctant, ut in ipsa extremitate uitę deprehensa, & à quibus hostibus circuncluſa ſit uideat, & tamen euadendi aditum inuenire non queat: quia operari bona iam non licet, quæ quum operari licuit, agere contempſit. Circundant & coangustant, quando non tantum operis, ſed & loquutionis & cogitationis iniquitates replicant: ut quæ per multa ſe prius dilatauit in ſcelere, ad extremum de omnibus anguſtietur in retributione. O quanta anguſtia? manere impoſſibile, exire neceſſe, rationem reddere difficile, nec erit q redimat, nec qui ſaluum faciat. Ad terram proſternent, cum anima per cognitionem reatus ſui, carnem quam uitam ſuam credidit, redire in puluerem cognoſcit. Tunc filij, quum cogitationes illicitę, quæ modo ex illa prodeunt, in extrema uitæ ultione diſſipantur, ſicut ſcriptum eſt Pſalm. 148. In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Quæ duræ cogitationes, intelligi etiam per lapides poſſunt. Peruerſus enim, quum peruerſæ cogitationi peruerſionem adijcit, quaſi lapidem ſuper lapidem ſtruit. Sed quum anima ad ultionem rapitur, talis conſtructio cogitationum quibus ſibi longam promittebat uitam, honores, diuitias, diſſipatur. Luc. 12. diuiti, longam ſibi in delicijs promittenti uitam, reſponſum fuit: Stulte, hac nocte repetunt à te animam tuam: & quæ paraſti, cuius erunt? Et hoc ideo, quia non cognouit tempus uiſitationis ſuæ. Peruerſam animam uiſitat deus quandoq; præcepto. Pſalm. 64. Viſitaſti terram, & inebriaſti eam. Glo. Verbo prædicationis. Sed infelix anima eruditione non corrigit. Eccl. 21. Audiuit luxurioſus & diſplicebit ei, & proijciet poſt

Ad terrā pſternt.

dorsum suum,uerbum scilicet continẽtię.Lu.16. Audierunt hæc omnia pharisæi,qui erant auari,& deridebant eum.hoc est,Iesum loquentem de eleemosyna & contemnendis diuitijs. Visitat flagello Psalm. 88.Si autem dereliquerint filij eius legem meam,& in iudicijs meis non ambulauerint: Visitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum.Sed Hiere.5.Percussisti eos,& non doluerunt: attriuisti eos,& renuerunt accipere disciplinam. Visitat beneficio.Iob.10.Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & uisitatio tua custodiuit spiritum meum.Sed Prou.1.Prosperitas stultorum perdet illos. Sed quia superbiens cõtemnit,nec de malis suis erubescit,in extremo inimicis traditur, cum quibus in iudicio æternæ damnationis societate colligatur. Eccl. 2. Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus domini,& non in manus hominum.Secũdum magnitudinem enim illius, sic misericordia illius cum ipso est.

Et *ingressus in templum, cœpit eijcere uendentes & ementes,dicẽs illis:Scriptum est, quia domus mea domus orationis est,uos autem fecistis illam spelunca latronum.Et erat quotidie docens in templo.*

Greg. Qui mala narrauit futura,& protinus templũ ingressus,inde uendentes & ementes eiecit,,,pfecto innotuit,quia ruina populi maxime ex culpa sacerdotum fuit. Quia uero redemptor noster prædicationis uerba nec indignis & ingratis subtrahit, postq̃ disciplinæ rigorẽ eiiciẽdo puersos tenuit,donũ gr̃æ mox ostẽdit.Tẽplũ domus dei,aĩa ipsa est. 1.Cor.3. Templum dei sanctum est,quod estis uos.

Quæ si quando in læsionem proximi peruersas cogitationes profert, quasi in spelũca latrones residẽt, & simpliciter gradientes interficiunt, quando in eos qui in nullo rei sunt, læsionis gladios defigunt. Sed quia contra hæc, uerbis redẽptoris nostri per sacras paginas indesinenter instruimur, nunc usq; Iesus in templo docet, quum mentem fidelium ad cauendũ malum subtiliter erudit. Sed sciendũ quod tunc uerbis redemptoris nostri ueraciter erudimur, si extrema mala nostra, formidolose & indesinenter aspicimus. Eccl. 7. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum nõ peccabis. Nam cogitandum ualde q̃ terribilis nobis erit hora nostræ resolutionis, qui pauor mentis, quanta tunc omnium malorum memoria, quæ obliuio transactæ felicitatis, quæ formido est consideratio iudicis. Istud ultimum quia legitur sic in euangelio dominicę 11. post pente. hic posui, sed nũc debitus sequit ordo.

Mat. 21. P

Et cum intrasset Hierosolymam, cõmota est uniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Iesus propheta à Nazareth Galilææ.

Quantum gratia dei in simplicibus operetur & humilibus, & econtra peccatum in obstinatis & superbis, hic claret. Sedulo cum discipulis uenit Hierosolymam, ut animis illorum infigeret, se scientem ac uolentem ire in mortem, neq; quenq̃ nociturum illi fuisse, si uoluisset resistere. Quod aliquoties uisus est se subducere periculo, nõ erat formidinis, sed seruantis se tempori prefinito à patre. Quod quũ tum adesset, non solum non latitat, sed ultro se ingerit, & ita se ingerit, ut nouitate põpæ totius urbis animos

in se conuertat. Nec cessat interim à miraculis, nec cessat à ueritate prædicanda: quin & liberius insecta tur uitam pharisæorum, & negociatores eijcit è tẽplo, quibus rebus sciebat omnium illorum animos uehementius irritandos. Mar. 11. Et introiuit Hierosolymam in templum. Hieronymus: Introeunte Iesu cum turba, tota ciuitas Hierosolymorum cõmota est, mirans frequentiam, non intelligens ueritatẽ. Chrysostomus: Merito commouebantur uidentes rem insolitam & tam mirabilem. Homo laudatur quasi deus, sed deus laudatur in homine. puto & q̃d nec ipsi qui laudabant, sciebant quem laudabãt, sed spiritus subito ingressus in eos, ueritatis uerba fundebat. Glos. A minoribus incipit cõfessio, ut peruemiat ad maiores. Turbæ simplices & candidæ neq; inuidebant Christo, neq; opinionem indignã Christo habebant. Hieronymus: Prophera ille à Nazareth, quem Moses similem sui dixit uenturum, & q̃ proprie apud Græcos scribitur cum articuli testimonio, Deut. 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam uerba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia quæ præcepero illi. A Nazareth, quia ibi nutritus & conceptus, Mat. 2. Luc. 1. & 2.

Et intrauit Iesus in templum dei, & eijciebat oẽs uendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras uendentium columbas euertit, & dicit eis: Scriptum est, domus mea domus orationis uocabitur, uos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. 2

Primo templum adijt, quia domus patris, Lu. 2.

Et ut nobis formam religionis tribueret, ut quocunq; imus, primũ si ibi domus orationis est, ipsam adeamus, ut p orationes deo cõmẽdati, feliciter negocia agamus. Tanq; dñs, quũ uideret in tẽplo mercatus ac fori speciem, indignitate rei cõmotus, eiecit uendentes, ostendens ea quæ patris sunt sua esse, interim etiam honestatis curam habens, sed translationem sacrificiorum significans. Mar. 11. Et non sinebat ut quisquã transferret uas per templũ. Hieronymus: Mihi inter oĩa signa quę fecit dñs, hoc uidetur mirabilius esse, q̃ unꝰ homo & illo tẽpore contemptibilis, & in tm̃ uilis ut postea crucifigeret, scribis & pharisæis contra se sæuientibus, & uidentibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli uerba tãtam eĩcere multitudinẽ, mensasq; subuertere. Ignеum enim quoddam & fiderium radiabat ex oculis eius signum, & diuinitatis maiestas lucebat in facie, terrens impios & oblectans pios. Addidit & Esaiæ 56. uaticinium, ne frustra uideretur indignatus. Volunt dñs ostendere auaritiam & quæstum fore capitalem pestem ecclesiæ suæ, quã templum illud, cuiꝰ religio mox erat abolenda, figurabat. Nihil em̃ illic syncerę ac sanctũ esse potest, ubi regnat pecuniæ studium. Sacerdotes auaritiæ suæ consulentes, fecerũt oĩa esse præsentia, ne de longe aduentãtes, nõ haberent ad manum q̃d offerrent, quod in usum ipsorũ cedebat, idem agentes fraudulentia, sub ꝓtextu cultus diuini, quod latrones faciunt in itineribus, bona alioꝝ rapiendo per dolum. Zach. 14. Non erit mercator ultra in domo dñi exercituum in illo die. Obserua negociationem, quanq; licita sit, circũstantijs uitiari. Loci, ut hic. Ezech. 28. In multitudine nego-

Signorũ Christi omniũ mirabilissimum q̃d.

Negociatio quibꝰ circunstãtijs uitietur.

ciationis tuę, repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, & eieci te de monte sancto dei. In multitudine iniquitatū tuarū, & iniqtate negociationis tuæ polluisti sanctificationē tuam, producam ergo ignē de medio tui qui comedat te, & dabo te in cinerem sup terram, in conspectu oīm uidētium te. Temporis, Tyrij habitauerunt in ea, inferentes pisces & oīa uenalia, & uendebant sabbatis filijs Iuda & Hierusalem, & obiurgaui optimates Iuda, & dixi: Quæ est hæc res mala quam facitis, & prophanatis diem sabbati? Nunquid hæc fecerunt patres nostri? & adduxit dominus super nos omne malum, 2. Esd. 13. Nemi. 13. Personæ. 2. Timo. 2. Nemo militans deo, implicat se negocijs secularibus, ut ei placeat cui se p̄bauit. Rei, quia sacrum nec uendi nec emi potest. Hieronymus: Latro est, & templum dei in latronū uertit specum, qui lucra de religione sectatur, cultusq; eius non tam cultus dei, quàm negociationis occasio est. Quotidie dominus ingreditur templū patris, eijciens omnes tam episcopos, quàm presbyteros & diacones, & laicos. Vnius criminis habet reos ementes & uendentes. Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. Hinc Giezi munera accipiens à Naaman sanato à lepra per Helisæum, lepra percussus est, 4. Reg. 5. Simon pecunia gratiam impositionis manuum emere cupiens, audiuit à Petro Actorum octauo: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti donum dei pecunia possideri. Vendunt columbas, qui in ecclesiis gradus uendunt. spiritus enim gratiam qui est columba, uendunt, unde & eijcientur ex superno & inferno templo, indigni sacerdotio fungi. Origenes: Vtinam

audirent hæc detenti admonitione scripturæ, q clamant de cathedris Mosi, in quibus sedent & uendũt omnes ecclesias columbarum, & tradunt talibus p̃positis, ad quos recte dicatur à domino Esa. 56. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt uniuersi, canes muti non ualentes latrare, uidentes uana, dormientes & amantes somnia, & canes impudentissimi nescientes saturitatem. Ipsi pastores ignorauerũt intelligentiam. Omnes in uiam suam declinauerũt, unusquisq; ad auaritiam suam, à summo usq; ad nouissimum. Hiere. 6. A minore quippe ad maiorem omnes auaritiæ student, & à propheta usq; ad sacerdotem cuncti faciunt dolũ. Hiere. 9. Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Modi. Si mendacijs, periurijs, falsis ponderibus & materijs. 1. Thes. 4. Ne quis supergrediatur neq; circunueniat in negocio fratrem suum, quoniam uindex est de his omnibus dominus. Leu. 19. Nolite facere iniquũ aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta, æqua sint pondera, iustus modius, æquus q; sextarius. Deu. 25. Non habebis in sacculo diuersa pondera maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iustum & uerum, & modius æqualis & uerus erit tibi, ut multo uiuas tempore super terram, quam dominus deus tuus dederit tibi. Miche. 6. Adhuc ignis in domo impij, thesauri impietatis, & mensura minor, & iræ. Nunquid iustificabo stateram impiam, & saccelli pondera dolosa? in quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquuntur mendacia, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Prou. 20. Pondus & pondus, mensura & mensura,

utrunq; abominabile est apud deum. Statera dolosa non est bona. Amos. 8. Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit messis & uenundabimus merces, & sabbatum, & aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argẽto egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti uendamus. Iurauit in superbiam Iacob, si oblitus fuero usq; ad finem oĩa opera eorum. Nunquid super isto non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius? Mar. 11. Et docebat, dicẽs eis: Nonne scriptũ est, quia domus mea domus orationis uocabitur cunctis gentibus? Iustam indignationis suæ ostendit causam, non enim negociationi, sed precationi dicata est. 2. Par. 7. Elegi locum istũ mihi in domum sacrificij. Oculi mei erunt aperti, & aures meę erectę ad orationem eius qui in loco isto orauerit. Elegi enim & sanctificaui locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneãt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus. Nihil ergo aliud ibi agendum, q̃ quod ad laudem dei pertinet & animarum salutem. Vnde frequenter ibi dominus docuit. Nunquã legitur dominus æque commotus, nunquam æque sæuisse. Iniurias proprias patienter tulit, Mat. 12. Luc. 11. Ioh. 8. iniuriam discipulorum excusauit, in confricatione spicarum, Matt. 12. in lotione manuum, Mat. 15. patris iniuriam non tulit. Chrysostomus: In proprijs iniurijs quẽquam esse patiẽtem, laudabile est: dei iniurias dissimulare, nimis impium est. Hier. 7. Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est no-

In tẽplis agendum quid.

mẽ meum in oculis uestris. Ego ego ſum, ego uidi, dicit dominus. Vnde Balthaſar uaſis templi abutẽs in conuiuio, eadem nocte interfectus fuit, & ciuitas deuaſtata, Dani. 5. Heliodorus theſauros è templo ablaturus, per angelos ad mortem flagellatus fuit, 2. Mach. 3. Antiochus promittẽs ſe templum deuaſtaturũ, miſerè mortuus fuit, 2. Mach. 9. Hinc Pſal. 25. Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locũ habitationis gloriæ tuæ. Per peccatũ fit aïa ſpelunca latronũ, quæ tẽplum dei eſt, 1. Cor. 6. Ieſu aũt intrante ciuitatẽ cordis noſtri p gratiam, cõmouetur ad cõſiderandũ quantum malũ ex peccato, pueniat, ut pote gratiæ ſubtractio, dei offenſio, pœnæ damnatio, qa de filio dei fit filius diaboli, & ſic cõmouetur ad peccati deteſtationẽ, audiens quia Ieſus tranſit, qui ſaluat à peccatis populum ſuũ. Matt. 1 qui tãdem de templo cordis eĳcit uendentes & ementes, peccata nequitiæ & auaritiæ per confeſſionẽ, ut fiat domus orationis. 2. Cor. 6. Qui conſenſus templo dei cum idolis? Vos eĩm eſtis tẽplum dei. Origenes: Quicunq; in populo Chriſtiano ad aliud nihil uacant in ſeculo iſto, niſi circa uenditiones & emptiones, rarius aũt in orationibus permanent, uel aliis actibus rectis quos quærit ſermo diuinus, ipſi ſunt uendentes & emẽtes in templo dei. Sap. 15. Sed & æſtimauerũt luſum eſſe uitã noſtram, & conuerſationẽ uitæ compoſitam ad lucrũ, & oportere undecunq; etiam ex malo acquirere. Eccl. 26. Difficile exuitur negociãs à negligentia, & non iuſtificabitur caupo à peccatis labiorum. Eccl. 27. Sicut in medio compaginis lapidum palus fĭgitur, ſic & inter medium uenditionis & emptionis anguſtiabitur peccatis.

Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo, & ſanauit eos. Videntes autem principes ſacerdotũ & ſcribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes, oſiana filio Dauid, indignati ſunt & dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt? Ieſus autem dixit eis: Vtiq; nunquam legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? Et relictis illis, abijt foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibiq; manſit.

Turbæ præconium uerum oſtendit, ſententiam electionis non ſolum autoritate ſacrę ſcripturæ, ſed & miraculis confirmans. Venerunt cæci, ut uiſu recepto uiderent Ieſum quem audierant ſic prædicari. Veniebant & claudi, ut illius ueſtigia ſequentes, peruenirent in regnum cælorum. Iohan. 8. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen uitæ. Quotquot enim adibant illum, ſanabat. Hieronymus: Niſi menſas nummulariorum euertiſſet, cæci & claudi lucem priſtinam & concitum greſſum non accepiſſent. His rebus, quibus oportebat illos tandem reſipiſcere, magis etiam exarſerũt inuidia primores ſacerdotum & ſcribæ. Eſt enim natura hæc inuidorum, ut proſpero ſucceſſu alterius crucientur. Submonuerunt ergo dominum, ut eum clamorẽ compeſceret: alioqui fore ut uideretur agnoſcere tantum honoris, quo iudicabant illũ indignum. Hieronymus: Non dixit quod ſcribæ & phariſæi audire cupiebãt, benefaciunt pueri, uel rurſum, errant, pueri ſunt, debetis ætati ignoſcere: ſed profert exemplum de Pſal. 8. ut tacente dño, ſcripturarum teſtimonium puerorum dictum cõfirmaret.

Chryſoſtomus: Pueri loquebantur laudem, iſti inſaniunt: quia enim miracula calumniari non poterant, ſuperbiæ ipſum & uanæ gloriæ cupidum arguere ſtudent. Mar. 11. Quo audito, principes ſacerdotum & ſcribæ quærebant quomodo eum perderẽt, timebant enim eum, quoniam uniuerſa turba admirabatur ſuper doctrina eius. Soli non poterant amare amabilem illum Ieſum, nulli nocentem, omnibus ſubuenientem, tantum metuebant illum, propterea q̃ populus ſuſpiceret illius doctrinam, & ob cõſpecta miracula magnifice de illo ſentiret. Luc. 19. Et erat quotidie docens in templo. Principes autem ſacerdotum, & ſcribæ, & principes plebis quærebant illum perdere, & non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus ſuſpenſus erat audiens illum. O præpoſteram religionem in religionis profeſſoribus. Tam impio facinore concepto, non metuũt deũ ultorem cui nihil occultũ, & populũ formidãt. Pro. 15. In omni loco oculi domini contemplantur bonos & malos. Pſal. 33. Oculi domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorũ. Vultus aũt domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriã eorũ. Dominus, inſtante iam mortis tempore, nullum tempus ſinit elabi ſine fructu. Diem conſumit in tẽplo, noctem impendit precationi, ac priuatim animandis diſcipulis, Marc. 11. Et circunſpectis omnibus, cum iam ueſpera eſſet hora, exĩt in Bethaniã cũ duodecim. Hieronymus: Intelligendũ quod tantæ fuerit paupertatis, & ita nulli adulat⁹ ſit, ut in urbe maxima nullũ hoſpitem, nullam inueniret manſionem. Ab inobedientib⁹ & ad obedientes ſe confert, & inter illos uerſat, dicit enim 2. Corin. 6. Vos

enim estis templum dei uiui, sicut dicit deus, (Leuit. 26.) quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum deus, & ipsi erunt mihi populus. Chrysostomus: Malum hominem melius locũ dando q̃ respondendo quis uincere potest, quia malitia sermonibus non instruitur, sed excitatur.

De gentibus q̃rentibus uidere Iesum, par. 2. ar. 23. ℣

De ficulnea arefacta, Mat. xxi. Mar. xi.

ARTICVLVS C.

MAne autem reuertens in ciuitatem, esurijt: et uidens fici arborem unam secus uiam, uenit ad eam, & nihil inuenit in ea nisi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuo ficulnea. Mat. 21. Q

Dominus nonnunquam & factis & uerbis instruebat discipulos, quemadmodum & propheræ quandoq; factis, quandoq; uerbis prophetabant. Hieronymus: Esurijt, ueritatem humanæ naturæ ostendens, & salutem esuriens credentium, æstuans ad incredulitatem Iudæorum, in quibus non inuenit nisi promissionum strepitum, traditiões pharisaicas, & iactationem legis, & ornamenta uerborum, absque ullis fructibus ueritatis. Vere famelicus humanæ salutis, & illi suauissimus erat panis, ex uoluntate patris redimere genus humanum. Ioh. 4. Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui misit me, ut perficiã opus eius. Mar. 11. Cum uidisset à longe ficũ habentem folia, uenit si quid forte inueniret in ea: & cũ uenisset ad eam, nihil inuenit præter folia. Non em

erat tempus ficorũ. & respondens, dixit ei: Iam non amplius in æternum ex te quisquã fructum manducet. & audiebant discipuli eius. Videns arborem uirentibus foliis pollicẽtem aliquid fructus, uenit ad eam: & ueluti indignans quòd spe delusus esset, execratus est eam. Hieronymus: Vidit ficũ foliis, nõ fructibus ornatam, i. synagogã uestitam mandatis hominum & superstitionibus scopatã, cui denegat fructũ in æuum. Origenes: Multos in ecclesia uidemus tales, qui multo tẽpore portarunt fidei nomẽ, oftendentes tantũ quia uiuunt, sed ficci sunt: quos qa non fructificabant, uidemus recedentes à uerbo dei ad plenum siccos. Omnis homo qui se exponit delicijs huius uitę, ficui cõparatur: quia fructum non habet spiritualem, ut esurienti Iesu det, folia aũt tm, temporalem ac defluentem apparẽtiam. Hic audiet Matt. 25. Ite maledicti in ignem æternum.

Et uidentes discipuli, mirati sunt, dicentes: Quomodo continuò aruit? Respondens autem Iesus, ait eis: Amen dico uobis, si habueritis fidem, & non hesitaueritis, nõ solum de ficulnea facietis: sed & si monti huic dixeritis, tolle te & iacta te in mare, fiet. Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.

Ob id passus est dñs ficulneã arefieri, ut discipulis etiam atq; etiam inculcaret fidẽ, quæ nisi accederet, scirent mortem quoq; suam infrugiferam fore mortalibus. Mar. 11. Et cum uespera facta esset, egrediebatur de ciuitate: & cũ mane transirent, uiderunt ficum aridã factam à radicibus. & recordatus Petrus, dixit ei; Rabbi, ecce ficus cui maledixisti, aruit. Et

respondens Iesus, ait illis: Habete fidem dei. Amen dico uobis, quia quicunq; dixerit huic monti, tollere & mittere in mare: & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit quia quodcũq; dixerit fiat, fiet ei. Propterea dico uobis, omnia quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient uobis. Qui magna affectione credit, cor suũ omnino extẽditad deum, & quid facit? Vnitur illi, & feruefactum cor eius, magnam certitudinem sumit, quod uoti compos fiat. Quæcunq; ergo petierimus citra hæsitationem, fidentes diuinæ uirtuti accipiemus. Iac. 1. Postulet autẽ in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctibus maris, qui à uento circunferuntur & mouentur. Non ergo existimet homo ille q; accipiat aliquid à domino. Nihil enim impetrat, qui diffidit patrem posse præstare, quum ille nutu possit omnia, aut non uelle præstare quod recte petitur. Cum ergo audis fidem, accipe non stultam illam fidem, sed eam quę reuera fides est: accipe & deprecatiõem illam quę utilia petit. Est enim oratio, ut dicit Damas. petitio decentium à deo, hoc est, rerum quas decet à deo postulari. Vide supra art. 55. x Marc. 11. Et quum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, ut & pater uester q; in cælis est, dimittat uobis peccata uestra. Quod si uos non dimiseritis, nec pater uester qui in cælis est, dimittet uobis peccata uestra. Nihil ergo impetrat, & si confidit, impudenter confidit, qui rogat patrem ut sibi remittat quæ deliquit in eum, quũ ipse nolit remittere fratri, quod in ipsum admisit. Eccl. 28 Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluent. Homo homini reseruat

Oratiõe

iram,& à deo quærit medelam? In hominem simi-
lem sibi non habet misericordiam, & de peccatis su
is deprecatur? Semper indulgẽda offensa seu culpa,
interdum & pœna, nisi ex remissione pœnæ iustitia
periret, disciplina langueſceret, trãsgressor pejora-
retur, & ad peccandum pronior redderetur: ſicordo
iustitiæ obseruandus. Exigens uero pœnam, soler-
ter consideret quo moueatur zelo. Ephe. 4. Estote
aũt inuicem benigni, misericordes, donãtes inuicẽ,
ſicut & deus in Christo donauit nobis.

De quæstione baptismi, Mat. xxi. Mar. xi. Luc. xx.

ARTICVLVS CI.

Mat. 21. R

ET cum uenisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum & seniores po puli, dicentes: In qua potestate hæc facis? & quis tibi dedit hanc potestatem?

Insanientes quod è templo eiecisset negociato-
res, quærunt occasionem, ut tametsi cupiditas occi
dendi esset impia, tamen apud homines studio iu-
stitię facere uiderentur. Accedunt eum, ut animo p-
plexum redderent, & autoritate cohiberent à sacra
doctrina. Non enim poterant admiranda illius fa-
cta damnare, quæ tam multa populo teste gesserat.
Non poterant refellere doctrinam, quę cum lege di
uina & uoluntate cõsentiebat. De autoritate uenan
tur ansam calumniandi. Si enim dominus quem ni-
hil nisi purum hominem esse credebant, sibi uindi-
casset autoritatem dei, parata erat blasphemiæ calu
mnia: sin minus, in promptu erat calumnia seditio-

nis, quod autoritate priuata tm̃ auderet in templo, sine permissu sacerdotum & seniorum. Hieron. De dei dubitant potestate, & diaboli uolunt esse quod facit, manifestissime filium dei negantes, quem putant non suis uiribus, sed alienis signa facere. Lu. 20. Et factum est in una dierum, docente illo populum in templo & euangelizante, conuenerunt principes sacerdotum, & scribæ cum senioribus. Mar. 11. Quis dedit tibi hãc potestatem ut ista facias? Stulta quæstio, quum ipsa facta clamitarent deo autore hęc geri, quum res ipsa loqueret, hũc esse quem deus olim per prophetas uenturum esse promiserat, quum pater post baptismum sua uoce declarasset hũc esse filium suum unice dilectũ, cui deberent obedire, Mat. 3. Et interim adeo cęci, nõ cogitabant q̃ Iohannem nulla hominum autoritate similia facientem in baptizando, p̃dicando, discipulos colligendo suspexissent adeò, ut Messiam esse cõtenderẽt, nisi q̃ Iohannes non edebat miracula, atq̃ hoc noĩe minus debebant obstrepere Christo, nisi maluissent calumniari quàm credere.

Respõdens Iesus, dixit eis: Interrogabo uos & ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego uobis dico in qua potestate hæc facio. Baptismus Iohannis unde erat, è cælo, an ex hominibus?

Hiero. Respondet dñs clauum clauo pellens, q̃ malo arboris nodo, malus clau⁹ aut cuneus infigendus est. Ostendit q̃ maligne interrogantibus non oporteat respondere. Sensit ilico cornutam interrogationem impia illorum conscientia, & deliberant apud se q̃d essent responsuri.

At illi cogitabant inter se, dicentes: Si dixerimus, è cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Sed autē dixerimus, ex hominibus, timemus turbam. Oēs enim habebant Iohannem sicut prophetam. Et respōdentes Iesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico uobis in qua potestate hæc facio.

Videbant quæstionem esse bicornem, ut in alterum cornu necesse esset incidere. Quàm facile diuina humanam capit astutiam, omnibus technis molientē aduersus dei consiliū. Pro. 21. Non est sapientia, non est prudentia, non est cōsilium contra dñm. Iob. 5. Qui apprehendit sapientes in astutia eorū, & consilium prauorum dissipat. Chrysostomus: *Si* credidissent Iohanni, hæc non interrogassent, quū ille manifeste dixerit & diuinitatem confessus sit, dicēs Ioh. 1. Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. hic est de quo dixi, Medius uestrum stetit quē uos nescitis. Ipse est qui post me uenturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus ut soluam corrigiam calceamenti. Ioh. 5. Vos misistis ad Iohannē, & testimoniū phibuit ueritati. Lu. 20. Si dixerimus, ex hoibus, plebs uniuersa lapidabit nos. certi sunt eū Iohannē prophetā esse. Ecce q̄ta peruersitas inuidoꝝ, certa scientia ueritatē negant, & publice mētiri non uerent. Ostendit ergo dñs q̄ semper inobedientes sint spiritui sancto, & q̄ Iohanni uiro angelico minimeq̄ carnali q̄ pridem apparuerat, credere noluerint. Iesu ergo responsum exigenti, dixerūt se nescire unde esset, Luc. 20. Iesus quoq̄ par pari referens, ait: Si uos mihi nescitis q̄d scitis, nec ego dico uobis in qua potestate facio q̄ facio. Conferte facta

mea cũ factis illius,& expendite,an si non dubitatũ est de illius autoritate, conueniat de mea dubitare. Siquidẽ ille prædicauit regnũ dei,& de me testimoniũ phibuit. Nõ dixit,neq; ego scio,sed,neq; ego uobis dico. Nouerat em̃ se autoritate patris cuncta gerere. Ioh.14. Pater in me manens,ipse facit opera. Duabus de causis occultari ueritatem posse.
Glos. Duabus causis occultat ueritas,uel quia nõ capaces auditores. Ioh.16. Adhuc multa habeo uobis dicere,sed non potestis portare modò,uel quia contẽptores. Mat.7. Nolite sanctum dare canibus. Sic tamẽ responsum temperat, ut indicaret se opera facere potestate diuinitatis ex testimonio Iohannis.

De filio q uoluntatẽ fecit patris,Mat.xxi.

ARTICVLVS CII.

QVid autem uobis uidetur? Homo quidam habebat duos filios,& accedens ad primum, dixit: Mat.21. S
Fili,uade hodie operari in uineam meam. Ille aũt respondens,ait: Nolo. Postea autem pœnitentia motus, abijt. Accedẽs autem ad alterũ,dixit similiter. At ille respondens,ait: Eo domine.& non iuit. Quis ex duobus fecit uoluntatem patris? Dicunt ei: Primus.

Quoniam simplex ac manifesta percontatio nõ potuit elicere confessionẽ ueri, proponit aliam sub ænigmate,ut imprudentes contra se ferrent sententiã. Hieron. Primus filius,gentilis est populus,p naturalis legis notitiã. Vade & opare in uinea.i. Quod tibi ab alio oderis fieri,uide ne tu aliqñ alteri facias. Tob.4.& Mat.7. Oĩa q̃cunq; uultis ut faciãt uobis homines,& uos facite illis. hæc est enim lex & pphetæ. Qui ait, nolo. pœnitudine tñ ductus, postea fecit

tempore Christi. Secundus, hebræus est populus, q̃ respõdit Mosi Exo. 24. Oĩa q̃ locutus est dñs faciemus & erim⁹ obediẽtes, sed nõ iuerũt in uineã, imõ interfecto patrisfamiliàs filio, se putarunt hæredes. Ioh. 7. Nonne Moses dedit uobis legem, & nemo ex uobis facit legem? Ro. 10. Finis enim legis Christus ad iustitiam oĩ credẽti. Orig. Manifestum est, q̃ dixit, nolo, postea autem iuit, & operatus est in uinea, uoluntatẽ patris impleſſe nõ uerbis, sed factis: q̃ autem uerbis promisit, & non fecit, operibus negauit uolũtatem patris facere. Ro. 2. Non auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Cum enim gentes quę legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendũt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Tit. 1. Confitẽt se nosse deum, factis aũt negant. Non intelligentes q̃ parabola tenderet, contra se sententiam tulerunt.

Dicit illis Iesus: Amen dico uobis, quia publicani & meretrices præcedẽt uos in regno dei. Venit enim ad uos Iohannes in uia iustitiæ, & non credidistis ei. publicani autem & meretrices crediderũt ei. Vos aũt uidentes, nec pœnitentiam habuistis postea ut crederetis ei.

Sapienter primo parabola capiens, pòst publicanis & meretribus posthabuit, dicens: præcedent, id est, ante uos ingredientur in regnum cęlorum, ita ut si uos laboraueritis, uel post illos intrabitis: si autẽ increduli, nũq̃ intrabitis. Et sic maioris meriti erũt in ecclesia militanti, & pòst ampliorꝭ gloriæ in tri-

umphãti. Illi em̃ prius rebelles deo impia uolũtate & uita, tñ ilico tacti pœnitẽtia, obtemperarũt euangelicæ doctrinæ: uos q̃ titulo & ꝓfessione estis populus dei, tot modis ꝓuocati, non potestis ad pœnitentiã ꝓmoueri. Venit Iohãnes ostendẽs uiã iustitiæ uita & doctrina, docẽs irã diuinã imminere, securim admotam arboris radicibus, ni statim resipisceretis, Mat. 3. publicani & meretrices uestro iudicio hoïes deplorati, obtemperarũt illi: uos nec singulari Iohãnis sanctimonia, nec illius minis, nec exẽplo publicanoꝝ ꝓuocari potuistis ad pœnitẽtiã. Ita fiet, ut illi fide ꝓripiant uobis regnũ dei: uos frustra ore deũ ꝓfitẽtes, ob incredulitatẽ animi uestri excludamini.

De iudice & publicano, Lu. xviij.

ARTICVLVS CIII.

Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare & non deficere, dicens: Iudex quidam erat in ciuitate quadam, qui deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & ueniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduersario meo. & nolebat per multum tempus. Luc. 18. T

Docet in afflictionibus ad deum recurrendũ, q̃d si deus non statim liberat ab afflictione, nõ tñ ideo desistendũ à precatiõe. Audiet em̃ ille haud dubie preces suoꝝ quũ erit tempestiuũ, ac dilatio cedet in bonũ pioꝝ: tantoq̃ grauius opprimẽt impij q̃ magis sibi ꝓsuaserant, se impune facere q̃d faciebãt. Est em̃ oratio efficacissimũ remediũ cõtra pericula. Mat. 26. Vigilate & orate, ut non intretis in tẽtationem. Orationis efficacia & laus.

Lu.21. Vigilate itaq; omni tempore orãtes, ut *digni* habeamini fugere omnia ista quę futura sunt, & stare ante filiũ hominis. Eccl.18. Non impediaris orare semper, & ne ueteris usq; ad mortem iustificari, quoniam merces dei manet in æternum. 1. Thes. 5. Sine intermissione orate. Erat hic iudex impius & impudens. Impietas faciebat, ut non timeret deum: potentia, ut non reuereretur hominẽ. Deum multi non timent, attamen homines reuerentur, ideo & minus peccant: quãdo autem & apud homines impudens quis fuerit, tunc omnis malitiæ uertex uidetur. Vidua erat omni solatio destituta, quare crudelius nõ subuenire. unde clamabat, *Vindica ius meum aduersus aduersarij mei uiolentiam. Sed noluit*, quum in hoc detur potestas, ut aduersus opulentos ac factiosos subleuẽt orphanos, pupillos, uiduas ac tenues. Esa. 1. Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam. Debet enim iudex esse iustitia decoratus, quum uiua sit lex & animata. Sed multi huic sunt similes, qui causas prolongant dilationibus fruſtratorijs, quo contra Iob. 31. Oculos uiduæ expectare non feci. Hinc Deu. 16. Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, ut iudicẽt populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. Sed sunt qui fraude uel uiolentia ad hoc pertingere nituntur, quemadmodum Absalon. 2. Reg. 15. Mane consurgens Absalon stabat iuxta introitum portæ in uia, & omnem uirum qui habebat negocium ut iret ad regis iudicium, uocabat Absalon ad se, & dixit: Videntur *mihi* sermones tui boni & iusti, sed non est qui te audiat constitutus à rege. Quis me constituat iudicem sup terram, ut ad

Iudices quales esse debeãt.

me ueniant omnes qui habẽt negocium, & iuste iudicent? Sic Abimelech cupiditate iudicandi Israel, occidit 70. uiros fratres suos super lapidem unum, Iudic. 9. Hinc Iethro ait Mosi Exod. 18. Prouide de omni plebe uiros sapientes, & timentes deum, in q̃bus sit ueritas, qui oderint auaritiam, & cõstitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore. Ecce quales esse debent iudices. Nimirum uiri, non pueri sensu & moribus. 1. Cor. 14. Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. Esa. 65. Quoniam puer cẽtum annorum morietur. Sap. 4. Senectus enim uenerabilis est nõ diuturna, neq; annorum numero computata. cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis uita immaculata. Sic Daniel iuuenis senes iudicauit impudicos. Dan. 13. Secundo, sapientes. Deut. 1. Date ex uobis uiros gnaros & sapientes. Vnde Salomon dominum rogauit 3. Re. 3. Ego sum puer paruulus & ignorans egressum & introitum meum, & seruus tuus in medio est populi quem elegisti, populi q̃ numerari & supputari non potest p̃ multitudine. Dabis ergo seruo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malũ. Et dixit dñs Salomoni: qa postulasti uerbũ hoc, & nõ petisti tibi dies multos, nec diuitias, nec aĩas inimicorũ tuorũ, sed postulasti tibi sapientiã ad discernendũ iudiciũ, ecce feci tibi secundũ sermones tuos. Sic Iosue filꝰ Nun repletus ẽ spũ sapiẽtiæ, qa Moses posuit sup eũ manus suas, Deut. 34. Pro. 12. Via stulti recta in oculis eiꝰ: q aũt sapiẽs est, audit cõsilia. Pro. 14. Est uia q̃ uidet hõi recta, & nouissima eiꝰ ducũt ad mortẽ. Tertio, timẽtes deũ.

Sunt enim qui ſapientes ſunt ut faciant mala, bene autem facere neſcierũt. Hier. 4. Vnde rex Ioſaphat ait iudicibus 2. Para. 19. Videte quid faciatis. nõ enim hominis exercetis iudiciũ, ſed dei. Ro. 13. Miniſtri dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes. Hinc dij appellãt, Pſal. 81. Ego dixi, dij eſtis & filij excelſi oẽs. Exod. 21. Applicabitur ad deos, hoc eſt, iudices. Hinc cum magno timore agendum, nam ſequitur: Et quodcũq; iudicaueritis, in uos redundabit. Sic Achitophel, cuius conſilio Abſalon patrem è patria fugauit, ſpe fruſtratus, ſuſpẽdio ſe ſtrãgulauit, 2. Reg. 17. Vnde 16. dicitur: Conſilium autem Achitophel quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret deum. Eſa. 19. Sapientes conſilij Pharaonis, dederunt cõſilium inſipiens. Dñs miſcuit in medio eius ſpiritum uertiginis, & errare fecerunt ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & uomẽs. Sequitur: Sit timor dñi uobiſcum. Qui enim timet hominem, cito corruet: qui ſperat in dño, ſubleuabitur. Sic iudices Iezrahel timore regis Achab, iuſtũ Naboth lapidare fecerũt, 3. Reg. 21. Ideo monet Eccũs. 7. Noli quærere fieri iudex, niſi ualeas uirtute irrumpere iniquitates, ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua. Quarto, in quibus ſit ueritas iuſtitiq; & uitæ. Deu. 1. Quorum conuerſatio ſit probata in tribubus ueſtris. Eccl. 37. Anima uiri ſancti enunciat aliquando uera, q̃ ſeptem circunſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum. Quinto, non cupidi munerum. Imò qui oderint auaritiam. Exod. 23. & Deut. 16. Non accipies munera, quia munera excæcãt oculos ſapiẽtũ, & mutãt uerba iuſtorũ. Eccl. 20. *Exenia & dona excęcãt oculos iudicum, & q̃ſi mu

Dij cur iudices dicti

*xenia

tus in ore auertit correptiones eorum. Esa. 5. Væ q̃ iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Ideo Deut. 16. Iuste quod iustum est persequéris. Deut. 1. Audite illos, & quod iustum est iudicate. Siue ciuis sit ille, siue pegrinus, nulla erit distantia p̃sonarũ. ita paruum audietis ut magnum, nec accipietis cuiusq̃ personam, quia dei iudiciũ est. Exo. 23. Non declinabis in iudicium pauperis. Ideo Iob. 29. Causam quam nesciebam, diligentissime inuestigabam. Hinc 2. Para. 19. Cum diligẽtia cuncta facite. non enim est apud deum nostrum iniquitas, (Deut. 32. Deus fidelis absq; ulla iniquitate) nec acceptio personarum, nec cupido munerum. Sapi. 6. Audite reges & intelligite, discite iudices finiũ terræ. Præbete aures uos qui continetis multitudines, & placetis uobis in turbis nationum: qm̃ data est a dño potestas uobis, & uirtus ab altissimo, qui interrogabit opa uestra, & cogitationes scrutabitur: qm̃ cum essetis ministri regni illius, nõ recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neq; secundum uoluntatẽ dei ambulastis. Horrende & cito apparebit uobis, qm̃ iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormẽta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusq̃ deus, qui est omnium dñator: nec uerebitur magnitudinem cuiusq̃, qm̃ pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de oĩb⁹. Ideo Sap. 1. Diligite iustitiã q̃ iudicatis terrã.

Post hæc autem dixit intra se: Et si deũ non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc mulier uidua, uindicabo illam, ne in nouissimo

ueniens ſugillet me. Ait autem dominus: Audite quid iudex iniquitatis dicat. Deus autem non faciet uindictam electorum ſuorum, clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico uobis, quia cito faciet uindictam illorum.

Victus improbitate precũ, ait: Subleuabo illam à uiolentia aduerſarij, nõ quod illi bene uelim, ſed ne tandem redeat, ac toties ſpreta, conuicijs ſuis notam aliquam inurat infamiæ. Quanto magis deus omnis iuſtitiæ dux ac miſericordiæ, erga ſuos electos non faciet breui uindictam, quanuis uideatur non audire orantes, differendo uindictam? Certe quum dies ille ſupremus uenerit, iam nec ſatanas, nec huius inſtrumenta homines mali, quicquam poterũt aduerſus electos. Deu. 32. Mea eſt ultio, & ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum. Iuxtà eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora. Vere cito facit uindictam ſuorum, quia breuis uita præſens, quam grauiſſima ſequitur ultio. Eccl. 1. Vindicta carnis impij, ignis & uermis. Et quia gratia priuantur, & ſic indurantur, quæ grauiſſima & periculoſiſſima pœna eſt. Pſal. 80. Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis. Vnde 2. Mach. 6. Etenim multo tempore nõ ſinere peccatoribus agere ex ſententia, ſed ſtatim ultiones adhibere, magni beneficij eſt indicium.

Veruntamen filius hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra?

Quanuis deus ſic zeletur pro ſuis electis, tanta tamen tũ erit malorum & multitudo & improbitas, ut apud pauciſſimos ſit ſupſtes futura uera fides ad

deum, & fidelitas iustitię ad proximum. Mat. 24. Et qm̃ abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Phil. 2. Omnes quæ sua sunt quærunt, non quę Iesu Christi. De oratione docens, etiam fidei meminit, declarans interim, paucorum tunc fore orare, quandoquidem in paucis tunc fides inuenietur.

Dixit autem & ad quosdam qui in se confidebant tãquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam, dicens: Duo homines ascendebant in templum ut orarent, unus pharisæus, & alter publicanus. Luc. 18. V.

Non cessat dñs plurimis argumẽtis repurgare superbiæ uitium, q̃d plus alijs mentẽ humanã turbat. Et quia p̃cedens parabola terrebat eos, q palam impios affligebãt, sed erat q̃ddam pharisęorũ genus q̃d sibi stulte placebat, & alios p̃ se despiciebat, tã q̃ peccatores, quum illorũ modestia deo gratior sit q̃ horũ opa: aduersus huiusmodi pharisæos iustos, ad cõsolationẽ peccatorũ ex aio sibi displicẽtiũ, dñs ꝓposuit parabolã, q̃ uirtus humilitatis commendat, & præsumptiua superbia q̃ sit cauenda, ostenditur. Quanuis em̃ iustitia mirabilis sit, & hoiem deo ꝓximum constituat, quum superbiam admiserit, hominẽ in locũ infimũ reijcit, & dęmonẽ reddit, q iam se æq̃lem deo fecerat. Confidebant in se tanq̃ iusti, quum in ueritate non essent. Ro. 10. Ignorantes dei iustitiam, & suam uolentes constituere, iustitiæ deĩ non sunt subiecti. Finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Sed quod peius est, internã malitiam externa hypocrisi palliabant. Mat. 23. Vę uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, q similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus

ſpecioſa,intus uero plena ſunt oſſibus mortuoꝝ,& omni ſpurcitia. Sic & uos à foris quidem paretis hominibus iuſti,intus aũt pleni eſtis hypocriſi &iniq̃tate. Stultum eſt in ſe confidere,quia noſtræ iuſtitiæ impuræ multis p̃mixtæ iniuſtitiis. Eſa.64.facti ſumus ut immundi omnes nos,& quaſi pannus menſtruatæ uniuerſæ iuſtitiæ noſtræ. Pro.20. Quis poteſt dicere,mundum eſt cor meum,purus ſum à peccato? Ro.3. Omnes enim peccauerunt,& egent gloria dei. Sunt & incertæ, ſi quæ ſunt. Iob.9. Si iuſtificare me uoluero,os meum cõdemnabit me. Si innocentem oſtẽdero,prauum me comprobabit. Eccẽs.9. Sunt iuſti atq; ſapientes, & opera eorũ in manu dei: & tñ neſcit homo,utrum amore an odio dignus ſit, ſed oĩa in futurum ſeruantur incerta. Pſal. 74. Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. Vnde 1. Cor. 4. Nihil mihi conſcius ſum,ſed in hoc iuſtificatus non ſum. Non ſolum autem in hoc peccabant,ſed & aſpernabãt cæteros tanq̃ peccatores, unde & proximum & dñm temere iudicabant,qui peccatoribus benigne ob ipſorum conuerſionem communicabat, Mat.9. Lu.7. & 15. Hæc enim propria peſtis ſuperbiæ,ut quanto plus de ſe præſumit, tãto magis alios deſpiciat. Greg. Quiſquis in ſe ſuperbiæ tyrannidẽ capta mente ſuſceperit, hoc primum damnum patitur,q̃ clauſo cordis oculo iudicij æquitatem perdit. Nam cuncta quæ ab alijs gerũtur, diſplicent: & ſola ea quæ ipſe uel praua egerit, placẽt. In templum orationis locum aſcenderunt. Eſa.56. Domus mea domus orationis uocabitur cũctis populis, ait dñs deus. 2. Para. 7. Oculi mei erunt aperti & aures meæ erectæ ad orationem eius qui in loco

Iuſtitiæ noſtræ quales.

Proprium ſuperbiæ quid.

ſto orauerit. Sic Petrus & Iohannes aſcenderũt in templum ad horam orationis nonam, Act. 3. Phariſæus ſicut religione, ita & aĩo ab alijs diuiſus, nõ iuſtitia & ueritate, ſed reputatione & uanitate:

Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, uelut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. Et publicanus à longe ſtans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus, propicius eſto mihi peccatori. 2

Stabat uelut dignus, qui cum deo cominus collo queretur, non eleuatione mentis in deum, ſed tumore elationis. Optime incepit orationem ſecundum apparentiam, ſed nõ ſecũdum ueritatem. Bern. Confitenti humiliter & gratias agenti, non immerito ampliora beneficia promittuntur. nam qui fidelis inuenitur in minimo, iure cõſtituitur ſuper multa. E contra indignus eſt accipiẽdis, qui fuerit ingratus de acceptis. Aug. O phariſæe cæce, plenus es, abundans es, nõ eſt quare dicas, dimitte nobis debita noſtra. Pro. 18. Iuſtus, in principio accuſator eſt ſui. Augu. Diceret ſaltem, non ſum ſicut multi hominum. quid eſt, cæteri homines, niſi omnes præter ipſum? Ego, inquit, ſolus ſum, cęteri peccatores ſunt. Secundum duas partes iuſtitiæ ſe iactabat. Nam declinando à malo, & faciendo bonum. Vnde tribus uitiis q̃ ſunt in mundo, ſe carere dixit. 1. Ioh. 2. Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia uitæ, quæ non ex pa-

tre, sed ex mundo est. Non autem dixit, pō sum detractor, arrogans, præsumptuosus sicut cæteri, quia de apparenti gloriabatur iustitia, quòd ueram suam iniustitiam non attendebat. Augustinus: Et ecce ex sibi uicino publicano, maior tumoris occasio. Chrysostomus: Superba & ex malis & ex bonis facit damnum suum. Si iuxta se habet miserum, inde inflatur: si felices, inde liuore torquetur. Econtra humilitas, quæ si habet iuxta se miserum, compatitur: si felicem, inde humiliatur, reputās se illo inferiorē. Hinc Bernardus: Incentiuum elationis, est consideratio deterioris: sicut incentiuū humiliatiōis, est cōsideratio melioris. Consequenter iactitat se de altera parte iustitiæ. De ieiunio, contra adulterium: decimarū oblatione, contra rapinam. Scribæ & pharisæi, quo cæteris iustiores apparerent, etiam minima decimabant olerum, ut mentham, anethum, & cyminum, relinquentes quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam & fidem, Mat. 23. Augustinus: Quid rogauerit, quære in uerbis eius, & non inuenies. ascendit orare, noluit deum rogare, sed se laudare. Prou. 27. Laudet te alienus, non os tuum: extraneus, non labia tua. Hæc erat tumidi pharisæi precatio, qui tametsi uera commemorabat, ac deo gratias agebat, tamē hoc ipso displicebat oculis dei, quòd placebat adulator sibi, contumelioſus in proximum. O quot habet imitatores, qui festucam in oculo cōsiderant fratris, trabem in suo non cernūt? Roma. 14. Tu quis es qui iudicas alienum seruum? suo domino stat aut cadit. Ecce non confitetur errata sua, cum tamen inter ipsas preces grauissime peccaret, sua iactans, ac pœnitentem despiciens & accu

sans. Econtra publicanus totus sibi displicens ob peccatorum cõscientiam, procul absistebat à sacris: & non tam loco, quàm gestibus & sermone ac compunctione cordis distabat à pharisæo, ostendens in se ueræ pœnitentiæ formam. Srabat à longe, ob diuinæ maiestatis timorem quam se nouerat offendisse. Prouer. 15. Per timorem domini declinat oĩs à malo. Eccl. 2. Fili, accedens ad seruitutem dei, sta in timore. Eccl. 1. Timor domini expellit peccatũ. nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Augustinus: Publicanus de longinquo stabat, sed dñs eum de propinquo attẽdebat. Excelsus enim dominus & humilia respicit, & alta à lõge cognoscit. Psal. 137. Sic uidens pater filium à longe, misertus est, nõ quãdo profectus est in regionem longinquam, sed quum reuersus est, Luc. 15. Psal. 144. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem ipsorum exaudiet, & saluos faciet illos. Oculos, quib⁹ illicita & terrena cælestibus prætulerat, & eum qui in cælis est offenderat, præ pudore in cælum leuare nõ audebat. Bernardus: Qua frõte attollo iam oculos ad multum tam boni patris, tam malus & ingratus filius? pudet tanto patri uixisse degenerẽ. Exitus aquarum deducant oculi mei, quia non custodierunt legem eius, Psal. 118. Ambrosius: In ipsa oratione nostra multũ uerecundia placet, multũ conciliat gratię apud deũ. 1. Esd. 9. Deus meus, cõfundor & erubesco leuare faciẽ meam ad te, qm̃ iniquitates nostræ multiplicatæ sunt sup caput nostrum, & delicta nostra creuerunt usq; ad cælum. Pectus quod mala cogitauerat, ut excitet quod obdormierat, pcutiebat, q̃si supplicium sibi de seipso exigens, ueniam sceleꝛ

non tam impetrabat q̃ exigebat. Matt. 15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæc sunt quæ coinquinant hominẽ. Sicut ergo per cordis auersionem à deo in peccatũ cecidimus, ita oportet per conuersionem ad deum redire. Hier. 2. Scito & uide, quia malum & amarũ est dereliquisse te dominum deum tuũ, & non esse timorem eius in te. Hinc Eccl. 17. Quàm magna misericordia domini, & propiciatio illius conuertentibus ad se? Ore, quo multa nociua loquutus fuerat, diuinam supplicat misericordiam. Deus, propicius esto. habes em̃ semper posse & scire, rogo ergo te uelle. Sapi. 12. Subest em̃ tibi, cũ uolueris, posse. Misereris enim oĩm, quia oĩa potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam, Sap. 11. Mihi, quem feci?ti. Mala. 2. Nunquid non pater unus omnium nostrum? Nunquid non deus unus creauit nos? Peccatori, non peccanti. Sap. 1. In maleuolam animam non introibit sapientia. Pro. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Sic Manasses post multa flagitia ductus in Babyloniam, & ibi in carcere deum inuocando, ad regnũ restitutus fuit, 2. Par. ulti. Contrà, Adam & Eua excusantes & non recognoscẽtes peccatum, è paradiso eiecti fuerunt, Gen. 3. Augus?. Quid miraris si deus ignoscit quod ipse agnoscit?

3 *Dico uobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*

Audisti de pharisæo & publicano controuersiã,

accipe sententiam. Audisti superbum accusatorem, audisti reum & humilem confessorem, audi iudicē. Publicanus ille qui peccator uenerat in templum, abijt domum in oculis dei iustior illo pharisæo, qui sibi uidebatur iustissimus. Gregorius: Oratio hominis placentis sibi, non ascendit ad cælum. Humiliū enim & mansuetorum sibi semper placuit oratio, Iudith. 9. Eccl. 35. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: & donec propinquet, non cōsolabitur: & nō discedet, donec altissimus aspiciat: & dominus non elongabit, sed iudicabit iustos, & faciet iudiciū. Ro. 8. Deus qui iustificat. quis est qui condemnet? Quis quis enim apud sese extollit semetipsum, deijcietur in oculis dei. Sunt quatuor species tumoris. Quum quis bonū quod habet, à se habere putat. 1. Cor. 4. Quid habes q̄d nō accepisti? Si aūt accepisti, q̄d gloriaris q̄si nō acceperis? Secūdo, quū meritis suis credit se habere q̄d habet. Ro. 11. Quis prior dedit illi, & retribuet illi? Tertio, qñ iactitat se habere q̄d non habet. Gal. 6. Si qs existimat se aliquid esse quū nihil sit. Quarto, quū despectis cæteris, appetit singulariter uideri habere quæ habet, qualis fuit hic pharisæus. Exaltari ab alio, honorificū est. Luc. 14. Amice ascēde superius. tūc erit tibi gloria corā simul discūbentibus. Sed seipsum ingerere, confusibile. Esa. 14. Quomodo cecidisti lucifer q̄ mane oriebaris? Quī aūt se humiliat ex corde, Mat. 11. Discite à me q̄ mitis sum & humilis corde. Est em̄ q̄ nequiter se humiliat, & interiora ei⁹ plena sunt dolo. Eccl. 19. exaltabitur deo iustificante & glorificāte. Augu. Audisti sententiā, caue causam. Aliud dico, audisti sententiam, caue superbiā. Eccl. 10. Initium oīs peccati sup-

Tumōris species quatuor.

bia. 1. Pet. 5. Omnes humilitatem inuicem insinuate: qa deus superbis resistit, humilibus aũt dat gratiã.

De uinea locata agricolis, Mat. xxi. Mar. xij. Luc. xx.

ARTICVLVS CIIII.

Mat. 21. X

Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantauit uineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregre profectus est.

Ostendit quemadmodũ peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, semper in peius ruere facit. Pro. 18. Impius quũ in ꝓfundũ peccatorũ uenerit cõtemnit. Breuis quidẽ parabola, multa & magna nos docet. Curã quã deus erga Iudæos semp exhibuit, q ab initio fuerunt homicidæ. Vnũ esse deũ ueteris ac noui testamenti, uocandas gentes. Hieron. Ponit parabolam, q̃ illos & impietatis arguat, & ad gentes regnũ dei doceat transferendũ. Deus dicitur pater humano affectu, qui duas habet familias, unã in cælo, aliam in hoc mundo congregationẽ fidelium. Qui em̃ in inferno sunt, non de ipsius sunt familia. Ioh. 8. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri uultis ꝓficere. Psal. 79. Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam. Esa. 5. Vinea dñi exercituũ, domus Israel est: & uiri Iuda, germen eius delectabile. Hieron. Sepes, angelorũ custodia est. Esa. 62. Super muros tuos Hierusalem cõstitui custodes, tota die ac nocte non tacebunt in perpetuum. Psal. 90. Angelis suis deus mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Mar. 12. Et so

dit lacum. Legem comprimentē, signis, minis & p-
missis, Exo. 19. Turrim, hoc est, templum. Mich. 4.
Et tu turris gregis nebulosa filia Sion, usq; ad te ue-
niet, & ueniet potestas prima, regnū filiæ Hierusalē.
Sepsit ergo ne pateret incursibus, ptexit sua custo-
dia, ornauit templo, nihil omisit quod ad curam il-
lius pertineret, atq; sic pulchre instructā, locauit eam
agricolis, ut bona fide colerent sub pacto. Lu. 20. Et
ipse peregre fuit multis tēporibus. Hieron. Non lo
cū mutando, sed liberum arbitrium ad bene operan
dum relinquendo, pmittens eos agere & ingredi iu
xta libere arbitriū. Ambrosius: Qui ubiq; est p̄sens,
diligentibus tamen adest, negligētibus abest. Nam
quomodo abesse potest, quo complentur omnia?
Hiere. 23. Putas ne deus è uicino ego sum, dicit do-
minus, & non deus de longe? Si occultabitur uir in
absconditis, & ego nō uidebo eum, dicit dominus?
Nunqd nō cælū & terrā ego impleo? Eccl. 15. Deus
ab initio constituit hoiem, & reliqt eū in manu con
filij sui: adiecit mandata & præcepta sua, si uolueris
mandata conseruare, conseruabunt te.

Cū aūt tēpus fructuū appropinquasset, misit seruos 2
*suos ad agricolas, ut acciperent fructus eius. Et agri-
colæ apprehēsis seruis eius, aliū ceciderūt, aliū occide
rūt, aliū uero lapidauerūt. Iterū misit alios seruos, plu
res prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouissime au
tem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filiū
meum. Agricolæ autem uidentes filium, dixerūt intra
se: Hic est hæres, uenite, occidamus eum, & habebi-
mus hæreditatem eius. Et apprehensum eum ieceruūt
extra uineam, & occiderunt.*

At bene curata uinea colonorum uitio, posteaq̃ expectata est ut faceret uuas, tandem produxit labruscas, Esa.5. Nam agricolæ non solum non dederunt fructus debitos, uerumetiam manus iniecerũt in famulos. Mar.12. Et misit ad agricolas in tempore seruũ, ut ab agricolis acciperet de fructu uineæ. Qui apprehensum eum ceciderunt, & dimiserũt uacuum. Et iterum misit ad illos alium seruum, & illũ in capite uulnerauerunt, & contumelijs affecerunt. Et rursum alium misit, & illum occiderunt. Remiserunt uacuos, sed contumelijs onustos. Ceciderunt Hieremiam, Hier.38. Occiderunt Esaiam, 4.Re.21. & alios plures. Lapidauerunt Zachariã, 2.Para.24. Mar.12. Et plures alios, quosdam cædentes, alios uero occidentes. Hiere.25. Et misit dominus ad uos omnes seruos suos prophetas, consurgens diluculo mittensq̃, & non audistis, neq̃ inclinastis aures uestras ut audiretis cum diceret: Reuertimini unusquisque à uia sua mala, & à pessimis cogitationibus uestris. Act.7. Quem prophetarum non persequuti sunt patres uestri? & occiderunt eos qui prænunciauerunt de aduentu iusti, cuius uos nunc proditores & homicidæ fuistis, qui accepistis legẽ in dispositione angelorum, & non custodistis. Mat.23. Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt. Misit seruos suos prophetas, ut haberet de fructu, non omnem fructũ uineæ. Quid enim lucrifaceret deus ex nobis, nisi sui agnitionem? Illud etiam nostrum est, lucrumq̃ nostrum suum facit. Sed in tantam peruenerunt insaniam & ingratitudinem, ut non solum declinarint à bono, & nullum dederint fructum, sed & mala fece

tint, quod maiori supplicio dignum. Non enim co loni dño, sed sibi coluerant uineam. Hoc cognito, paterfamiliàs non statim uocauit eos ad suppliciũ, sed expectans ut resipiscerent, alios atq; alios misit seruos. At postremo quo uinceret eos lenitate sua, misit filium. Lu. 20. Dixit autem dñs uineę: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum. Mar. 12. Adhuc ergo unum habẽs filium charissimum, & illum ad eos misit nouissimum, dicens, quia reuerebuntur filium meum. Hiero. Patientiam ostendit patrisfamiliàs, quod frequentius miserit, ut malos colonos ad pœnitẽtiam prouocaret: illi autem thesaurizauerunt sibi iram in die iræ, Ro. 2. Semper ambigere dicit deus, ut libera uoluntas homini reseruetur. Non ignorabat futurum q̃ peius eum essent tractaturi quàm prophetas, sed illud dicit q̃d fieri debuit. Debebant enim filium reuereri. Hęc autem proprietas sæpe in scripturis inuenitur, ut quum dicitur, Si forte audiant. Neq; enim illic ignorans futurum ita dicit, sed ne q̃dam præscientiam dei necessariã inobedientiæ causam esse dicant, idcirco huiusmodi uerborum figura utitur. Qui natura mali sunt, solẽt alicuius uel pudore cohiberi à maleficio. Placuit hoc consilium clementissimo dño, filiq̃ sui periculo uenari salutem colonorum, uidelicet auido seruandi, ad uindictam lenissimo. Iuit filius obediens patri. Heb. 1. Multifariam multisq; modis olim patribus loquens in prophetis deus, nouissime diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem uniuersorum. At agricolæ quo magis prouocabantur ad resipiscentiam, hoc magis irritabantur ad sęuitiam, inuidia & auaritia moti, in mortẽ innocen-

tis conſpirantes. Claret eos non ignorantia, ſed mã litia dñm occidiſſe. Ioh. 15. Nunc autem uiderunt & oderunt & me & patrem meum. Ecce quãta peſtis cupiditas honoris & pecuniæ. 1. Tim. 6. Radix oĩm malorum cupiditas. Aug. Delectabat eos principatus terrenus, quem uidebant ſibi per Chriſtum auferri, qui paupertatem & humilitatem docuit, & populum ad ſe conuertit. Chryſo. Neceſſe eſt ut populus per iſtum dimittat conſuetudines hoſtiarum q̃ ad noſtrum pertinent lucrum, & ſic iam nõ erit populus poſſeſſio noſtra, ſed eĩ⁹. Si autem occidetimus eum, dum non eſt qui iuſtitiæ fructus à populo exigat, durabit conſuetudo offerendarum hoſtiarum, & ſic manebit populus poſſeſſio noſtra. Nõ autem ipſi ſua manu, ſed uoluntate occiderunt, tradẽtes p̃fidi extra ciuitatem crucifigendum. Heb. 13. Ieſus ut ſanctificaret populũ ſuum, extra portam paſſus eſt.

9 *Cum ergo uenerit dominus uineæ, quid faciet colonis iſtis? Aiunt illi: Malos male perdet, & uineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructũ temporibus ſuis. Dicit illis Ieſus: Nũquam legiſtis in ſcripturis, lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, A domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris? Ideo dico uobis, q̃ auferetur à uobis regnum dei, & dabitur genti faciẽti fructus eius. Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtũ, confringetur: ſuper quem uero ceciderit, cõteret eũ. Et quum audiſſent principes ſacerdotum & phariſæi parabolas eius, cognouerũt quòd de ipſis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniã ſicut prophetam eum habebant.*

Hiero. Interrogat non quod nesciat qd responsu ri sint, sed ut propria responsione damnentur. Primo ænigmate decepti, ore proprio sese cõdemnãt, pronunciantes sese ob inuincibilem animi prauitatem dignos eẽ supplicio. Orig. Sicut Caiphas, sic & isti non ex se prophetarunt contra se, qm̃ tollenda erant eloquia dei ab eis, & gentibus danda, fructum in tempore daturis corde credendo, ore confitẽdo, & opere perficiendo. Mat. 28. Docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui uobis. Iohan. 6. Hoc est opus dei ut credatis in eum quem misit ille. Sed qdam intelligentes contra se dici, intulerunt, Absit. Lu. 20. Quo audito, dixerunt illi: Absit. Iesus autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo quod scriptum est, Psalm. 117. Lapidem etc. Chrys. Si parabolam non intelligitis, scripturam quur nõ uidetis? Iesus, quem illi ut reprobum lapidem reijciebant à structura synagogæ, dicentes Samaritanum, dæmoniacum Iohñ. 8. peccatorem, Iohã. 9. uoracem, Mat. 11. publicanorum amicum, deo uolente, præter illorum expectationẽ electus est ut esset caput anguli in structura ecclesiæ, ex Iudæis pariter & gentibus ædificandę, ut medius & immobilis utrunq; populum, uelut utrunq; parietem contineret in una fide euãgelica. Ephe. 2. Hiero. A domino factum est istud, non humanis uiribus, sed diuina potentia, ideo indissolubile & perpetuum. Act. 5. Si ex hominibus, ait Gamaliel, est cõsilium hoc aut opus, dissoluetur: si uero ex deo est, non poteritis dissolucre, ne forte & deo repugnare uideamini. Et Petrus Act. 4. Hic est lapis qui reprobatus est à uobis ędificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus.

Mirabile autem erat in oculis Iudęorũ, ad fidei unionem recipi & gẽtes, ut claret in Act. 11. Nam ut canes habebant. Mat. 15. Non est bonũ sumere panem filiorum & dare canibus. Ablatũ est ab eis regnum ecclesię militantis, hoc est, peculiaritas qua populus dei erat, uel sacra scriptura, ut dicit Hiero. uel ad literam regnum cæleste datur alijs ab oriente, occidente, meridie & aquilone uenientibus. Mat. 8. Fructus facienti. Ro. 14. Non est regnum dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritusancto. Qui enim in hoc seruit Christo, placet deo. Ro. 10. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Vnde Petrus Act. 10. In ueritate comperi, quia non est personarum acceptor deus, sed in omni gente qui timet deum & operatur iustitiam, acceptus est illi. 2. Pet. 1. Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide uestra uirtutem, in uirtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorẽ fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem. Hęc enim si uobiscum adsint, & superent, nõ uacuos nec sine fructu uos constituent in dñi nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hęc, cæcus est & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis ueterum suorũ delictorum. Quapropter fratres magis satagite, ut p bona opera certam uestram uocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. sic enim abundanter ministrabitur uobis introitus in æternum regnum domini & saluatoris nostri Iesu Christi. Hiero. Locata est & nobis uinea, & locata ea conditione, ut reddamus domino fru-

ctum temporibus suis,& sciamus unoquoq; tempo re quid oporteat nos loqui uel facere. Sepes, uirtutum est custodia. Eccl. 36. Vbi non est sepes, diripie tur possessio. Hinc dominus comminatur. Esai. 5. Et nunc ostendam uobis quid ego faciã uineæ meę. Auferam sepem eius,& erit in direptionẽ. Ideo Eccl. 28. Sepi aures tuas spinis,& linguam nequam noli audire,& ori tuo facito ostia,& seras auribus tuis. Et dominus Ose. 2. Ego sepiam uiam tuam spinis, & sepiam eam maceria,& semitas suas non inueniet,& sequetur amatores suos, & non apprehendet eos. Torcular, amor cælestium & dolor p̃sentium. Psal. 119. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Augu. Qui biberit de fluuio paradisi, cuius una gutta maior est oceano, restat ut in eo sitis mũdi penitus sit extincta. Psal. 76. Renuit cõsolari anima mea, memor fui dei,& delectat⁹ sum. Sed Hiere. 2. Duo mala fecit populus meus. me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ,& foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non ualent aquas. Turris, fides. Prou. 18. Turris fortissima nomen domini. ad ipsam currit iustus,& exaltabitur. 1. Ioh. 5. Hęc est uictoria quæ uincit mundum, fides uestra. Iac. 4. Appropinquate deo,& appropinquabit uobis. resistite autem diabolo,& fugiet à uobis. 1. Pet. 5. Cui resistite, fortes in fide. Sed sunt qui sibi faciunt turrim superbię. Gen. 11. Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat usq; ad cælum,& celebrem⁹ nomen nostrum. Confundit autem ibi dominus linguas eorum. Sic talium linguæ confusæ sunt, quum unus loquatur de pauperum expilatione, alius de fœneratione, tertius de mundi honore; & tanta hodie

Sepes mystice quid.

Torcular.

Turris.

confusio, ut alter alterum nõ intelligat propter dolum. Hiere. 9. In ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occulte ponit ei insidias. Est autem uinea ista putanda. Cant. 2. Tempus putationis aduenit. Ose. 10. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei. Amb. Vinea recisa fructificat, semiputata frõdescit, neglecta luxuriat. Ioh. 15. Omnem palmitem in me ferentẽ fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Sic cogitationes noxiæ resecandæ. Hiere. 4. Laua à malitia cor tuum. Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Secũdo, Fodienda. Ioel. 2. Scindite corda uestra, & non uestimenta uestra. Tertio, custodiẽda. Can. 1. Posuerunt me custodẽ in uineis, uineã meã non custodiui. Psal. 79. Vt quid destruxisti maceriam eius, & uindemiant eam omnes q prætergrediuntur uiam? Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. Nota tria in mundo regnantia uitia, quæ domini uineam destruunt. Auaritia. Esa. 3. Vos depasti estis uineam, & rapina pauperis in domo uestra. Luxuria. Aper, syluestris est porcus. Iob. 31. Si deceptum est cor meum super muliere, & si insidiatus sum ad ostium amici mei. Hoc enim nefas est & iniquitas maxima, ignis usq; ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina. Sic adolescentior filius substãtiam suam consumpsit uiuẽdo luxuriose, Lu. 15. Superbia, quæ singularis bestia. Eccl. 10. Odibilis coram deo est & hominibus superbia. Hier. 12. Pastores multi demoliti sunt uineam meam, conculcauerũt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis, posuerunt eam in dissipationem. Est aũt & quartum animalium genus eo picu

Tria in mundo regnantia uitia quę.

losius, quo occultius, uulpium. Can. 2. Capite nobis uulpes paruulas, quæ demoliuntur uineas. nam uinea nostra floruit. Ezech. 13. Quasi uulpes in deserto prophetæ tui Israel erant. Vident uana, & diuinãt mẽdacium, dicẽtes: ait dominus: cum dominus non miserit eos. Ista animalia sic domini uineam uindemiant, ut uix pauci relinquantur racemi, pauperes scilicet & simplices. Mich. 7. Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos uindemiæ, non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desiderauit anima mea. Periit sanctus de terra, & rectus in omnibus nõ est. Omnes in sanguine insidiãtur, uir fratrem suum ad mortem uenatur. Malum manuum suarum dicunt bonum. Princeps postulat, & iudex in reddendo est. Hinc orat Psal. 79. Deus uirtutũ conuertere, respice de cælo & uide, & uisita uineam istam, & perfice eam quam plantauit dextera tua. Ergo ad faciendũ fructũ dat, & faciẽdo conseruat. Gala. 5. Fructus spũs est charitas, gaudiũ, pax, patiẽtia, benignitas, bonitas, lõganimitas, mansuetudo, fides, modestia, cõtinẽtia, castitas. Sed sunt q non fructus spũs, sed carnis proferunt, de quibus dñs conqueritur Hiere. 2. Ego te plantaui uineam electam, omne semen uerum. Quomodo ergo conuersa es mihi in prauum uinea aliena? Esai. 5. Quid est quod debui facere uineæ meæ, & nõ feci? An ꝙd expectaui ut faceret uuas, fecit autem labruscas? Diruam maceriam eius, & erit in conculcationẽ, & ponam eam desertam. Non putabitur, & non fodiet, & ascendent super eam uepres & spinæ, & nubibus mandabo ne pluãt super eam imbrem. Lu. 20. Oĩs qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur:

ſuper quem aũt ceciderit, cõminuet illum. Quemad modum enim ſalutem adferet ijs qui obediũt euangelio, ita per incredulitatem repugnantibus adferet exitium. Fideles quanuis iniqui, tamen quia in Chriſto fundantur per fidem, dum peccant, cadunt in lapidem: ſed non penitus conteruntur, quoniam ſæpe per miſericordiam reformãtur, fortioresq; reſurgunt, & in peccantibus manet fides quanquam informis. Infideles autem permanentes in infidelitatis peccato, conteruntur. Hiere. 17. Induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione cõtere eos. Eſa. 28. Roman. 9. Offenderunt in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis & petram ſcandali, & omnis qui credit in illum, non confundetur. Nam Iudæi primo ceciderunt ſuper lapidem, ſcandalizati in eo: deinde cecidit lapis ſuper eos, & ultus eſt illos. Præcedit enim peccatum meum, deinde ſequitur & iuſti dei uindicta. Incidit ergo in infideles, & fideles in finali impœnitentia remanentes: quia quos diu tolerat ad conuerſionem, uindicta dei tandem opprimit inopinãtes. His parabolis ubi ſeſe ſentirent perſtringi, adeò non ſunt compuncti ad pœnitentiam, ut nihil iam aliud cogitarent animis, q̃ de occidendo Ieſu. tantum malum eſt liuor & ambitio. Aderat illis homicidij uoluntas, ſed deerat opportunitas. Non metuebant deum talium facinorum ultorem, ſed populum. Turba quidem ſimplex & fuci neſcia, ſequitur ueritatem: legiſperiti autem male agũt. Chryſ. Hæc eſt differentia bonorum & malorum hominũ: nam bonus homo cõprehenſus in peccato, gemit q̃a peccauit: malus autem fremit, nõ quia peccauit, ſed q̃a

deprehensus: & non solum pœnitentiam non agit, sed magis contra corripientē cōmouet. Pro. 9. Qui erudit derisorem, ipse iniuriā sibi facit: & qui arguit impiū, sibi maculā generat. Noli arguere derisorē, ne oderit te: argue sapientem, & diliget te. Amos. 5. Odio habuerunt corripientē in porta, & loquentē pfecte abominati sunt. 2. Timo. 4. A ueritate quidē auditū auertent, ad fabulas autem conuertent. Mar. 12. Et relicto eo, abierūt. Dissimulantes iram metu hominum, sed occulte moliuntur insidias.

De ueste nuptiali, Mat. xxij.

ARTICVLVS CV.

ET respōdēs Iesus, dixit iterū in parabolis eis, di cēs: *Simile factū est regnū cælorū homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos uocare inuitatos ad nuptias, & nolebant uenire.* Mat. 22. Y

Ostendit ꝙ qui à spiritualibus nuptijs & conuiuio & Christi societate destituūtur, ob has duas causas potissimum excludūtur, uel propter corporales uoluptates, uel auaritiæ morbum. Rursus ergo adiēcit parabolam, quo magis figat animis, illorū obstinata malitia fieri ꝙ reiiciantur ab euāgelica salute, quodq; gentes sint occupaturæ, quo illi se reddidissent indignos, ut nulli queāt imputare quod postea tot calamitatibus puniantur, q toties oblatam deī beneuolentiam spreuerunt. Chrysostomus: Homo rex, deus pater est, qui dicit homo, ut intelligamus nomen hominis, præiudicium diuinæ naturæ nō facere, Regnat aūt in cælo per gloriam, in terra p gratiam, in inferno p iustitiā. Gregorius: In hoc pater

cælestis nuptias filio suo fecit, quo ei p incarnatiõis mysteriũ sanctã ecclesiam ex Iudæis & gentibus sociauit. Huius sponsi thalamus, uterus uirginis fuit. Psal.18. Ipse tanq̃ sponsus ꝓcedens de thalamo suo. Vnde Baptista Ioh.3. Qui habet sponsam, sponsus est. Eph.5. Sacramẽtũ hoc, magnũ est: ego aũt dico in Christo & in ecclesia. Facit & quotidie nuptias cũ fidelibus. Ose.2. Et spõsabo te mihi in sempiternũ, & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & scies qa ego dñs. Quanta dignatio creatoris, & q̃ta peruersitas creaturæ talẽ sponsum contẽnentis, q & auersam reuocat spõsam. Hier.3. Tu aũt fornicata es cũ amatoribus multis, tñ reuertere ad me, dicit dñs, & ego suscipiam te. Misit prius per ꝓphetas p̃nuncios incarnationis, misit pòst apostolos uocare inuitatos, hoc est, Iudæos, p Mosen & prophetas, ad nuptias. Chrysost. Vt charitatẽ dei agnoscas erga nos p̃cipuam, & rerũ splendorẽ non ignores, ubi nihil triste, nihil luctuosum, sed oĩa spũalib' gaudijs plena sunt, hinc dicit sponsus. 2. Cor.11. Despondi uos uni uiro uirginẽ castam exhibere Christo. Et nolebant uenire, non ex impotentia uel ignorãtia, sed malitia, nolentes credere. Quo ostendit nullum excludi à regno dei, sed hoc honoris habitũ esse gẽti Iudaicę, q primũ oĩm est uocata, & uocata blande, non ad tristia aut abiecta, sed ad nuptias, hoc est, ad honorẽ, delicias, libertatẽ euãgelicã Ioh.3. Amicus sponsi gaudet ad uocẽ sponsi. hoc gaudium meũ impletũ est. Apo.19. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam deo, qa uenerũt nuptiæ agni.

2 *Iterũ misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis: ec*

te prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt, & oĩa parata, uenite ad nuptias. Illi aũt neglexerunt, & abierunt alius in uillam suam, alius uero ad negociationem suam. Reliqui uero tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est. & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatẽ illorum succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. ite ergo ad exitus uiarum, & quoscunq; inueneritis, uocate ad nuptias. Et egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quos inuenerũt bonos & malos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

Tum rex misit cõplures seruos, qui rem diligentius agerẽt inuitando, iam oĩbus paratis. Prandium offert in incarnatiõe, qa mane in die gratiæ. Ro. 13. Nox pcessit, dies aũt appropinquabit. cœna aũt fit in æternæ refectione gloriæ. Lu. 14. cui alia refectio nõ succedet. Lu. 22. Ego dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus, regnũ, ut edatis & bibatis sup mensam meã in regno meo. Hieron. Per metapho rã opes regiæ describunt, ut ex carnalibus intelligãtur spũalia. Psal. 22. Parasti in cõspectu meo mẽsam aduersus oẽs q tribulant me. Psal. 67. Parasti in dulcedine tua pauperi deus. Nihil ergo iam supest nisi ut ueniatis, ne ista sint frustra parata. Gregorius: Omnia parata, quia Christo immolato in cruce, patet introitus regni. Heb. 10. Habẽtes itaq; fratres fiducia in introitu sanctorum in sanguine Christi, qui initiauit nobis uiam nouam & uiuentem

per uelamen.i, carnem suam, & sacerdotem magnũ super domũ dei, accedamus cum uero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda à cõscientia mala: & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostrę confessionem indeclinabilem. fidelis enim est qui repromisit. Sed sunt heu, qui remanere malũt ad siliquas porcorum, quàm uenire ad has delicias, per acediã negligẽtes salutis suæ præconium. Notat duo unde acedia uenit non ueniendi: ambitio honorum, & cupido diuitiarum, nam abierunt auersi à deo, alius in uillam cui dominabatur: alter ad negociatiõem, nõ dei quæ laudabilis est, Lu. 19. qua prudens negociator datis omnibus euangelicam comparat margaritam, Matthæ. 15. sed terrenam, quæ difficile fit sine peccato. Eccl. 26. Difficile exuitur negocians à negligentia. Hæc duo præcipue primores Iudæorum retraxerunt à Christo, cupido dominandi, & amor pecuniæ. Hinc deridebant ipsum loquentem de elemosyna & diuitiarum contemptu, quia erant auari, Luc. 16. Hæc autem duo sunt in peccato, Auersio à bono incommutabili, & conuersio ad creaturam corruptibilem. Hier. 2. Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderũt sibi cisternas dissipatas, quę aquas continere nõ possunt. Sed hi tantũ sibi dementes erant, qui tam felici conuiuio prætulerunt curas quasdam rerũ fluxarũ, uiles ac sordidas, sed alij crudelitatem addiderũt ingratitudini. Hieronymus: Inter eos q non recipiunt euangelicam ueritatẽ, multa diuersitas est. minoris enim criminis sunt, q occupati alijs rebus, uenire no luerunt, q̃ hi qui contempto inuitantis affectu, uerterũt humanitatẽ in crudelitatẽ. Iob. 24. Ipsi fuerũt

Quę duo Iudęos potissimũ a Christo auerterint.

rebelles lumini, nescierunt uias eius, nec reuersi sunt per semitas illius. Chrysosto. Sicut ignis quãto amplius ligna susceperit, tanto magis in flammam erigitur: sic anima mala quo magis ueritatem audierit, eò amplius in malitiã exardescit. Claret hoc in Herode, Mar. 6. Tũc rex lenitate spreta sese uertit in furorem, non per iram perturbationem inducentem, sed inflexibilitatem iudicij. Pro. 6. Qm̃ zelus & furor uiri non parcet in die uindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptiõe dona plurima. Tectè innuit dominus excidium urbis Hierosolymitanæ per Romanos factum. Sic & nonnulli uocantis gratiam non solum respuunt, sed & persequuntur, q̃ missis exercitibus angelicis, Psal. 77. Immissiones per angelos malos, perduntur: qa non solum illorũ animæ, sed caro quoq; in qua habitauerant, æterna gehennæ flãma cruciatur. Eccl. 7. Vindicta carnis impij, ignis & uermis. Esa. 66. Vermis eorũ non morietur, & ignis eorũ non extinguetur. Sed is qui inuitantem se cõtemni conspicit, filij sui nuptias uacuas non habebit: quia sermo dei etsi alicubi laborat, alibi tamẽ inuenit ubi requiescit. Omnia (inquit) parata sunt, mysterium omne incarnationis peractum est: sed inuitati declararũt se indignos hoc conuiuio, quod ipsis tamẽ potissimum præparauerã. Mat. 15. Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Discurrite quoquouersum p̃ cõpita, triuia, citra q̃ delectum quoscunque inueneritis adducite. Apostoli gentiles, qui in uia uera nõ erant incedentes, sed alios ab alio diuisos, imò existentes iuxta exitus uiarum in errore & inæqualitate multa, uocarunt. Act. 13. Vobis oportebat prì

mum loqui uerbum dei: sed qm repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ, ecce cõuertimur ad gẽtes. sic enim præcepit nobis dñs. Vnde egressi de Iudæa post ascẽsionem dñi, qua dixit ipsis Mar. 16. Euntes in mundũ uniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ, prædicauerunt ubiq; dño cooperante. Antea uero dictũ audierunt Mat. 10. In uiam gentiũ ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorũ ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel. Euntes aũt, prædicate, dicentes: quia appropinquabit regnum cælorũ. Ecce quomodo & ad quid uocabant. Glos. Sicut ecclesia est inter cælũ, ubi non sunt nisi boni, & infernum, ubi nõ sunt nisi mali, ita indistincte colligit bonos & malos. Sic in arca Noe diuersa animalium erant genera, munda & immunda, & in linteo Petro ostenso, diuersi generis reptilia, Act. 10. & in area granũ mixtum palea, Mat. 3. & in agro triticum mixtũ zizaniis, Matt. 13. sic & nunc boni malis mixti sunt, sed in consummatione seculi separabuntur. Mat. 13. In consummatione seculi exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorũ. O dura separatio, ubi amicus ab amico, frater à fratre, filius à patre separabitur in æternum. Hinc Gregorius: Si boni estis quandiu in hac uita subsistitis, æquanimiter tolerate malos: nã q̃q̃ malos non tolerat, ipse sibi p intolerantiã testis est, qa bonus non est. Terrere aũt nos non debet, q̃d in ecclesia multi mali & pauci sunt boni: quia lata uia quæ ducit ad perditionem, & multi qui ambulant p eam, Matth. 7.

3 *Intrauit autem rex ut uideret discumbentes. & uidit ibi hominem non uestitum ueste nuptiali, & ait illi:*

Amice, quomodo huc intrasti non habens uestem nuptialē? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentiū. Multi autem sunt uocati, pauci uero electi.

Qm̄ dñs ostēderat graues pœnas daturos esse Iudæos, qui toties uocantes apostolos afflixerūt, ac demum occiderunt, subindicat & illos manere grauc supplicīū, q semel professi euangelicā uiram, redirent ad pristinæ uitæ sordes. 2. Pet. 2. Si em̄ refugientes coinquinationes mundi in cognitione dñi nostri & saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superātur, facta sunt eis posteriora peiora prioribus. Ad iudiciū ueniens dñs, manifestabit cōscientias, ut pateant merita & demerita iudicandoꝝ. 1. Cor. 4. Illuminabit abscondita tenebraꝝ, & manifestabit cōsilia cordiū. Nam fideles ad iudiciū ptinent. q enim non credit, iam iudicatus est. Ioh. 3. Hieron. Discernit rex discūbentes, hoc est, in sua fide quiescētes: & in die iudicij uisitabit conuinas, & discernet merita singuloꝝ. Inuenit unū. Vnus iste, oēs q̄ sociati sunt malitia. Vestis nuptialis, p̄cepta sunt dñi, & opera q̄ ex lege & euangelio præcipiunt, nouiq̄ hominis efficiunt uestimentū. Apo. 19. Vxor eius prēparauit se, & datū est illi ut cooperiat se byssino. Byssinū em̄ iustificationes sunt sanctoꝝ. Ro. 13. Induimini dñm Iesum Christum. Si quis igitur in die iudicij inuētus fuerit sub nomine Christiano, non habere uestem supercælestis hominis, sed pollutam ueteris hominis exuuijs, hic statim corripitur & dicitur ei: Amice nomine, nō re. Eccl. 37. Est amicus, solo nomine

Celestis nuptialis.

amicus. Ioh. 15. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio uobis. Qua temeritate Christianitatis nomen tibi usurpasti, factis negans? Tit. 1. Confitentur se nosse deum, factis autem negant. Hieronym⁹: Amicũ uocat, quòd inuitatus ad nuptias: arguit impudentiæ, quòd ueste sordida munditias polluerit nuptiales. Obmutuit, propter timorem accusationis, & ignorantiam excusationis. Gregorius: Dici sine gemitu non potest: in illa districtione ultimę increpationis, omne argumẽtum cessat excusationis: quippe quia ille foris increpat, qui testis conscientię intus animam accusat. Ponit tria, corda etiam ferrea concutientia. Ligatis, inquit, manibus. ecce pœnæ ineuitabilitas. Ligat pœna, quos hic à bonis operibus ligauit culpa. pedes, qui hic uisitare pauperes negligunt: manus, quæ nihil indigentibus largiuntur: iam nunc ligantur sponte in uitio, tunc inuitè in supplicio. Prou. 5. Iniquitates suæ capient impium, & funibus peccatorum suorũ constringetur, ut nec bene operari liceat cum uelint. Iohan. 9. Venit nox quãdo nemo operari potest. Procul à cõuiuio submotum, conijcite in densissimas tenebras, à dignitate luceq; conuiuij, in carcerem abiectissimum: à uoluptate summa, in summum cruciatum. Ecce secundo pœnæ horribilitas. Iob. 10. Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam uadam & non reuertar, ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Gregorius: Damnatus quisque illic iuste patitur tenebras ultionis, qui sponte se proiecit in tenebras erroris, & in tenebris quas dilexit re-

Tria quędam ꝛ cor ferreũ cõmouẽtia.

maneat. Ioh. 3. Lux uenit in mundum, & dilexerũt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim eorum mala opera. Ibi erit fletus. ecce tertio pœnæ multiplicitas indicatur. Hieron. Per metaphoram membrorum, magnitudo ostenditur tormentorũ. Ostẽdit ergo pœnam damni, in eo quod submouet à consortio conuiuij: sensus, quia in eum conijcitur locum, ubi fletus & stridor dẽtium, quatenus singula membra suppliciis subiaceant, quę hic singulis uitijs subacta seruiebant. Oculi, in uanis & uagis effusi, fletu: dẽtes edacitate gauisi, stridore torqueantur, qui causatur à duabus causis contrarijs, scilicet acuto & penetrabili, ardore ignis, & frigore infernali. Iob. 24. Ad nimium calorem transiet ab aquis niuium. Secundo, à furia rationis cõtra deum, seipsum, & illata tormenta. Sic ergo miseris mors erit sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, qa mors uiuit, & finis incipit, & defectꝰ deficere nescit. Apo. 9. In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eã: & desiderabunt mori, & fugiet ab eis. Horreamus igitur, cogitantes quia nisi quis uitam habeat puram, nihil ei proderit nuda fides: qa non solum è nuptijs eijcitur, sed & in ignem mittit. Iaco. 2. Fides sine operibus mortua est in semetipsa. Repulso uno, in quo omne corpus malorum exprimitur, generalis sententia infertur, quia multi uocati, pauci uero electi. Hiero. Omes parabolas breui sententia comprehendit, quod & in opere uineæ, & in ædificatione domus, Lu. 14. & in conuiuio nuptiali, non initia, sed finis quæratur. Vltro uocãtur oẽs, sed electi non sunt, nisi qui uocati parent, quiq; usq; in finem respondent diuinę erga se beneficentię, im-

pietatis euangelicæ ſtudio perſeuerantes. Matt. 10. Qui pſeuerauerit uſq; in finem, hic ſaluus erit. Sed quos uocat? Mat. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiã uos. Greg. Ad fidem multi ueniunt, ſed ad cæleſte regnũ pauci pducunt: quia plerique deum uocibus ſequũt, moribus fugiũt, quibus dicit. Lu. 6. Quid dicitis mihi, dñe dñe, & non facitis q̃ dico? Tanto ergo unuſquiſq; noſtrũ in hũilitate ſe deprimat, quãto ſi ſit electus ignorat.

De tributo Cæſari reddendo, Mat. xxij. Mar. xij. Lu. xx.

ARTICVLVS CVI.

Matt. 22. Z

TVnc abeuntes phariſæi, conſilium inierũt, ut caperent eum in ſermone. Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter, ſcimus quia uerax es, & uiam dei in ueritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo. Non enim reſpicis perſonam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi uidetur? licet censum dare Cæſari, an non?

Quantũcunq; humana aſtutia contra diuinã moliat, puidẽtiam, iemp finaliter cõfundit. Iob. 5. Qui apprehendit ſapientes in aſtutia ſua, & conſilia praua diſſipat. Metu plebis excluſi à palam patrando facinore, q̃d iam aĩo patrarant, p cuniculos aggredi unt efficere q̃d decreuerant, hoc etiam ſceleratiores, q̃ fraudem addunt malitiæ, quemadmodũ ſceleratior eſt qui ueneno occidit, q̃ qui gladio. Chryſ. Oĩs malitia confundit aliquoties, corrigit nunq̃, maxime cum q̃ ꝓpoſito malo, nõ ignorãtia, peccãt. Sicut em̃ nõ poteſt fieri, ut ligna mittẽdo extinguas ignẽ:

sic nõ potest fieri, ut rationem reddendo places hominem malum. Quemadmodum si aliquis occludere uoluerit aquæ currentis meatũ, quæ si ex una parte exclusa fuerit, uiolẽtia aliunde sibi semitam rumpit: sic eorum malignitas una ex parte cõfusa, alium sibi aditũ adinuenit. Visum est ergo illis sic rem agere cuniculis, ut inuidia facti, in Cæsarem & Cæsaris præfectos deriuaret. Mar. 12. Et mittunt ad eum q̃sdam ex pharisęis & Herodianis. Lu. 20. Et obseruantes, miserũt insidiatores, q se iustos simularent, ut caperẽt eũ in sermone, & traderent illũ principatui & potestati præsidis. Quale consiliũ, tales & cõsiliarij. Chrys. Quò abierũt? ad Herodianos, ut eorũ patrocinio agerẽt cõtra Christũ. Nã hoĩes coloni cui⁹ terrã possidẽt, ei⁹ auxilio op⁹ habẽt: q uero iustitiã tenet, nulli⁹ patrocinio indiget nisi dei. Qui aũt in diaboli iniqtatibus ambulat, diaboli adiutoriũ necessariũ habet. Stulti consiliũ ceperũt, nescientes consiliũ nõ esse cõtra dñm. Pro. 21. Nõ est sapiẽtia, nõ est prudentia, non est consilium contra dñm. Esai. 29. Væ q ꝓfundi estis corde, ut à dño abscondatis cõsilium, quorum sunt in tenebris opa, & dicũt, qs uidet nos? & qs nouit nos? Peruersa est hęc uestra cogitatio, q̃si si lutũ contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, non fecisti me: & figmentũ dicat fictori suo, non intelligis. Subornãt igit aliq̃t insigniter impios ex pharisęis & Herodianis, q inter se dissidebãt dogmatis, sed cõsentiebãt in odiũ Christi. Nõ ergo ꝑ se accedũt, sciẽtes se dño suspectos: sed submittũt discipulos, q se iustos simularẽt, ut facilius minus noti deciperent, & reprehẽsi, minus erubescerẽt. Cũ em̃ Iudæa tributaria facta esset Romanis, quibusdam

indignum uidebatur populum deo dicatum, qui in primitijs, decimis, & sacrificijs deo seruiebat, pendere tributum principibus idololatris. Rursus alij Cæsari fauentes, iustum iudicabāt, ob pacem & terræ negocia conseruanda per suos, quod sine expensis fieri non potest. Sperabant ergo, ut Christus religioni fauens magis, quàm Cæsari prophano & impio, solita libertate pronunciaret non esse pendendum tributum, moxq; per Herodianos deferretur Herodi, qui ab Augusto censui colligendo præfectus erat, daturus pœnas quas antè Theudas & Iudas dederant, qui dixerunt hoc illicitum, quare ut seditiosi sunt puniti, Act. 5. Lu. 13. Quod si dixisset reddendum, iam calumniarentur adulari principibus prophanis, minus fauens religioni diuinæ. Et ideo aggrediuntur coram multitudine, ne res careat testibus. Glos. Quem non poterant capere in opere, in sermone moliuntur: quia facilius labitur homo uerbo quàm facto, Iac. 3. Si quis in uerbo non offendit, hic ꝑfectus est uir. Sed frustra iacitur rete ante oculos pennatorum, Pro. 1. Fuit enim uir propheta potens in opere & sermone, Lu. 24. Est ergo cōsilium optimum, ut qui nescit discrete loqui, discat prudenter tacere. Pro. 17. Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua, intelligens. Iob. 13. Atq; utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes. Tacendum primo, quia multiloquium sæpe esse solet causa offensæ. Pro. 10. In multiloquio nō deerit peccatum. qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. Secundo, quia signum stultitiæ. Pro. 29. Vidisti hominem uelocem ad loquendum? stultitia magis speranda est q̄ illius correctio. Eccēs. 10. Stul

Consilij ꝺdā insigne.

Taciturnitatis laus ac necessitas.

tus uerba multiplicat. Tertio, reddit odiosum. Eccl 20. Est tacens qui inuenitur sapiens, & est odibilis qui procax est ad loquendum. Vnde quidam philosophus loquaci dixit: Si auribus nostris te audires, absq; dubio taceres. Et alius quidam: Si optima gesseris, & pauca loquaris, hominibus placebis. Quarto, quia innaturale. Natura enim os unum dedit ad loquendum, sed duas aures ad audiendum. Iac. 1. Sit autem omnis homo uelox ad audiēdum, tardus autem ad loquendum. Exordiuntur à blandiloquētia, quasi falli possit blandimento, qui toties declararat sese nihil nescire. tanta erat cæcitas, ut re toties frustra tentata, non conquiescerent. Chrys. Hæc prima hypocritarum malitia, simulata laudatio. Laudant enim quos perdere uolunt, ut per delectationē laudis, corda hominum ad simplicitatem confessionis inducant. Pro. 11. Simulator ore decipit amicum suum. Sic apis mel ore gestat, & retro pungit. Magister, inquiunt, perspecta est nobis tua integritas, liberè loqueris, ut ne quidem in gratiā ullius quamlibet potentis mentiri uelis, sed unum deum semper habes præ oculis: quod illi gratum est, simpliciter & liberè doces. Mar. 12. Nec enim uides in faciem hominum. Commendant increatam ueritatem, inimici ueritatis, quanquam adulatorie, tamē secundum ueritatem (quemadmodum Caiphas de morte domini præter intentionem prophetauit, Iohā. 11.) de triplici ueritate. Vitæ. Fuit em̄ uerus deus, uerus homo, uerus magister. Matt. 23. Vnus est magister uester Christus. Verus conuersatione. Ioh. 8. Quis ex uobis arguet me de peccato? Hoc nemo hominum dicere potest. Ideo Ro. 3. Est autem deus uerax, ois

Hypocritarū deprectio.

Triplex veritas.

homo mendax. Requiritur autem ut nos in ueritate coram deo ambulemus. Sic Ezechias ait Esa. 38. Memento quæso dñe quomodo ambulauerim coram te in ueritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Secundo, doctrinæ. In ueritate doces. hæc competit doctoribus. 2. Tim. 2. Solicite autem cura teipsum probabilem exhibere deo, operarium inconfusibilem, rectè tractãtem uerbum ueritatis. Prophana autem & uaniloqa deuita. multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit. Hinc dominus Ioh. 18. Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati. Tertio, iustitiæ. Lu. 20. Nõ accipis personam. Nouimus te ueracem esse, nec assentari cuiquam, sed magna cum libertatè doces, quod deo placitum est, nõ quod hominibus uidetur. Hæc ad rectores spectat. Sap. 1. Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Non pudet inconstantiæ, qua nunc magistrũ appellant & laudant, quum ante calumniati sint illum spiritũ Beelzebub habere, Mat. 12. Lu. 11. & Ioh. 8. Nũc scimus qa dęmoniũ habes. Hiero. Blanda & fraudulenta interrogatiõe illuc ,puocant respondentem, ut magis deũ q̃ Cæsarem timeat, dicens tributa nõ debere solui, ut audientes Herodiani, statim seditionis contra Romanũ principem teneant autorem. Fas, inquit, est ut ludęorum populus diuinæ religioni deditus, pẽdat censum? Laqueum parant quem difficile effugiat, ut fibi uidebat, sed cõprehensus ẽ in illo pes eorũ, Psal. 9. Nã si dixisset pẽdendũ, accusassent apud populum qꝺ in seruitutẽ redigere studeat gẽtẽ q̃ semẽ Abraæ sit: si nõ dãdum, ad Cæsarẽ ut seditiosum traxissent.

Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris.

Dñs ergo oīa noscens & uersutum consilium, & subdolam tam mittētium q̄ missorum mentē, non respondet ut cogitauerāt, quin & eorum uafritiem aperuit, sic respondens, ut neutri factioni fieret obnoxius. Hiero. Prima respondentis uirtus est, interrogantium mentem cognoscere. Chrys. Non secundum sermones illorum blandos respondet, sed secundum cōscientiam illorum crudelem & asperam: quia deus plerunq; ad aīam respōdet, nō ad corpus: uoluntatibus loqtur, non uerbis. Hypocritæ, aliud habētes in corde, aliud in ore, dicit: q̄d me tentatis? ut q̄d audierunt ab eo in aure, apud semetipsos inuenirent in corde: & considerantes ipsum humanorum cordiū cognitorem, q̄d facere cogitabant, perficere non auderent. Pharisæi ergo blandiebant ut perderent, sed dñs increpabat ut saluaret. Pro. 27. Meliora sunt uulnera diligentis q̄ fraudulenta oscula odientis. Mar. 12. Afferte mihi denarium ut uideā. Lu. 20. Cuius habet imaginem & inscriptionem? Dabatur ēm denarius pro censu, habens imaginem Cæsaris, qualebat decē nūmos. Hiero. Nō de ignorātia q̄rit, sed ut cōpetenter eorū uobis respōdeat. Sapiētia ēm semp sapiēter agit, ut suis potissimum tēratores sermonibus cōfutent. Pro. 26. Qui fodit foueā, incidet in eam Chrys. Q̄n interrogat, nō ignorās facit: sed q̄a p respōsionem ipsorum obnoxios eos uult

ostendere, qui nec deo, nec Cæsari redderent quod deberent.

3 *Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cesaris, Cæsari: & quæ sunt dei, deo. Et audientes mirati sunt, & relicto eo, abierunt.*

In corporalibus & externis obediẽdum est regi: in internis autem & spiritualibus, soli deo. Vtrunq; enim se compatitur, nec alterum alteri præiudicat. qui enim regna constituit, & ius regni ordinauit, 1. Reg. 8. Cum autem dominus non dixerit quid reddendum, ex alijs scripturæ locis, & domini ipsius factis conijcere licet quid agẽdum. Primum ergo reddere debemus congruam subiectionem. Ro. 13. Oīs anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Hoc propter diuinam ordinationem. Pro. 8. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Ro. 13. Nõ est potestas nisi à deo. Quæ autem sunt, à deo ordinata sunt. Itaq; q resistit potestati, dei ordinationi resistit. 1. Pet. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter deum, siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tanq̃ ab eo missis. Secundo, deuotam uenerationẽ & reuerentiam. Ro. 13. Cui honorem, honorem. 1. Pet. 2. Deum timete, regẽ honorificate. Tertio, æquam pẽsionem. Vnde ait: redite, sicut debitũ. Custodit te princeps tuus ab hostibus, uitam tuam pacatam facit, debes itaq; ei pro his tributum. Ro. 13. Reddite omnibus debita. Ideo enim tributa præstatis. Ministri em̃ dei sunt, in hoc ipsum seruiẽtes. Vnde & dñs tributum soluit, Mat. 17. Quarto, feruidam orationem. 1. Tim. 2. Obsecro primum oīm fieri obsecrationes, orationes, postu-

potestatibus seu magistratibus q̃d seu quę oporteat reddi.

lationes, gratiarum actiones pro omnibus homini bus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate con stituti sunt, ut quietam & tranquillã uitam agamus in oñi pietate & castitate. Hoc enim bonum & acceptum est coram saluatore nostro deo. Pro. 21. Sicut diuisiones aquarum, sic cor regis in manu domini: quocunq; uoluerit, inclinabit illud. Vnde ad populi peccata dñs permisit Dauid cadere in peccatũ superbiæ & inobedientiæ numerando populum, q̃re dñs peste percussit una die septuaginta millia uirorum, 2. Reg. 24. Chrys. Cum uero reddenda quæ sunt Cæsaris Cæsari diceret, ita solum dici non dubita, quæ pietati & religioni non officiunt, alioq; Act. 4. Obedire deo oportet magis q̃ hominibus. Hinc Ro. 13. Itaq; necessitate subditi estote, non solum ꝓpter iram, sed etiam propter conscientiam. Heb. 13. Obedite præpositis uestris & subiacete eis, ipsi eñ peruigilãt quasi rationem de animabus uestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit uobis. Chrys. Numisma Cæsaris, aurum est: numisma dei, homo. Ideo diuitias uestras Cæsari date, deo autem conscientiæ uestræ solam innocentiam reseruate ubi deus uidet. Sicut enim in denario census imago Cæsaris exprimitur, sic deus requirit à nobis animam lumine uultus sui insignitam, Psal. 4. Ad imaginem enim dei homo creatus est, Gene. 2. Vile numisma titulum & imaginem habebat Cæsaris. Si hũc agnoscis, & pendis Cæsari quod debet, quanto magis reddendum est deo, cuius imaginem gerit ois homo? In baptismo character dei impressus est aïo tuo, quur eum tradis diabolo? Christiani titulo gloriaris, quur non reddis

illi q̃d debes ex ꝓfessiõe? Hinc Deu. 10. Et nũc o Isra
el, q̃d dñs de⁹ tuus petit à te, nisi ut timeas dñm deũ
tuũ, & ambules in uijs eis, & diligas eum, ac seruias
dño deo tuo in toto corde tuo, & in tota aĩa tua, cu
stodiasq; mãdata dñi? Vnde q̃ ad corp⁹, ait Aposto
lus Ro. 12. Obsecro uos p misericordiã dei, ut exhi-
beatis corpora uestra, hostiã uiuẽtẽ, sanctã, deo pla-
cẽtẽ, rõnabile obsequiũ uestrũ. Et nolite cõformari
huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus ue-
stri, ut ꝓbetis q̃ sit uolũtas dei bona, bñplacẽs & ꝑ-
fecta. Eph. 4. Deponite uos secundũ pristinã cõuer
sationẽ ueterẽ hoiem, q̃ corrumpit secundũ deside-
ria erroris: renouamini aũt spũ mẽtis uestræ, & indu
ite nouũ hoiem q̃ secundũ deũ creatus est in iustitia
& sanctitate ueritatis. Ro. 8. Quos ꝑsciuit & ꝑdesti
nauit cõformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse pri-
mogenitus in multis fratrib⁹. Hic admonet 1. Cor.
15. Igit sicut portauimus imaginẽ terreni, portemus
& imaginẽ cęlestis. Mat. 11. Discite à me q̃ mitis sum
& humilis corde. Sic iuxta rationẽ uiuere debemus,
ne simus bestijs similes, & imaginẽ aĩæ ipsi restitu-
ere ꝓ fidẽ uerã, spẽ firmã, & charitatẽ feruidã ince-
dẽtes, ne falsarij inueniamur numismatis. Apoc. 14.
Si q̃s adorauerit bestiã & imaginẽ eius, & acceperit
characterẽ in frõte sua aut in manu sua, hic bibet de
uino irę dei, q̃d mixtũ ẽ mero, in calice irę ipsius. Be
stia, diabolus est. Imago, supbia. Iob. 41. Ipse est rex
sup oẽs filios supbiæ. Character, peccatũ est in ope,
in manu: in fronte, peccatũ in manifestatione. Hier.
3. Frõs mulieris meretricis facta est tibi, noluisti eru
bescere. Sic manus sanguine plenæ dicũt. i. peccatis,
Esa. 1. Sicut nũmus à nũmo imagine discernitur, sic

filij dei & diaboli opatione. Ioh. 8. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri uultis pficere. Si filij Abraæ estis, opa Abraæ facite. Hoc respõso audito, admirati sunt, primũ q intelligerẽt illũ nõ latuisse dolosum suũ cõmentũ: deinde prudentiã admirabilẽ, cui frustra tẽderet insidias humana uersutia. Hiero. Qui em̃ credere debuerãt ad tantã sapientiã, mirati sunt q callliditas eor insidiãdi nõ inuenisset locũ: ppter q̃d relicto eo abierunt, tanq̃ victi p eũ & cõfusi, infidelitatẽ parit cũ admiratiõe reportãtes. Sed non desierũt odire, quẽ amare debebant.

De Saducæorũ errore in resurrectione, Matt. xxij. Marc. xij. Lu. xx.

ARTICVLVS CVII.

IN illo tempore accesserunt ad eum Saducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, dicentes: Magister, Moses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater eius uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres: & primus uxore ducta, defunctus est: & non habens semẽ, reliquit uxorem fratri suo. Similiter secundus & tertius usque ad septimum. Nouissime autem omnium defuncta est & mulier. In resurrectione ergo cuius erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam. Matt. 22. A

Ostẽdit quantã pniciem fidei adferat scripturarum puersa intelligentia, diuinæq; uirtutis ignorãtia. Vñ impositio silẽtio duab⁹ ludæor sectis unico dicto, successit his factio Saducæor, q negabant resurrectionẽ, adeõ ut nec angelum, nec aĩas extare

ſemotas à corpore crederent, Act. 23. nihil eſſe putantes quod non uidetur. Hi quum audiſſent Chriſtum crebro meminiſſe uitę ęternæ, & futuri ſeculi, ac reſurrectionis iuſtorum, adoriuntur illum, experimentum facturi, utrum cum phariſæis ſentiret q utraq; confitentur, Act. 23. an ſibi cõtraria doceret, ut caperent illum, ſi ſecum pugnaret: uel irriderent, ſi cum phariſæis ſentiret. Aſſumunt pro argumenti fundamẽto Moſi dictũ, cui contradicere nefas erat, Deut. 25. Vnde hac abſurditate putabant poſſe refelli phariſæorum opinionem, qui contendebant aïas ſupereſſe corporibus, & corpora mortuorum aliquando reuictura.

2 *Reſpondens autem Ieſus, ait illis: Erratis, neſcientes ſcripturas, neq; uirtutẽ dei. In reſurrectione enim neq; nubent, neq; ducent uxores, ſed erunt ſicut angeli dei in cælo.*

Ad hanc quæſtionem qm̃ plus habebat ignorantiæ q̃ malitiæ, dignatus eſt Ieſus reſpondere, oſtendens eos qui prætexebant legem Moſi, ignaros ſcripturarum. Mar. 12. Nonne ideo erratis, non ſcientes ſcripturas neq; uirtutem dei? Hier. Propterea errãt, quia ſcripturas neſciunt: & quia ſcripturas ignorãt, cõſequẽter ignorãt uirtutẽ dei, hoc ẽ, Chriſtũ q uirtus dei eſt. 1. Cor. 1. Nos autem prædicamus Chriſtum dei uirtutem. 1. Tim. 1. Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide nõ ficta: à qbus qdam aberrãtes, cõuerſi ſunt in uaniloquum, uolẽtes eſſe legis doctores, nõ intelligẽtes neque de qbus loquũt, neq; de qbus affirmãt. 2. Tim. 3. Mali hoïes & ſeductores ꝓficiẽt in peius, errãtes,

& in errorem mittentes. Fuit hic fidei articulus ſem per maxime incredibilis, tam inter gẽtiles, Act. 17. Nouoꝝ dæmoniorꝝ uidet annũciator eſſe, qa Ieſum & reſurrectionem annunciabat eis Paulus. q̃ etiam aliqbus Iudæorꝝ, q dicebant Saducæi. Hũc aũt errorem dñs affirmat, puenire ex ignorãtia ſcripturarꝝ & uirtutis dei. Erratis, q ſcripturas legitis qdem, at nõ intelligitis: & nihil imaginãtes ſupra res corporeas q̃s uidetis, imaginamini talẽ eſſe rerꝝ ſtatum in futura uita, q̃lem in hac uidetis. Ponit ergo primo reſurrectionis ueritatem, in eo q̃ mittit ad ſcripturas, q̃ hãc pleniſſime & planiſſime teſtant. Si em̃ ſcripturas ſcirent, crederẽt utiq; deũ nõ eſſe deũ mortuorũ, ſed uiuentiũ. Ro. 15. Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtrã doctrinã ſcripta ſunt. Iob. 19. Scio q̃ redemptor meꝰ uiuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum: et rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo deũ ſaluatorẽ meũ. Quẽ uiſurꝰ ſum egoipſe & non alius. repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Ezec. 37. Hęc dicit dñs deus: Ecce ego apiam tumulos ueſtros, & educã uos de ſepulchris ueſtris populꝰ meꝰ. Dan. 12. Multi de his q dormierũt in terræ puluere, euigilabũt, alij in uitã ęternã, alij in opprobrium ut uideãt ſemp. Secũdo, cauſalitatẽ. Si em̃ uirtutẽ dei ſcirẽt, cognoſcerẽt utiq; deo oĩa eſſe poſſibilia, ut q creauit q̃d nõ erat, reformet quod ex parte pierat. Sap. 12. Tu aũt dñator uirtutis cũ tranqllitate iudicas, & cũ magna reuerẽtia diſponis nos. Subeſt em̃ tibi, cũ uolueris, poſſe. Eſt ergo deus cauſa efficiens reſurrectionis mortuorum, quum ſit ſupra naturam. 1. Theſ. 4. Si credimus q̃ Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ita & deus eos qui dormierunt

Reſurrectionis articulus q̃ olim difficilis.

Reſurrectio q̃ ſeq̃bus oſtẽdatur.

per Iesum, adducet cũ eo. 1. Cori. 15. Sicut in Adam oẽs moriũtur, ita & in Christo oẽs uiuificabũt. Oẽs quidẽ resurgemus, sed nõ oẽs immutabimur. In momẽto, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgẽt incorrupti, & nos immutabimur. Mat. 24. Et mittet angelos suos cũ tuba & uoce magna, & cõgregabũt electos eius à q̃tuor uẽtis, à summis cælorũ usq; ad terminos eorũ. Causam finalẽ indicat dñs Ioh. 5. Nolite mirari hoc, qa uenit hora, in q̃ oẽs q̃ in monumentis sunt, audiẽt uocem filij dei: & ꝓcedent q̃ bona fecerũt, in resurrectionẽ uitæ: qui uero mala egerũt, in resurrectionẽ iudicij. 2. Cor. 5. Oẽs nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; ꝓpria corporis, ꝓut gessit, siue bonum, siue malum. Heb. 9. Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem, iudiciũ. Hinc dominus admonet Matt. 10. Eum timete, qui potest & animã & corpus perdere in gehennã. Hęc enim sola fidelium est spes & gloria. Vnde 2. Mac. 7. Tertius filius ait: E cęlo ista possideo, sed propter dei leges nũc hæc ipsa despicio, qm̃ ab ipso me ea recepturum spero. 1. Cor. 15. Si in hac uita tm̃ in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus oĩbus hominibus. nunc autẽ Christus surrexit à mortuis primitiæ dormientiũ: qm̃quidem per hominẽ mors, & per hoiem resurrectio mortuorũ. Tertio infinuat resurgentiũ q̃litatẽ. Lu. 20. Filij huius seculi nubunt & tradũtur ad nuptias: illi uero qui digni habebuntur seculo illo & resurrectione ex mortuis, neq; nubent, neq; ducent uxores, neq; ultra mori poterunt. æquales em̃ angelis sunt, & filij sunt dei, cũ sint filij resurrectionis. Ro. 8. Quod si spiritus eius qui suſci

tauit Iesum à mortuis, habitat in uobis: qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, ꝓpter inhabitātē spm̄ eius in uobis. 2. Cor. 4. Habemus aũt eundem spm̄ fidei, sicut scriptum est Psal. 115. Credidi, propter quod locutus sum. & nos credidimus, propter q̄d & loq̄mur, sciētes q̄m qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet uobiscum. Q̄m illi carnales carnalem sapiebant resurrectionem, ostendit quod nō sit corporalis uita tunc. quo factum est, ut dogma eorū statim obtusa opinione, & inualido fundamēto cōcideret. Hic ubi uices sunt nascentium ac morientium, coniugium adhibetur ad propagationem humani generis. Cæterum iam erit absorpta mortalitas, & homines erunt spūales, quod futurū est in resurrectiōe, q̄ nos reddet eosdem quidem, sed immutatos: neq; ducet quis q̄ uxorem, neq; nubet ulla, sed quemadmodū in cælis angeli, q̄m inter eos nulla est mortalitas, nesciūt usum matrimonij. Phi. 3. Nostra cōuersatio in cælis est. Vnde & saluatorē expectamus dñm nostrū Iesum Christū, qui reformabit corpus hūilitatis nostræ, configuratū corpori claritatis suæ, secūdū opationē uirtutis suæ, q̄ etiā possit subijcere sibi oīa. Ecce q̄nta gloria resurgentiū in Christo, quia similes ei erūt, sed nō æq̄les. 1. Cor. 15. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarū. stella differt à stella ī claritate, sic & resurrectio mortuorū. Ecce dos prima claritatis. Vnde Mat. 13. Tūc fulgebūt iusti sicut sol in regno patris eorū. O q̄nta iucūditas, tot uidere lūinaria. Nō ergo erūt tūc carnali, sed spūali uoluptate fruētes. Petrus dñm cernēs in trāsfiguratiōe q̄ddā specimē huius ostēdisse, oīm

Dotes resurgentiū quot.

quæ in cælis & in terris erant, oblitus, ait: Domine, bonum est nos hic esse. Ad hanc pulchritudinem festinemus, & toto corde suspiremus. Ephe. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. ut filij lucis ambulate. Secunda, impassibilitas. 1. Cor. 15. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatẽ. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatẽ, tunc fiet sermo qui scriptus est Ose. 13. Absorpta est mors in uictoria. Anselmus: Sanitate perfecta hic caremus. à prima natiuitatis die esurimus, sitimus, unus claudus, alter scabiosus, & quibusdam delinimur medicamentis, ne summa sit miseria. In futuro autem summa sanitas erit, de qua Psal. 36. Salus autem iustorũ à domino. Sed dicis, undiq; sanus sum. Quid dicis ò homo? tangaris fuste, & clamabis, teq; deceptum querulaberis. Ibi & longæuitas uitæ erit, quam hic nullus perfecte habet. moriturus, quantũlibet uiuat diutius, somnium sibi uidetur esse, cũ moritur, quod uixit. Hinc Gene. 5. dicitur: Vixit Adam 930. annis, & mortuus est. Sed Esa. 25. Apoca. 21. Et absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorũ, & mors ultrà non erit, neq; luctus, neq; clamor, neque dolor erit ultrà, quæ prima abierunt. Ideo Gal. 6. Quæ seminauerit homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet uitam æternam. Tertia, Subtilitas. 1. Corin. 15. Sed dicit aliquis. Quomodo resurgẽt mortui? quali autem corpore ueniẽt? Insipiens tu. quod seminas, nõ uiuificatur nisi prius moriatur. Et quid seminas?

Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, utpote tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut uult, & unicuiq; seminum proprium corpus. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Hinc omnia illi peruia, quēadmodum dominus clausis ianuis stetit in medio discipulorum, Iohā. 20. Petrum animale adhuc corpus habentem, è carcere eduxit, sed ianuis apertis, Actu. 12. Quarta, Agilitas. 1. Cor. 15. Seminatur in infirmitate, surget in uirtute. Ipsam quodāmodo uoluntatis sequitur cogitationē. Anselmus: Nūc partim agiles sumus, sed in hoc à passeribus superamur, sed tunc sicut angeli à cælo in terram dicto uelocius mouebimur. Vides enim cum quanta celeritate Abacuc delatus sit Danieli, à Iudæa in Babylonem, Daniel. 14. & Philippus reductus in Azotum, Actu. 8. Nunc enim corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, Sapien. 9. Ideo 1. Cor. 15. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Ephe. 4. Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Obserua quod non dixit, in mensuram corporis Christi, sed ætatis plenitudinis Christi. Nam sancti omni deformitate (natura errante, uel aliàs contracta) reformata, in tali resurgent statu, in quo fuissent illa ætate, uel fuerunt, quæ iucunda simulq; robusta est ætas & florida. Sed unde miseris nobis tanta gloria? Audi dominum Iohan. 12. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus qui est in cælis. Roma. 6. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Vnde dominus Luc. 21. His si-

eri incipientibus, respicite & leuate capita uestra, q̃niam appropinquat redemptio uestra. Contrà malorum plena calamitas. Apo. 6. Dicunt mõtibus & petris, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni, qm̃ uenit dies magnus iræ ipsorũ, & quis poterit stare?

5 *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à deo dicente uobis: Ego sum deus Abraam, & deus Isaac, & deus Iacob? Non est deus mortuorum, sed uiuentium. Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina eius.*

Hieronymus: Ad comprobandã resurrectionis ueritatem, multo alijs manifestioribus exemplis uti potuisset, sicut Esa. 26. Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent. & Dan. 12. Sed Saducæi qui animarũ interitum prædicabant, non nisi quinq; libros Mosi recipiebant. Stultum ergo erat inde, pferre testimonia, cuius autoritatẽ non sequebant. Sic & hodie in ecclesia quidam ad puersum suũ constabiliendũ dogma, nonnulla reijciunt quę ipsis palam aduersant, q̃d communis tñ tenet ac tenuit ecclesia, q̃d certissimum erroris & peruersi cordis est indicium. Moses inquit, cuius cum in cæteris autoritatem agnoscatis, hic non est reijciẽdus. Mar. 12. De mortuis autem quod resurgant, nõ legistis in libro Mosi Exo. 3. super rubum, quomodo dixerit illi deus, inquiẽs: Ego sum &c. Vos ergo multum erratis. Lu. 20. Oẽs enim ei uiuunt. Oportet ergo ut animæ uiuant, quũ corpora mortua sint, & quia creatura refert ad deum relatione reali, q̃ non fundatur nisi in ente: id ergo cuius deus dicit deus, oportet realiter esse aliq̃d.

Hi itaq; si toti perissent morte corpor, non diceret esse deum illor, sed fuisse. Quod si est deus illorum, utriq; uiuunt illor aiæ, uiuũt & ipsi toti quodammodo spe resurrectionis. Quid enim magni est, superstites animas in pristini corporis domicilium reuocare? Populus autẽ quum uidisset omnibus os obturari prudentibus responsis, admirabatur eius efficacem & promptam doctrinam.

De mandato magno, Mat. xxij. Mar. xij.

ARTICVLVS CVIII.

PHarisæi autem audientes quòd silentium imposuisset Saducæis, conuenerunt in unum. Et interrogauit eum unus ex eis legisdoctor, tentans eum. Magister, quod est mandatum magnum in lege? Mat. 22. B

Nihil charitate sublimius & utilius, sine qua oĩa alia nihil, 1. Cor. 13. Gaudentes pharisæi refutatos Saducæos, & Iesum ex ipsorum sententia responsisse, acillos obmutuisse, exprobrata etiã insciti scripturarum, rursum sese uelut recepto spiritu conglomerant, ac unum quendam legis peritum subornant, q̃ docta uidelicet quæstione Christum adoriret. Chrysosto. Frequenter Iudæi diuersis interrogationibus dñm tentantes, sibi quidem acquisierunt interitum, nobis aũt, puiderunt salutẽ. Nam uerba Christi illis, pfecerunt ad confusionem, nobis aũt ad ædificationem: q̃m responsis eius uincebantur, sed nõ placabantur. Malitia enim frequenter confundit, placat autẽ nunq̃. Debuissent quidẽ timere Saducæor exemplum, ut ne similiter confunderentur. confutati fuerãt in denarij ostẽsione, sed malcuolẽtia & liuor

nutrit impudentiam,& ardens malitia dum ſe ſatiare feſtinat,non aſpicit exitum rei,ut tantũmodo alteri noceat, nec ſibi parcens. Venena enim inuidiæ ſuperari poſſunt,ſed difficile conquieſcunt.Conueniunt,ut multitudine uincerent, quem ratione non poterant. à ueritate ſe nudos eſſe profeſſi ſunt, qui ſe multitudine armauerunt.Dicebant enim:unus loquatur pro omnibus,& omnes loquantur per unũ, ut ſi quidem uicerit, oñes uideamur uiciſſe:ſin autem uictus fuerit,ſolus uideatur confuſus. O phariſæi,qui omnia propter homines & facitis & dicitis: putatis quia uno uicto, homines non intelligãt uos eſſe victos?Nunquid non conſcientiæ ueſtræ ſentient ſe eſſe confuſas? Leuis eſt conſolatio, qui in ſeipſo cõfuſus eſt,quod ab alijs ignoratur.Duplici notatus erat dignitate:uitæ,quia phariſæus:doctrinæ, quia legiſdoctor. Hieronymus:Maleuolentia & liuor nutrit impudentiam. Quicunq; nouit,& interrogat non uoto diſcendi,ſed ſtudio cognoſcẽdi an nouerit ille qui reſponſurus eſt, in ſimilitudinẽ phariſæorũ,non quaſi diſcipulus,ſed quaſi tentator accedit.Marc.12.Et acceſſit unus de ſcribis, qui audierat illos conquirentes: & uidens quoniam bene illis reſponderit,interrogauit eum quod eſſet primũ oñium mandatum. Hieronymus: Interrogant mellitis uerbis,& circũdant ſicut apes mel portantes in ore, & aculeum à tergo. Magiſtrum uocat,cuius nõ uult eſſe diſcipulus. Vnde Iohan.9.Phariſæi cæco nato dixerunt:Tu diſcipulus illius eſto,nos Moſi diſcipuli ſumus.ſed quo ſub blanda ſpecie facilius decipiat. Chryſoſtomus: De magno interrogat, qui nec minimum impleuit. Ille interrogare debet de maiori,

qui iam minora impleuit. Erat tunc quæstio inter Iudæos, quod maius esset mandatum, eo quòd pharisæi auari sacrificia etiam parentum præferrent honori, suis commodis consulentes, non aliorum saluti: alij aliud iudicabant. quare pro utraq; parte rationes habebant quibus respondẽtem arguerent, q̃d & domino contingere sperabant, ut reprehenderet quasi qui emendaturus esset legem.

Ait illi Iesus: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pẽdet & prophetæ. 2

Ponit tria. Actum. Diliges, inquit Chrysostomus: Non dicit, timebis: quia diligere maius est quàm timere. 1. Ioh. 4. Perfecta charitas foras mittit timorem. Non solum cognosces, quia deum cognoscere naturæ est corruptæ, ut claret Rom. 1. Qui cum cognouissent deũ, nõ sicut deũ glorificauerũt, aut gratias egerũt. Diligere uero, religiosi est cordis. Cant. 1. Recti diligunt te. Diligere enim ab eligendo sumptum, quare nihil illi charius reputandum. Cant. 5. Nunciate dilecto, quia amore langueo. Obiectum: dominum, quia gubernator: deum, quia creator: tum, quia redemptor & glorificator. Deut. 32. Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te? Triplici respectu aliquid diligitur, quæ summe sunt in deo. Vel quia bonum. Augustinus: Cum ista non diligantur, nisi quia bona sunt: pudeat non amare bonum istud, à quo omnia bona sunt, Trifariã aliquid diligi.

Mat.19.Nemo bonus nisi solus deus.Iac.1.Oñe da tum optimum,& omne donũ perfectum,desursum est descendens à patre luminũ, apud quem non est transmutatio,nec uicissitudinis obũbratio. Aut qa pulchrum.Dionysius:Omnia bonum & pulchrum desiderant.Sapi.13.Et si specie eorum delectati,deos putauerunt, sciant quãto his dominator eorum specioſior est,speciei eñ generator hæc omnia constituit. Aut tertio benignũ. Ambrosius: Quid tã insitum naturæ,quid tam impressum humanis affectibus, q̃ ut diligas diligentem? 1.Ioh.4.Nos ergo diligamus deũ,qm̃ ipse prior dilexit nos.In hoc est charitas,nõ quasi nos dilexerimus deũ,sed qm̃ ipse prior dilexit nos,& misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris.Bernardus: Si totũ me debeo pro me facto,quid p me sic refecto? Nec eñ tam facile refectus sum q̃ factus.Si quidẽ in faciẽdo dixit, & facta sunt:in reficiendo dixit multa,gessit mira,p-tulit dura:nec tantum dura,sed & indigna.Hier.31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.Modum,quia ex toto corde.Augustinus:Totum exigit à te,qui totum te fecit: sed noli tristis esse,quasi nihil unde gaudeas remaneat in te. ex hoc enim totum diligis te,quia diligis deum ex toto corde.Ex toto corde,ut sit suauis affectui, contra male diligentes illecebras huius mũdi. Psal.33.Gustate & uidete qm̃ suauis est dñs.Psal.144. Suauis dominus uniuersis,& miserationes eius sup omnia opera eius.Chrysosto. Quid est diligere toto corde,nisi ut cor tuũ nõ sit inclinatũ ad ullius rei declinationem amplius q̃ dei? nec delecteris quasi specie mũdi amplius q̃ dei,siue auri siue filiorũ,&c.sed hæc oia æsti-

mes tibi esse in deo, ut præ his omnibus ames deũ. Si aũt in aliquo horũ amor tuus fuerit occupatus, iã non ex toto corde amas deũ. Pro q̃ta em̃ parte cor tuũ fuerit ad aliquã rem, pro tãto minus est ad deũ. 1. Cor. 6. Qui adhæret dño, unus spiritꝰ est. Tota ergo uoluntatis intentio ad eũ dirigat. Nam sicut cor principiũ est motus naturalis in corpore, sic uoluntas est principium mouens animã ad suos actus uoluntarios. Tota anima, ut sit intellectui p̃uia lux contra fallacias & errores, Chryso. Quid est, in tota anima? Id est, certissimũ aĩm habere in ueritate & fide. Si em̃ cœperis dubitare de deo, iam nõ tota anima diligis. Tota mente, ut tota mentis cogitatio circa ipsum occupet. Mente em̃ cogitationes disponimꝰ, ut dicit Gregorius. Chryso. Quid est tota mẽte, nisi ut oẽs sensus tui q̃ pertinent ad mentẽ, deo uacentꝰ? Cuius intellectus deo ministrat, cuius sapiẽtia circa deũ est, cuius cogitatio ea q̃ dei sunt tractat, cuiꝰ memoria q̃ bona sunt recordat, tota mente deũ diligit. 1. Cor. 14. Psallam spũ, psallã & mẽte, Psal. 144. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabũt, & in iustitia tua exultabunt. Psalm. 76. Renuit consolari anima mea. memor fui dei, & delectatus sum. Mar. 12. Iesus autem respondit ei, quia primum omnium mãdatum est: Audi Israel, dñs deus tuus, deus unus est. & diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota uirtute tua. Ecce quartum, ut tota uirtus executiua secundũ suã possibilitatẽ operet. Can. 8. Fortis ẽ ut mors dilectio. 1. Ioh. 3. Nõ diligamus uerbo neq; lingua, sed ope & ueritate. Ioh. 14. Qui nõ diligit me, sermões meos nõ seruat. Cũ ergo charitas sit habitꝰ infusus, Ro. 5. Charitas dei diffusa est in cordibꝰ

In tota anima.

nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis, & non acquisitus, ideo dependet ex actione dei infundentis, cui infusioni per peccatum obstaculū ponitur. Hinc Eccl. 2. Qui diligunt illum, conseruabūt uerbum illius. Ro. 8. Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculū? an persecutio? an gladius? Sicut scriptū est Psal. 43. Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his oībus superamus propter eum qui dilexit nos. Marc. 12. Secūdum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Duo nos ad interitum ducunt: mala doctrina, & corrupta uita. Vt igitur non incidamus in malam doctrinam, diligendus est deus: ne autem sit peruersa uita, diligēdus est ꝓximus. 1. Cor. 13. Charitas non agit perperam. Legisperitus quæsiuit de magno mandato: dixit dominus dilectionis dei mandatum maximum & primum, quia singula magna sunt. 1. Cor. 13. Maior his charitas, scilicet fide & spe. Nam dilectio proximi, magnum est: sed nō primum, sed simile: quia qui ꝓximum amat, dei imaginem amat. Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et hæc est ratio amādi proximum perinde ac seipsum: quia dei imago & similitudo est æque ut ipse, quātum est ex natura. Quare primum nemo uere seruat, nisi seruet & secundum simile. 1. Ioh. 4. Et hoc mandatum habemus à deo, ut qui diligit deum, diligat & fratrem suum. Si quis dixerit quoniam diligo deum, & fratrem suum oderit, mēdax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem uidet, deum quem non uidet, quomodo potest diligere? Ponit modum, sicut, in-

Duo ad interitum ducentia quę.

Diligendi proximi modus.

quit, teipsum. Veraciter, uel qa bonus, uel ut fiat bonus. Qui eñ diligit iniquitatẽ, odit aïam suã, Psal. 10. Iohã. 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem sicut dilexi uos. Aug. Qui diligit homines, aut quia iusti sunt, aut ut iusti sint, amare debet. Ordinabilit, ut deũ sup oĩa, deinde aïam, hinc corpus. Sic ꝓximũ non supra nec contra deũ, inde in eo bona spũalia aïæ, postea corporis. Can. 2. Ordinauit in me charitatem. Efficaciter, bona ꝓcurando, & mala deuitando. Ro. 13. Dilectio proximi malũ nõ operatur. 1. Cor. 13. Non gaudet super iniquitate, cõgaudet autem ueritati. Perseueranter. Pro. 17. Oñi tẽpore diligit qui amicus est. Diligẽdus ergo deus in se, & propter se: proximus in deo, & propter deũ. His duobus non est aliud maius, qñ totius legis summã complectuntur. 1. Tim. 1. Finis autem p̃cepti est charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Ro. 13. Plenitudo legis est dilectio. Qui eñ diligit ꝓximum, legẽ impleuit. Nam non adulterabis, non occides, nõ furaberis, non falsum testimonium dices, non cõcupisces, & si q̃d est aliud mãdatum, in hoc uerbo instaurat, Diliges ꝓximum tuũ sicut teipsum. Mar. 12. Maius horum mãdatum aliud non est. Ait illi scriba. Bñ magister in ueritate dixisti, qa unus ẽ deus, & non est alius p̃ter eũ, & ut diligat ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota aïa, & ex tota fortitudine: & diligere ꝓximum tanq̃ seipsum, maius est oĩbus holocaustomatibus & sacrificijs. Iesus aũt uidens quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es lõge à regno dei. Siquidem qcquid in tota lege præcipitur, quicquid docent prophetæ, hoc totum in his duobus præceptis comprehenditur.

Quisquis enim deum toto pectore diligit, nihil negliget quod ille præcipit: & qui proximum diligit tanquam seipsum, nihil faciet alteri quod sibi nolit fieri. Tum pharisæus propemodum ex tentatore factus discipulus, intelligebat quid esset optimum. tantum hoc deerat, ut affectu sequeretur, quod intellectu tenebat, & nõ pergeret insidiari. Hoc dicto dñs pharisæos auaros, q̃ cõuenerãt ut reprehẽderẽt, ore illi⁹ reprehẽdit, sacrificia oblationũ magna ob suũ q̃stũ faciẽtes, proximo neglecto, Mat. 15. Atq; inde tacite mordet conscientiam illoꝝ, qui Iesu moliebantur insidias capitales. Eo q̃ dum illi tantum interrogassent de summo mandato, cuius obseruationem sibi falso arrogabant, ultro adiecit & secundum de diligendo proximo. Nondum enim suspicabantur Christum esse deum, certe proximum & benemeritum negare non poterant, in quem tamẽ machinabantur, quod nemo sibi uellet accidere.

3 *Congregatis autem pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid uobis uidetur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum dominum, dicens (Psal. 109.) Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid uocat eum dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere uerbum, neq; ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.*

Hieronymus: Qui ad tentandum Iesum fuerant congregati, & ueritatem fraudulenta interrogatio-

ne capere nitebantur, occasionem præbuerunt con futationis suæ. Quanquam igitur cessabant à tentando, Iesus tamen non cessabat à docendo: sed ubi maior pharisæorum frequentia conuenisset, tot quæstionibus pulsatus ab illis, ꝓposuit & illis quæstionem uicissim, quæ ad illorum salutem pertinebat, obscure quidem & per ænigma subindicans, sibi non solum esse humanam naturam in quam sæuituri erant, & quam uidebant, uerumetiã diuinam, quam utranꝙ ex ipsis factis poterant coniectare, nisi liuor, odium, ambitio, auaritia cæteraꝙ uitia animos eorum excæcassent. Quia enim purum hominem Christum putabant, subuertit eorum opinionem, docens ueritatem per Dauid prophetam, diuinitatem suam prædicando non manifeste, ne occasionẽ haberent sæuiendi tanquam in blasphemum, sed scripturæ. & conscientiæ ipsorum testimonio, ne ueritatem taceret, ob quam prædicandam uenit. Ioh. 18. Ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati. Cypria. Interrogat de illo quem credebant esse uenturum. Responderunt incunctanter, Dauid. promittitur enim Dauid, quatenus ad naturæ humanæ propagationem. Psal. 131. Iurauit dñs Dauid ueritatẽ, & nõ frustrabitur eum, de fructu uẽtris tui ponã sup sedẽ tuã. Hiere. 23. Suscitabo Dauid germẽ iustũ, & regnabit rex & sapiẽs erit, & faciet iudiciũ & iustitiã in terra. Vnde Ro. 1. Qui factus est ei ex semine Dauid secundũ carnem. Mar. 12. Et respõdens Iesus, dicebat docẽs in tẽplo: Quõ dicũt scribæ Christũ filiũ esse Dauid? Ipse eñ Dauid dicit in spiritu sancto. Lu. 20. In libro psalmorũ etc. Qui consistit, ut si filius est Dauid, pater filiũ

appellet dñm, quũ maior sit autoritas progenitorũ quàm nepotum? Chrys. Filius nobis esse potest, qui post nos futurus est: dñs autem esse non potest, nisi q̃ aut est nobiscũ, aut ante nos. Ita rõcinat dñs, non quia uelit ostendere Christum Dauid filiũ nõ esse, sed ut falsam opinionẽ illorum in melius reducat, q̃ illum solum hoiem, non etiam deum credebant. Declarat itaq; q̃ non sit aduersarius deo patri, sed multam cum illo habeat concordiam: siquidem inimicos eius humiliat, quo simul & conscientias illorũ terrore concutere curat, ut à cõcepta desisterẽt malitia. Esa. 63. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea. 1. Cor. 15. Oportet illum regnare donec ponat oẽs inimicos sub pedib⁹ eius. Nec erat q̃squam illorum qui posset nodum soluere, propterea q̃ de diuina Iesu natura nihil adhuc suspicari poterant. Siquidem Christus ut secundum corpus humanum erat filius Dauid, ita secundum diuinam naturam dñs est oĩm, non modò Dauid. Hoc mysterium nondum intelligebãt scribæ & pharisæi, q̃ spm̃ habebant carnis. 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea quę sunt spiritus dei. Dauid autem afflatus spiritu cælesti, uidebat in Christo nondum nato quiddam homine maius, quũ ipse nihil aliud esset quàm homo. Neq; quisquam posthac ausus est illum adoriri quæstionibus, quũ uiderent insidias in illum intentatas, in suum caput recidere. Mar. 12. Et multa turba eum libenter audiebat. Hiero. Pharisæi & scribæ sermonibus confutati, eum ultra non interrogant: sed apertissime comprehensum, postmodum Romanæ tradunt potestati, non enim tacuerũt uolentes, sed quid amplius interrogarent non haben-

tes. Orig. Si interrogassent ex uolũtate discendi, nũquam ei talia proposuissent, ut postmodum non essent ausi interrogare: sed tentantes interrogabant, ideo obstruere eos uoluit interrogatione sua, ut erubescentes quiescerent ab audacia sua. Pro. 3. Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam.

De doctrina pharisęorũ audienda, Mat. xxiĳ. Mar. xĳ. Lu. xx.

ARTICVLVS CIX.

TVnc Iesus loquutus est ad turbas, & ad discipulos suos, dicẽs: Super cathedram Mosi sederunt scribæ & pharisæi. omnia ergo quæcunq; dixerint uobis, seruate & facite: secundum opera uero illorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Matt. 23. C

Quàm perniciosa pestis sit hypocrisis, superbiæ filia, deo & hominibus abominabilis, & ipsi homini damnabilis, clare ostendit. Quia ergo discipulos orbis magistros misit, merito eos admonet ne imitentur pharisæorum arrogantiam & ambitiosam mentem, & simpliciter ne cogitent quomodo placeant hominibus. Auersus igitur à pharisæis, in qbus nullam uidebat esse spem uitæ emendationis, turbis ac discipulis loquitur. Chrys. Ideo dñs conuertit ad suos sermonem, ut pharisæorum & scribarum confusio, illorum fieret disciplina. infructuosum nanq; est uerbum, in quo alter confunditur, & alter non eru

ditur. Horũ autem malitia quoniã erat deplorata, nullisq; remediis sanabilis, restabat ut admoneretur simplex populus & rudis, ne horum fucis & artibus circunueniretur: qui quum essent omni religione uacui, tamen summam simulabant pietatem, non aliò spectantes, q̃ ad gloriam & q̃stum suum, & hac de causa modis omnibus obstrepẽtes gloriæ dei, ac proximorum saluti. Hos Iesus depinxit suis coloribus, idq; populo audiente, ut uitarẽtur q corrigi non poterant, & desinerent fallere qui nolebãt resipiscere. Non erat hoc alienæ famæ obtrectare, sed simplicium saluti cõsulere. Quum igitur toties illis obstruxisset os teste multitudine, ne prsus illorum autoritas cõcideret apud populum, cui doctores p̃sidebant, audiendos quidem docet, sed nõ imitandos. Reuerentia quam illoꝝ mores non promerentur, danda est autori cuius p̃cepta recitant. Sedẽt in cathedra Mosi, qui ea q̃ in lege habentur, docent. Eos igitur qui docẽt diuinã legem, etiam si ipsi non faciant, audire oportet. Orig. Ante aduentum Christi quidam sedebant boni, qui secundum rationem dicta Mosi interpretabantur, quidam male. Sic & super cathedram Christi quidam bene sedent, qui uerbum Christi bene interpretantur: quidam male, qui eiusmodi sunt de quibus saluator Mat. 5. Qui soluerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cælorum. Horum quidem doctrina audienda, non uita imitanda. Nam propter suas traditiones irrita faciunt mandata dei, Matt. 15. Glos. Doctrinam tenete, non uitam. Orig. Quid doctore illo miserabilius, cuius uitam discipuli cum non sequuntur, saluantur: cum

In cathedra Mosi sedeant.

imitantur, perduntur? Chrysostomus: Frequēter de homine malo doctrina bona procedit. Ecce terra uilis precioſum aurum producit. nunquid propter terram uilem aurum cōtemnitur? Non. Sic nos doctrinam bonam eligentes, malos mores contemnamus. nam & apes flores, non herbas, requirūt. Si uiuerent quemadmodum docent, totos oporteret imitari. Nunc quæ docent, ipſi non præſtant. Chryſoſtomus: Fidem prædicant, & infideliter uiuunt: pacem aliis dant, ſibi non habent: ueritatem laudant, & mendacia amant: auaritiam caſtigant, cupiditatem exercent. In aliis auſteri, inſe leniſſimi. Alligāt onera grauia, quo ad affectum: & importabilia, q̄ ad effectum: & imponunt ea in humeros hominū, ſed non in ſuos. Sed digito ſuo nolunt ea mouere, quanquam poſſint. Chryſoſtomus: Circa tuam uitam eſto auſterus, circa aliorum benignus: audiant te homines parua mandantem, & grandia facientē. Quando is qui docet, nō ſolum docet, ſed & operatur, uidetur ſimul cum iis qui docētur, operari: quū uero ille me onerat, ipſe autem ocioſus uiuit, magis me grauat.

Omnia uero opera ſua faciunt ut uideantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. amāt autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & uocari ab hominibus rabbi. 8

Quòd ſi q̄ præſtant iuxta legis præſcriptionem, non id faciunt ex animo, ſed ad laudem auramq; popularem. In quo innoteſcit eorum uanitas & uilitas, ob uanā & momentaneā laudē, pdere gloriam

æternam & dei fauorem. 1.Cor.10. Siue mãducatis, siue bibitis, uel aliud quid facitis, oĩa in gloriam dei facite. Obambulant lata phylacteria circunferẽtes: in his p̃cepta legis ostendunt inscripta, quũ uita nusq̃ appareat. At hęc animis inscribi oporter, uita decebat exprimi. Hoc uolebat deus, dicens Deute. 6. Eruntq; uerba hæc q̃ ego p̃cipio tibi hodie, in corde tuo etc. & ligabis ea q̃si signũ in manu tua, erũtq; & mouebuntur ante oculos tuos. Non intelligebãt q; hęc portanda erãt in corde, & sic membranis inscripta decem præcepta, capiti imponebant, q̃si ad rememorãdũ. Incedũt latis & magnificis fimbriis, quas ad distinctionem dñs in quatuor pallioꝝ angulis fieri præcepit Nu. 15. Deu. 22. Mar. 12. Et dicebat eis in doctrina sua: Cauete à scribis qui uolũt in stolis ambulare, ob splendidiores stolas quærentes præferri. Si condemnantur qui amant, quid ergo q; nihil non facit pro illis, q̃ condẽnatione dignus est? Vbi humilitatem docere debebant, ibi maiori fastu corrũpebãtur. Chrys. Nec lachrymis abstinere possum, cum primos istos consessus & salutationes audiam, ac in mentem uenit, quot quantaq; hinc mala in ecclesia dei orta sint. Nam ciuitates sępenumero & ecclesias euerterunt. Quum uersantur in foro, gaudent honorifice salutari. Luc. 20. Qui deuorant domos uiduarum (sub obtentu prolixæ orationis) simulantes longam orationem, hi accipient damnationem maiorem. Non studeant uestræ saluti, sed suæ gloriæ: habent longas preces, quo uideantur cæteris religiosiores. His fucis captant uiduas beatas, sed simplices, non uno nomine fraudi idoneas: uel quia sexus est infirmior, uel quia uiduæ

sunt, maritorum solatio destitutæ, uel quia diuites sunt. Clam accedunt, quasi illarum futuri patroni & tutores, & prætextu longæ orationis, & uestitu reuerentiæ, & simulatione deuorantes domos diuitũ. Sed adeò nihil proderit illis ista simulata religionis species, ut grauius etiam sint à deo condemnandi, q̃ malitiam suam obnubilarint fuco sanctimoniæ. Cristas erigunt, quoties à populo audiunt magnificum illum titulum rabbi, quasi soli sint honore digni, aut soli sapiant, quũ hoc ipso minimi sint apud deum, quòd sibi uidentur maximi: & hoc maxime desipiant, quòd sibi uidentur plurimũ sapere. Chrysostomus: Vocari uolunt, non esse: nomen appetũt, officium fugiunt. 1. Timo. 1. Volentes esse legis doctores, non intelligentes neq̃ quæ loquuntur, neq̃ de q̃bus affirmãt. De ijs 2. Pet. 2. In uobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis. 2. Timo. 4. Erit enim tempus quum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacerua bunt sibi magistros, prurientes auribus: & à ueritate quidẽ auditũ auertent, ad fabulas aũt cõuertent.

Vos autem nolite uocari rabbi. unus est enim magister uester. Omnes autem uos fratres estis. Et patrem nolite uocare uobis super terram. unus est enim pater uester qui in cælis est. Nec uocemini magistri, quia magister uester unus est Christus. 3

Monet fugere uanitatem, nõ propter dignitatem & laudem tantum, sed scientiam & officium. Gala. 6. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. Proinde si quid honoris tribuunt homines hominibus ob dei dotes, quas in illis esse suspicantur, non debet uindi

care cui tribuitur, sed totum ei asscribere, unde totū & gratis habet, si quid habet boni. 1. Corin. 4. Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Sic Paulus gētium se nominauit doctorem. 1. Timo. 2. Veritatem dico, non mentior, doctor gentium in fide & ueritate. Act. 13. Erāt autem in ecclesia quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores. Vnus est in quem uere nomen istud competit, qui lumen scientiæ infundit. Psalm. 118. Intellectum dat paruulis. Luc. 24. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas. Hūc magistrum habetis cōmunem. Iohan. 13. Vos uocatis me, magister & domine, & benedicitis: sum etenim. Vos ad illum cōparati, nihil aliud estis quām condiscipuli ac fratres inuicē, inter quos mutua charitas omnia reddit paria. Fratres dicuntur ratione generalis creationis. Mala. 2. Nunquid non pater unus omnium nostrum? Nunquid non deus unus creauit nos? Deuter. 32. Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te? Communis cognationis. Sic Abraam dixit Loth nepoti suo Gene. 13. Ne sit iurgium, quæso, inter me & te, & inter pastores tuos & pastores meos, fratres enim sumus. Sic Laban filium sororis suę Iacob, fratrem nominauit. Gene. 29. Num quia frater meus es, gratis seruies mihi? Sic fratres domini nominantur in euangelio, Matth. 12. Naturalis propagationis, sic Iacob & Esau. Mala. 1. Nunquid frater Esau Iacob, dicit dominus? Sic cōmuniter capitur inter uulgares. Quarto, specialis religionis. sic Iudæi dicebantur fratres. Leui. 19. Non oderis fratrē tuum in corde tuo. Sic Christiani, inter ꝙs Christꝰ primogenitus, Ro. 8.

Fratres ꝙ quotuplici ter dicantur.

Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Heb.2. Decebat enim eum propter quem oĩa,& per quem oĩa, qui multos filios in gloriam adduxerat,autorẽ salutis eorum per passionẽ consummari. Qui enim sanctificat,& qui sanctificãtur,ex uno oẽs. Propter quam causam non confundit fratres eos uocare,dicens: Nunciabo fratribus meis nomen tuũ. Psal.21. Mat.28.ait mulieribus: Ite, nunciate fratribus meis ut eant in Galilæã. Exigit aũt debita fraternitas cordialem dilectionẽ. Eccl.25. In tribus beneplacitũ est spiritui meo, q̃ sunt ꝓbata corã deo & hominibus. Concordia fratrum,amor proximoꝝ,& uir & mulier sibi bene consentientes. 1.Ioh.3. Omnis qui odit fratrẽ suũ,homicida est. Et scimus qm̃ oĩs homicida non habet uitam ꝛternã in se manentẽ. Mal.2. Quare ergo despicit unusquisq; uestrũ fratrẽ suum? Diligentẽ correctionẽ. Leu.19. Non oderis fratrẽ tuũ in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas sup eo peccatũ. Iac.5. Fratres,si qs ex uobis errauerit à ueritate,& conuerterit qs eum:scire debet,qm̃ q conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ suæ,saluabit animã eiꝰ à morte,& operit multitudinẽ peccatoꝝ. Hinc dñs ait Petro Lu.22.Simon,ecce satanas expetiuit uos,ut cribraret sicut triticũ: ego aũt rogaui ꝓ te,ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando cõuersus,confirma fratres tuos. Sic Apostolus 2. Thes.3. Nolite quasi inimicũ existimare,sed corripite ut fratrem. Efficacem subuentionem. Zach.7. Misericordiam & miserationes facite unusquisq; cũ fratre suo. Matt.25. Quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis,mihi fecistis. 1.Ioh.3. Qui habuerit substantiã huius mũdi, & uiderit fratrẽ suũ necesse habere,

Fraternitas q̃ exigat.

& clauſerit uiſcera ſua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? In hoc cognouimus charitatẽ dei, qm̃ ille animam ſuam ꝓ nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. In hoc fundatur quædam fraternitas, quæ dicitur ſingularis communionis, qua quidam ſe obligant ad ſpecialem bonorum communionem, quemadmodum negociatores lucrum inter ſe diuidunt. Eccẽs. 4. Melius eſt duos eſſe ſimul quàm unum. habent enim emolumentum ſocietatis: ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur: & ſi quiſquã præualuerit contra unum, duo reſiſtunt ei. Funiculus triplex difficile rumpitur. Ecci. 40. Fratres in adiutorium in tempore tribulationis. Prou. 18. Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. Sic & in ſpiritualibus, quanquam nemo excludendus à generali bonorum participatione. Pſalm. 118. Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. & Iac. 5. Orate pro inuicem ut ſaluemini. tamen poſſunt ſe ad quædam ſpecialia in inuicem obligare, quemadmodum Apoſtolus peculiares ſæpe expetijt orationes. Roman. 15. Obſecro uos fratres per dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſanctiſpiritus, ut adiuuetis me in orationibus ueſtris pro me ad deum, ut liberer ab infidelibus qui ſunt in Iudæa. 2. Theſſ. 3 Fratres, orate pro nobis, ut ſermo dei currat & clarificetur, ſicut & apud uos, & ut liberemur ab importunis & malis hominibus. Matt. 18. Vbi duo uel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Iterum dico uobis: ſi duo conſenſerint ex uobis ſuper terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo qui in cęlis eſt. Hinc Pſal.

132. Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in unum. Nec posthac patris honorificũ uocabulum homini tribuatis in terris, semel profes si patrem cæleſtem, cui uere debetis & uitam & qcquid habetis, & unde pendetis toti. A quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, Epheſi. 3. Matthæ. 6. Pater noſter qui es in cælis. Eſa. 63. Tu domine pater noſter, redemptor noſter, à ſeculo nomen tuum. Diligit enim filios ſuos feruenter. Eſa. 49. Nunquid poteſt mulier obliuiſci infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen nõ obliuiſcar tui. ecce in manibus meis deſcripſi te. Iohan. 3. Sic deus dilexit mũdum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Erudit diligenter. Heb. 12. Patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos. Nõ multo magis obtemperabimus patri ſpirituum, & uiuemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum ſecundum uoluntatem ſuam erudiebant nos: hic autem ad id quod utile eſt, in recipiendo ſanctificationem eius. Fouet clementer. 2. Corin. 1. Benedictus deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum & deus totius conſolationis, q conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Pſalm. 102. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt dominus timentibus ſe. Fouet corporaliter, dãs eſcam omni carni, Pſalm. 135. Matt. 6. Scit enim pater quia his omnibus indigetis. Sic & ſpiritualiter. Iaco. 1. Omne datum optimum & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Glorificat ſupereminenter. Luc. 12. Nolite timere

Patris cæleſtis in filios affectus.

pusillus grex, quia complacuit patri uestro dare uobis regnum. Quoniam autem estis filij dei, misit deus spiritum filij sui in corda uestra clamãtem, abba pater. Itaq; iam non est seruus, sed filius: quod si filius, & hæres per deum. Ro. 8. Hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi. Sed cõqueritur dominus per Esa. 1. Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Mala. 1. Filius honorat patrem suum, & seruus dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si dominus ego sum, ubi est timor meus? Hiere. 3. Ergo saltem amodo uoca me, pater meus es tu. Et dixi, patrem uocabis me, & post me ingredi nõ cessabis. Nec uocemini magistri, gloriantes de scientia quasi ex uobis sit, & gloriam capietis humanam. Hieronymus: Sicut solus creator uocatur dominus & deus per essentiam & uniuersalem prouidentiam, alij dij & domini participatiue, sic deus solus est pater omnium per seipsum, & solus Christus magister noster, alij per participationẽ magistri & patres appellantur. Si quis bene docet, laudetur in eo sapientia dei, quę se per illum exercit communicatq;. Si quis cura solicitudineq; patrem agit, laudetur in illo bonitas dei, quę per illum nobis prospicit. Neq; uero hæc dixit dominus Iesus, quod impium sit, præceptorem præceptoris appellare uocabulo, aut parentem parentis nomine salutare: sed hoc sermone prorsus euellere studet ex animis suorum pharisaicam ambitionem, qui quod erat dei, sibi uindicabant, & honorem exigebant à populis pro doctrina, nõ sua, sed dei, quasi ipsi essent autores, & non potius ministri. Quod enim habet, aliunde accepit, & gratis accepit, & in hoc accepit,

ut alijs impartiret. Iaco. 3. Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis. Deus solus intellectum illuminare potest. Psalm. 70. Deus, docuisti me à iuuentute mea.

Qui maior est uestrum, erit minister uester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.

Inducit ad humilitatem, quæ mater est custosq; uirtutum. Eccl. 32. Rectorem te posuerunt? noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis. Itaq; qui maior est dotibus diuinis, non hoc erit arrogãtior, sed solicitior ut communicet: hoc submissior, ne semel perdat arrogãtia, quæ diuina benignitas largita est. In autorem deum gloriam omnem transferat, sibi præter humilis ministri sedulitatem nihil uindicãs. Duplex ratio humiliationis. Damnum elationis. Prouer. 29. Superbum sequitur humilitas, humilem spiritu suscipiet gloria. Præmiũ humiliationis. Iob. 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur. Is uere magnus est, qui sibi minimus est: atque is iam incipit minimus esse apud deum, qui suo iudicio magnus est. Ephe. 4. Obsecro uos ego uinctus in domino, ut digne ambuletis uocatione qua uocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate.

Humilitatis rationes quę.

De uæ multiplici, Matt. xxiij. Luc. xi.

ARTICVLVS CX.

Mat.23. D

VAe uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, q̃ claudi-tis regnum cælorum ante homines, uos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo q̃ uos.

Quemadmodum in ueteri testamento benedictiones positę sunt obedientibus, & maledictiones inobedientibus, Deute. 27. & 28. sic & in nouo uæ inobedientibus prænunciatur. Palam enim dominus inuehitur in malitiam pharisæorum, minitans illis ultionem diuinam, quo uel pudore resipiscant, uel metu suppliciorũ uertantur ad meliora: & omissa simulatione, incipiant esse pietatis euangelicæ cultores. Hieronymus: Sententia est, pharisæi sciunt Christum de uirgine natum ex prophetarum oraculis: uerum dum prædam de plebe appetunt, nec ipsi introeunt in regnum cælorum, nec eos qui poterãt intrare, permittunt. Nam turbam bene de Christo sentientem auerterũt. Sic quasi zelum habentes ãimarum, discurrebant ut è gentibus unum aliquem pellicerent ad legis professionem: qui quum attractus fuerat spe discendæ religionis, suppstitiosa ipsorum doctrina peruersisq; moribus talem reddebãt, ut non solum non fieret purus dei cultor, & hæres regni cælorum, sed sceleratior etiam Iudæus quàm fuerat ethnicus, & magis obnoxius gehennæ quàm ipsi erant. Vnusquisq; qui scandalizat malis exemplis discipulos suos, claudit ante eos regnum cælorum. 2. Pet. 2. Melius erat illis non cognoscere uiam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum cõuerti

Claudere regnũ cęlorum qui quomodo dicantur.

ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Contingit enim illis illud ueri prouerbij Prou. 26. Canis reuersus ad uomitum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam.

Væ uobis duces cæci, qui dicitis: quicunq; iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti & cæci, quid enim maius est? aurum, an templum quod sanctificat aurum? Et quicunq; iurauerit in altari, nihil est: qui autem iurauerit in dono quod est super illud, debet. Cæci, qd enim maius est? donum, an altare quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo & in omnibus quæ super illud sunt. Et qui iurat in templo, iurat in illo & in eo qui habitat in ipso. Et qui iurat in cælo, iurat in throno dei, & in eo qui sedet super eum.

Subdoli & auari pharisæi sic legem interpretabantur, quo homines ad oblationes inducerẽt. Stultos eos nominat, propter ignorantiam diuinorum: cæcos, propter caliginem cupiditatum & uitiorum ex eis nascentium. 1. Timo. 6. Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide. Cæci, q̃ professi doctores, nescitis ipsi quid doceatis, nimirum aberrãtes à scopo legis, nec aliò torquentes omnia quàm ad quęstum uestrum, præpostero ordine pluris facientes, non ea quę per se sanctiora sunt, sed quæ uestræ auaritiæ gratiora. Etenim quemadmodum peruertitis præceptum de honorandis parẽtibus interpretatione uestra, Mat. 15. ita hic docetis peierare. Perfectum erat, nõ iurare omnino: sed tamen quisquis iurat per rem quã-

cunq; quæ sacra habetur apud eum cui iurat, periurus est, nisi præstiterit quod iurauit. Neq; enim aurum aliunde est sanctum, quod ornandi gratia additur templo, quàm propter templum, cuius sanctimonia facit, ut aurum etiam alibi prophanum, illic sanctum habeatur. Neq; donum aliunde sanctũ est, nisi quòd sacro est altari impositum. Vterq; ergo peierat, qui in altari uel dono, in templo uel auro templi iurans, non præstat quod iurauit. Sic & in cælo. Esa. 66. Cælum mihi sedes est, terra autem scabellũ pedum meorum.

Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ qui decimatis mentham & anethum & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiã & fidẽ. Hæc oportuit facere, & illa nõ omittere. Duces cæci, excolantes culicẽ, camelũ aũt glutientes.

Obiurgat iterum ut insipientes, eo quòd contemnentes mandata maiora, in paruis diligẽtes erãt. Offerebant de minimis decimas, quo sanctiores & perfectiores haberentur, & sic consequenter exigebant. Hieronymus: Arguit eos auaritiæ, quòd studiose etiam uilium olerum decimas exigant, & iudicium in discepratione negociorũ, misericordiamq; in pauperes, pupillos & uiduas, & fidem in deum, q̃ magna sunt, præter mittant. Lu. 11. Sed uæ uobis pharisæis, qui decimatis mentham & rutam & omne olus, & præteritis iudicium & charitatem dei. Oportet misereri & fidere deo, quia aliàs non est salus. Mich. 6. Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid dominus requirat à te: utiq; facere iudicium, et diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum

deo tuo. Multi paganorum misericordes quidem fuerunt: non credentes autem in deum, non habuerunt misericordiæ comitem fidem. Hieronymus: Præcepta dei quæ magna sunt, negligimus, camelũ deuorantes: & opinionem religionis in paruis quæ lucrum habent, culicẽ liquantes, demonstramus: in minimo supstitiosi, in maximo negligentes. Luc. 11. Væ uobis pharisæis, qui diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Væ uobis quĩ estis ut monumenta quæ nõ apparent, & homines ambulantes supra, nesciunt. Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens, etiam contumeliam nobis facis. At ille ait: Et uobis legisperitis uæ, qui oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, & ipsi uno digito non tangitis sarcinas. Iniunctum officium suscipere, charitatis est: appetere uero, ambitionis. Eccl. 7. Noli quærere ab homine ducatum, neq; à rege cathedram honoris. Væ qui nihil aliud agitis, nisi ut hominũ oculis placeatis, pro nihilo ducentes, quod animi sordibus deo displicetis. Quum hæc aliaq; magna seueritate diceret dominus Iesus in fucatam pharisæorum sanctimoniam, quidam è legisperitis cupiẽs cohibere libertatem Iesu, ait: Dum ista dicis in pharisæos, nos quoq; afficis contumelia. Non tolerat liberum sermonem, sibi male cõscius animus: & exemplum libertatis in alios, meruit ne in se recidat. Cyrillus: Redargutio quæ mansueros transfert in melius, superbis hominibus intolerabilis est: correctionemq; culpæ, contumeliam reputant personæ. Pro. 21. Vir impius procaciter obfirmat uultum suum: qui autem rectus est, corrigit uiam suam. Pro. 29. Viro qui

corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. At Iesus æterna ueritas, quę nescit assentari, quũ sola sit inculpabilis, nec in aliud tamẽ obiurgat nisi ut medeatur malis, respondit: Si quæ dico, in uos q̃que competunt, uti fateris, igitur & uobis legisperitis uæ. Itaq; fit ut hoc ipso quo studetis dissimulare malitiam uestram, prodatis. Quando is qui docet, ea quæ docet præstat, alleuiat onera, exemploq; suo consolationem affert discipulis: quãdo autem nihil horum facit quæ docet, grauia uidentur onera discipulis, ita ut à doctore rectè faciendi nullam uim accipiant.

Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & parapsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & parapsidis, ut fiat & id quod deforis est, mundum. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus uero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sic & uos à foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.

Væ qui præpostere munditiem curatis. Non eñ inquinat animum, si quis bibat ex illoto calice: sed si quis bibat uinum fraude partum, si quis ad luxũ bibat, non ad necessitatẽ. Tu exteriores poculi partes, hoc est, exteriorem habitudinem fricas, ut elegantiores sint: intus autem te imples sordibus, rapis, iniuria afficis alios, oportet te intus lauari in ani

ma,ut puritate animæ cohonestetur & exterior dignitas. Væ qui tantum abestis à uera mũditie,ut magis similes sitis sepulchris,quæ foris nitent opere albario,titulis uarijsq; picturis,quum intus sint omni spurcitia referta. Eccĩ. 10. Cum moritur homo,hęreditabit serpentes & bestias & uermes. Sic & uos foris uidemini religiosi & integri, quũ animus undiq; scateat simulatione,omniq; genere uitioꝝ madeat. Origenes: Hic sermo nos instruit,ut festinemus esse iusti,non apparere:qui enim studet ut appareat iustus, quæ à foris sunt mundat, & quæ uidentur curat,cor autem suum & conscientiam negligit,hic hypocrita dicitur,& intus plerunq; impletur auaritia, lasciuia,malignitate.

Hypocrita quis habendus.

Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ,qui ædificatis sepulchra prophetarum,& ornatis monumenta iustorum,& dicitis:Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus socij eorũ in sanguine prophetarum. Itaq; testimonio estis uobismetipsis, quia filij estis eorum qui prophetas occiderunt. Et uos implete mensuram patrum uestrorum. Serpentes, genimina uiperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?

Væ quod ad falsam ostẽtationem sanctimoniæ, magnifice extruitis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorũ. Miseros dicit,non quòd ædificarẽt sepulchra:hoc enim deo gratũ: sed qui se iustos simulabãt,& patres suos condemnabant,deteriores illis existentes,malitiaq; excellentes, manifeste mentiebantur. Nam maiora moliebantur aduersus eum qui prophetarum dominus. Luc. 11. Væ

uobis qui ædificatis monumenta prophetarum, patres autem uestri occiderunt illos. Profecto testificamini, quòd consentiris operibus patrum uestrorum: quoniamquidem ipsi eos occiderunt, uos autem ædificatis eorũ sepulchra. Chrysostomus: Quidam ædificant martyrum monumenta, basilicas, & tamen uiolentiam faciunt: sed non gaudent sancti, quando pecunijs honorantur, pro quibus pauperes plorant. Eccl. 34. Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui uictimat filium in conspectu patris. Agedum respondete maioribus uestris, & q̃d deest illorum extremæ malitiæ & crudelitati, uos ne quid desit, implete. Illi prophetas occiderũt, uos eũ quem prædixerunt prophetæ. Declarat eos nepotes & hæredes malitiæ Cain. Chrysostomus: Dicebant pharisęi: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non communicassemus cum illis in facto, sed falso. Nam germina erant uiperarum. Vt enim uiperæ matribus ueneni similitudine coniunguntur, sic & illi patribus cupiditate cædis. Iniqui, & iniquorum filij, & parentibus multo iniquiores: fœdiora enim scelera perpetrarunt, tum quia post illos, tum quia maiora commiserunt, & maxime quia iactabant se patribus in talibus non fuisse consensuros, ut tanta patrassent crimina. Quum ergo tam inuincibili (ait) fitis malitia, quum nullis beneficijs, neque miraculis, neq; blandis sermonibus, neque austeris, neq; pollicitis, neq; minis possitis corrigi, ut interim effugiatis iudicium hominum, quomodo effugietis iudicium gehennæ?

Mat. 23. E

Ideo dico uobis: Ecce ego mitto ad uos prophe-

tas, & sapientes, & scribas: & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis uestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, ut ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico uobis, uenient hæc oīa super generationem istam.

Ostendit hominum uitio prouenire, quo minus salutem consequantur. Lucæ undecimo: Propterea & sapientia dei dixit: Mittam ad illos prophetas & apostolos, & ex illis occident. Quid amplius faciam isti nationi intractabili? Misi Mosen, misi prophetas, mittam ad eos postremo omnium prophetas qui legem spiritualiter interpretentur. Nihil intentatum relinquam quo possint ad meliora conuerti. Sapien. duodecimo: Tu autem dominator uirtutis cum trāquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos. Mitto dicit, quia nunquam destitit mittere operarios in uineam suam. Matt. 20. & ipsius est mittere, quia quotquot uenerunt non missi ab eo, fures sunt & latrones. Iohan. 10. Hiere. 23. Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad illos, & ipsi prophetabāt. Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent uerba mea populo meo: auertissem utiq; eos à uia sua mala, & à cogitationibus suis pessimis. Hinc Matthæ. 9. Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Chrysost. Apostolos uocat prophetas,

quia ſpiritu prophetico pleni: ſapientes, quia corda hominũ ſapientia erudiebãt diuina, qua pleni erãt. 1. Corin. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos, ſapientiam uero non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi quæ deſtruetur: ſed loquimur dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit deus ante ſecula in gloriam noſtram, quã nemo principum huius ſeculi cognouit. 1. Corin. 3. Sapientia enim huius mũdi ſtultitia eſt apud deum. Nam promiſit illis Iohan. 16. Cum uenerit ſpiritus ille ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. 1. Corin. 12. Et quoſdam quidem poſuit deus in eccleſia, primum apoſtolos, ſecũdo prophetas, tertio doctores. Ephe. 4. Et ipſe dedit quoſdam quidem apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios uero euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. Prophetæ, qui futura prædicendo, pœnæ comminatione & præmij promiſſione à malis retraherent. Sapientes, qui in bono inſtituerent. Scribæ, qui in lege periti ſcripturas declararent. Mat. 13. Omnis ſcriba doctus in regno cælorum, ſimilis eſt homini patrifamiliãs, qui profert de theſauro ſuo noua & uetera. Ecce quãta dei diligẽtia ad reuocandos errantes. Eſa. 46. Redite præuaricatores ad cor. Sed Hiere. 25. Miſit dominus ad uos omnes ſeruos ſuos prophetas, conſurgens diluculo mittensq́, & non audiſtis neq́ inclinaſtis aures ueſtras, ut audiretis cum diceret: Reuertimini unuſquiſque à uia ſua mala, & à peſſimis cogitationibus ueſtris, & non audiſtis me, dicit dominus, ut me ad iracundiam prouocaretis, in operibus manuum ue-

strarum, in malum uestrum. Vnde sequitur, occidetis &c. Non solum non audietis, nam Iacobum occiderunt, Actuum 12. & Stephanum, Actuum 7. discipulos flagellarunt, Actu. 5. conuocantes apostolos, cæsis denunciauerũt, ne omnino loquerentur in nomine Iesu. Adeò enim non receperũt, ut persequerentur eos de ciuitate in ciuitatem, donec insanabili sua malitia compellerent ire ad gentes. Actu. 13. Vobis oportebat primũ loqui uerbum dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. sic enim præcepit nobis deus. Sic illorum malitia dei uicit bonitatem. Dei enim sapientia quæ ineffabili consilio temperat omnia, priusquam puniret illorum pertinacem malitiam, omnibus modis reuocare studuit à crudelitate. Cæterum ubi iam declarata fuerat omnibus, simul & immensa dei bonitas, & illorum inuicta peruersitas, tanto atrociores passuros prænunciauit pœnas, q̃nto diutius tolerati sunt, quanto maioribus beneficijs prouocati sunt ad pœnitentiam. Vt ueniat, dicit, omnis sanguis, id est, ultio sanguinis iusti effusi. Sic Pharisæi dicebant apostolis Act. 5. Ecce replestis Hierusalem doctrina uestra, & uultis inducere super nos sanguinem hominis istius. Tenetur hic, ut, cõsecutiue, non causaliter: quia non est affectus uoluntatis, sed consecutio æqtatis. Abel meminit, quia propter inuidiam occisus à fratre, Gene. 4. 1. Iohan. 3. Non sicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erãt, fratris autem eius iusta. Ira &CHRISTVS Matt. 27. Sciebat enim quoniam propter inuidiam

tradidissent eum summi sacerdotes. Sapi.2. Grauis est nobis etiam ad uidendum, quoniã dissimilis est aliis uita illius, & innouatę sunt uiæ eius. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à uijs nostris tãquam ab immunditijs. O quot tales sunt, q̃ uolunt meliorẽ uitã uiuere, ne degeneres ipsi cogantur improperia sustinere. Sap.2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum imitãtur autem illum, qui sunt ex parte illius. De Zacharia habetur 2.Para.24. Mittebat eis prophetas, ut reuerterẽtur ad dominum, quos protestantes illi audire nolebant. Spiritus autem domini induit Zachariam filium Ioiadæ sacerdotem, & steterit in conspectu populi, & dixit eis: Hæc dicit dominus: Quare transgredimini præceptum domini q̃d uobis non proderit, & dereliquistis dominũ ut derelinqueret uos? Qui congregati aduersus eum, miserunt lapides iuxta regis imperium in atrio domus domini. Et non est recordatus Ioas rex misericordiæ quam fecerat Ioiada pater illius, sed interfecit filiũ eius. Qui cũ moreretur, ait: Videat dominus & requirat. Obserua Ioiadam fuisse binomium, quemadmodũ plures in nouo & ueteri testamento. Vnde in euangelio q̃ uocatur Nazaræi, filius Ioiadę ponitur, ut dicit Hieronymus. Hic autem eius iustitia prædicatur. Barachias enim benedictus domini dicitur. Sed quũ neutrum occiderint, cur pœna & mala super hanc generationem uentura dicuntur? ait enim dominus Deu.24. Non occidẽtur patres pro filijs, nec filij p̃ patribus, sed unusquisq; pro peccato suo morietur. Ezech.18. Filius nõ portabit iniquitatem patris, neq; pater iniquitatem filij, Iustitia iusti super eum, & impietas

impij erit super eum. Contra hic, & Nume.14. ait Moses: Dominus patiens & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera, nullumq; innoxium derelinquens, qui uisitas iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Sed nunquid iniustus est deus? Roman.3. Nunquid iniquus est deus qui infert iram? Secundum hominem dico. Absit, alioqui quomodo iudicabit deus hunc mundum? Interroga dominum, & audi dicentem Exod. 20. Ego sum dominus deus tuus, fortis zelotes, uisitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia, his qui diligunt & custodiunt præcepta mea. Vnde & hic ipsos filios dixit uiperarum. Chrysostomus: Dum dicit, requirentur hæc omnia à generatione ista, idem est quod alibi dicit, reddens iniquitatem parentum in filios in tertiam & quartam generationem. Exod. 20. non quòd alieni peccati luat quisquam supplicia, sed qui multos propter peccata sua uexatos non ignorat, neque idcirco factus est melior, sed etiam committens non curat, illorum quoque pœnas iuste sustinebit. Quantum ad homines, multæ sunt generationes, diuersis temporibus sibi succedentes: quo ad deum, duæ. Bonorum. Psalm. 33. Hæc est generatio quærentium dominum, quærentium faciem dei Iacob. Sapien. 4. O quàm pulchra est casta generatio. Vnde Psalm. 15. Dominus in generatione iusta est. Quia generatio rectorum benedicetur. Altera malorum. Psal. 77. Generatio praua & exasperans, generatio quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum deo spiri-

Generationes quot.

tus eius. Deut. 32. Generatio praua atq; puersa, hæc cine reddis dño populo stulte atq; insipiēs? Vniuersi ergo sancti in uirtutibus similes, in una generatione computantur, quia imitatores uirtutum: sic & mali, malitia similes, à primo parricida, usq; ad ultimum perditionis filium in una generatione. Ioh. 8. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri uultis facere. Ille homicida fuit ab initio. Signatur autem dominus per hos duos, quia sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Heb. 7. & pastor ouium, Ioh. 10. Sic & quo ad corpus mysticum, in quo quotidie persecutionem patitur. Hinc Saulo dixit Act. 9. Saule Saule, quid me persequeris? Abel enim simplex pastor ouium, ob uitæ innocētiam in agro passus est. Zacharias sacerdos propter sanam correptionis doctrinam, in templo lapidatus est. quare utriusq; gradus martyres designantur, & laici, & altaris officio deseruientes. Luc. 11. Væ uobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ: & ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis. Cum hæc ad illos diceret, cœperunt pharisæi & legisperiti grauiter insistere, & os eius opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere ex ore eius, ut accusarent eum. Dum legem perperam interpretamini, oppugnatis quod est totius legis caput. Doctrina enim legis ad Christum ducit. Ro. 10. Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Esa. 7. Nisi credideritis, non intelligetis. Iohā. 5. Si crederetis Mosi, crederetis utiq; & mihi, de me enim ille scripsit. Ad huiusmodi sermones, subamaros quidem ob libertatem ueritatis, sed salutiferos, si uoluissent recipere pharmacum, uchemēter offensi sunt & pha

risæi & legisperiti. Habet enim hoc & hypocrisis pharisaica, ut nihil tam impium moliatur, cui non prætexat pietatis fucum. His dictis clementissimus dominus Iesus, q pro sua bonitate nolebat quẽquam omnino perire, considerans miserabile urbis Hierosolymitanæ, quod imminebat de propinquo excidium, nam illius oculis omnia erant præsentia, simul & illorum inexpugnabilem peruicaciam, qua diuinam lenitatem uersuri erãt in furorem, oratione lamentabili deplorat Iudaicæ gentis deuastationem.

Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas et 2
lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodũ gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta.

Hiero. Non saxa & lapides ciuitatis, sed habitatores alloquitur, quos patris plãgit affectu. Vnde bis replicat misertus eius, & magna compassione eam reuocans, expostulans cum ea quasi cum dilecta, q̃ dilecto cõtempto nisi reuerteretur, pœnas datura sit. Hinc Esa. 1. Heu cõsolabor de hostibus meis, & uindicabor de inimicis meis, & cõuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam. Hierusalem, ait, non Aegyptus, non Babylon, sed tu q̃ caput es religionis & magistra. Esa. 2. De Sion exibit lex & uerbum domini de Hierusalem. Chryso. Non dicit quæ lapidasti, sed lapidas & occidis, quasi dicat, naturalem habes consuetudinem ad hoc. Qui ad te instruendam & reuocandam missi sunt. Hier. 18. Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ? Luc. 15. Hierusalem Hie-

rusalem,quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te mittuntur. Mira dei benignitas,quia non obstantibus occisionibus sanctorum,non tamen desistit reuocare eos à malitia. Hinc ait,quoties,quia nō semel aut bis:quo etiam uerbo indicat omnes retro prophetas à se missos. Heb.1. Multifariam multisq; modis olim deus loquēs patribus in prophetis,nouissime diebus istis locutus est nobis in filio. Vnde Apostolus 2.Cor.5. Pro Christo legatione fungimur, tanq̄ deo exhortante per nos, obsecramus,p Christo,reconciliamini deo. Congregare,ait, nō dispergere uel punire. Ioh.10. Lupus rapit & dispergit oues. Lu.11. Qui nō colligit mecum,dispergit. Nihil autem sic dispergit à deo ut peccatum,& nihil sic ad deum aggregat ut uirtus. Lu.13. Quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pēnis,& noluisti? Metuens enim pullis suis, cōgregat eos,fouetq; sub alis. Matthæus auem designans,gallinam nominat,quæ affectu infirmatur. Sic Christus sua nos gratia sub alis protectionis suę protegit contra diabolicos incursus, & gratia sua fouet. Psal.56. Miserere mei deus miserere mei,qm̄ in te confidit anima mea:& in tegmine alarum tuarum sperabo,donec transeat iniquitas. Maiori quidem affectu Christus nos,q̄ gallina(quę naturali m̄ pullos fouet affectu)congregat in unitatem fidei & dilectionis,quia supercælesti & immenso amore,& superbona uoluntate. Vnde & mori uoluit,Ioh.11. non solum pro gente, (Iudæorum) sed ut filios dei qui erant dispersi,congregaret in unum. Hinc Psal. 35. Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt,Inebriabuntur ab habertate domus tuę,

& torrente uoluptatis tuæ potabis eos. A me nihil omissum est quo seruareris, sed cõtra nihil à te prætermissum est, q̃ tibi perniciem accersires, salutẽ excluderes. At cui semel data est arbitrij libertas, inuitus seruari non potest. oportebat meę uoluntati uestram respondere uoluntatem. Deus etsi possit coactionem inducere auferendo libertatem, non tñ manente proprietate libertatis arbitrij & eius naturæ, quia hoc non solum non est impossibile, sed & non intelligibile, implicans in se duo contradictorie opposita. Aug. Voluntas dei semper impletur, aut de nobis, aut à nobis. De nobis impletur, & tamẽ non implemus eam quando peccamus: à nobis, quando bonum facimus. Ideo enim facimus, quia deo placere scimus: & sic de homine deus semp implet suam uoluntatem, quia nihil facit homo de quo deus non operetur suam uoluntatem. Non uult deus ut peccet homo: sed si peccauerit, pœnitenti uult parcere ut uiuat. Ezech. 18. Nunq̃d uolũtatis meæ est mors impij, dicit dominus, & non ut conuertatur à uijs suis & uiuat? In peccatis uero perseuerantem uult punire ut iustitiæ porentiam non euadat. Ro. 9. Voluntati eius quis resistit? Esa. 46. Consilium meum stabit, & omnis uoluntas mea fiet. Ex mea ergo parte uolui, & tu noluisti: & quod uolui etiam te nolente, uoluntate efficaci feci. 4. Reg. 17. Et testificatus est dominus in Israel & in Iuda per manum omnium prophetarum & uidentium, dicens: Reuertimini à uijs uestris pessimis, & custodite præcepta mea & cęremonias iuxta oẽm legẽ quam p̃cepi patribus uestris, & sicut misi ad uos in manu seruorũ meorũ

Voluntas dei quõ semper impleatur.

prophetarũ. Qui non audierunt, sed indurauerunt ceruicem suam, iuxta ceruicem patrum suorum, qui noluerunt obedire domino deo suo. Sed quia noluerunt congregari spiritualiter, dispersi sunt & corporaliter. Chrysostomus: Sicut ante mortem præcedit insanabilis infirmitas, sic & ante ruinam aut hominis, aut ciuitatis, aut loci, inemendabilia præcedunt peccata. Hinc dominus de Cananæis ait Abraę Gene. 15. Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorræorum usq; in hunc diem. Ciuitas autem dei auxilio destituta, satis deserta est. Et quia pulli non audierunt matrem uocãtem, uenit accipiter Romanus, partim occidens & partim dispergens. Dan. 9. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce uenturo, & finis eius uastitas. Quàm diu uitam bene gerebant, & templum dei erat: quia autem & illud contaminauerunt, iam nõ erat domus dei, sed ipsorum. Discim⁹ ergo hoc loco, quod propter nos deus templa inhabitat: quod si nos pœnitendi fueri mus, relinquuntur & templa. Sic deus nolentes colligi deserit, quia anima quæ templum est spiritussancti, 1. Corinth. 6. igne libidinis & uitiorum concrematur. Sapien. 1. In maleuolam animam non introibit spiritus sapientiæ.

Cur deus inhabitet templa.

3 *Dico enim uobis: non me uidebitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui uenit in nomine domini.*

Relinquemini in cęcitate mẽtis uestrę donec aliquando, uel tantis docti malis, resipiscatis. Dico enim uobis: posthac non uidebitis me, quousque ueneritillud tempus, q̃ me uidẽtes oculis fidei, dicatis: Benedictus qui uenit in nomine domini, quem nunc

calumniamini ueniſſe in nomine Beelzebub. Quũ dominus iſta dixerit poſt diẽ palmarũ, in qua eũ populi cum laudibus iſtis in Hieruſalem deduxerunt, cogit myſtice ipſa intelligi debere, ut Iudæi quem nunc contemnunt humilem, tunc in maieſtate uenientem confiteantur uel inuiti, quando uidebunt in quem transfixerunt, Apoca. 1. Matth. 26. Veruntamẽ dico uobis: amodo uidebitis filium hominis ſedentem à dextris uirtutis dei, & uenientem in nubibus cæli. Vel ſecundum Hieronymum, inſinuatur tempus pœnitentię. q. d. Niſi pœnitentiam egeritis, & confeſſi fueritis ipſum me eſſe de quo prophetæ prædixerunt, filium omnipotentis patris, faciẽ meam non uidebitis. In quo notatur cõuerſio reliquiarum ante domini aduentum ad iudicium. Rom. 11. Nolo enim uos ignorare fratres myſterium hoc, ut non ſitis uobiſipſis ſapientes, quia cęcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret.

De oblatione uiduæ, Mar. xij. Luc. xxi.

ARTICVLVS CXI.

ET ſedens Ieſus contra gazophylacium, aſpiciebat quomodo turba iactaret æs in gazophylacium. Mar. 12. F

Oſtendit deum donaria noſtra non æſtimare ex modo rei, ſed ex affectu mentis. His enim peractis, conferebat ſeſe in eam templi partẽ, in qua erat gazophylacium, in quo ſeruabantur donaria templi. Poſita enim erat arca iuxta portam domus domini

forinsecus, pro reparatione & conseruatione templi, & oblationum in eo, munera dare uolentium, 2. Paralip. 24. Quum enim præcepto dei tabernaculum ædificaretur, miro affectu populus donaria præbebat. Exod. 25. Loquere filijs Israel, ut tollant mihi primitias: ab omni homine qui offert ultrone us, accipietis eas. Facientq; mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum, iuxta omnem similitudinem quam ostendam tibi, & omnium uasorum in cultum eius, Exod. 35. Egressaq; omnis multitudo filiorum Israel à conspectu Mosi, obtulerunt mente promptissima atq; deuota, ad faciendum opus tabernaculi testimonij. Exo. 36. Vnde artifices uenire compulsi, dixerunt Mosi: Plus offert populus q̃ necessarium est. Sic tempore Dauid pro ædificatione templi. 1. Par. 29. Locut⁹ est Dauid rex ad oẽm ecclesiam: Opus grande est, neq; enim homini præparatur habitatio, sed deo. Lætatusq; est populus cũ uota sponte promitteret, quia corde toto offerebãt ea domino. Sed & Dauid rex lætatus est gaudio magno, & benedixit domino coram uniuersa multitudine, & ait: Benedict⁹ es deus Israel patris nostri ab æterno & in æternũ. Cuncta q̃ in cælo sunt & in terra, tua sunt. Tua sunt oĩa, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Scio deus meus, q; probes corda & simplicitatem diligas. unde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli uniuersa hæc, & populum tuũ qui hic repertus est, uidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Domine deus, custodi in æternũ hanc uoluntatem cordis eor̃, & semp in uenerationem tui mens ista permaneat. Sic sub Ioiada sacerdote & Ioas rege, oblationibus populi repa

rata, 2. Paral. 24. Hinc dominus ait Aggei. 1. Ponite corda uestra super uias uestras, seminastis multum, & intulistis parū: comedistis, & non estis saturati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis uos, & non estis calefacti. Respexistis ad amplius, & ecce factū est minus. Intulistis in domum, & exufflaui in illud. Quā ob causam, dicit dñs exercituum? Quia domus mea deserta est, & uos festinastis unusquisq; in domū suā, propter hoc sup uos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem: & terra prohibita est, ne daret germen suum: & uocaui siccitatem super terrā, & sup montes, & super triticum, & super uinum, & super oleū, & quæcunq; profert humus, & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum. Ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit dominus.

Et multi diuites iactabant multa. Cum uenisset autem una uidua pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. 2

Erat sacer thesaurus quē pij contribuerunt, quo utebantur ad apparationē & necessaria sacrificij, & ornatum templi, quanuis & de hoc postea sacerdotes negociationem fecerint, distribuentes non in ea ad quæ contributus fuerat. Hinc eos qui multa mittebant, ueluti cęteris sanctiores haberi uolebāt, pietatem illorum ex doni modo metientes, & populum seducentes, quasi sine pœnitentia oblationes auferrent peccata. Hiere. 11. Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferēt à te malitias tuas? Esa. 1.

Quo mihi multitudinem uictimarũ uestrarum, dicit dominus? plenus sum. Cum extenderitis manus uestras, auertam oculos meos à uobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum uestrarum, quiescite agere peruerse, discite benefacere. 2. Mach. 5. Nõ enim propter locum gentem, sed propter gentẽ deus locum elegit. Hinc Hiere. 7. Bonas facite uias uestras & studia uestra, & habitabo uobiscum in loco isto. Nolite confidere in uerbis mendacij, dicentes, templum domini, templum domini.

3 Et conuocans discipulos suos, ait illis: Amen dico uobis, quoniam uidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt: hæc uero de penuria sua omnia quæ habuit, misit, totum uictum suum.

Uidue oblatio vnde potissimũ commendetur.

Longe discrepat Iesu iudicium à iudicio phariſæorum & scribarum, quod noluit latere discipulos suos. Igitur quo magis hęc infigeret animis populi, homines apud deum non æstimari ex rebus uisibilibus, sed animi synceritate, simulq; taxaret scribam, phariſæorum & sacerdotum auaritiam, ait: Hæc uidua hominum iudicio uidetur minimum misisse in gazophylacium: at ea dei iudicio plus misit quàm illi diuites, qui copiosissime miserunt. Luc. 21. Nam oẽs hi ex abundanti sibi miserũt in munera dei, hęc autem quod deest illi, omnem uictum suum quem habuit, misit. Commendat uiduæ oblationem, quia iusta, quia de proprio. Prouerb. 3. Honora domi-

uum de tua substantia. Eccĩ.34. Dona iniquorum nõ probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propiciabitur peccatis. Secundo, quia libera, nõ coacta misit. 2. Corin. 9. Vnusquisq; prout destinauit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate. hilarem enim datorem diligit deus. Eccĩ. 35. In oñi dato hilarem fac uultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Tertio, quia magna, non quantitate molis, sed affectus. 2. Cor. 8. Si enim uoluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet. 2. Corin. 9. Qui parce seminat, parce & metet. Eccĩ. 35. Da altissimo secundum donatum eius, & in bono oculo adinuẽtiõem facito manuum tuarum, quoniam dominus retribuens est, & septies tãtum reddet tibi. Noli offerre munera praua, non enim suscipiet illa: & noli inspicere sacrificium iniustum, quoniam deus iudex est, & non est apud illum gloria personæ.

De consummatione templi, ciuitatis, & mundi, Mat. xxiiĩ. Mar. xiĩ. Lu. xxi.

ARTICVLVS CXII.

ET egressus Iesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli eius, ut ostenderẽt ei ædificationes templi. Ipse autem respondẽs, dixit illis: Videtis hæc oña? Amen dico uobis, non relinquetur hic lapis super lapidẽ, qui non destruatur. Mat. 24. G

Post euangelicæ legis institutionem, promulgationem, & confirmationem, de finali agit iudicio,

mundi & urbis Hierosolymitanæ consummatione. Egressu suo ostendit, quod à Iudæis migraturus sit, & sicut dixit q̃ relinqueret dom⁹ eor̃ desertã, ita & fecit inde discedens, aliud templum nobis excitaturus, uere sanctum & spirituale, solidam structuram ac firmam, aduersus quam nec inferorum portæ forent prævalituræ. Discipuli admirantes, ostendunt domino templi molem, opere tam admirabili, ut indignũ uideretur destrui: tum adeò firma structura, ut non uideretur posse dirimi. Iudæi enim p̃cipuam gloriam habebant in templo, quod operosissime constructum, magnificis & donarijs locupletatũ, magna religione uisebat, non solũ ab oĩbus Iudæis, uerũ etiam ab alienigenis. Lu. 21. Et quibusdã dicẽtibus de templo, q̃ bonis lapidibus & donis ornatũ esset. Mar. 13. Et cũ egrederet de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister, aspice q̃les lapides & quales structuræ. Et respondẽs Iesus, ait illi: Vides has magnas ædificationes? Luc. 21. Hæc quæ uidetis, uenient dies in quibus non relinquetur lapis sup lapidem, qui non destruatur. Nihil est omnium horum tam munitum, aut pulchrũ, aut sanctum, quod non sit demoliendum: quare nihil proderunt ei preciositas & uenustas. Sic & unusquisq; suscipiens uerbum dei, templum sit dei, quod est sanctum & pretiosum, 1. Cor. 6. si uero peccauerit, fit causa suæ desertionis, ita ut Christus egrediatur.

Mat. 24. H

Sedente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui & consummationis seculi? Et respondens, dixit eis: Videte ne quis uos seducat. Multi enim uenient in nomine

meo, dicẽtes: Ego sum CHRISTVS, *& multos seducent.*

Quum sederet habens templum in prospectu, adeunt eum cognituri certius aliquid de tempore tantæ calamitatis uenturæ. Marc. decimotertio: Et quum sederet in monte Oliuarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus & Iacobus & Iohannes & Andreas: Dic nobis, quando istæ fient? & quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari? Tria interrogabant: Quo tempore Hierusalem destruenda, & quod signum Christi aduentus, & tertio quod signum consummationis seculi: hoc agentes, ut quemadmodum transfigurationis arcanum paucis seorsum crediderat, ita de tempore uenturi regni paucis communicaret, quod alijs omnibus crediturus non esset. Suspicabantur enim mox à uastatione ciuitatis Hierosolymitanæ, tẽpliq; demolitione, rursus aduenturæ Christum in maiestate. Discipuli de regno cogitabant, dominus autem qui suis exemerat solicitudinem uictus, libidinem uindictæ, prouidentiam uitæ, uoluit & curiositatem cognoscendi quæ ad salutem non pertinent, eximere. Sed quemadmodum omnibus expedit hoc scire, quòd aliquando finient hanc uitã, ut semper in eum diem sese præparent: ita uolebat persuasum esse discipulis, uenturum tempus quo rediret iudex uiuorum & mortuorum: cæterũ quando id uenturum esset, quoniam nõ expediebat, scirl nolebat. Regnum enim illud beatum aliquando uenturæ est, & suo tẽpore uenturæ eius rei curã deo committere magis expedit. Act. 1. Non est uestrum

nosse tempora uel momenta, quæ pater posuit in potestate sua. Nostrum est interim sic nos gerere, ne regno uideamur indigni. Hinc non aperte & determinate respondet, quo cautos reddat. Luc. 21. Videte ne seducamini. multi enim uenient in nomine meo, dicentes quia ego sum, & tempus appropinquauit. Nolite ire post eos. Venient ante tempus illud quo uenturus sum, pseudo Christi, & inuenient stulte credulos quos fallant. Nolite talium uerbis commoueri, & si quo uocabunt uos, nolite sequi.

2 *Audituri enim estis prælia & opiniones prælio-rum. uidete ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ & fames & terræ motus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Tunc tradent uos in tribulationem, & occident uos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scãdalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem.*

Tumultus rerũ omnium, speciem præbebit iam instantis mundi finis. Verum ne protinus ista deiiciant animos uestros, ut existimetis instare tempus illud extremum. Prouerb. 12. Non contristabit iustũ quicquid ei acciderit, impij autem replebuntur malo. Prouerb. 28. Iustus quasi leo confidens, absq; terrore erit. Non enim turbantur iusti insurgentibus tribulationibus, certi de adiutorio diuino. Psal. 90. Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tri-

bulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. 1. Cor. 10. Fidelis deus, qui non patietur uos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere. Actu. 14. Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum dei. Hæc præludia duntaxat erunt mundi finiendi, quemadmodū in senili corpore, crebri morbi prædicunt breui collapsurum. Quin & terra ipsa uelut indignata tam impios homines sustinere & alere, motibus concutietur: quin & aer uelut indignans impijs uita & halitu indignis, pestilens erit & lœtalis. Huiusmodi multa quum uideritis fieri, ne protinus expectetis finem. Erunt enim hæc tantum exordium ac procœmium uenturæ calamitatis, quæ malos perdet, bonos examinabit purgabitq;. Nec uos interim eritis absq; huiusmodi malis immunes: siquidem in hoc rerum tumultu pertrahent uos in uarias afflictiones. Inexpectata, terrere & conturbare consueuerunt: ideo tempestiue interserit narrationem illam, ut ex communibus habeant consolationem quādam in proprijs calamitatibus. Non mediocris autem consolatio, quòd propter ipsum passuri erant. 1. Pet. 4. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quia quod est honoris & glorię, & uirtutis dei, & qui est eius spiritus, super uos requiescet. Nemo autem uestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem deum in isto nomine. Prædicit & quod præ omnibus graue, nempe à maxime familiaribus impugnari. Ioh. 16. Venit hora ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequium se præstare deo.

3 *Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit.*

Quin & aliud malorum genus grauius erit. Exurgent falsi doctores, qui simulantes sese prædicare euãgelium meum, suæ gloriæ, sui quæstus, suiq; uentris agent negocium: proq; meo spiritu satanæ spiritum inferent discipulis: pro regno cælorum, regnum huius mundi docebunt. Horum technis illaqueabũtur etiam ij, quos tormenta superare nõ poterant. Nullus enim capitalior hostis, quàm domesticus & fucatus amicus. Tempus consummationis falsos prophetas habebit & famem & pestilentias, ex continuis bellis, quę contingent ob charitatis penuriam. Hieronymus: Non omnium negauit fidem, sed multorum. Multi enim uocati, pauci uero electi, Matth. 20. Sola enim perseuerantia coronabitur. 2. Timo. 2. Nam & qui certat in agone, non coronabitur nisi qui legitime certauerit. Nulla malorum uis quenquam poterit perdere, nisi quem animus rectus defecerit. Cõsolatur ergo quod propter ipsum passuri, & quod perseueraturi saluarentur. Vnde Actu. 5. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Hinc Roman. 8. Certus sum quia neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neque altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro.

Et prædicabitur hoc euangelium regni in uniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc ueniet consummatio.

Quãtumuis insurrexerint impostores, malæ doctrinæ prædicatores: aderit Christus suo euangelio, non erit prædicandi obstaculum. non enim uenturus est mũdi finis, priusq; hoc euangelium regni cælorum, per omnia regna mundi prædicetur, oñesq; nationes occuparit, ne qui parere noluerint, prætexere queant ignorantiam. Hoc ubi factum fuerit, tum ueniet mundi consummatio.

Cum autem audieritis prælia & seditiones, nolite terreri. oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens in gentem, & regnum aduersus regnum, & terræmotus magni erunt per loca & pestilentiæ & fames, terroresq; de cælo & signa magna erunt. Lucæ. 21. I

Dñs ac redẽptor noster pituri mũdi p̃currẽtia mala denũciat, ut eo minus pturbẽt ueniẽtia, q̃ fuerint p̃scita. Minus eñ iacula feriũt q̃ p̃uidenť: & nos tolerabilius mũdi mala suscipimus, si cõtra hæc p̃ p̃uidẽtiæ clypeũ munimur. Hæc Greg. Quũ aũt sublata fuerit charitas, merito locũ habẽt bella & seditiones. Cõcutiet rerũ natura, ueluti malitiã hoim detestata, & in scelerũ uindictam insurgens. Greg. Quia in cunctis deliquimus, in cũctis ferimur, ut impleat q̃d dictũ est Sap. 5. Acuet dirã irã in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Vt q̃t in mundo habuimus gaudia, tot postea cogamur sentire tormẽta. Fames, uelut terra negante

ſuam alimoniam, filijs tam impijs aduerſus deum, cui muta quoq; famulantur elementa. Nouis & inſolitis tumultibus concutiet orbis. Quin & cælum ipſum prodigia dabit, iram dei teſtãtia, cometis noua ſpecie ſeſe proferentibus, alijſq; prodigijs nouis & admirandis. Verum ut corpus humanum non ſtatim emoritur morbis ingentibus concuſſum, ſed tamen morbi ſubinde recurrentes, declarant non procul abeſſe mortis diem. Marc. 13. Initium dolorum hæc. Greg. Quia multa debent mala præcurrere, ut malum ſine fine ualeant prænunciare.

2 *Sed ante hæc omnia inijcient uobis manus, & perſequentur, tradentes in ſynagogas & cuſtodias, trahentes ad reges & præſides propter nomen meum. Continget autem uobis in teſtimonium. Ponite ergo in cordibus ueſtris, non præmeditari quemadmodum reſpondeatis. Ego enim dabo uobis os & ſapientiam, cui non poterũt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij ueſtri.*

Antequam hæc publica calamitas orbem corripiat, antecedet inſignis hominum peruerſitas, quæ dei bonitatem ad iram prouocabit. Vobis enim nomen meum, per quod ſalui fieri potuerunt, prædicantibus, inijcient manus, & omni genere malorum perſequentur, ueluti nocentes & maleficos. Act. 4. Nec enim aliud nomen ſub cælo eſt datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Nomen enim meum modis omnibus conabuntur abolere, ſed fruſtra: per quod & ueſtra probata fiet conſtantia, & illorum intelligetur merito damnata ne-

quitia, quod etiam torquentes uos, ueritatem uincere non potuerunt. Iohan. 15. Si me persequuti sunt, & uos persequentur. Si de mundo fuissetis, mundus utique quod suum erat diligeret: quia uero de mundo non estis, sed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mũdus. Sed quia priuati & imperiti erant, ne turbarentur reddituri rationem apud uiros sapientes, ait: Vocati in ius, ite, ne uideamini publicam autoritatem aspernari, nam hoc profuerit ad euangelij propagationem. Cæterum ituri, meo præsidio, uestraq; innocentia freti, nõ est quod metuatis illorum tribunalia, nec quod solicite meditemini apud uos, quomodo sitis acturi causam homines idiotæ & rudes legum ac forensium actionum, apud consessum magnatum & principum. Ego pmeum spiritum uobis adero patronus & aduocatus inuictus, qui uobis suppeditabit & linguam & sapientiam, cui non poterunt resistere, quantumuis crudeles aut diserti sint, etsi ad unum usque obstiterint. Actu. 6. Surrexerunt quidam de synagoga, disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur. 2. Corinth. 13. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?

Trademini autem à parentibus, et fratribus, & cognatis, et amicis: et morte afficient ex uobis, et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et capillus de capite uestro non peribit. In patientia uestra possidebitis animas uestras.

Cæterum huiusmodi persecutiones non solum expectandæ sunt ab alienis & hostibus, uerũ etiam

ab amicis & cognatis. Prędicit & hoc, ut ne cum uenerit subito turbentur. grauiter enim hæc animam cruciant. Greg. Minorem dolorem ingerũt, q̃ ab inimicis inferuntur: magis uero nos mala premunt, q̃ ab amicis ingeruntur: qa cum dolore corporis, mala nos cruciãt amissæ charitatis. Psal. 54. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu uero homo unanimis, dux meus & notus meus, q̃ simul mecum dulces capiebas cibos. Marc. 13. Cum duxerint uos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed q̃d datum uobis fuerit in illa hora, id loqmini. Non enim uos estis loquentes, sed spiritus sanctus. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte afficiẽt eos. Et eritis odio omnibus propter nomẽ meum. Qui autem sustinuerit in finem, saluus erit. Subdit ergo maximam cõsolationem, quia propter ipsum odio habendi, non propter scelera sua: & quod neq; minimum quiddam in eis corrumpatur, etiam si uideatur multis corrumpi. Quantumuis igitur desæuiant in uos persequutionum humanarum procellæ, non est quod metuatis, uidelicet me protegẽte. Non enim committam ut uel pilus capitis uestri pereat, tãtum abest ut sim uobis defuturus. Per patientiam possidebitis animas uestras, quas inimicus rapere cupit, & nihil uobis damni erit. Ne ergo respicite ad humana præsidia, sola tolerantia defenderis uitam uestram. Quisquis eñ perstiterit in bene cœptis usq; in finem, hic saluus erit. Nulla enim calamitas perdere ualet constanti pectore fidentem enim

gelio, nec potest pire q ob mei noīs ꝓfessionē occidit, neq; pibitis ante diē. Mat. 5. Beati q ꝓsecutionē patiunt, ꝓpter iustitiā, qm̄ ipsoꝝ est regnū cælorꝝ. Beati estis cū maledixerint uobis hoīes, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersus uos, mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cælis. 2. Tim. 2. Fidelis sermo: nam si commortui sumus, & cōuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus: si negauerimus, & ille negabit nos: si non credimus, ille fidelis ꝑmanet, seipsum negare non potest. Hinc ait Paulus Act. 21. Ego non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum, propter nomen domini Iesu.

Cum ergo uideritis abominationem desolationis, Mat. 24. K
quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus. Orate autem ut non fiat fuga uestra hyeme uel sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.

Ostendit oratione deuota, superuēturā mala euadere quempiam posse, & uita sancta. Quū uideritis idolum abominationis, q̄d conabitur funditus sub-

uertere religionem euangelicam, de quo olim uaticinatus est Daniel, Daniel. 9. Erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. 2. Thes. 2. Rogamus uos fratres, per aduentum domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum, ut non cito moueamini à uestro sensu, neque terreamini neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies domini. Ne quis uos seducat ullo modo. Quoniam nisi uenerit * dissensio primum, & reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur deus, aut q̃d colitur, ita ut in templo dei sedeat, ostendens se tanquam sit deus. Daniel. 8. Robur datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata, & prosternetur ueritas in terram, & prosperabitur & faciet. Daniel. 9. In dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Hieronymus: Quando ad intelligentiam prouocamur, mysticum mõstratur esse quod dicitur. Non ergo impossibilis intellectus, sed difficilis, huius prophetiæ. Daniel. 12. Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum usque ad tempus statutum. plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia. Vnde 2. Pet. 1. Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Nam figurarum inuolucris obscura est, neque intelligi potest absque interpretatione, non cuiuslibet, nec arbitraria. Non enim uoluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti dei homines. Quod ergo adflatu diuini spiritus proditum est, id

*discessio

requirit interpretem simili adflatum spiritu. Potest & accipi de statua quam Pilatus in templo posuit, imagine Caij Cæsaris, uel quam Helius Adrianus posuit, quæ ad tẽpora Hieronymi durauit, ipso teste, in templo desolato & destructo. In scriptura eñ idololatria abominatio dicitur. Fuit enim figura Antichristi, quemadmodum destructio & desolatio ciuitatis, finis mundi: quare mixtim hic ponuntur. Luc. 21. Cum autem uideritis Hierusalem circundari ab exercitu, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in medio eius, discedant: & qui in regionibus, non intrent in eam, quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt. Hæc ita futura olim prædixere prophetæ. necesse est autem euenire quicquid prædixit euenturum scriptura, quæ non fallit, quippe diuini spiritus afflatu scripta. Nec ideo tamen incidet hæc calamitas, quia sic fore prædixerunt prophetæ: sed ideo prædictum est, quod deus præuiderit hominum peruicacem impietatem, qua diuinam ultionem in se prouocarent. Tanta autem erit tribulatio, ut nemo resistere possit, sed sola fuga saluare: nec tunc uacabit rebus consulere. magnum, si celeri fuga uitæ consulatur. Illa enim recuperari possunt, uita semel amissa sarciri non potest. Væ autem grauidis & mamma lactantibus, quoniam onustæ sarcina, quam deponere nec uolent, nec possunt, non erunt expeditæ ad fugam. Nam pueros ob amorem neque sine cura relinquere possunt, nec secum auferre. Et secundum Orig. tunc non erit tempus miserendi, quum Re-

mani & prægnantes & lactantes interficiebant. Hieronymus: Væ & illis animabus, quæ non ad perfectum uirũ ſua germina perduxerunt, ſed habent initia fidei, ut eruditione indigeant magiſtrorum. De quibus Heb. 5. Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tẽpus, rurſum indigetis ut doceamini quæ ſint elementa exordij ſermonum dei, & facti eſtis quibus lacte opus eſt, nõ ſolido cibo. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum qui pro ipſa conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionẽ boni & mali. Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ. Paruulus enim eſt. Vobis autem, quos neq; domus, neq; poſſeſſiones remorabuntur, neq; liberi: tantum orãdum eſt, ne uobis incidat & fugiendum ſit hyeme aut ſabbato. nã & celeriter erit fugiendum, & procul. Cæterum hyems ob rigorem & lucis breuitatem, incommoda eſt peregrinantibus, & in monte habitantibus: & ſabbato legis obſtat religio, quo minus procul aufugiatur. Orandum & ne finiantur fructus noſtri operis cum fine temporis. Hyeme enim finitur fructus, ſabbato tẽpus. Luc. 21. Erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Et Hieruſalem calcabitur à gẽtibus donec impleantur tempora nationum. Hieroſolyma hæc opibus & religionis opinione ſuperba, cum ſuo templo ab incircunciſis conculcabitur, donec diutinis malis correcti Iudæi, tandem reſipiſcant, & in ſocietatem euangelicę profeſſionis coeant cum gentibus. Namid futurum eſt antequam ueniat ſupremus dies mũdi. Quæ hactenus dicta ſunt, partim ad excidiũ urbis

Hierosolymitanæ partim ad tẽpora persecutionũ, quæ lapidato Stephano incruduerũt, partim ad extremum mundi finem pertinere uidentur. Neq; tamen non subest tropologia, quæ docet nos ab oĩbus humanis impedimẽtis expeditos, semper oportere expectare diem illum, q̃ nos deo sistet iudicandos. Incum non potest paratus esse, qui uel ob temporalium rerum amorem, uel ob affect⁹ carnis, hoc est, amorem parentum, uxoris ac liberorum, reuocatur in periculum salutis æternæ. Porro quæ subiecit, magis uidentur pertinere ad supremum mundi diem, quem prçueniet ingens malorũ tumultus, ob aduentum antichristi. Mar. 13. Erunt enim dies illi tribulationis tales, quales non fuerũt ab initio creaturæ quam condidit deus, usq; nunc, neq; fient. Daniel. 11. Veniet tempus quale non fuit ex eo ex quo gentes esse cœperunt. Quod si hæc afflictio quẽadmodum erit sæua, sic etiam esset diuturna, non euaderet saluus quisquam mortalium. Psal. 77. Recordatus est qa caro sunt, spiritus uadens & nõ rediẽs. Quanq̃ malorũ peruersitas internecionẽ mereatur, tamen Mar. 13. propter electos quos elegit, breuiauit dies. Hieron. Non mensura, sed numero, ne temporum mora fides concutiatur credentium. 1. Cor. 10. Fidelis deus qui nõ patietur uos tentari supra id qd potestis, sed faciet etiam cum tẽtatione prçuentũ, ut possitis sustinere. Erit aũt horribilis dies illa, pẽsertim his qui meum tempus placidum, & ultro beneficijs inuitans ad mentem meliorem, spernunt.

Tunc si quis uobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudo Christi

& pſeudo prophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret uſq; in occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

De conſummatione ſeculi loquens, præmunit diſcipulos, ne ſe falſis prophetis ante aduentum ſuum uenientibus ſubdant. Luc. 17. Venient dies quãdo deſiderabitis uidere unum diem filij hominis, & non uidebitis: & dicent uobis, Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire, neque ſectamini. Non miremini ſi euenerint uobis tam moleſta, quæ uobis deſiderium afferant dierum quibus ego uobiſcum ago. Exorientur pſeudo Chriſti, qui ſibi nomen meum uindicabunt falſo, meamq; perſonam. Exorientur & pſeudo prophetæ, qui fucata ſanctimoniæ ſpecie ſe mentientur eſſe prophetas, magnisq; prodigijs ac dæmonum arte adumbratis miraculis, imitabuntur prophetas ac me, ut eiuſmodi præſtigijs falli poſſint, ſi qua uis ualeret aduerſus deũ, etiam electi. Origenes: Exaggeratiuus ſermo eſt, ut uim prędicationis illorum oſtendat. Auguſtinus: Electi, ex eo quod homines ſunt, errare poſſunt: ſed ex eo quod electi ſunt à deo, in errore permanere non poſſunt. Rabanus: Quando non ſolum tormenta creberrima, quæ prius conſueuerant, inferenda ſunt fidelibus: ſed quod grauius eſt, ſignorum operatio eos qui tormẽta in-

ferent, non eos qui sustinebunt, concomitabuntur. Vnde Apostolus 2. Thessal. 2. Tunc reuelabitur ille iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum, cuius est aduentus secundum operationem satanæ, in omni uirtute & signis & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniqtatis his qui pereunt, eo quòd charitatem ueritatis nõ receperunt ut salui fierent. Ideo mittet illis deus operationem erroris ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non credi derunt ueritati, sed consenserunt iniquitati. Hieronymus: Ego reor omnes hæresiarchas antichristos esse, & sub nomine Christi ea docere quæ contraria sunt Christo. nec mirum si aliquos seducunt, cum dominus dicat, Et multos seducent. 1. Ioh. 4. Omis spiritus qui soluit Christum, ex deo non est: & hic est antichristus, de quo audistis quoniam uenit, & nunc iam est in mundo. Ipsi de mundo sunt, & de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Marc. 13. Vos ergo uidete, ecce prædixi uobis. Superest ut memineritis. Si quis in deserto gẽtilium aut philosophorum dogmate dicat morari Christum, aut in hæreticorum penetralibus, qui dei pollicentur arcana, nolite exire. Nolite credere, si quis sub nomine Christi se iactare uoluerit. 1. Iohan. 4. Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex deo sint, quoniam multi pseudo prophetæ exierunt in mundum. Qui dispergunt uidentium oculos in apparitione dæmonum, ut quosdam decipiant: atque adeò, nisi ualde sobrij sint, & iusti seducẽtur. Non autem opus est aduẽtui Christi qui illum

demonstret, sed manifestus erit omnibus. Luc.17. Nam sicut fulgur coruscans sub cælo, in ea quæ sub cælo sunt fulget, ita erit filius hominis in die sua. Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac. Non erit talis aduentus qualem hunc uidistis, lentus, humilis, sed subitus ac maiestatis fulgure totum orbem subito complectens. Psal. 49 Deus manifeste ueniet & non silebit. Hieronymus: Nolite credere quòd filius hominis uel in deserto gentilium sit dogmatum, uel penetralibus hæreticorum, sed q̃ ab oriente usq; in occidentem fides eius in catholicis ecclesiis fulgeat. Stultum est igitur, eum in paruo loco uel abscondito quærere, qui totius mundi lumen est. Iohan. 8. Ego sum lux mundi. Nec est quod metuatis nè non sitis mecum in tanta rerum confusione. Non deerunt capiti suæ membra. Exemplo naturali quod quotidie cernimus, de Christi instruimur sacramento. Si terrestres & irrationales uolucres naturali sensu longo terrarum spatio cadauer sentiunt, quanto magis nos & omnis multitudo credẽtium festinare debemus ad eum, cuius odor reuiuiscere facit mortuos? Hieronymus: Aquilæ appellantur sancti, quibus ut aquilę iuuentus innouata est, Psalm. 102. & qui iuxta Esaiæ 40. uaticinium plumescunt, & assumunt pennas & alas, ut ad Christi peruenianț passionem. Cadauer dicitur, quia ,p nobis cecidit & mortuus est. Vnde & in forma humana iudicabit. Rabanus: Vbi Christus, ibi electi. 1. Thes. 4. Ipse domin' in iussu & in uoce archangeli, & in tuba dei descendet de cęlo: & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. De-

Aquile mystice qui.

inde nos qui uiuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubib⁹ obuiam Christo in aera, & sic semper cum domino erimus. Antichristus cum suis in terra remanebit, qui passionem domini nec uenerati sunt, nec imitati. 1. Cor. 1. Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem uocatis Iudæis atq; Græcis, Christum dei uirtutem & dei sapientiam. Vnde hic ait: Non miremini si passuri sitis ob nomen meum. nam & ego qui uēturus sum sicut fulgur, prius passurus sum multa, reprobād⁹q; ero, & ita in gloria ista ueniam. Itaq; hoc uobis exti mulatio sit ad patientiæ uirtutem.

Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & uirtutes cælorum commouebuntur. Et tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cæli, cum uirtute multa & maiestate. Et mittet angelos suos cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos eius à quatuor uentis, à summis cælorum usq; ad terminos eorum. Ab arbore autem fici discite parabolam: cum iam ramus eius tener fuerit & folia nata, scitis quia prope est æstas. ita & uos, quum uideritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis. Amen dico uobis, q̄a non præteribit generatio hæc donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt.

Quia iſte textus ex Matthæo in eccleſia legitur ad hunc uſque locum dominica ultima ante aduentum, placuit annectere: ſed conſequenter idem ſenſus ſub textu Lucæ legitur in aduentu, ideo ſubſequenter cum declaratione introducitur, ne repetitio confuſionem pariat & tædium.

De ſignis iudicij, Matth. xxiiij. Marc. xiij. Luc. xvij. xxi.

ARTICVLVS CXIII.

Luc. 21. L

ERunt ſigna in ſole & luna & ſtellis, & in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione quæ ſuperuenient uniuerſo orbi. Nam uirtutes cælorum mouebuntur.

Quotuplex Chriſti aduentus.

Horrorem oſtendit ſignorum, quo mali territi reſipiſcant & emendentur, boni uero reuiuiſcant & conſolentur. Triplicem enim ipſius nouimus aduentum. In carnem, miſericordiæ & amoris. Iohan. 3. Sic deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Iohan. 12. Non enim ueni ut iudicem mundum, ſed ut ſaluificem mundum. In mentem, gratiæ & dulcoris. Iohan. 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſionē apud eum faciemus. Tertius ad iudicium, qui eſt iuſtitiæ & terroris. Matthæ. 16. Filius hominis uenturus eſt in gloria patris ſui cum angelis ſuis, & tunc reddet

unicuiq; ſecundum opera ſua. Erunt ergo ſigna, naturæ curſum excedentia & horroris plena, & portenta è cælis profecta, uelut omnibus elementis in ultionem impiorum excandeſcentibus, quæ primo in miniſterium hominum fuere creata, Gene. 1. Fiant luminaria in firmamento, cęli & diuidant diē ac noctem, & ſint in ſigna & tempora & dies & annos, ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Marc. 13. Sed in illis diebus poſt tribulationem illam ſol contenebrabitur. Tria ſigna in ſole legimus. Stationem, Ioſue. 10. Stetit ſol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere ſpatio unius diei. Retroceſſionem, Eſa. 38. Et reuerſus eſt ſol decem lineis per gradus quos deſcenderat. Obſcurationem, primo in Aegypto quando erant tenebræ palpabiles, Exod. 10. Secundo, in domini paſſione. Matthæ. 27. A ſexta autem hora uſque ad horam nonam tenebræ factæ ſunt ſuper uniuerſam terram. Luc. 23. Et obſcuratus eſt ſol. Tertio, in iudicio. Ioel. 2. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam ueniat dies domini magnus & horribilis. Marc. 13. Et luna non dabit ſplendorē ſuum. (Quia non habet, ſole obſcurato) Et ſtellæ erunt decidentes. Non ſecundum ſubſtantiam, ſed apparentiam: quia uapores eleuati & inflammati in ſuperiori regione, plus ſolito tunc cadent ex aēre, qui caſus apparet eſſe ſtellarum. Hæc obtenebratio ſignum internarum eſt tenebrarum, quas peccatores amant. Ioh. 3. Lux uenit in mundum, & dilexerūt homines magis tenebras quàm lucem, quę ad æternas perducunt tenebras. Matt. 25. Inutilem ſeruum mittite in

Tria in ſole ſigna.

Stellarum caſus quis

tenebras exteriores. Apocalyp. 6. Et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ ceciderunt de cælo super terram. Nam sol omnis luminis fons, obtenebrescet, uelut exprobrans impijs suam cęcitatem, qui solem illum æternum uidere noluerunt, & luna influentia à sole carens, non dabit lumen, in signum subtracti onis salutaris influentiæ diuinæ gratiæ in peccatoribus. Cum autem peracto iudicio, clarescente die futuræ gloriæ, fuerit cælum nouum & terra noua, tunc erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter, Esa. 30. Stellarum casus, indicium erit quod plurimi de firmamento cadent ecclesiæ: quia iniquitate abundante, charitas multorum refrigescet, Matth 24. Item uehemens animorum anxietas, ac rerum desperatio corripiet omnes gentes, intumescente mari, tristiq; fragore resonantibus fluctibus. Vnde & mediterraneas petent regiones ob horribilem fluminum turbationem. Hæc & huiusmodi portenta quæ se proferent undique ex omni parte mundi, declarabunt ingruere terribilem ultionem dei, eoq; mortales extabescent & exanimabuntur metu & expectatione eorum, quæ mox superuenient uniuerso orbi. Extabescent præ tristitia, qui in mundo floruerunt uana lætitia. Esaiæ 13. Vlulate, quia prope est dies domini, quia uastitas à domino ueniet. propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis tabescet, & conteretur. Torsiones & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt. Arescent ergo angustia præsentium, expectatione futurorum. Sap. 17. Semper enim præsu

Casus stellarum qd signet.

mit sæua, perturbata conscientia. Sed Prouer. 17. Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exiccat ossa. Superuenient, dicit ex omni parte & uniuerso orbi, ut nullus pateat effugij locus. Sed quid mirum si in expectatione diuini examinis, qui in mundo sunt, exarescent, si fides quæ sine operibus fuit emarcescet, quum & uirtutes cælorum commouebuntur, hoc est, obstupescent & horrescent, uidentes creaturam immutari, & omnes ab Adam usq; ad illud tempus homines rationem daturos? Iob 26. Columnæ cæli contremiscunt & pauent ad nutum eius. Non erit tamē ista commotio pœnalis, sed admirationis & reuerentiæ, uel executionis. Mat. 13. Exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorū, & mittēt eos in caminū ignis. Nā Eph. 1. Virtutes inter angelicos recitantur choros. Chryso. Si rege terreno terrenā ad expeditionē surgēte, totus cōmouet exercitus, & tota ciuitas: q̄nto magis rege cælorū surgēte ad iudiciū, uirtutes mouebunt? Cōcutiet etiā tota rerū natura, neq; terra solū & mare cōmutabunt: uerūetiā solidissima illa mūdi corpora, q̄ hactenus ab elementorū immutatione fuerunt immunia, solitaq; tm̄ agere in ea quę subiecta sunt, nō aūt uicissim ab illis affici, cōmouebūt. 2. Pet. 3. Aduenier autem dies domini sicut fur, in quo cæli magno impetu transient, terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet uos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectātes & ꝓperātes in aduentū dei nostri, p quē cæli ardētes soluēt, & elemēta ignis ardore tabescēt? Mat. 24. Et tūc

apparebit signum filij hominis in cælo, & tũc plan gent omnes tribus terræ. Tunc,& non ante,inter densissimas tenebras coruscabit è cælo signum filij hominis,signum inquam, in quo deuicit satanam, & omnem illius tyrannidem protriuit.Chrysosto-

Crux in iudicio apparitura.

mus:Apparebit crux sole fulgidior. Nec est inconueniens, eandem crucem numero in qua passus est, præsentari ad electorum consolationem,& peccatorum cõfusionem,iustamq; damnationem. Nam qui corpora in puluerem redacta reparare potest, ualet & crucem in minutissimas etiam diuisam partes, reparare. Videbunt boni maiestatem crucis quam amauerũt.Gala.6. Mihi absit gloriarinisi in cruce domini nostri Iesu Christi.uidebunt Iudæi & gentes qui irriserunt, nec non mali Christiani qui contempserũt.Hieronymus:Plangent hi qui municipatum non habuere in cælis,sed scripti sunt in terra:tribus autem cælestes exultabunt. Plangent se, non alios:quia ex propriæ uoluntatis malitia,seipsos æternis miserijs manciparunt,quum iam nullum uideant effugium, nullam spem terminandi doloris. Væ ergo ijs qui nunc rident,quoniam lugebunt, Luc.6.Multo magis qui lætantur cum male fecerint,& exultant in rebus pessimis,Pro.2.

2 *Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nube,cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra.*

In forma humanitatis in qua iudicatus est iniuste,iudicabit iuste.Iohan.5.Pater non iudicat quem-

quam,sed omne iudicium dedit filio,in qua uidebi
tur à bonis & malis,sed differenter. Vnde est uisio Christi gratiosa,Luc.10.Beati oculi qui uident quæ uos uidetis.Baruch.3.Post hæc in terris uisus est.In mente solatiosa.Psalm.33.Gustate & uidete quoniam suauis est dominus,beatus uir qui sperat in eo. Iohan.1.Vidimus gloriam eius,gloriam quasi unigeniti à patre,plenum gratiæ & ueritatis.Iohan.8. Abraam pater uester exultauit ut uideret diem meum.uidit,& gauisus est.In regno gloriosa. Esai.33. Regem in decore suo uidebunt.1. Iohan.3. Videbimus eum sicuti est.Iob.19.In carne mea uidebo deum saluatorem meum,quem uisurus sum ego ipse & non alius,& oculi mei conspecturi sunt.Reposita est hæc spes mea in sinu meo.In iudicio formidolosa. Malach.3. Ecce uenit,dicit dominus exercituum,& quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad uidendum eum? Ergo mali quanuis uisuri sint gloriam corporis,animæ tamen gloriam non uidebunt nisi in quibusdam effectibus. Electi uero gloriam corporis uidebunt oculo corporali, & gloriam eius quo ad diuinitatem clare uidebunt oculo mentali,de q̃ summe gaudebunt,sicut contrà mali dolebunt. Qui enim nunc aspernati sunt placidum & humilem ac beneficum,tunc uidebunt eum, sed suo malo sublimem, quippe super solem fulgebit ipse & crux eius. Matth.24. Et uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cæli cum uirtute multa & maiestate. Marc.13. & gloria. Actu.1. Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cælum,sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in cælũ. Hoc

Visio Christi qualis ac qtuplex

est, propria uirtute in nube. Alioqui claritas eius uideri nec sustineri posset à peccatoribus, quia corporalis erit uisio humanitatis ipsius. Quãuis autem ut homo ueniet, aderit tamen cum potestate & gloria magna. Cum potestate, ad puniendũ malos Chryſ. Nec tunc erit resistendi uirtus, nec fugiẽdi facultas, nec pœnitentiæ locus, nec satisfaciendi tempus. Eccl. 3. Magna potẽtia dei solius. Attingit enim super corpus & animam, Mat. 10. à summo cælorum usq; ad inferni infima. Mat. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Et maiestate, id est gloria quãtam nec oculus uidit, nec auris audiuit, comitantibus angelis. Matt. 25. Cum uenerit filius hominis in maiestate sua, & omẽs angeli eius cum eo. Greg. In potestate & maiestate uisuri sunt, quem in humilitate positum audire noluerunt: ut uirtutẽ eius tanto districtius sentiant, quãto ceruicem cordis ad eius patientiam iam non inclinant. Mat. 24. Et mittet angelos suos cũ tuba & uoce magna, & congregabunt electos eius à quatuor uentis, à summis cælorum usq; ad terminos eorum. Tunc mittet angelos, omnia mystici corporis membra suo capiti aggregaturos, ut q fuerint consortes afflictionum ob euangelium, cõsortes sint æternę felicitatis, ut tritici cum uentilatum de area totius terrę. Non solum autem electos, sed & reprobos ex abyssis inferor⁹ usq; ad terminos eorum congregabunt, & ad sinistram collocabunt. Richar. Tria in resurrectione sunt cõsideranda: præparatio ad corporum reformationẽ, istud fiet uirtute creata, id est, ministerio angelico. Secundum, corporum reformatio. Tertio, reforma

Tria q̃dã in resurrectione cõsideranda.

torum cum animabus reunio. hæc fient uirtute diuina, & in eodem instanti. Chrysostomus: Me quidem, hæc cum in mentem ueniunt, horror inuadit terribilis: & amarissime perflẽs, ex profundo corde ingemisco: Si propter Christum nil triste pati uoluerimus, necesse est tamen multa tristia sustinere. Non enim quia mori propter Christum non uis, idcirco immortalis futurus es: nec quoniam propter Christum diuitias tuas non distribuis, idcirco eas tecum affers. His fieri incipientibus, non finitis ipsis signis, subrigite oculos, & attollite capita uestra ad cælestem illam gloriam, quoniam in propinquo erit regnum dei, in quo nulla iam erit afflictio, sed perpetua tranquillitas, & æterna felicitas. Apocalyp. 21. Absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quæ prima abierũt. Primo aduẽtus liberauit à culpa, sed nõ ab omni miseria. Iohan. 16. In me pacem, in mundo pressuram habebitis. Secundus liberabit ab omni miseria, quando mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile incorruptionem, 1. Corinth. 15. Et creatura liberabitur à seruitute corruptionis, Roman 8. Gregorius: Cum plagæ mundi crebrescunt, cum terror iudicij uirtutibus commotis ostẽditur, exhilarate corda uestra: quia dum finitur mundus cuius amici non estis, prope fit redemptio quam quæsistis. Qui autem appropinquante mundi fine non gaudet, amicum se illius testatur, atque per hoc inimicus dei esse conuincitur. Iacob. 4. Qui uoluerit amicus esse huius seculi, inimicus dei cõstituitur,

3 *Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam & omnes arbores. cum producunt iam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita & uos cum uideritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum dei. Amen dico uobis, quoniam non præteribit generatio hæc donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt.*

Porro ne uos omnino imparatos opprimat hoc tempus, ex coniecturis quibusdam diuinare licebit iam instare. Exemplum ab arboribus sumite, quæ signis certis præmonẽt homines sequuturi fructus. Ita & uos quum uideritis hęc præludia mundi trãsformandi, concipite certam spem, iamiam proferendum regnum dei, nec amplius fore malis ius affligendi bonos: sed impij pœnis æternis afficientur, pij gaudijs fruentur perennibus. Matth. 24. Ab arbore autem fici discite parabolam: Cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est æstas. Ita & uos cum uideritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis. Aduentus domini, iustis æstas est ab hyeme: peccatoribus, hyems ab æstate. Comparatur regnum dei æstati. Primo, ob fructum huberratem. Hieronymus: Aestas dies iudicij, in quo unaquęq; arbor manifestabit q̃ int⁹ habuit, an aridum ad comburendum, an uiride ad plantandum in ędem cum ligno uitæ, cuius folia ad salutem gentium, id est, uerba quibus dicetur: Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi, Matth. 25. Apocal. 14. Opera enim illorum sequuntur illos. Apoc. 22. Ecce uenio

cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Secundo, propter claritatem. Apocalyp. 21. Ciuitas illa non eget sole neque luna, ut luceant in ea. nam claritas dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus. Tertio, propter iucunditatem. Nam iustis serenitas erit, impijs uero peccatoribus hyems & turbatio maior. Gregor. Regnum cælorum idcirco æstati comparatur, quia tunc mœroris nostri nebulæ transeunt, & dies uitæ æterni solis claritate fulgescunt. Hoc regnum quotidie petimus, dicentes: Adueniat regnum tuum, Matth. 6. Hieronymus: Nolite putare iam adesse consummationem seculi, sed quasi procœmia & præcursores quosdam uenire, ut ostendant quòd prope sit & in ianuis. Quia enim tribulationes & bella & alterationes dixit futuras, tam elementorum quàm rerum, ut ne quis suspicetur, quod forte aliquando destruendus sit Christianismus, confirmat præmissa, d. Amen etc. Hieronymus: Nomine generationis, uel omne genus hominum accipi potest, quia aliqui remanebunt ista uidentes. Et licet aliqui per antichristum & suos seducantur, tamen per Enoch & Heliam, mortuo antichristo, conuertentur. Aut Iudæorum signat. Cum enim plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet, Roman. 11. Aut ecclesiam per spiritum sanctum regeneratã, quæ non definet. Lu. 22. Ego rogaui pro te Petre, ut non deficiat fides tua. Matth. 16. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam, nec transibit ad immortalitatem donec omnia fiant. Nihil est in rebus corporalibus cælo firmius, nihil immobilius terra: uerum

cælum & terra citius mutatura sunt naturam suam, quàm uerba mea futura sint inania. Eccẽs. 1. Terra in æternum stat. Transibunt uero per innouationem, non per substantiæ mutationem. 1. Corinth. 7. Præterit enim figura huius mundi. 2. Pet. 3. Nouos cælos & nouam terram & promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat. Nihil enim habebunt corruptionis & noxæ, ut nos iuxta promissa ipsius, in quibus nihil erit corruptæ mentis, fruamur illis bonis incorruptis. Hieronymus: Facilius est transire terram q̃ Christi uerba. Quõ em̃ Christi uerba quæ personaliter locutus est, non adimpleri debeant, si omnia quæ in lege & prophetis scripta sunt, implebuntur? Matth. 5. Iota unum aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.

Lucæ. 21. M *Attendite autem uobis, ne forte grauentur corda uestra in crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, & superueniat in uos repentina dies illa. Tanquam laqueus enim ueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.*

Proinde certi uenturũ tempus hoc formidabile, præparate uos in aduentum illius, ne uos opprimat oscitantes. Diuersa enim ex gula oriũtur uitia, tum animi, utpote loquacitas, somnolentia, acedia, lasciuia, hebetudo, tum corporis. Eccl. 37. In multis escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit usque ad choleram. Propter crapulam multi obierũt: qui autem abstinens est, adijciet uitam. Roman. 8. Debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus. si enim secundum carnem uixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueri-

tis,uiuetis. Roman. 13. Non in comessationibus & ebrietatibus,nō in cubilibus & impudicitijs,sed induimini dominum IESVMCHRISTVM. Luc.6. Væ uobis qui saturati estis,quia esurietis. Et curis huius uitæ. Matth.6. Nolite soliciti esse,dicentes:quid māducabimus,aut quid bibemus,aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater uester,quia his omnibus indigetis. Heb.13. Sint mores sine auaritia,contenti præsentibus. ipse enim dixit,(Iosue.1.) non te deseram neq; derelinquam,ita ut confidenter dicamus:Dominus mihi adiutor est,non timebo quid faciat mihi homo, Psalm.17. Semper paratum esse & expectare finem,maxime omnium conferre poterit. Cæteris qui sic uiuunt quasi tempus hoc nunquam sit uenturum,sic ueniet ille dies,quasi laquens furtim ab insidiante positus,& inuoluet omnes,qui non habent animos & oculos sublatos in cælum,sed habitant super faciem terræ,ubi non habemus stabilem mansionem,sed æternam inquirimus. Heb.13. Non habemus hic manentem ciuitatem,sed futuram inquirimus. Eccēs.9. Nescit homo finem suum:sed sicut pisces capiuntur hamo,& aues laqueo comprehenduntur,sic capiuntur homines in tempore malo,cum eis extemplo superuenerit.

De die autem illo uel hora nemo scit, neque angeli in cælo,neq; filius,nisi pater. Marc.13.

Zachari.13. Erit dies una quæ nota est domino. Greg. Nouit unigenitus horam iudicij,sed non ex natura hūanitatis. Hier. Quādo dicit Act.1. Nō est

Cur ignoretur iudicij hora.

uestrum nosse tempora, uel momenta quę pater in sua posuit potestate, ostēdit quod ipse sciat, sed non expediat nosse apostolis, ut semper incerti de aduentu iudicis, sic quotidie uiuant, quasi die alia sint iudicandi. Docet ergo discipulos, ut non discant quærere humanam naturam transcendentia. Eccl. 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne perscrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Non enim est necessarium, ea quæ abscondita sunt, uidere oculis tuis. Nam cum dicit, quod neque angeli, admonet eos quòd discere attentant quod angeli ignorant: & dum dicit, pater solus, prohibet eos anniti ut postea discant. Quod si dixisset, scio quidem, uobis autem dicere nolo: contristati essent utiq; quasi despecti ab eo.

Lucę. 17. Mat. 24.

Et *sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt donec uenit diluuium, & tulit omnes & perdidit, ita erit & aduentus filij hominis.*

Hieronymus: Post pugnas, dissensiones & cætera quibus uastatur genus humanum, breui subsecutura pax, quæ qēta omnia repromittat, ut fides credentium comprobetur, utrum transactis malis sperent iudicem uenturum. 1. Thes. 5. Cum dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Chrysostomus: Hinc aperte declaratur, qa

tempore antichristi, licētius omni turpi uoluptate iniqui & qui salutem suam desperabunt, utentur. 2. Tim. 3. Hoc autem scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines seipsos amātes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, uoluptatum amatores magis quàm dei, speciem q-dem habentes pietatis, uirtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita. Et merito in regno deceptoris florebunt mala. Erit enim malitiæ omnis & peccati semina. Quam ergo aliam politiam inuehet miserandæ tūc hominum generationi, quàm omnino illam quæ illi propria est? Sicut ergo in diebus Noe erant crapulosę, incontinenter & secure uiuentes, uxores ducentes, non prolis, sed libidinis amore, nec cognouerunt, quanquam Noe prænunciarit, quia in generali, & non specifice quo ad diem uel horam, quemadmodum Christus iudicium, tamen arbitrantes nequaquam uenturum, edebāt etc. & perierunt uniuersi qui nolebant exemplo Noe parare sese. Quemadmodum tum pauci assumpti sunt in arcam, & seruati (octo scilicet animæ, 1. Pet. 3.) cæteri foris relicti perierunt, ita tunc subito diuidentur perituri à seruandis.

Similiter sicut in diebus Loth factum est, edebant & bibebant, emebant & uendebant, plantabant & ædificabant. qua die autem exijt Loth à Sodomis, pluit deus ignem & sulfur de cælo, & omnes perdidit. Secundū hæc erit qua die filius hominis reuelabitur. Luc. 17.

In illa hora qui fuerit in tecto, & uasa eius in domo, ne descendat tollere illa: & qui in agro, similiter non redeat retro. Memores estote uxoris Loth.

Sic enim in diebus Loth, absq; omni freno timoris dei, delicijs & uoluptatibus carnis immoderanter uacabant. Gene. 13. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram domino nimis. Gene. 19. Igitur dominus pluit super Sodomam & Gomorram sulfur & ignem de cælo, & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, uniuersos habitatores urbium, & cuncta terræ uirentia. Non est tunc curandum de minimis, cum instabit maxima & incomparabilis illa causa discriminis infiniti. Gene. 19. Respiciens q; uxor Loth post se, uersa est in statuam salis. Sic ad carnalia & terrena se uertentes peribunt. Lu. 9. Nemo mittens manũ ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno dei.

Luc. 17. *Quicunque quæsierit animam suam saluam facere, perdet illam: & quicunque perdiderit illam, uiuificabit eam.*

Vitam gloriq; sibi acquirendo merito constantiq. Ioh. 12. Qui odit animam suam in hoc mũdo, in uitam æternam custodit eam.

Luc. 17. *Dico uobis: in illa nocte erunt duo in lecto uno, unus assumetur, & alter relinquetur. Duæ erunt molentes in unum: una assumetur, et altera relinquetur. Duo in agro: unus assumetur, et alter relinquetur.*

Quum omnes sine solicitudine & sua operati fuerint, unus qdem assumitur, hoc est, iustus in occur-

sum Christi: alter aũt, peccator uidelicet, infrà relinquitur. Non enim opus aut locus, aut uitæ genus beabit hominem, sed affectus. Nam ubiq; prædestinati mixti cum reprobis. Augustinus: In omni conditione & gradu, optimis iuncti sunt pessimi. oportet enim bonitatem Abel, probari, exerceri & coronari per malitiam Cain. Matth. 24. Tunc duo erunt in agro etc. Duæ molẽtes etc. Duo in lecto etc. Eidem operationi intenti, unus assumetur ad gloriam, alter relinquetur ad pœnam: etiam qui proxime sibi inuicem copulantur, ab inuicem diuidentur.

Respondẽtes, dicunt illi: Vbi domine? Qui dixit illis: Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ. Luc. 17.

Vbi filius hominis, ibi & sancti eius leues & in sublime uolantes, sicut peccatores graues, qui & infra relinquẽtur. Iohan. 17. Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut uideant claritatem meam quam dedisti mihi.

Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Lucæ. 21.

Indefinens nobis necessaria oratio, qui tot periculis, tot hostibus inuisibilibus, atrocissimis, & infatigabilibus circũuallamur. 1. Pet. 5. Sobrij estote & uigilate, quia aduersarius uester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Quoniam autem non sufficit fugere malum, sed opus est etiam bono quopiam, postquam, ut possitis fugere mala, dixit, subdidit, & stare ante filium hominis, quod est fruitio bonorum. Angelica

enim dignitas est, stare coram deo nostro. Sapien. 5. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.

De uigilia & oratione, Mat. xxiiij. Marc. xiij. Luc. xij.

ARTICVLVS CXIIII.

Mar. 13. N

VIdete uigilate, & orate. Nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregre profectus, reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiusq; operis, & ianitori præcepit ut uigilet.

Chrysostomus: Hæc enim res, ut uigilemus, præcipuo est illi studio atque curæ: ac quoniam calamitatibus oppressi magis corrigimur, delicijs uero atque ocio corrumpimur, idcirco ubique in remissione atque quiete uentura mala prænunciat. Proinde quandoquidem hæc absq; dubio sint euentura, nec potest sciri certum tempus quo die uētura sint, semper uigilate, ne uos ille dies opprimat imparatos. Sed multi uigilant, & noctem male absumunt. Nam si nunc quum finis incertus est, mutuis odijs insanimus, quid non faceremus scientes finem? Vigilate per abstinentiam omnium corporis uoluptatum, toto pectore studentes sanctimoniæ spiritus. 2. Corin. 7. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificatiōem in timore dei. Si uigilant homines ne pereat pecunia, quanto magis nobis uigilandum est ne pereat anima?

Orate, flagrantibus animis inhiantes ad ea quæ, promissa sunt in euangelica professione perseuerantibus. Non destituet suos electos deus, sed amat uigilantes & attentos, sic tamen, ut quum omnia præstiterint, quæ possunt humano studio præstari, orent tamen, intelligentes & initium & progressum, & summam æternæ felicitatis, esse diuini muneris. Iaco. 1. Omne datum optimum & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum. 1. Cor. 4. Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Hanc doctrinam quo magis dominus infigeret animis suorum, adiecit similitudinem ad rem appositam, quia tempus nescimus tum mortis, tum iudicij. Christus in cælum conscendens, reliquit (quo ad corporalem præsentiam) ecclesiam, oculis corporalibus non uidendus, sed per fidem. Ianitori aduersus nocturnum furem præcepit ut uigilaret. Ezechi. 3. Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo uerbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris ut auertatur à uia sua impia & uiuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autē eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio, & ille nō fuerit conuersus ab impietate sua & à uia sua mala: ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.

Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus ueniat, sero an media nocte, an gallicantu, an mane: ne, cum uenerit repente, inueniat nos dormientes. Quod

autem uobis dico, omnibus dico, uigilate.

Vigilate, ſemper expectantes reditum meum. Qui dormiunt, non corpora uera, ſed phantaſmata intendunt, & uacui uigilant, de his quæ uiderant: ſic nimirum ſunt quos mundi amor rapit in uita, deſerit poſt uitam quod ſomniabant pro certo. Cuiq; ſuum opus præſtandum, quod commiſſum eſt à domino, ſed præcipue ianitori uigilandum, qui toti uigilat familiæ. Etiam ſi quando dormitet populus, non uacat dormire paſtorem. 2. Timot. 4. Tu uero uigila, in omnibus labora, opus face euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſobrius eſto. Hieronymus: Non dixit, quia neſcimus qua hora dominus uenturus ſit, ſed neſcitis. Porro tota hæc uita, quæ habet non certum diſcrimen bonorum & malorum, & in qua plurimum eſt ignorantiæ, lucis quàm minimum, nox eſt, ſi conferatur ad futuram uitam. Stationes ergo nominat ad uigilandum ordinatas, ut nulla hora per ſomnolentiam & ocium tranſigatur. Quanquam enim dominus in fine mundi ſemel ueniet omnibus, tamen ſingulo cuiq; uenit quum adeſt mortis tempus. In hunc igitur, quoniam æque incertus eſt, priuatim cuiq; uigilãdum eſt. Quibuſdam enim uenit ſero, uelut in adoleſcentia: quibuſdam intempeſta nocte, uelut in florentiſſima ætate: quibuſdam in gallicantu, puta in ſenecture. Nec uiribus, nec ætati fidendum. omnibus ex æquo incertus eſt mortis dies. 1. Theſſal. 5. Igitur non dormiamus ſicut & cæteri, ſed uigilemus & ſobrij ſimus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt. Roman. 13. Hora eſt iam nos

Vnicuiq; quomodo ueniat dominus in mortis hora.

de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus quàm cum credidimus. Nox præcessit, dies autẽ appropinquauit. abiiciamus ergo opera tenebrarũ, & induamur arma lucis. sicut in die honeste ambulemus, nõ in comessationibus & ebrietatibus, nõ in cubilibus & impudicitijs, sed induimini dominũ Iesum Christum. & carnis curam ne feceritis in desideriis.

Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus uestris. & uos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs: ut cum uenerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Luc. 12.

Hortatur dominus uitam nos habere paratam ad domini aduentum, æternaq; gloria dignam. Instat enim dies, quo quisq; pro semente rerum temporalium, messurus est messem æternam. Is dies q̃niam incertus est, oportet in eum semper esse paratos & accinctos. Duo ponit. Psal. 33. Declina à malo, & fac bonum. Non enim sufficit mala non agere, nisi etiam quisq; studeat & bonis operibus insudare. Viatores lumbos præcingunt, quo expeditiores sint ad uiam: quare indicat amouendum omne impedimẽtum uoluptatum, diuitiarum & honorum, ut expediti curramus ad huius uitæ exitũ. Heb. 13. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Lumbi carnis, ex quibus prodeunt concupiscentiæ carnis & opera, p̃ continentiã præcingi debent. Gregorius: Lumbos p̃cingimus, cũ carnis luxuriã p̃ continentiã coartamus. Iob. 40. Lumbos p̃cingere.

Virtus eius in lumbis eius,& fortitudo illius in umbilico uentris eius. O quot hoc uitio ſtrauit. Gen. 6. Omnis quippe caro corruperat uiam ſuam. Dauid in adulterium lapſus, conſequenter in proditorium deuenit homicidium, 2. Reg. 11. & 12. Salamon gloriæ ſuæ maculam, per mulieres deprauatus impoſuit, Eccl. 47. Samſon fortitudinem diuinitus collatam amiſit, Iudic. 16. Ideo 1. Pet. 2. Obſecro uos chariſſimi, tanquam aduenas & peregrinos abſtinere uos à carnalibus deſideriis, quę militant aduerſus animam. Gala. 5. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum uitijs & concupiſcentijs. Sic lumbi mentis, intellectus, & affectus. 1. Pet. 1. Succincti lumbos mẽtis ueſtræ, ſobrij, perfecti, ſperate in eam quæ offertur uobis gratiam, in reuelationem Ieſu Chriſti. Ergo intellectus ſit ſine errore, & quæ fidei ſunt meditetur. Pſal. 1. In lege eius meditabitur die ac nocte. Nec talentum ſibi concreditum fodiat in terram, Matth. 25. Affectus quærat non quod ſibi utile uidetur, ſed quod multis ut ſalui fiant, 1. Corin. 10. Charitas enim non quærit quæ ſua ſunt, 1. Cor. 13. State ergo ſuccincti lumbos ueſtros in ueritate, Epheſi. 6. Lucernæ ardentes per charitatem, lucentes per operationis ueritatem. Qui enim facit ueritatem, uenit ad lucem, ut manifeſtentur opera eius quia in deo ſunt facta, Iohan. 3. Sit ergo intentio ſimplex, dei quærens honorem & proximi ſalutem. Matth. 6. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Matth. 5. Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, & glorificẽt

patrem uestrum qui in cælis est, Philip.2. Sitis simplices filij dei, sine querela, & sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, uerbū uitæ continentes. Ecce unde lumen, quia non à nobis Psalm.17. Quoniam tu illuminas lucernam meā domine deus meus, illumina tenebras meas. Hinc de Iohanne dominus ait Iohan.5. Ille erat lucerna ardens & lucens. Prouer.6. Quia mandatum lucerna est, & lex lux. Monstrat enim quæ facienda, & quæ non, & quomodo. Multi enim bonum quidem faciunt, sed non bene: quia uel in fastum inciderunt, uel in aliud arrogantiæ præcipitium. Psalm.118. Lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. Similes, inquit, prudentibus ac fidelibus famulis, qui, quoniam incertum habent quando dominus sit rediturus à nuptijs, perpetuo stant accincti cum diligentia & patientia, ne quid in dominum committant, aut imparati inueniantur. Psalm.26. Expecta dominum, uiriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine dominum. Psalm.36. Expecta dominum, & custodi uiam eius. Quotidie nuptiæ fiunt in cælo sanctarum animarum, quas ei commendauit Apostolus 2. Corin.11. à quibus rediet in uniuersali iudicio. Tit.2. Apparuit gratia dei & saluatoris nostri Iesu Christi omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegātes impietatem & secularia desideria, sobrie & iuste & pie uiuamus in hoc seculo, expectātes beatam spem & aduentum gloriæ magni dei & saluatoris nostri Iesu Christi. Vel in uniuscuiusq; propria morte inexpectatus ueniet. Iohan.14. Si abiero, &

præparauero uobis locum, iterum ueniam & accipiam uos ad meipsum, ut ubi ego sum, & uos sitis. Venit & quotidie pulsando ostium cordis nostri. Can.5. Vox dilecti mei pulsantis. Apoc.3. Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit uocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Sed hanc negligentes, post pulsabuntur sententiæ seueritate. Gregorius: Cum ad iudicium properat, pulsat: cum per ægritudinis molestias mortem esse uicinã denunciat. Confestim aperimus, si læti iudicem suscipimus. Aperire autem iudici pulsanti non uult, qui exire de corpore trepidat: & uidere eum, quem contempsisse se meminit, iudicem formidat. Felix uero, qui dicere cum Apostolo audet, Phil.1. Desiderium habens dissolui & esse cum Christo. & Psal.119. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.

2 *Beati serui illi, quos, cum uenerit dominus, inuenerit uigilantes. Amen dico uobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si in secunda uigilia uenerit, & si in tertia uigilia uenerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.*

Vere beati, quos non somnolentos, sed uigilantes, & oculos ad superna leuantes inuenit. Prou.10. Expectatio iustorũ, lætitia: spes impiorum peribit. Gregorius: Vigilat, qui ad aspectũ ueri luminis mẽtis oculos apertos tenet, qui tenebras negligentiæ à se repellit, qui exercet operando quod credit, q gregis curam solicite gerit. Beatus itaq; seruus non do-

Vigilare quid dicatur.

mini temporalis, sed ęterni, & sempiterna bona retribuentis, quem non in terrenis, sed in suis ministeriis dominus inuenerit occupatum, & ad eius aduẽtum uigilantem. Nam dominus pro suo officio q̃d tamen debebat, amplissimam mercedem reponet: præcinget se, ad retributionem præparans. Apoca. 22. Ecce uenio cito, & merces mea mecum est, dare unicuiq; secundum opera sua. Gregorius: Discumbere nostrum, in regno quiescere est: Sicut qui recũbit, toto corpore quiescit: sic sancti in secũdo aduentu & anima & corpore requiescent. Etenim in hac uita corporis quietem non inueniũt, alibi cum animabus spiritalia corpora incorruptionem hæreditabunt. Et præteriens obseruansq; quid quisq; postulet, ministrabit illis: singulorum corda iucundissime uisitans, omnia ad eorum beatitudinem pertinentia copiosissime exhibebit. Esa. 64. A seculo nõ audierunt, neq; auribus perceperunt, oculus non uidit deus absq; te, quæ præparasti expectantibus te. Luc. 22. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Psal. 36. Satiabor cũ apparuerit gloria tua. Sed quoniam nouit dominꝰ pronitatem nostram in malum, Gene. 8. Sensus & cogitatio cordis humani, in malum prona sunt ab adolescentia sua. & instabilitatem in bono, longanimis est super nos, non statim ulciscens peccantes, sed longanimiter expectans ad pœnitentiam. Esa. 30. Expectat dominus ut misereatur. 2. Pet. 3. Non tardat dominus promissionem suam sicut quidam existimant, sed patienter agit propter uos, nolẽs ali-

quos perire, sed omnes ad pœnitẽtiam reuerti. Sed Iob. 24. Dedit ei locum pœnitentiæ, & ipse abutitur eo in superbia. Ideo 1. Corinth. 15. Euigilate iusti, & nolite peccare. In nocte enim huius uitæ semp contra hostem soliciti esse debemus, lucem expectando futuram in iudicis aduentu. Beatus ergo quisquis quacunque ætate inuentus fuerit uigilans, nec operando bonum negligenter se gerens: quia pius iudex moras nostras patienter expectat, & non in una sola, sed & quacunque ætate conuersionem nostram suscipit. Venit dominus primo in morte, quia talis qs in iudicio præsentabitur, qualis in morte inuenitur, quantum ad gratiam & culpam. Non est igitur unq̃ cessandum in hac uita, sed ita uiuendum (quum incerti simus) quasi dies ille hodie esset uenturus. Thren. 3. Bonum est uiro cum portauerit iugum domini ab adolescentia sua.

3 *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur ueniret, uigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & uos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis ueniet.*

Gregorius: Ad excutiendam mentis nostræ desidiam, exteriorum damnorum similitudinem adducit, ut per hoc animus ad sui custodiam excitetur. Quod si ille uigilat ne spolietur bonis terrenis, quanto magis nobis est uigilandum ne perdamus felicitatem æternam? Vnde dominus aduentum suum siue ad mortem, siue ad iudicium, furi comparat: quia sicut fur nocturnus obrepit eo tempore quo dormitur altissime, minimeq̃ expectatur suffossor,

sic dum à sui custodia spiritus dormit, improuisa mors carnis nostræ habitaculum irrumpit, & ad supplicia trahit. Furi autem resisteret si uigilaret, quia aduentum iudicis occulte uenientem pœnitentiæ lachrymis præueniret. 2. Pet. 3. Dies domini sicut fur in nocte, ita ueniet. Proinde quoniã uobis id tempus ignotum, certum tamen est illud affuturũ, sitis perpetuo parati, instructi bonis operibus, ab omnibus mundanarum rerum impedimentis expediti. Psalm. 118. Paratus sum & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Psalm. 56. Paratum cor meum deus, paratum cor meum, cantabo & psalmum dicam domino. Quæ enim paratæ erant uirgines, intrauerunt cum sponso ad nuptias: & clausa est ianua, Matth. 25. Gregorius: Vltimam horam ignorare nos uoluit dũs, ut semper suspecta sit, & ad eam pręparemur: uigilare nos uoluit, per omnia momenta expectantes saluatoris aduentũ, ne, dum quis remissius agens, de die in diem opera sua differt, iudicij die uel proprię mortis præuentus, meritum suæ commendationis amittat. Eccl. 5. Ne tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem. subito enim uenit ira illius, & in tempore uindictæ disperdet te. Eccĕs. 9. Quodcunque facere potest manus tua, instãter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas. Ideo Eccl. 39. Cor suum tradet ad uigilandum diluculo ad dominum q fecit illum, & in conspectu altissimi deprecabitur. 1. Corinth. 16. Vigilate, state in fide, uiriliter agite, & cõfortamini. omnia uestra in charitate fiant.

Luc.12. P

Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Dixit autem dominus: Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit dominus super familiam suã, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem, cum uenerit dominus, inuenerit ita facientem. Vere dico uobis, quoniam super omnia quæ possidet, constituet illum. Quod si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit dominus meus uenire, & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere & bibere & inebriari, ueniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemq; eius cum infidelibus ponet.

Occulto quodam modo ostendit, quòd dicta parabola ad omnes fideles pertineat: in primis autem ad eos, qui doctrina uel dignitate præsunt, quo magis accenderet eos ad perpetuam instantiam officij sui, proponens & præmium functis officio, & pœnam ei qui cessaret ab officio. Matth. 24. Quis putas est fidelis seruus? Non ignorans quærit, sed quia rarus. Philip. 2. Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Duo à dispensatore exiguntur, fides & prudentia. Nam si non furetur, imprudenter autem dispenset: uel si prudenter dispenset, sed furetur, nihil proderit. Omnis ergo qui accepit à deo uel opes, uel potentiam, uel principatum, debet fideliter & prudenter ministrare ea, tanquam rationem redditurus, Matth. 24. ut det illis cibum in tempore. Non ut tyrannidem in eam exerceat, sed ut opibus domini, cuius suum dimensum, quantum

opus est, & quando opus est, depromat. Non illi prescribit dominus quando sit domum rediturus, ne possit in officio cessare: sed quandocunque redierit dominus, nonne beatus erit seruus ille, si inuenerit eum fungentem officio suo? Pro certo dico uobis, quod expertus illius fidem, audebit illi maiora credere: præficietq; eum omnibus bonis suis, & ueluti rerum omnium consortem habere dignabitur. Matthæ. 24. Si autē dixerit malus seruus in corde suo. Si non fuerit bonæ fidei, nec prudens, sed elatus absentia domini ac delegata præfectura, dixerit: Diutius abest dominus meus, fortasse nunquam rediturus, interim morem geram animo meo, atque hac spe cœperit non solum non pascere ex tritico domini communis conseruos, uerumetiam pulsare illos uerberibus & tyrannidem quandam usurpare: ipse autem neglecta familia, bibat & edat cum temulentis, quām is est infelix futurus quum uenerit dñs die quo nō expectabat, & hora qua non suspicabatur rediturum? Sic multi uana & stulta promissione, diabolo suggerēte, falluntur. Eccēs. 8. Etenim quia non cito profert contra malos sententia, absq; timore ullo filij hominum perpetrant mala. Percutitur proximus uerbis. Hier. 18. Venite, percutiamus eum lingua. Malis exemplis. 1. Corin. 8. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmā, in Christum peccatis. Beda: In hoc seruo cunctorum præsulum malorum narratur damnatio, q neglecto dei timore, nō solū ipsi luxuriæ uacant, sed etiā subditos iniurijs afficiūt. Matt. 24. Diuidet cū, partemq; eius ponet cū hypocritis, illic

Proximus quot modis percutiatur.

erit fletus & stridor dentium. Famulum illum quidlibet facientem, non solum submouebit ab officio suo, sed & amputabit à familia sua, nec dignabitur eum domus suæ contubernio. Esa. 26. Tollatur impius ne uideat gloriam dei. Mala. 3. Conuertimini, & uidebitis quid sit inter iustum & impium, & inter seruientem deo & non seruientem ei, & portionem illius ponet cum hypocritis, (qui titulum habent euangelicæ functionis, quum factis ipsis pugnent cum euangelio) & infidelibus. Illic pro malè dulcibus uoluptatibus, quibus ebrius non obseruarat aduentum domini, intolerabili punietur cruciatu, risu uerso in fletum, & cantilenis in stridorem dentium.

2 *Ille autem seruus qui cognouit uoluntatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum uoluntatem eius, plagis uapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum exigetur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.*

Etenim seruus ille quem dominus præ cæteris habuit eximium, cui concredidit dispensationem rerum suarum, cui communicauit arcana consilij sui, cui fisus est præ cæteris peregre abiens, nisi fecerit quod iussus est, ad bene agendum se disponens. Prou. 16. Hominis est, animum præparare: & domini, gubernare linguam. 1. Reg. 7. Præparate corda uestra domino, & seruite illi soli. Iaco. 4. Scienti & non facienti, peccatum est illi. Quo enim plus scit

qui peccat, tanto grauiorem pœnam ſibi accerſit. Qui ignorat, ideo punitur, quòd diſcere potuiſſet & noluit, quare ipſe in cauſa ignorantiæ. Timeamus: ſi enim is qui nihil ſcit, dignus eſt plagis, quæ excuſatio liberabit eos qui ſcienter delinquunt, maxime ſi doctores fuerint? grauior enim eſt hæc condemnatio. Cyrillus: Homo perſpicacis ingenij, qui turpib⁹ ſe inclinat, inexcuſabile committit peccatū: ſed homo ruſticanus rationabilius ueniam impetrabit. Dictum Ambroſii, grauiſſime peccare ignorātem, intelligitur nō de peccati enormitate, ſed periculi magnitudine. Gratuitum eſt quod concreditur, & in hoc concreditur, ut proferatur in utilitatem communem totius familiæ. Quemadmodum heri rationem exactiorem exigunt à ſuis, cui plus commiſerunt, ſic ab eo cui cognitionis & autoritatis copioſius munus datum eſt à deo, plus requiretur quàm à cæteris: & cuius fidei latior ac maior functio delegata eſt, quo pluribus prodeſſe debuit, hoc plus exigetur ab eo. Onus ſuſcipit uerius quàm honorē, qui functionem ſuſcipit eccleſiaſticam. Audiant ergo & intelligant, qui continent multitudines, & placent ſibi in turbis nationum: quoniam data eſt ipſis à deo poteſtas & uirtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera eorum, & cogitationes ſcrutatur. Sap. 6.

Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo niſi ut ſ accendatur? Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coartor uſque dum perficiatur? Putatis quia pacem ueni dare in terram? non, dico uobis, ſed ſeparationem. Erunt enim ex hoc quinque in domo una diuiſi

tres in duos, & duo in tres. Diuidetur pater in filium, & filius in patrem suum: & mater in filiam, & filia in matrem: socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.

Sitio hominum salutem, & huius rei gratia ueni in mundum, ac meo desiderio omnis mora longa est. Non est diluta aut humana doctrina, quam è cœlis attuli: merus ignis est, aut purgaturus hominem, aut usturus. & ideo ueni, ut hic ignis accẽdatur in terris. Doctrina enim euãgelica feruidum fidei zelum immittens, mentem à uitijs purgat, & ad cælestia capessenda inflammat Psalm. 118. Ignitum eloquium tuum uehementer, & seruus tuus dilexit illud. Hierem. 20. Factꝰ est sermo domini in corde meo quasi ignis exæstuans. Luc. 24. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in uia? Hinc Roman. 12. Spiritu feruentes. Sed non exiliet hic ignis, ni percussus fuerit in cruce hic silex corporis mei. Supereſt adhuc ille baptismus, quem mihi prescripsit pater, ut tingar proprio sanguine, ut mea morte pœnas luam pro peccatis totius mundi. Ab hoc baptismo non solum non abhorreo, sed amore salutis humanæ uehementer angor, ut quàm primum perficiatur. Verum hic ignis accensus, excitabit magnos in mundo tumultus. Vehemens enim erit & cælestis, discutiens & excutiens omnes humanos affectus. Quoniam non omnis pax uiuperio caret & bona est, sed sæpe periculosa, & procul à diuina pace reijciens, ait: An creditis, quòd uenerim pacẽ allaturus in terras, quam mundus hic

amat, cui tum tranquillitas est, quum satisfactum est animi cupiditatibus, quum mali cum malis consentiunt? Non profecto, non ueni conglutinaturus tales concordias, sed immissurus dissidia. Psalm. 72. Zelaui super iniquos, pacem peccatorum uidens. Est alia pax interna fructus spiritus, Gala. 5. imperturbatum quoddam mentis gaudium in deo, quam dare potissimum Christus uenit. Iohan. 14. Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis: non quomodo mundus dat, ego do uobis. Hinc discipulis præcepit Luc. decimo: In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. Hæc prælibatio quędam est pacis futuræ in cælis. Psalm. 147. Qui posuit fines tuos pacem. Quia enim non omnes obedient euangelio, Roman. 10. hinc boni malis non consentient, potius deo adhærere eligentes, quàm homini uitioso quantūcunq; propinquo, gratia prævalente naturæ.

De decem uirginibus, & talentis, ac modo iudicij, Mat. xxv.

ARTICVLVS CXV.

TVnc simile erit regnum cælorum decem uirginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erāt fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes uero acceperunt oleum in uasis suis cum lampadibus. Mat. 25. Q

Ostendit quanta uigilantia nobis necessaria, &

quantum negligentia sit nociua: atque ut penitus infigeret animis suorũ, non esse cessandum aut dormitandum in hac uita, sed assiduo studio pietatis & officijs in proximum, parãdum uiaticum in uitam futuram: nam in resurrectione serò nos quęsituros, nisi dum tempus est parauerimus. Tunc, in die & hora iudicij, simile erit regnum cælorum, ecclesia militans & eius negocium, quę bonos & malos recipit. Matth. 13. Simile est regnum cælorum sagenæ missę in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Obserua quasdam uirgines corpore tantum. Chrysostomus: Virgo est, quę nec habet uirum nec habere desiderat: quod si uoluntatem quidem nubendi habet, corpore uirgo est, animo corrupta: quia corpus sordidatur opere, anima uoluntate. Corpore & mente, 1. Cor. 7. Mulier innupta & uirgo, cogitat quæ domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Mente tantum, hæc omnium Christianorũ. 2. Cor. 11. Despondi uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Hieronymus: Decem uirgines, omnes homines sunt, qui uidentur deo credere, & applaudunt sibi in scripturis sanctis, qui gloriantur in uniꝰ dei notitia, & mens eorum idololatriæ turbine non constupratur. Greg. Quia ex utroq; sexu multitudo fidelium colligitur, recte ecclesia 10. uirginibus comparatur. Lampades, fidei sunt opera, quæ secundum istam continentiam fiũt: nam sicut lampas domum, sic fides illuminat animam. Nec quisquam fideliũ adeò malus est, quin aliqua fidei habeat opera, & si non formata charitate. Habet enim omnis anima à deo illustrationem & lampadem, & omnes

Virgo propie quę.

Decẽ virgines mystice quid.

Lãpades,

surgunt in occursum domini. Omnes enim desiderant occurrere illi & coniungi. Est autem prudentia uirtus, quæ actus humanos dirigit in debitum fiñ. Hiero. Possumus qnq; sensus interpretari, quorum alij festinant ad cælestia, & superna desiderant, alij terrenis fęcibus inhiantes, non habent fomenta ueritatis, quibus sua corda illuminentur. Qui ergo spiritualem habent lætitiam, & dei quærunt gloriam, habent oleum. Hinc dominus Matt. 6. Tu autē cum ieiunas, unge caput tuum. Ro. 12. Prouidentes bona non solum coram deo, sed etiam corā omnibus hominibus. Mat. 5. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, & glorificent patrem uestrum qui in cælis est: fatuæ oleum lætitiæ spiritalis ex charitate procedentis, non acceperunt secū. Psal. 44. Vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ. Prudentes fidem habuerunt per charitatem operantē, Gal. 5. 1. Cor. 13. Nunc manēt fides, spes, charitas, tria hæc, maior horum est charitas.

Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus uenit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes uirgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo uestro, *quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes:* Ne forte non sufficiat nobis & uobis, ite potius ad uendentes, & emite uobis. *Dum autem irent emere, uenit sponsus, & quæ parate erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa, est ianua.*

Mora, pœnitentiæ est tempus. Non parum temporis spatium interiectum ostendit, opinionem discipulorum reprimens, qui statim post resurrectionem ipsius regnum futurum sperabant, quam opinionem ex animis eorũ eximere studuit. Dormitare, est ante mortem à salute languescere: dormire, mori est, quia resuscitandi. 1. Thes. 4. Nolumus uos ignorare de dormientibus, ut nõ contristemini sicut cæteri qui spem non habent. Hinc Iohan. 11. Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut à somno excitem eum. Omnes, dicit, dormierunt, quia Heb. 9. Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem, iudicium. Vnde & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, 1. Pet. 3. iustus ꝓ iniustis, ut nos offerret deo, mortificatos quidem carne, uiuificatos autem spiritu. Media nocte dicit clamorem factum, ut ostendat, quod si inexpectatus ueniat dominus, quasi media nocte, omnes dormiamus profundo somno. Dies enim domini, sicut fur in nocte, ita ueniet. Cum enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, 1. Thes. 5. De isto clamore 1. Thes. 4. Quoniam ipse dominus in iussu & in uoce archangeli, & in tuba dei descendet de cælo. 1. Corinth. 15. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. Ecce sponsus aduenit ad copulandam sibi ecclesiam. Nuptiæ enim, immortalitatis assumptio. Iohan. 3. Qui habet sponsam, sponsus est. O quàm iucunda uox in auribus piorum, & horrenda in aure impiorum. Exite obuiam spõso. Modò exeundum de sepulchro peccati. Eph. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. 1. Corinth. 15. Euigilate iusti, & nolite

Dormitare. Dormire.

Nuptiæ spiritaliter quid.

peccare. Tunc surrexerunt. 1. Corin. 15. Omnes quidem resurgemus. Iohan. 5. Nolite mirari hoc, quia uenit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem filij dei: & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ: qui uero mala egerũt, in resurrectionem iudicij. Hieronymus: Ornauerũt lampades, hoc est, sensus in quibus oleum scientiæ recipiebant, ut haberent opera uirtutum, quæ ante uerum iudicem refulgeant. Gala. 6. Probet seipsum homo, & opus suum probet unusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero. Vnusquisque enim onus suum portabit. Apoc. 19. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam deo, quia uenerunt nuptiæ agni, & uxor eius præparauit se. Et datũ est illi, ut coopiat se byssino splendenti & cãdido. byssinũ em̃ iustificationes sunt sanctorum. Porro fatuæ quæ sibi de oleo non parauerant in sponsi aduentum suffecturo, quod sibi persuaserant, nõ sic subito prodituru sponsum, quin spatium daretur alicunde comparandi olei, quum uiderent subito abeũdum medio noctis, nec haberent oleum, ad sapientes se conuertunt. Chrysostomus: Quasi dicerent, uestra iustitia sufficiens est uos saluare, & nos excusare, date nobis testimonium, dicendo de operibus nostris quod uidistis. Hieronymus: Quæ lampades suas queruntur extingui, claret quia ex parte luxerunt: sed quia fomentum charitatis non habuerunt, ideo queruntur eas extingui. Gregorius: Quorum facta aliena laude fulciũt, eadẽ subtracta deficiũt: & de cõsuetudine id semper requirer, unde gaudere animus solet. Itaq; hoim q

corda non uident, testimoniũ uolunt habere apud deum qui cordis inspector est. Iob. 21. Lucerna impiorum extinguetur, & superueniet eis inundatio. Sed de muliere forti dicitur Prouer. 31. Non extinguetur in nocte lucerna eius. Cant. 8. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Hila. Prudentes uirgines hæ sunt, quæ opportunum in corporibus operandi tempus amplexæ, in primum se aduentus dominici occursum præparauerunt: fatuæ uero, quæ dissolutæ ac negligentes, præsentium tantum solicitudinem habuerunt: & immemores promissorum dei, in nullam se spem resurrectionis extenderunt, quæ alienis operibus nihil adiuuãtur. Quanquam nihil humanius illis uirginibus fuerit, non enim totum petebant, & necessitatem ostendebant, tamen repulsæ sunt: nec humanitas earum à quibus petebatur, nec petitionis facilitas, nec petentium necessitas, ut impetrarent effecit. Ad insinuandum quia nullus nos, si opera desint, defendere ibi possit: non quia noller, sed quia non potest. Videmus enim prudentes ad impossibilitatem confugere, quod & Abraam ille denotauit Luc. 16. Magnus, inquit, hiatus inter nos & uos positus est, ut hi qui uolunt hinc transire ad uos, non possint. Non itaq; de auaritia, sed timore dictum uenit, quia unusquisque pro se rationem reddet. Roman, 14. Nec alieno testimonio quisquam iuuatur apud deum, cui cordis secreta patent: & uix quisque sibi sufficit, ut sibi testimonium perhibeat conscientia sua. Dant quidem consilium, quod non debuerant sine oleo lampadarum sponso occurrere: sed quia tempus comparandi iam olei excesserat, ideo crimen earum

Prudẽtes virgines.

Fatuę.

ex obliquo uidentur commemorasse. q. d. Videamus modò quid uos adiuuent, qui uobis laudes uendere consueuerunt. Vendunt oleum omnes adulatores, qui accepta alicuius commodi temporalis mercede, siue uera, siue falsa laudando, in errores animas mittunt. Dum irent emere, hoc est, quærere suffragium, sed nimis tarde. Gregorius: Inclinantibus se illis ad ea quæ foris sunt, & solita gaudia quęrentibus, quia interna gaudia non nouerant, uenit ille qui iudicat: & illæ quibus bonum testimonium conscientia perhibebat, intrauerunt cum eo, ubi immunda anima sempiterno dei uerbo copulatur. Apocalyp. 19. Scribe, beati qui ad cœnam nuptiarum agni uocati sunt. Et clausus est aditus regni cælestis. nam post iudicium, nullus precum aut meritorum patebit aditus: quia magna est eius seueritas post iudicium, cuius ineffabilis misericordia præro gata est. Hierony. Post iudicium, bonorum operum & iustitiæ occasio non relinquetur. O si quis sapere posset in cordis palato, quid admirationis habet quod dicitur, uenit sponsus: quid dulcedinis, intrauerunt cum eo ad nuptias: quid amaritudinis, clausa est ianua.

Oleum q̃ vendant.

Nouißime uero ueniunt & reliquæ uirgines, dicentes: Domine domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico uobis, nescio uos. Vigilate itaq;, quia nescitis diem neque horam. 3

Vere nimis sero ueniunt, per seram pœnitentiam: pulsant per infructuosas lachrymas, foris relictæ. Hieronymus: Egregia quidem uox in domini appellatione, idq; repetitum, indicium confessionis

fidei est. sed quid prodest uocibus inuocare, quem operibus neges? Lu. 6. Quid autem uocatis me, domine domine, & non facitis quæ dico? Hieronymus: Nouit quidem dominus qui sunt eius, 2. Tim. 2. sed nescit operarios iniquitatis, Matth. 7. Quomodo dissimiles & à se alienos nosset? q. d. Ideo uos desero, quia per uitæ meritum non agnosco. Hiere. 4. Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Hinc 1. Corint. 8. Si quis diligit deum, hic cognitꝰ est ab eo. Vos igitur ad exemplum prudentium uirginum, serui fidelis, ac prouidi patrisfamiliàs, uigilate, in tempore uobis parate bonorum operum cõmeatum, quia nescitis diem & horam illius aduentus, qui quum subito extiterit, iam non erit amplius tempus benefaciendi, sed unicuique fe rendum erit præmium pro retro gestis. Hieronymus: Prudentem semper admone lectorem, ut non acquiescat superfitiosis interpretationibus, & quæ comaticè pro fingentium dicũtur arbitrio: sed consideret priora, media, & sequentia, & nectat sibi uniuersa quæ scripta sunt. Ideo enim parabolas præmittit, ut quia ignoramus omnes iudicij diem, solicite nobis lumen bonorum operum ꝓparemus, ne, dum ignoramus iudex ueniat.

Matt. 25. R *Sicut enim homo peregre proficiscens, uocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinq; talenta, alij aũt duo, alij uero unum, unicuiq; secũdum propriam uirtutem. & profectus est statim. Abijt aũt qui quinq; talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinq;. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autẽ unum*

acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.

Ostēdit dominus quòd donis abutētes collatis, & ipsis priuantur, & pro neglectu puniuntur, extimulans suos ad perpetuum studium bonorum operum, ne committerent ut doctrinam & dotes à se acceptas, sua negligentia sinant esse steriles: sed suo studio curaq; sua uerterent in utilitatem proximi, seseq; præberent idoneos maioribus donis, qui q̄d pro suo modulo captuq; accepissent, collocassent in lucrum domini sui, qui gaudet tali fœnore ditescere. Nam ascendens in cælum, domesticos suos in hoc mundo reliquit, eisq; corporalem præsentiam subtraxit. Ephe. 2. Non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici dei: propriæq; libertati relinquens longanimiter opus expectando, tandē huc rediturus unde ascenderat. Actu. 1. Hic Iesus qui assumptus est à uobis, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in cælum. Omnes autem serui dei sumus. Roman. 6. liberati à peccato, serui facti deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem uero uitam æternam. Non autem uult esse ociosos, quos de foro uocauit ad uineam, Matth. 20. quare dona sua contulit. Dona sua dicit. quicquid enim habet homo, dei donum est. 1. Corinth. 4. Quid enim habes quod non accepisti? Ideo tradidit, non ut sibi profunderent, sed ut inde domino suo lucrum referrent, unde sortem acceperant. Ephe. 4. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatē, dedit dona hoibus, put quēq; iudicabat idoneū, ne supra uirtutem opus iniungens,

ipse ruinæ causa existeret, ut dicit Chrysostomus: Vnusquisq; enim proprium donum accipit secundum mensuram fidei & purificationis. De hac donorum diuersitate dicit Apostolus 1. Corinth. 12. Alij per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in uno spiritu, alij operatio uirtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout uult. Chrysostomus: Talenta hic pro eo quod unusquisque facere potest, accipimus, siue autoritatiue protegere, siue pecuniis iuuare, siue admonere, siue alia quapiam re proximis prodesse queas. Etiam una re prodesse possumus: nam nõ es pauperior illa uidua, quæ duo minuta misit in gazophylacium: non es Petro atq; Iohanne rusticior, qui quanuis rudes & illiterati fuerint, quoniam magno studio communem utilitatem complexi sunt, cælorum principes facti sunt. Nulla quippe res deo gratior, quàm ut uniuersam uitam ad commune commodum conferas. Hieronymus: In quinque, duobus, & uno talento, uel diuersas gratias intelligamus, quæ unicuique traditæ sunt: uel in primo omnes sensus examinatos, in secundo intelligentiam & opera, in tertio rationem qua homines à bestijs separantur. Qui quinque acceperat, non cessauit, sed statim abijt, in opus producendo, duplicans quod accepit, deuotissime deo seruiens in operibus pietatis. Similiter qui duo, bene uiuendo & bene docendo, ecclesiam dei multiplicare curauit. 2. Timo. 2. Doctrinam quam acce-

pisti à me, commenda hominibus qui idonei sunt & alios docere. Qui enim non sibi solum prodesse curat, siue per prudentiam, siue diuitias, uel artem aliquam, sed & alijs uult prodesse, is conduplicat q̃d sibi datum est. Roman. 12. Habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes, siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate. Qui unum, hoc est, intellectum accepit, abiens à deo auersus, & ad terrena se conuertens, sicut filius prodigus, Luc. 15. per ignauiam abscõdit. Sunt enim aliqui, qui bona quidem intelligunt, sed operari minime studẽt. Hiere. 4. Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Fodit in terram, qui suæ tantũ utilitatis curam habet, non aliorum, cõtra illud. 1. Pet. 4. Vnusquisq; sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ dei. Si quis loquitur, quasi sermones dei: si quis ministrat, tanq̃ ex uirtute quam administrat deus, ut in omnibus honorificetur deus per Iesum Christum dominum nostrum. Talentum ergo in terram abscondere, est acceptum ingenium terrenis rebus implicare, lucrum spiritale non quærere, cor à terrenis cogitationibus nunq̃ leuare. Qui ergo ingenio pollens, dolo, fraude, & alijs medijs illicitis terrena congregat, seseq; totum in mundi amorem obligat, talentum in terram fodit. Vnde & fossionis uerbum, laborem indicat. Hiere. 9. Vt inique agerent, laborauerunt. Sapien. 5. Lassati sumus in uia iniquitatis, ambulauimus uias difficiles, uiam

Talentum in terra abscõdere

autem domini ignorauimus. Quid ꝓfuit nobis superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Abscondit pecuniam, non producēs in lucem. 1. Tim. 4. Noli negligere gratiam quæ in te est, quę data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.

8 *Post multum uero temporis uenit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. & accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque, dicens:* Domine, *quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus eius:* Euge *serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Accessit autem & qui duo acceperat talenta, et ait:* Domine, *duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. Ait illi dominus eius:* Euge *serue bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te cōstituam: intra in gaudium domini tui.*

Longum tempus inter ascensionem domini & aduentum ad iudicium, quando reuerteretur exigens à seruis suis dati & expensi rationē. Chrysostomus: Confitentur gratifice, & totum ei reportant, à quo sumpserunt, q. d. Nec modicam quidem iustitiam habere potuissemus, nisi tua gratia fuisset nobiscum. 1. Corinth. 15. Gratia dei sum id quod sum, & gratia eius in me uacua non fuit, sed abundantius omnibus illis laboraui. Non ego autem, sed gratia dei mecum. Dominus collaudans industriam serui, ait: Euge, congaudeo tibi, & in bonum tibi sit,

serue bone, non quærens quę tua, sed quæ Iesu Christi, & fidelis in proximos, liberalis & misericors. Hieronymus: Omnia quæ in præsenti habemus, licet magna uideantur & plurima, tamen comparatione futurorum parua & pauca sunt. Qui ergo super pauca fidelis fuit, supra multa constituitur: quia is qui terrenam substantiam bene dispensauit, pro rebus transitorijs, perpetuam accipiet mercedem. Chrysostomus: Non dixit, intra ad gaudiū, sed in, ut possessor sit gaudij, non spectator: iam non minister in gaudio, sed particeps. Ioh. 12. Vbi sum ego, illic & minister meus erit. Hieronymus: Quid maius dari potest fideli seruo, quàm esse cum domino, & uidere gaudium domini sui, & accipere quod nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod deus præparauit diligentibus se? 1. Corinth. 2. Similiter qui duo. Ambo hi qui in creditis operantur, eodem modo à domino laudantur, & eadem bona consequuntur. Non enim considerat dominus lucri magnitudinem, sed studij uoluntatem. Vnusquisque ut acceperit, ita & excelsus uidebitur, si bene egerit. Tunc ergo fidelis seruus supra multa constituitur, quando deuicta omnis corruptionis molestia, de æternis gaudijs in illa sede cælesti gloriatur: tunc ad domini sui gaudium perfecte intromittitur, quando in æterna illa patria assumptus, atque angelorum cœtibus admixtus, sic interius gaudet de munere, ut non sit quod iam exterius doleat de corruptione. Nostrum erit interim humiliter de nobismetipsis sentire. Lucæ 17. Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite, qa serui inutiles sumus, & dei dona in nobis reco-

gnoscere: dominus suo tẽpore commẽdabit, quum laus erit unicuiq; à domino. 1. Cor. 4. quando illuminabit abscondita tenebrarũ, & manifestabit consilia cordium.

3 *Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti: & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra, ecce habes quod tuum est. Respondens autem dominus eius, dixit ei: Serue male & piger, sciebas quia meto ubi non semino, & congrego ubi non sparsi? oportuit ergo committere pecuniam meam nummularijs, & ueniens ego, recepissem utique quod meum est, cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod uidetur habere, auferetur ab eo. Et inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.*

Malus seruus iussus reddere rationem, nõ solum non agnoscit culpam inertiæ, uerumetiam dominum insimulans austeritatis & auaritiæ, crimen officij neglecti conduplicauit. Hieron. Psalm. 140. Ne declines cor meum in uerba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Hoc isti seruo contigit, ut ad pigritiæ & negligentiæ uitium, superbiæ quoque crimen accederet. Metuẽs ergo ne, si sors aliquo casu periisset, sæuires in me, abij per liberum arbitrium defodiq; in terram. Sic multi in ecclesia melioris uitæ uias aggredi metuunt, & tamẽ iacere in sui tor-

poris ignauia non erubescũt. Tales de deo cogitãt, quæ non sunt cogitanda: quia neque durus, sed clemens, misericors & miserator, & multus ad ignoscendum, Ioel. 2. neque metit ubi non seminauit, qa ubique seminat, Matt. 13. quare non congregat ubi non spargit. Ecce habes quod tuum est. si non mereor laudem ob lucrum additum, certe sors curaui ut esset in tuto. O quot habet iste conseruos qui dicunt: Deus fecit animam, curet de ea, si uoluerit, prg- sumentes sine merito saluari. Sed attendant quid huic seruo pigro obtigerit. Hieronymus: Quod pu tauerat se pro excusatione dixisse, in culpam propriam uertitur. Malus dicitur, quia dominum calumniatur, se excusando: piger, quia talentum duplicare noluit, ut in altero superbiæ, in altero negligentiæ condemnetur. Chrysostomus: Vere malus, qui largitatem domini uocat uiolentiam. Sic multi præcepta dei impossibilia causantur, quo contra. 1. Iohan. 5. Mandata eius grauia non sunt. Vnde dominus Matt. 11. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Tanto, inquit, magis oportuit te committere pecuniam meam mummulariis, & ego qui lucrum uenor illic, ubi non feci sumptum, recepissem utiq;. Mea erat sors, non tua. industriam tuam seruus debebas domino. Chrysostomus: Etsi talẽtum non perdidit, reus tamen damni est: sicut qui semen ad seminandum accipit, & nõ seminat tempore sementis, fraudat dominum spe fructus percipiendi. Quicquid in donis spiritualibus siue temporalibus quis accipit, pro talento imputatur: & usura. i. fructus, in se & proximo exigit. 1. Cor. 9. Nam si euangelizauero, non est mihi gloria. necessitas enim mi

Pigrorum cauillatio.

hi incumbit. Væ enim mihi est, si non euangelizauero: Si autem uolens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Tum uersus ad alios seruos, ait: Tollite etc. Nã sæpe qui administrant bona exteriora quæ acceperunt, p̃ adiutam gratiam ad intellectum quoq; mysticum perducuntur, ut de interna scientia polleãt, qui exteriora fideliter administrant. Admirantibus seruis quòd ei iuberet addi, qui iam abundabat, ait: Ita fiet ãn hoc opum genere. Hieronymus: Multi, cum sapientes sint naturaliter, & habeant acumen ingenij, si fuerint negligentes, & desidia bonum naturæ corruperint, ad comparationem eius qui paululum tardior, labore & industria compensauit, quod minus habuit, perdunt bonum naturæ: & præmium quod eis fuit promissum, uident transire ad alios. Si qui fidem habet, & bonam in domino uoluntatem, etiam si quid minus habet in opere ut homo, dabitur ei à bono iudice. Diligentiam adhibenti dabitur maior gratia, ita ut abundet. Studium autem non adhibens, & dono quod uidetur habere, priuabitur. Negligens enim, & qui non operatur per ea quæ accepit, non habet donum, sed uidetur habere, quia mercedem perdit sua negligentia. Habenti ergo fidem per dilectionem operantem, augetur hic gratia, & postea gloria: qua si caret, etiam cætera dona non proficiunt ei ad meritum. Vnde necesse est, ut per omne quod agimus, erga charitatis custodiam uigilemus: quia quæ sine charitate fiunt, in cõspectu dei nulla sunt, q̃uis coram hoĩbus magna uideant. Porro inutilem seruũ submouete ab oculis meis, & abijcite in tenebras externas. Ibi p̃ gaudio dñi sui, quod promereri noluit, cruciabitur fletu & stridore

dẽtium. Greg. Per pœnas in exteriores tenebras cadit, q̃ per culpam ſponte in interiores cecidit: & illic coactus patitur tenebras ultionis, qui hic uoluntarie tenebras ſuſtinuit uoluptatis. Conſideremus ergo q̃ accepimus, atq; in erogatione uigilemus. tanto enim q̃ſq; ampliorem gloriam cũ dño poſſidebit, quanto largius talentũ acceptũ, pro eius amore erogauit. Nulla ergo nos à ſpiritali opere terrena cura impediat, ne, ſi in terra talentũ abſcondit, talẽti dominus ad iracundiam prouocetur. Piger ſeruus cum iam iudex culpas examinat, talentum de terra leuat: quia pleriq; tunc ſe à terrenis deſideriis & operibus ſubtrahunt, quando iam per animaduerſionem iudicis ad æternum ſupplicium pertrahuntur. 1. Cor. 2. Nos autem non ſpm̃ huius mundi accepimus, ſed ſpm̃ qui ex deo eſt, ut ſciamus quæ à deo donata ſunt nobis.

Cum autem uenerit filius hominis in maieſtate ſua & omnes angeli eius cũ eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis: & ſtatuet oues quidem à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. Matt. 25. S

Extrema hac narratiõe maieſtatẽ aduentꝰ ſui, & ſegregationẽ bonorũ à malis, & utriuſq; partis diuerſa merita, itemq; & p̃mia, breuiter totã iudicij ſupremi imaginem, ſubijcit oculis, q̃ ſuos & præmiorũ magnitudine, & ſupplicioꝝ metu extimularet ad ſtudium euangelicæ pietatis, & ad bene merendũ de proximo, atq; à ceſſatione & malefaciendi licẽtia deterruit. Hiero. Poſt biduũ paſcha facturus, & tradẽdus

cruci,& illudendus ab hominibus,aceto & felle potandus,recte præmittit gloriam triumphantis,ut secutura scandala,pollicitationis præmio compenset. Quoniam primus aduentus quo uenit iudicari,fuit in humilitate & opprobrijs,dicit secundum adiudicium fore in gloria.Filius hominis. Ioh.5.Potestatem dedit ei iudicium facere, qa filius hominis est. In maiestate. Venit primo in humilitate & apostolorum paupere societate,& propria infirmitate: tũc uero in maiestate,& angelorum societate, qui tunc uisibiliter apparebunt propter iudicis reuerentiam, secundo ad malorum terrorem,tertio,sententiæ executionem. Tunc sedebit uelut iudex oĩium,quem propediem uidebitis humilimum & abiectum. Nullus autem hominum quamlibet excelsus, aut humilis,poterit illud iudicium effugere,quod non humanis cõiecturis,sed exacto dei iudicio peragetur,cuius oculis omnia sunt conspicua. Hier.17.Prauũ est cor hoĩs & inscrutabile. quis cognoscet illud? Ego dominus scrutans corda & renes,qui do unicuiq; secundum opa sua. Ioel.3.Consurgãt & ascendãt oẽs gẽtes in uallẽ Iosaphat, qa ibi sedebo ut iudicẽ oẽs gentes in circuitu. Habẽt singuli quiq; iudices suos, habent & subiectos & actores & reos:& accusatores quoq; habent leges suas, quas plerunq; sic administrant,ut qui reus est,absoluatur,ac insons abeat: feratq; sententiã,q innocẽs est,& condẽnetur. Sapi. 6.Cum essetis ministri regni illius,non recte iudicastis,nec custodistis legem iustitiæ,neq; secũdum uoluntatẽ dei ambulastis. Horrende & cito apparebit uobis,qm̃ iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet. Hunc iudicem ut non possumus declinare,

2.Cor.5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum, ita neq; fallere. prodit enim nos nostra conscientia. Roma.2. Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium, in die cum iudicabit dominus occulta hominum, secundum euangelium meum, p Iesum Christum. Apoc.20. Vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni. Et libri apti sunt, & alius liber apertus est qui est uitæ. & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secũdum opera ipsorum. Quisquis huic sistendus est iudici, iustam reportabit sententiam. non enim poterit corrumpi timore qui omnipotens est. Psalm. 75. Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua. De cælo auditum fecisti iudicium. terra tremuit & quieuit, cum exurgeret in iudicio deus, ut saluos faceret omnes mansuetos terræ. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi. Nec amore, quia iustissimus. Psalm.10. Quoniam iustus dominus & iustitias dilexit, æquitatem uidit uultus eius. Nec munere, quia ditissimus. Psalm.15. Dixi domino, deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Nec odio, quia clementissimus. Sap.11. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Separabit loco & præmio, qa separati uoto & merito. Nam usq; ad illam horam boni malis mixti manent. Matt.13. Sinite utraq; crescere usq; ad messem. Sic & sagena pisces bonos trahit & malos, Mat.13. Origenes: Oues dictæ sunt simplices fideliũ animæ quæ saluãtur, propter mansuetudinem quam didice

Oues mystice quid.

runt ab agno tollẽti peccata mundi, qui ait Mat. 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. & propter patientiam usq; ad mortem, ac utilitatẽ quam in alios contulerunt. Psalm. 94. Nos populus pascuę eius, & oues manus eius. Et quia uias quę à dextris sunt, ambulauerunt, ideo à dextris collocabuntur. Pro. 4. Vias quæ à dextris sunt, nouit dominus: peruersæ uero sunt, quæ à sinistris sunt. Has hœdi. i. mali ambulauerunt. Orig. Hœdus animal est petulcum, feruens ad coitum, aspera montium conscendens, & per abrupta & dura saxa & præcipitia incedens. Sic mali relinquunt iter rectum, & ambulant per uias tenebrosas. Ephe. 5. Hoc autem scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & dei.

Hœdi.

Tunc dicet rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratũ uobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi potũ: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & uisitastis me: in carcere erã, & uenistis ad me. Tũc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te uidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te uidimus infirmum, aut in carcere, & uenimus ad te? Et respondens rex, dicet illis: Amẽ dico uobis, quàm diu feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.

Itaq; uniuerso mortalium genere in duos ordines distributo, tanquam iustus iudex utrisq; rationem proferet sui iudicij, ut boni cognoscant quibus officijs promeruerunt tantam felicitatem, & mali audiant quibus culpis meruerunt æterna supplicia. Non antea præmiatur el punit, q̄ dijudicet, docens nos ante discussionem non iudicare. sic excusatione magis carebunt, qui præcedēte iudicio puniuntur. Nominat nunc regem, cuius est bonos præmiare, & in malos animaduertere. Hiere. 23. Regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiā in terra. Psal. 71. Deus, iudicium tuū regi da, & iustitiam tuā filio regis. Apoc. 19. Habens in uestimento & in femore suo scriptū, Rex regum & dominus dominātium. At dextrum quidem ordinem placido lætoq; uultu salutans, Venite, inquiet, amici mei, quos mūdus q̄dem despicatos & execrabiles habuit, sed pater meus pro honoratis & laudabilibus habet. Hoc tanto beneficio compensare uisum est officia charitatis ergo me uestræ, ne uobis perire putetis. Implicat tria. Gratiam, ad quam pertinet benedictio. Prou. 10. Benedictio domini super caput iusti. Eccl. 11. Benedictio domini in mercedem iusti festinat, & 40. Gratia sicut paradisus in benedictionibus. Prouerb. 10. Benedictio domini diuites facit. Gloriam ad quam regni possessio. Sap. 5. Accipient regnum decoris & diadema speciei de manu domini. Ro. 8. Hæredes quidem dei, cohæredes aūt Christi. Præparationem, ad quā prædestinatio. Eph. 1. Benedictus de⁹ & pater domini nostri Iesu Christi, q̄ benedixit nos omni bñdictione spūali in cælestib⁹ in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mūdi cōstitutionem, ut

Iudicij recti ordo.

essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum in ipsum, secundum propositum uoluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ. Ante mundi constitutionem paratum fuit regnum per prædestinationem, à constitutione mundi per creationem, ab ascensione per apertionem. Ioh. 14. Vado parare uobis locum. Mich. 2. Ascendit pandens iter ante eos. Non aũt solum monstrauit qua pergeremus, sed & uirtutem & gratiam contulit, deinde & præcepta & leges saluberrimaq; monita præscripsit. Mat. 19. Si uis ad uitam ingredi, serua mãdata. Necq; igitur diuina prædestinatio necessitatem nobis imponit, ut etiamnum illos deus delegisse putetur, qui rebelles suæ uoluntati, in omnem libidinem seresoluunt, qui uerbis quidem confitentur, factis autem negant, Tit. 1. Exigit enim euangelium opera ubi adest facultas, exigit fidem per dilectionẽ operantem, Gal. 5. Alioqui arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, Mat. 7. Audi ergo qua lege ad æternam beatitudinem prædestinatus sis. Esuriui. Esa. 58. Frange esurienti panem tuum. Tob. 4. Panem tuũ cum esurientibus & egentibus comede. Hospes. Esa. 58. Egenos uagosq; induc in domum tuam. Iob. 31. Foris nõ mansit peregrinus. Nudus. Esa. 58. Cum uideris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Luc. 3. Qui habet duas tunicas, det nõ habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Infirmus. Iac. 1. Religio mũda & immaculata apud deum & patrem hæc est, uisitare pupillos & uiduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. Eccl. 7. Non de-

Regnum quõ tripliciter paratum.

fis plorantibus in consolatione,& cum lugentibus ambula. Non te pigeat uisitare infirmum, ex hoc enim in dilectione firmaberis. In carcere. Prou.24. Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahũtur ad interitum,liberare non cesses. Si dixeris,uires nõ suppetunt: qui inspector est cordis,ipse intelligit,& seruatorem animæ tuæ nihil fallit,reddetq; homini iuxta opera sua. Impertistis mihi uestra qualiacunque, ego uicissim nunc communico uobis totũ regnum,quod mihi cum patre est cõmune. Hæc quũ audierint iusti, qui sic exercent opera pietatis,ut q̃dammodo se fecisse nesciant,stupentes ad tantę mansuetatis benignitatẽ,dicent &c. Chrysostomus: Fratres sunt,quia fecerunt uoluntatem patris, Mat.12. sed iuxta mundum minimi, quanq̃ apud deum maximi, quos fraterni nominis dignatur honore.

Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti *in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Esurini enim,& non dedistis mihi manducare. Sitiui,& nõ dedistis mihi potum. Hospes eram,& non collegistis me. Nudus, & non operuistis me. Infirmus & in carcere, & non uisitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem,aut sitientem,aut hospitem,aut nudum,aut infirmum aut in carcere,& nõ ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico uobis, quàm diu non feciſtis uni de minoribus his,nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in supplicium æternum,iusti autem in uitam æternam.

Tum horribili uultu uersus ad sinistros,sententiã

proferet formidabilem, cumulum pœnæ in tribus ostendens. In exclusione uisionis diuinæ. Discedite, qui longe fuistis merito, nec audire uoluistis uocantem. Pro.1. Vocaui, & renuistis: extendi manũ meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meũ, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu uestro ridebo, & subsannabo, quũ uobis id quod timebatis aduenerit. In passiõe ignis, quo omnis pœna designatur. Psal.10. Pluet sup peccatores laqueos, ignis & sulfur, spiritus procellarum pars calicis eorum. In cohabitatione dęmonis. Esa. 30. Præparata est ab heri tophet, à rege præparata, profunda & dilatata, nutrimenta eius ignis & ligna multa. flatus domini sicut torrẽs sulfuris succendẽs eam. Quia enim compassionis expertes sunt dęmones, & hostiliter gaudent de ruina hominum, merito idem habent supplicium qui eiusdem sunt uoluntatis, & ipsi adhærere malunt q̃ domino. Iac.2. Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiã. Horresce ergo, quod illi neq; ut scorta, neq; ut latrones, neq; ob aliud graue flagitium puniũtur, sed ut hi qui bonum non fecerunt. Pro.21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit ipse & non exaudietur. Christus enim in membris suis egens refocillatur, uel negligitur. Augustinus: Virtute fiet diuina, ut cuiq; opera bona uel mala cũcta ad memoriam reducantur, & mentis intuitu mira celeritate cernãtur, ut accuset uel excuset scientia consc ientiam, atq; simul & omnes & singuli iudicẽtur. Hac prolata sententia, ibunt ij qui fascibus peccatorum pressi sunt, in supplicium ęternũ, recepturi pro diuersis criminibus diuersa supplicia. Apo.18.

Tria quędã damnatorũ pœnã exaggerantia.

Damnari non ob flagitia, sed de bono omisso.

Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Iusti in uitam æternam, recepturi singulos denarios, Mat. 20. Sunt tamen in domo patris multæ mansiones, Iohã. 14. & stella differt à stella in claritate, 1. Cor. 15.

De modo docendi in Christo, & obstinatione Iudæorum, Luc. xxi. Iohan. xij.

ARTICVLVS CXVI.

ERat autem diebus docens in templo, noctibus uero exiens morabatur in monte qui uocatur Oliueti. Et omnis populus manicabat ad eum in templum, audire eum. Luc. 21. T

Nobis hæc ad figuram prætulit, ut apud fluenta nocte quidem accipiamus orationis fluxum ex uenis spiritualibus, die autem effundamus hausta his qui opus habent. Populus propter doctrinę profunditatem & utilitatem, eloquentiæ uenustatẽ, & operum uirtuositatem, diluculo ueniebat in templo audire uerba salutis. Psalm. 44. Diffusa est gratia in labijs tuis. Vnde Petrus ait Iohan. 6. Domine, ad quẽ ibimus? uerba uitæ æternæ habes.

Vide parte 2. ar. 23. b

FINIS PARTIS PRIMAE.


BIBLIOTEKA KÓRNICKA PAN











































































BIBLIOTEKA KÓRNICKA
14149/1

301

304.